Digitized by Google

COMMENTARIUS
IN
HARMONIAM,
SIVE
CONCORDIAM QUATUOR EVANGELISTARUM;
ET
APPARATUS CHRONOLOGICUS, AC GEOGRAPHICUS,

Cum PRÆFATIONE, in qua demonſtratur veritas EVANGELII.

AUCTORE

BERNARDO LAMY
Oratorii DOMINI JESU Presbytero.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

M. DCC. XXXV.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DELECTATUS eo genere ſtudiorum, quæ me abducerent à quæſtionibus quæ movent bella in Eccleſia, animum facto elucidando codici adjunxi, & his aſtruendis dogmatibus, quibus Orthodoxi Theologi magna conſentione adhærent. Etſi autem plurimas partes Scripturæ attigerim: collegerim in Apparatu meo Biblico, ſive Manuductione, quæ in genere huic intelligendæ neceſſaria ſunt; & in ſpecie copioſè diſſeruerim de templo Hieroſolymitano, cujus cognitio veluti fax toti ſcripturæ prælucet: attamen præcipua & meliorum horarum ſtudia huc verti, ut quæ in illa ſpectant Chriſtum, & demonſtrant eſſe verè natura Deum, filium Dei, & Deo patri conſubſtantialem, adversùs novas & antiquas hæreſes aperta & certa fierent. Hæc omnia expoſui diſtinctis libris, quos hactenùs in ſeriniis aſſervo, quia majoris ſunt momenti, diutiùs expoliendos, & non edendos niſi maturiori ætate; ibi enim Orthodoxam de tribus in Deo perſonis fidem propugno. Prima pars hujus operis, quam nunc in lucem exire patior, continet vitam J. C. D. N. ſive hiſtoriam Evangelicam eorum quæ ille geſſit & dixit; quæ confirmata fidem præſtruunt docilem orthodoxo de ſanctiſſima Trinitate dogmati. Poſtquàm enim Verbum, Sapientia Dei, quam genuit ab æterno, caro factum eſt, ſive Jeſus coæternus filius Dei, conceptus eſt in utero Mariæ de Spiritu ſancto; paruit tres in Deo diſtinguendas eſſe perſonas; quod conſpicuum factum eſt præſertim quando Jeſu baptizato, & Spiritu ſancto in eum deſcendente, vox Dei Patris aperto cœlo audita eſt: *Hic eſt filius meus*, *&c.* Deus unus & trinus tunc clarè innotuit. Ut ex Evangelio, ſive hiſtoria rerum & ſermonum Domini tanquam è fonte hauriri poſſit certa Dei & Trinitatis cognitio.

Hiſtoria autem vitæ J. C. D. N. veriùs & certiùs non poteſt contexi quàm verbis ipſis Evangeliſtarum, in quibus cùm habeat ſua membra quaſi ſparſa & divulſa, ex illis corpus conflari non poteſt, niſi colligantur, & uni reddantur formæ, nempe ſuis temporibus & locis; quod fit cùm enarrantur eo ordine quo contigere. Itaque qui ad conſcribendam illam hiſtoriam mentem appellunt, debent inquirere in veram ſeriem actuum & ſermonum Domini, in qua Evangeliſtæ conveniant; hoc eſt in harmoniam, ſive concordiam Evangeliſtarum. Inde multa lux affulgere poteſt Evangelio; cùm enim notum eſt quo tempore, quo loco, qua occaſione quæque eorum quæ narrat Evangelium, facta, vel dicta ſint, tum ejus ſenſus, tum ſapientia qua res in eo adminiſtratæ ſunt, maximè elucet. Neque enim cujuſcumque viri ſapientis aliter cernitur ſapientia, niſi cùm, ut congruit loco & tempori, ſumit ille conſilia, & operi manus admovet.

Diverſa ratione Harmonia Evangeliſtarum exhiberi poteſt. Etenim ſi verba illorum non afferantur, ſeries rerum quas referunt, repræſentari poteſt. Ego verò ſatiùs credidi ipſa verba uſurpare; ſic enim uno & eodem opere potui multa complecti, nempe hiſtoriam vitæ Domini, Evangeliſtarum harmoniam, ſive concordiam & totum Evangelium nec uno verbulo prætermiſſo; cui & adjunxi Com-

mentarios, in quibus expoſui, quæ aliqua luce indigerent. Sed juvat paulò fuſiùs de præſenti opere diſſerere, ut poſteà judicet Lector, an attigerim, quem intuebar ſcopum.

Labor qui impenditur in concinnanda Harmonia Evangelica, non inanis eſt; præterquàm enim ſub uno conſpectu res exhibentur, quæ diverſis in locis partim in illo, partim in altero Evangeliſta conquirendæ forent, alio pacto Evangeliorum veritas confirmari non poteſt adversùs eos, qui, ut Evangeliſtarum elevent auctoritatem, conantur eos oſtendere diſcordes. Quapropter à primis Eccleſiæ temporibus omnes ferè, quotquot doctrina & induſtria pollebant, in huncce incubuerunt laborem: *Fuit antiquorum ſcriptorum ſtudium*, inquit Baronius, *ut qua-*
Ad ann. 31. num. 3. *tuor ſancta Evangelia in unum conjungerent, ex iiſdem quatuor unum intexerent. Id conatum eſſe ſcimus primum omnium Theophilum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, ut Hieronymus ad Algaſiam ſcribens teſtatur*. Sunt qui Harmoniarum primum
Lib. 4. cap. 29. auctorem faciunt Tatianum; de quo ſic Euſebius in hiſtoria. *Tatianus catenam & collectionem neſcio quam Evangeliorum contexuit, quam διὰ τεσσάρων, hoc eſt, Evangelium ex quatuor Evangeliis compoſitum nominavit*. Ammonius Alexandrinus, ut idem Euſebius teſtatur in epiſtola ad Carpianum, quam Evangeliorum canonibus præfixit, etiam Evangelium διὰ τεσσάρων compoſuerat; primuſque ſuam ejus argumenti lucubrationem è re Ἁρμονίαν, *Harmoniam* vocaverat, ut opinatur Caſaubonus; quia præcipuus hujus lucubrationis ſcopus eſt Evangeliorum tanquam phthongorum concentum oſtendere.

Ex numero tot tantorumque virorum, qui concinnandis Harmoniis Evangelicis operam ſuam collocaverunt, liquebit quanto pretio habitum ſit illud opus. Diverſa autem ratione, ut diximus, poteſt illud confici. Etiamſi verba Evangeliſtarum non affectantur, ſeries rerum quas referunt, texi poteſt; ut videre eſt tum in auctoribus qui Annales ſacros condiderunt, in Baronio, in Torniello, in Uſſerio, & aliis compluribus; tum etiam in Chronologis, qui ſummatim actus Domini ordinandos ſuſceperunt, ut Scaliger, Petavius, & alii non pauci. Cum his conjungimus, qui particulatim de vita Domini ſcripſerunt libros, vel pios, quorum numerus propè eſt infinitus, vel eruditos; in quibus ſcilicet multam doctrinam oſtentaverunt, ut Caſaubonus in exercitationibus adversùs Baronium, Montacutius in Originibus Eccleſiaſticis, Voſſius in Harmonia Evangelica, & complures alii.

Ad alteram claſſem revocare poſſumus quotquot de Evangeliſtarum conſenſu dedita opera ſcripſerunt, ut à falſitatis & fallaciæ calumniis Evangelia defenderent; quod fecit magnus Auguſtinus libris quatuor, quos de conſenſu Evangeliſtarum inſcripſit. Plerique ſcriptores ſub titulis ἀκολουθίας, συμφωνίας, aliiſve, pariter diſſeruerunt de ordine & diſpoſitione Evangelicæ hiſtoriæ, ſcrutantes quid prius, quid poſteriùs dictum factumve ſit; ut oſtenderent concordes eſſe inter ſe Evangeliſtas, nec tamen opus texuerunt ipſis Evangeliſtarum verbis. Poſt ſcriptores verò antiquos primus Joannes Gerſon Cancellarius, ipſa Evangeliſtarum verba connectenda ſuſcepit, in illo opere quod inſcripſit: *Monoteſſarum*; hoc eſt, *unum continuum Evangelium ex quatuor Evangeliſtis operoſiſſime, utiliſſimeque concinnatum*. In hoc Monoteſſaro nulla nota oſtendit Gerſon, quæ cuique Evangeliſtæ propria ſint: in capitum lemmate tantùm ſignificat, ex quibus Evangeliorum locis deſumpta ſint quæ ſubjiciuntur.

Edita anno 1537. Hanc Evangeliorum confuſionem, ut eam appellat, vitare conatus eſt Andreas Oſiander in Harmonia ſua, ut id declarat in ipſa operis fronte: *Harmoniæ Evangelicæ libri quatuor, in quibus Evangelica hiſtoria ex quatuor Evangeliſtis in unum eſt contexta, ut nullius verbum ullum omiſſum, nihil alienum immixtum, nullius ordo turbatus, nihil non ſuo loco poſitum: omnia verò literis & notis ita diſtincta ſunt, ut quid cujuſque Evangeliſtæ proprium, quid cum aliis, & cum quibus commune ſit, primo aſpectu deprehendere queas*. Quindecim diverſis notis, nempe primis quindecim literis alphabeti hæc omnia ſignificare

voluit

voluit Oſiander. Sed in ſcopulum, quem fugiebat, impingit; neque enim facilè eſt memoria complecti multiplicium notarum ſignificationem: propria cujuſque Evangeliſtæ non ſtatim occurrit animo; ut idem vitium ſit notas numero plures inſerere, quàm nullas apponere.

Poſt Oſiandri Harmoniam, vulgatum eſt typis *Tetramonon, ſive ſymphonia, & concentus quatuor Evangeliorum in unam hiſtoriam Evangelicam perpetuo ſtylo accuratiùs, ac majore fide quàm antehac contextus, in quinque ſectus libros per Gabrielem à Puteo Herboſo Turonicum Ordinis Fontebraldenſis.* Paucis ille notis utitur, quemque Evangeliſtam deſignans prima ſui nominis litera, excepto Marco, cujus apud eum litera *R* ſignum eſt. *Anno 1547.*

Circa hæc tempora Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, *Concordiam ac hiſtoriam Evangelicam* commentariis illuſtratam publicavit. Quoad artem Janſenius imitatur Oſiandrum; primis quindecim elementis uſus ad notandum quid cujuſque Evangeliſtæ proprium eſſet, quid illi cum aliis commune: rejectis ſimiliter, quæ ſuperflua videntur, in paginarum marginem. *Anno 1554.*

Ab hoc tempore plures prodiere Harmoniæ Evangelicæ. Edita eſt Calvini Harmonia trium Evangeliſtarum Matthæi, Marci & Lucæ non commentariis. Seorſim duxit Calvinus Joannem eſſe exponendum, quòd pauca cum tribus aliis Evangeliſtis communia habeat. Aliam autem viam inſiſtit quàm Oſiander & alii, tribus diſtinctis columnis ſingulos ex dictis tribus Evangeliſtis exhibens. Hoc à ſe factum dicit Carolus Molinæus, in ipſa fronte novæ ſuæ Harmoniæ. *Collatio & unio quatuor Evangeliſtarum D. N. J. C. eorum ſerie, & ordine abſque ulla confuſione, permixtione, vel tranſpoſitione ſervato, cum exacta textus illibati recognitione.* Repudiatis aliorum rationibus, in ſua Præfatione ſic loquitur Molinæus: *Hanc tandem rationem inveni collationis & unionis, ut nullus Evangeliſtæ textus cum alio permiſceretur, Sed per ſe ſeorſim in nativa ſua origine permaneret: Deinde, ut ita partes collocarentur è regione cujuſque, ut & temporum & locorum differentia, miraculorum & ſententiarum diverſitas, vel repetitio apertè velut in rem præſentem ſub oculos adducta perſpici poſſet utque cuique liberum eſſet, unum ſolum Evangeliſtam legere, vel duos, vel tres, vel quatuor ſine ullo metu, vel ſuſpicione textus diſtorti, tranſpoſiti, vel variati.* *Anno 1555.* *Edita 1565.*

Rerum ſeriem, quam texuerat Janſenius, exhibuit Alanus Copus, ut ipſe profitetur; ſed alia arte uſus eſt; nam Molinæi ad inſtar quatuor columnis diſtinxit quatuor Evangeliſtas; & hoc titulo opus inſignivit: *Hiſtoriæ Evangelicæ unitas, ſeu ſingularia vitæ D. N. J. C. eo ordine, quo geſta fuerunt recenſita, & ipſis quatuor Evangeliſtarum verbis contexta; ita ut quid ſingulorum proprium, quid duorum, pluriumve, & quorum commune ſit, ſub aſpectum Lectoris ſtatim cadat.* *Anno 1570.*

Similiter Thomas Beaux-Amis Carmelita in Harmonia ſua, quam edidit cum commentariis, columnis diſtinxit Evangelia. *Anno 1583.*

Duysburgi Clivorum edita eſt *Evangelicæ Hiſtoriæ quadripartita Monas, ſive Harmonia quatuor Evangeliſtarum, in qua ſinguli, integri, inconfuſi, impermixti, & ſoli legi poſſunt, & rurſum ex omnibus una univerſalis, & continua hiſtoria ex tempore formari, digeſta, & demonſtrata per Gerardum Mercatorem Coſmographum.* *Anno 1591.*

Ut Gerardo Mercatori, & aliis, ita Joanni de la Haye Servio Societatis Jeſu propoſitum fuit in ſua Harmonia, *ut nullius Evangeliſtæ textus*, (verba ſunt hujuſce Auctoris) *cum alio permiſceatur; ſed per ſe omnes ſeorſim integri, perfectique nulla prorſus re vel addita, vel adempta in nativa ſua origine maneant.* Hujuſce Harmoniæ titulus iſte eſt: *Evangeliſtarum quaternio, ſeu Evangelicæ Hiſtoriæ diſpoſitio, qua ipſis Evangeliſtarum verbis, ſua quibuſque tribuendo, res à Salvatore geſtæ ordinata ſerie diſtribuuntur.* *Edita anno 1607.*

Poſteà prodiit Harmonia Jacobi d'Auzoles à la Peyre, ſub hoc titulo: Sancta D. N. J. C. Evangelia ſecundùm Evangeliſtas. *Hic auctor induxerat animum ut crederet, hunc quem quiſque Evangeliſta ordinem ſequitur, eſſe à Spiritu* 1610.

ſancto. Temerè, ut opinor; nam conſtat cum re ipſa, tum auctoritate veterum non habitam eſſe ab omnibus Evangeliſtis temporis rationem. Hoc tamen cùm crederet, religio illi fuit, ordinem, quo quiſque Evangeliſta ſcribit, non ſervare. Itaque opus ſuum quinque columnis diſtinxit; in unaquaque ex quatuor primis videre eſt, ſingulos Evangeliſtas integros diſpoſitis capitibus eodem quo in Evangelio ſunt ordine; in quinta verò columna ex quatuor unum Evangelium contexitur.

Anno 1615. Harmoniam Græcè & Latinè edidit Joannes Robertus Arduenas è Societate Jeſu. Digerit per columnas opus ſuum, quod hunc titulum præfert: *Myſtica Ezechielis quadrigæ, id eſt, ſacro-ſancta quatuor Evangelia hiſtoriarum & temporum ſerie vinculata.*

Anno 1686. Nuper Roterodami edita eſt Joannis Lightfooti Harmonia quatuor Evangeliſtarum cum annotationibus. Plures ante annos publicata fuerat in Anglia: hanc enumeratis Harmoniis ſubjungo, eò quòd diſtinctas columnas habet. Harmoniæ ea ratione confectæ, non poſſunt explicari niſi in voluminibus mole haud exiguis. Aliis itaque placuit potiùs imitari Oſiandrum, quia minùs interpelletur lectio, cùm perpetuum ſit hiſtoriæ filum; nec modò in iſtam, modò in alteram columnam ſint diſtorquendi oculi.

Cæſar Becillus Presbyter congregationis Oratorii brevitati ſtuduit, nec tamen permiſcuit Evangeliſtas. Illos ſibi invicem ſubjungit, ubi de eadem re ſermonem habent; *ſublata*, inquit, *verborum unius Evangeliſtæ cum aliis confuſione, perio-*
Edita Pariſiis 1651. *dorum permixtione, aſteriſcorum, aliarumque notarum multitudine*. Ideò ſic ab eo inſcriptum eſt illud ſuum opus: *Evangeliorum connexio, in qua textus ordine ſervato, rerum geſtarum ſeries indicantur*. Scilicet Becillo non probatur in unum compingi Evangeliſtas, quorum propria verba certis notis diſtinguantur. Ars tamen illa laudes meruerat apud antiquos, ut colligimus ex Victoris Capuani verbis; qui dolebat quòd Harmoniam reperiſſet abſque numeris; *quos*, inquit, *Ammonius mirabili ſtudio reperit; Euſebius verò Cæſareæ Epiſcopus Palæſtinæ ab eo accipiens exemplum diligenter excoluit, quibus communiter ab Evangeliſtis dicta, propriis notulis ſunt declarata*. Quod objici poſſet adversùs has notulas, permiſceri & confundi, quæ cuique Evangeliſtæ propria ſunt, mirificè ſolvit Victor: *nam*, inquit, *ſi dubitatio alicujus verbi fortaſſe provenerit ex appoſitis numeris, ad plenariam recurrens quilibet Evangelii lectionem, an & ibidem ita ſe ſermo habeat, de quo ambiguitas provenerat, incunctanter inveniat. Et abſque ſcrupulo, ſtudioſi mens ſecura hoc poſſit uti volumine.*

Igitur plerique ut Harmonias contraherent, uſi ſunt notulis. Joannes Buiſſonius, aliàs Rubus, Hannonius commodiùs digeſſit Harmoniam Janſenii Gandavenſis. Etenim ex quindecim literis, quarum ſignificationem diſtinguere laborioſum eſt, ſolas quatuor primas retinuit *A. B. C. D.* quibus ſingulos Evangeliſtas deſignat, *A* Matthæum, *B* Marcum, *C* Lucam, *D* Joannem. Præfert hunc titulum Harmonia Rubi: *Hiſtoria & Harmonia Evangelica, ſive Vita D. N. J. C. ex qua-*
Edita eſt an. 1575. *tuor Evangeliſtis in unum hiſtoriæ corpus congeſta, adjecta ſuis locis ordinis & conſenſus ratione*. Juvat autem audire Rubum ſic præfantem, *In hac*, inquit, *Evangelica Concordia ita quatuor Evangeliſtæ in unum congeſti ſunt, ut corpus narrationis ordine omnia dicta & facta, vitam denique totam D. J. ut eam quatuor Evangeliſtæ deſcripſerunt, comprehenderet. Nam ne verbulum quidem ex Evangeliſtis eſt omiſſum; nec unum adjectum. Ita verò Evangeliſtarum narrationes inter ſe commixta ſunt, & conjunctæ, ut tota res eo modo & ordine, quo geſta eſt, explicetur, & ejus Evangeliſtæ qui pleniſſimam narrationem habere videbatur, verbis in hiſtoriæ corpore collocatis, aliorum verba quoties alii idem narrant, ad latus ita collocantur, ut uno ac eodem intuitu ſtatim appareat, quid unus ſolus, quid duo, quid tres, quid quatuor narrent, in quove conſentiant, aut non conſentiant. Et ſunt omnia ita digeſta & prænotata, ut uniuſcujuſque Evangelium tam commodè ordine legere poſſis, atque ſi eum ſolum haberes in manibus.*

Hanc Joannis Rubi concordiam, comptiorem adhuc & meliorem fecit Theologus

Digitized by Google

gus Pariſienſis; vulgavitque typis Caroli Savreux, hoc titulo inſcriptam: Hiſtoria & Concordia Evangelica. [Tribuitur opus Antonio Arnaldo Doct. Sorb.]

Etſi hæc Concordia videretur præripuiſſe palmam, attamen novam procudit Prothaſius Henriet Sezanienſis, Minor Recollectus; [Anno 1651.] qui perinde ac Oſiander, Janſenius, & alii, [Anno 1665.] & Hiſtoriam Evangelicam conflat ex verbis Evangeliſtarum perpetuo filo, & numericis notis, deſignans propria, verba cujuſque Evangeliſtæ. 1. indicat Matthæum. 2. Marcum. 3. Lucam. 4. Joannem. Similibus notis uſus eſt Dionyſius Amelote Oratorii Presbyter in ſua concordia Gallica. Superioris Harmoniæ titulus eſt: Harmonia Evangelica, ſeu Evangelica totius hiſtoria tractatus unus, iſque ordinatiſſimus, qui idem ex quatuor Evangeliſtarum libris deſumptus ad unum textum valdè redactus eſt.

Omitto complures alios Harmoniarum ſcriptores. Edidit Renhardus Lutz Harmoniam, ſeu Hiſtoriam ſanctam omniumque veriſſimam de Chriſto Jeſu Nazareno, [Baſileæ Anno 1560.] juxta ſeriem atque concentum Hiſtoriographorum divinorum Evangeliſtarum quatuor. In hacce Harmonia proponuntur tantummodò Evangeliſtarum nomina, ex quorum verbis ſubjecta hiſtoria contexta eſt. Prodiit Romæ Vita D. N. J. C. ex verbis Evangeliorum ipſiſmet contimata per Bartholomæum Riccium, è ſocietate Jeſu. [Anno 1607.] Pictavis aliquot poſt annos editum eſt Monoteſſaron Evangelicum Auctoris [Anno 1620.] ejuſdem nominis. In hoc opere columnis Evangelia diſtinguuntur. Denique Joannes de Paris Antuerpienſis, ex eadem Societate, Harmoniam publicavit quæ abeo appellata eſt Margarita Evangelica, ſive J. C. D. N. Vita è quatuor Evangeliorum [Anno 1657.] diſpoſitione, concordi ordine temporum. Notum eſt, elaboratam à Kemnitio Harmoniam. Multos alios Harmoniarum Scriptores enumerant Draudius in Bibliotheca ſua claſſica, & Crovveus in elencho ſcriptorum in ſacram ſcripturam. Non prætermittendum opus Alphonſi Salmeronis, magnum in ſcriptione hac ampliſſima, eruditionis mare, ut loquitur Drexellius. Mole etiam ſua inſignes ſunt Sebaſtiani Barradii S. J. in Harmoniam Evangelicam Commentarii. Nec ſilebo Harmoniam Græcam clariſſimi viri Thoinartii, cujus opinionem magnam fecere, quæ ante multos annos ſpecimina edita ſunt.

Tot auctorum, quorum plerique inclaruerunt, nomina audiens Lector, cur ergo dicet mihi, opus ineptè moliris, quod tot tantique viri confecerunt? non actum hic agi intelliget quiſquis Harmoniam noſtram excuſſerit, & comparaverit cum iis quæ ad hunc diem vulgatæ ſunt. Præterquam quod enim nova librorum partitione, capitumve lemmatibus hiſtoria Evangelica non mediocriter illuſtretur; ſic concinnata eſt ut nullum verbulum Evangelii omiſſum ſit; ſic confuſionis expers, ut ubique liqueat in iis quæ narrantur, an ab uno ſcripta ſint, an à duobus, vel tribus, vel quatuor Evangeliſtis; an eadem verba, aut diverſa uſurpaverint; quæ quis referat, aut prætermittat. Sic illi conjuncti ſunt, ut nuſquam incertum eſſe poſſit, quæ cujuſque ſint propria; ſimul enim conjuncti & impermixti ſunt: quiſque ſolus legi poteſt, ſi lubet; nec tamen in molem magnam opus crevit. Abſunt enim frequentes illæ lacunæ, quæ hiulcas faciunt harmonias conſtantes diverſis columnis; quarum plures toties vacuæ ſunt, quoties eadem hiſtoria non pariter ab omnibus Evangeliſtis tractatur. Quod autem plurimum valet ad perturbationem, quæ in pleriſque harmoniis occurrit, tollendam, non utor multiplicibus notis, quarum valore difficile ſit animo recolere; prima enim litera nominis cujuſque Evangeliſtæ ſignum eſt ejus. L denotat Lucam, J Joannem: Matthæo & Marco additur ſecunda litera nominis eorum: Mt. deſignat Matthæum, Mc. Marcum, MM. Matthæum & Marcum.

Si quid tamen ampliùs non potuiſſem præſtare, novum laborem non ſubjiſſem; ars enim illa, quantacumque ſit, non eſt quod potiſſimùm deſideratur in Harmonia Evangelica. Quæritur vera ſeries actuum & ſermonum Domini; quam autem propono, tam nova eſt; ut niſi fallor, nulla hactenus ſatis benè digeſta ſit vitæ D. N. J. C. hiſtoria. Quod dico, ut novitate rei excitatus, Lector, animum advertas; nec ut crambem repetitam faſtidias præſens opus, ſed

evolvas, excurias, & judices. Ne autem hæc ipſa novitas mihi invidiam conflare poſſit quaſi adversùs fidem nova cudam, protinùs in eo, quod mihi proprium ſumo ut vera ſeries actuum & ſermonum Domini fiat apertior, oſtendam me non deſeri etiam primævæ antiquitatis teſtimonio; quanquàm hæc iſta omnia de genere ſunt eorum, in quibus licet, quamcumque elegeris, partem ſequi. Illis non poteſt lædi fides. Etenim quæſtiones ſunt præter fidem, ut verbis utar divi Auguſti-
Epiſt. 59. ni; cujus & iſta ſunt ad rem præſentem pertinentia. *Utile eſt*, inquit, *ut de obſcuritatibus divinarum Scripturarum, quas exercitationis noſtræ cauſa Deus eſſe voluit, multæ inveniantur ſententiæ, cùm aliud alii videtur: quæ tamen omnes ſacræ fidei doctrinæque concordant.*

Hoc potiſſimùm diſcrimine differt à cæteris quam concinnavi Harmoniam, quòd Matthæum & Joannem oculatos teſtes ſequar: certò tenens eos ab ordine, quo omnia fecit, & dixit Dominus, non diſcedere. Hæc ex ſententia derivantur quæ nova profero & à vulgatis opinionibus diverſa. Hæc ergo ſententia ſi judicio antiquitatis certa ſit, non tam novam Harmoniam condere, quàm veterem, quæ dudum obliterata erat, renovare cenſendus ero. Ex ſancto autem Irenæo Papias fuerat auditor Joannis Evangeliſtæ & ſodalis Polycarpi. Hujuſce Papiæ fragmen-
Lib. 3. cap. 39. tum ſuæ hiſtoriæ aſſuit Euſebius. *Ajebat etiam, inquit,* (verba ſunt Papiæ) *Preſbyter*, (ex cujus ore didicerat Papias quod refert) *Marcum Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter præſcripſiſſe: non tamen ordine pertexuiſſe, quæ à Domino aut dicta, aut geſta fuerant*. Apponam Græca verba, ne verſio ſuſpecta ſit. Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν. οὐ μέντοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα. Cauſam reddit Papias, quæ ſi valeat, ordinem non ſervavit Lucas, à quo non declinaverint teſtes oculati Vitæ Domini Matthæus & Joannes. *Neque enim ipſe* (Marcus) *Dominum audiverat, aut ſectatus fuerat unquam: ſed cum Petro, ut dixi, poſteà verſatus eſt, qui pro audientium utilitate, non verò ut ſermonum Domini Hiſtoriam contexeret, Evangelium prædicabat.* ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων. Addit Papias: *Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita ſcripſit, prout ipſe memoria repetebat: quippe unum ſtudebat, ut ne quid eorum, quæ audierat, prætermitteret, aut ne quid falſi eis affingeret.*

Proœmio in Matth. Papiæ adſtipulatur B. Hieronymus; ſic enim de Marco loquitur. *Marcus interpres Apoſtoli Petri & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus: qui Dominum quidem ſalvatorem ipſe non vidit, ſed ea quæ magiſtrum audierat prædicantem, juxta fidem magis geſtorum narravit quàm ordinem.* Hæc demonſtrant à Marco non ſervatum ordinem; quod & de Luca oſtendunt quæ idem Doctor ſubjicit. *Tertius* Evangeliſta *Lucas medicus, natione Syrus, cujus laus in Evangelio; qui & ipſe diſcipulus Apoſtolorum Pauli in Achaja, Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altiùs repetens; ut & ipſe in proœmio confitetur, audita magis quàm viſa deſcribens*. Eadem dicit agens de eodem Evangeliſta in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Igitur Evangelium ſicut audierat, ſcripſit: acta verò Apoſtolorum ſicut viderat, compoſuit*. In actis ſequitur Lucas annorum ſeriem, & eodem quo acta ſunt ſingula, ordine enarrat.

Marcum & Lucam non fuiſſe è numero diſcipulorum Chriſti Papias, Tertullianus, Hieronymus, & alii nos docent. Qui aliter ſentiunt ipſo teſtimonio Lucæ arguuntur erroris; neque enim dixiſſet tradita ſibi, & enarrata ſcribere quæ ipſe vidiſſet. Cur autem Matthæus & Joannes teſtes oculati perturbatam potiùs quàm ordine temporum digeſtam hiſtoriam Domini edere voluiſſent? quam fruſtrà quis requireret ab iis qui ante nos harmonias concinnaverant. In noſtra enim Harmonia non pervertitur ordo rerum quo referuntur ab his Evangeliſtis; nec in alia tempora differuntur. Exhibeo tamen dicta & acta Domini digeſta tempore congruenti; quod fieri non poſſe viri peritiores opinabantur. Judicium erat Kepleri, qui ſic in Eclogis chronologicis loquitur de hiſtoria Evangelica: *Habet hæc dictorum factorumque Chriſti confuſa digeſtio ſimile quid cœlo ſtellato, in quo ſunt*

ſex

ſex magnitudinum ſtellæ : ſi ordinem ſpectes fortuitò diſperſa ; ſi utilitatem, ſummo inter ſe conſilio connexa, ne ſimilitudine locorum oculus humanus deceptus aberret. Sic hæc Evangeliſtarum quoad ordinem diſſona, quoad rem concors dictorum, factorumque Chriſti deſcriptio, tum multas alias, tum maximè hanc habet utilitatem, quòd argumentum præbet ſuſpicioſis, non deſcriptum omnium trium Evangelium ab uno, non communicatis conſiliis conficta Chriſti oracula & miracula ; ſed reverà ex multorum conſtantibus relationibus, niſi quantum in circumſtantiis memoria ſingulorum, qui rogabantur, defecerat, à quolibet Evangeliſta ſeorſim in unum librum eſſe congeſta. Hæc magis ingenioſè & diſertè quàm verè dicta ſunt.

Hæc quæ hactenus dixi, ſpectant rationem, qua duxeram harmoniam concinnandam eſſe. Nunc de Commentariis loquar ; neque enim nudam, ut antea, Harmoniam propono, ſed quaſi veſtitam & ornatam commentariis; quibus etiam præmiſi Chronologicum & Geographicum Apparatum. Scilicet ut operam utilem navarem his, quibus non vacabat multa & diverſa volumina perlegere, congeſſi omnia quibus hiſtoria vitæ J. C. D. N. planior fieri poteſt. Etenim ex omnibus ſcriptis, quæ in aliquo pretio ſunt, & lucem conferunt Evangelio, contexui opus ; quod ita ſimul eſt Harmonia & Hiſtoria Vitæ Jeſu Chriſti, confirmata omnibus calculis & argumentis, quæ Chronologi adhibere ſolent ; ut & jure cenſeatur pars prima, ſive principium hiſtoriæ Eccleſiæ, cujus Chriſtus caput eſt. Quin & dici poteſt demonſtratio Evangelica ; nam ut præmonui in Præfatione totius operis, quàm præpoſui Apparatui, ubique tum dedita opera, tum per occaſionem veritas Evangelii ſuis luculentioribus demonſtrationibus comprobata eſt. Simul ſtudui ut commentarius loco eſſet cujuſque generis expoſitionum, quibus Evangelium diverſimodè poteſt exponi. Interpretes enim modò paraphraſticè, id eſt, fuſiori & clariori ſermone explicant quæ nimiùm auctor contraxerat : modò Analyticè reſolvunt ratiocinia ejus, quorum vis, ſive connexio non ſatis apparebat. De hiſce expoſitionum generibus, cæteriſque lucubrationibus, magis diligenter diſſeram, cùm ſignificavero cui verſioni Latinæ Evangeliorum explanandæ inhæream. Etenim ordo poſtulat ut priùs declaretur quid ſuſcipiatur exponendum, quàm de expoſitionis ratione ſermo fiat. a Seſſione 4.

Decretum eſt concilii Tridentini *ut ∴ vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur.* Huic decreto ultrò pareo. Commentaria adornavi in Latinam & vulgatam verſionem juſſu Clementis VIII. editam. Sed ſtatim animadvertendum eſt, hanc vulgatam, non eſſe ipſum fontem, ſed verſionem. Græcus codex habendus pro originali ; in quo ſcilicet, quoties verſio Latina ambigua eſt, vera origo ſenſus Evangeliſtarum quæratur. Neque enim quia Authenticam vulgatam declaravit Concilium Tridentinum, ideò in illa acquieſcendum tanquam in fonte. Non ea mens fuit Patrum qui interfuere Concilio; ſed cùm viderent in dies ab iis qui ſchiſmate ſe abſciderant, Latinas cudi verſiones meritò ſuſpectas, ſanxerunt ne in Eccleſia, in concionibus ſacris, aut publicis lectionibus perlegeretur ulla alia, quàm quæ Vulgata dicitur; longo enim Eccleſiæ Romanæ uſu conſecratam, & probatam, cenſuerunt puram eſſe ab erroribus qui fidei & moribus nocere poſſent, ſed neutiquam à cæteris mendis; alioqui Sixtus V. & Clemens VIII. poſteà non compluribus emaculare ſategiſſent, etiam ſignificantes nonnullis aliis potuiſſe adhuc emaculari.

Codicibus emendandis, ut monet magnus Auguſtinus *Primitus debet invigilare ſolertia eorum, qui ſcripturas divinas noſſe deſiderant.* Qui autem illam profitentur qua emendantur codices, obtinuerunt ut dicerentur *critici*, hoc eſt, judices, quo nomine primùm appellati ſunt ſcribæ accuratiores, qui judicio adhibito deſcribebant antiqua poemata ; & ex doctrina Grammaticorum judicabant, qui verſus ſpurii, qui boni judicandi eſſent. Nunc *Critice* caput extulit ; & qui Critici dici amant, non ſolùm de literarum apicibus, ſed etiam de ſacra doctrina judicant. Gloriantur non acquieſcere rebus niſi diligenter expenſis, & certò cognitis; quod

ſi præ-

ſi præſtent, vellem iſta laude opus meum non carere, nec indignum eſſe quod di-
ci poſſit *Critica ſacra*.

De doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 14.

Ergo differens de omni lucubrationum genere quo lux Evangelio afferri poteſt, dicam Criticam prærequiri in exponendo Evangelio. Criticam hìc ſummo eo ſenſu, quo olim hi appellabantur Critici, qui librorum cenſores erant. Contigit ſcribarum oſcitantia Evangeliorum libro, quod omnibus ſcriptis, quæ quo plurium manibus tractantur & ſæpiùs exſcribuntur, eò magis pluribus erroribus fœdantur. Sed id proprium eſt ſacrò codici, ut non peccatum ſit à librariis in iis locis, in quibus cardo fidei vertebatur, ut poſteà dicemus. Oſcitantia autem librariorum, & calami lapſu corrumpuntur voces, loco moventur, duplicantur, aut omittuntur, ſic fiunt lacunæ, aut una pro alia ponitur. Etiam ſcioli correctores, ſive mali Critici multam labem afferunt libris; quod enim non intelligunt, pervertunt. Quandoque textum confundunt cum gloſſematibus quæ margini reperiunt appoſita, exiſtimantes è re eſſe lectoris, ut continuo textu perlegeret id omne quod pagina codicis quem exſcribunt, ubicumque poſitum eſſet, complecteretur. Ita non ſolùm quædam voces è margine irrepſerunt in textum, ſed etiam verſiculi integri, & majora aſſumenta; quod deplorat B.Hieronymus in Præfatione ſua in quatuor Evangelia ad Damaſum: *Magnus ſiquidem hic in noſtris codicibus error inolevit, dum, quod in eadem re alius Evangeliſta plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eundem ſenſum alius aliter expreſſit, ille qui unum è quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque exiſtimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta ſint omnia: & in Marco plura Lucæ, atque Matthæi: rursùs in Matthæo plura Joannis & Marcii: & in cæteris reliquorum, quæ aliis propria ſunt, inveniantur.*

Eam provinciam ſuſceperunt hacce ætate viri doctiſſimi, ut emendarent textum ſacrum, ſive dijudicarent, quæ in eo ſana, vel ægra eſſent propter librariorum imperitiam, & negligentiam. Convenit inter omnes dictaturam hic non eſſe exercendam; nec lèvibus ex conjecturis quidpiam in ſacris codicibus eſſe permutandum ſine auctoritate complurium, & magis correctorum codicum. Itaque viri Critici diligenti cura omnes editos, & manuſcriptos codices conſuluerunt, notaverunt, & collegerunt variantes lectiones: ſimul expenderunt antiquas verſiones & teſtimonia quæ vetuſti ſcriptores allegant; unde deduci poteſt, an ſemper & ubique lecta ſint, quæ hodie in ſacro codice leguntur; quid germanum, quid ſpurium.

Omnes omnium codicum diſcrepantias colligere extra inſtitutum fuiſſet; ſed non prætermitto eas, quæ aliqua dignæ ſunt animadverſione. Itaque ſedulus obſervo quæ textus ſive Græci, ſive Latini lectio ſit magis probanda. Græcæ fidei B. Hieronymus olim Vulgatam reddidit, quæ quidem textui Græco non præponenda; attamen quia auctor ejus, & B. Hieronymus ejus corrector vetuſtioribus & melioribus codicibus Græcis uti potuerunt, ſtatim ac ab hodierna lectione Græca diſcedit, non dimittenda eſt: ubi verò liquet non aliter olim lectum in fonte Græco quàm nunc legitur, & ſermo Latinus ambiguitate non caret, cur ei lux ex origine Græca non accerſeretur? Dicam enim iterum atque iterum Evangeliſtas non Latinè ſed Græcè ſcripſiſſe, Spiritu ſancto illis afflante. Quod advertant qui omnem fidem derogant Græco codici; & de ſe dictum interpretentur quod B. Hieronymus ſcribebat Papæ Damaſo, querens de ſuis maledicis. *Si enim Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant, quibus; tot enim ſunt exemplaria pœne, quot codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus: cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel à vitioſis interpretibus malè reddita, vel à præſumptoribus imperitis emendata perverſiùs, vel à librariis dormitantibus aut addita ſunt, aut mutata corrigimus?*

Igitur & Criticum ago, ſed modum ſervo; quod enim alibi experiri eſt *altercando reperire veritatem*, in hiſce contigit. Quin ſæpiùs dum viri alioqui doctiſſimi nimiùm morantur circa apices ſcripturæ, faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant; ſive id aſſequuntur tantùm, ut ſenſum non percipiant? Utiliora molior; mihi enim propoſui in apertum diem proferre adversùs Judæos, Jeſum verè eſſe prædictum, &

expe-

Digitized by Google

expectatum Meſſiam, in quem conveniant omnia Prophetarum vaticinia: adversùs Ethnicos, opus quo mundum ille reparavit, plenum eſſe ſapientia: adversùs quaſcumque hæreſes, claris & apertis verbis exprimi quæ Catholica Eccleſia de ejus natura divina credit, & de perſonarum Trinitate in una Dei eſſentia.

Priuſquàm ultra progrediar, dum loquor de Criticorum diligentia, non diffitear longè me diſſentire ab his, qui criticas diſquiſitiones omnes horrent. Profitemur, inquiunt, credere ſacras ſcripturas, non illas rimari. Bona eſt iſta religio; ſed quas contaminare verentur, cur ergo contaminatis manibus tractant? ubi enim eas exponendas ſuſcipiunt, vel nullo delectu ſolùm congerunt diverſas auctorum ſecum pugnantium opiniones, vel quidquid animo occurrit, effutiunt, nullo neque humano, neque divino adhibito judicio. Diu eſt quòd adduxi animum ut crederem Evangeliſtas, qui ſancto Spiritu dictante ſcripſerunt, apto & congruenti ſermone expreſſiſſe quæ docebant: ex quo ergo ſermone, cùm perpenditur exquiſito judicio, verus eorum ſenſus erui poſſet. Nec aliter ſentiebat B. Hieronymus, quem Eccleſiæ ſuæ in exponenda ſcriptura providit Deus ſummum doctorem. *Prudentem ſemper admoneo lectorem*, inquit ille, *ut non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicuntur arbitrio: ſed conſideret priora, media & conſequentia, & nectat ſibi univerſa quæ ſcripta ſunt.* (*In cap. 25. Matth.*) Hoc eſt quod faciunt viri Critici: pro peritia quam habent linguarum & antiquarum conſuetudinum, examinant quæ ſingulorum verborum vis ſit, & ſignificatio in eo loco quo poſita ſunt. Nam ut benè Auguſtinus monet, ſemper verborum proprietas retinenda, niſi quædam urgens ratio tropum ſuadeat. (*Lib. 3. cap. 10. de doct. Chriſt.*) *Certè perverſiſſimum eſt*, ait Tertullianus, *ut carnem nominantes, animam intelligamus, & animam ſignificantes, carnem interpretemur.* (*Lib. de carne Chriſti.*)

Abſit ergo ut cogitemus ſermonem Evangeliſtarum eſſe diſſonum rebus de quibus loquuntur, ſive apto & congruo ſermone non uſos eſſe. Fateor vitandas, fugiendaſque eſſe cavillationes, liteſque Grammaticas maximè, circa ea loca ſcripturæ, quibus fides nititur; neque enim his litibus locus eſſe debet, ubi aperta eſt antiquæ traditionis doctrina. Liquet ſenſum Evangeliſtarum non ignotum fuiſſe veteri Eccleſiæ, in qua docuerunt & elegerunt ſibi ſucceſſores, qui depoſitam doctrinam ſervarunt, & tradiderunt poſteris integram & incorruptam. (*Contr. Hær. c. 41.*) Vera enim fides nititur, utor verbis Vincentii Lirinenſis, *primùm Divini Canonis auctoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione: non quia Canon ſolus non ſibi ad univerſa ſufficiat, ſed quia verba divina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroreſque concipiant: atque ideò neceſſe ſit, ut ad unam Eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturæ cæleſtis intelligentia dirigatur, in iis duntaxat præcipuè quæſtionibus.* QUIBUS TOTIUS CATHOLICI DOGMATIS FUNDAMENTA NITUNTUR. Scilicet præter illa, quæ credenda clarè proponuntur, multa ſunt in ſcripturis quæ Deus videtur reliquiſſe hominum ſagacitati & ſolertiæ eruenda.

Quò ſolertiam, & omnes animi vires digniùs quis conferre poſſit, quàm in ſacrum elucidandum codicem? inter eos autem qui ſacras ſcripturas tractant, qui cenſendi religioſiores: an qui id agunt levi brachio, & quaſi in uno pede ſtantes; an quos juvat impalleſcere libris ſacris, aſſiduè eos terentes & verſantes, quod rei dignitas poſtulat, ſi fortè in apertum diem proferre poſſint quæ in illis ſubteguntur? Plerique interpretes quidquid cogitationem ſubit, ſtatim effundunt: attamen ſoli ſapere, & pii eſſe ſibi videntur; quod hominum genus, ſcio, acriùs obtrectabit labores noſtros. Sed rumores eorum unius æſtimemus aſſis: caveamus tantummodò, ne culpa ingenii laus Evangelio deteratur: quod ne accidat, Deum efflagitabo iſta divi Auguſtini oratione ad eum clamans: *Circumcide ab omni temeritate, ab omnique mendacio interiora & exteriora labia mea; ſint caſtæ deliciæ meæ ſcripturæ tuæ; nec fallar in eis, nec fallam ex eis.* (*Confeſſ. lib. 11. cap. 2.*) In iis quæ fidem & mores ſpectant, ut Tridentina ſynodus præcipit, juxta traditionem, & unanimem ſanctorum Patrum conſenſum interpretor Evangelia; ſatagens demonſtrare, quam nobis illi tradidere interpretationem, magis eſſe conſonam textui ſacro; diſſona

verò

Digitized by Google

verò novorum hæreticorum interpretamenta. Quid enim neceſſe eſt antiquarum hæreſeum memoriam, quæ deleta eſt refricare? Pergamus quærere qua cura adhibita opus propoſitum poterat ad umbilicum perduci.

Si quidem ex codice Græco qui fons eſt, hauriendus ſit limpidior Evangelii ſenſus, vulgatam huic eſſe conformem demonſtrare debemus; aut ſi quandoque deficiat, & dormitaverit ejus auctor, ſupplere aliam verſionem loci obſcuri & neglecti. Tunc apponere ſoleo Græci fontis verba, quorum vis omnis non apparebat in verſione Vulgata, & utor ſermone ſignificantiori. Ubi autem fida & aperta illa currit, cur operam perderem elaborando novam & integram verſionem? ſimplex autem verſio plerumque non ſufficit; nec ſine pluribus verbis ſenſus occultior poteſt exprimi; adhibenda ergo Paraphraſis, cujus eſt, uſurpabo verba Sixti Senenſis, *preſſa & conciſa liberè dilatare atque ampliare, omiſſa ſupplere, hiantia explere, involuta & obſcura apertis & conſpicuis verbis illuſtrare; & decora ſermonis elegantia exornare: atque ea, quæ longè inter ſe diſſita & nullo ordine videntur diſpoſita, connectere, & in ordinatam ſeriem diſponere.*

Bibliotheca ſanct. l. lib. 3.

Species eſt quædam Paraphraſeos exhibens totum orationis nexum, ſeriem, vim & ordinem ratiocinorum. Hanc appellant *Analyſim*, quia ſermonem quem illuſtrat, quodammodò reſolvit in partes ſuas, ut illarum tùm diſtinctio, tùm connexio appareat; ſive ut dignoſcat Lector quam habeant inter ſe rationem. Studui ut opus meum inſtar eſſet verſionis novæ Evangeliorum, ſimul Paraphraſis perpetuæ & Analyſis; ubi enim neceſſaria fuit alia verſio, vel Paraphraſis, vel Analyſis, dedi operam ut illas expoſitionum ſpecies Lector non deſideraret. Ne his verò expoſitionibus, annotationibuſve ſæpiùs & nimiùm interpellatus Lector non poſſet uno tenore perlegere meum Commentarium; & quod plerumque accidit, pertæſus pervolaret, ſolis hiſce locis figens plantas, ubi obſervatione digna alliceretur, Commentarium meum uno deduxi filo, ſive texui ſermone continuo non abrupto. Etenim conſtat ſolis verbis vulgati interpretis, ſi clara ſunt; ſi fonti non ſatis congrua, aut obſcuriora, attexuntur alia, pauca, ſi fieri poteſt, multa ſi paraphraſticè, aut analyticè locus exponendus ſit.

Siquidem verò cogitata mea non ſoleo ut oracula depromere; ubi cogor novam indere ſignificationem cuipiam verbo non vulgò notam, id ſine probatione non facio; ſed illicò confirmo exemplis. Comparo locum, de quo agitur, cum aliis Scripturæ locis, quorum circumſtantiæ omnes indicant veram eſſe iſtam ſignificationem. Proprietas ſermonis Evangelici ſæpiùs deducenda ex idiotiſmis linguæ ſanctæ; nam licèt conſtet vocibus Græcis; omnes enim Evangeliſtæ, excepto Matthæo, Græcè ſcripſerunt, adeò redolet linguam Hebræam, quæ illis erat in promiſcuo uſu, ut multùm erraret qui eos vellet interpretari ex ſermone Attico, vel alio qui purus fuerit Græciſmus. Sermo, inquam, Evangeliſtarum ambiguus erit omnibus qui non advertunt, quæ eſſet conſuetudo loquendi Judæorum, dum lingua Græca utebantur. Conſuetudo illa dignoſcitur frequenti lectione Septuaginta Interpretum qui Biblia Hebraica Græcè verterunt, Philonis, & Joſephi, quorum ergo loquendi more dirimo lites, ſi quæ moveantur circa phraſilogiam Evangelii.

Ad mores, ritus, opiniones, & ad cætera quæ Judæis propria ſunt, ubique alludunt Evangeliſtæ, & ſupponunt nota. Horum ergo qui rudes ſunt, neceſſe eſt ſæpiùs falli. Unde autem meliùs diſcerentur, quàm ex libris Judæorum qui olim ſcripſere, nempe ex Philone & Joſepho, vel ex his qui ſeriùs, ſed non pluribus annis poſt everſum templum, uno, aut altero ſæculo elapſo expoſuerunt veteres ritus ſuorum majorum? Exſibilatus eſt Iſaacus Voſſius qui ſomniaverat Talmudicos ſcriptores non aliunde quàm ex Evangelio hauſiſſe quæ de hiſce ritibus dicunt: quaſi verò gens nobis inimica ſe ſe addicere voluiſſet conſuetudinibus, quæ illi traditæ fuiſſent ab Evangelio, aut ex illo ſibi tantummodò innotuiſſent. Judæi illi quos Talmud deſcribit, iiſdem moribus vivunt, quos dum Jeſus in terris verſabatur. Evangelium oſtendit fuiſſe notos & uſitatos; ut ſuſpecta eſſe non poſſint

quæ

quæ circa vetuſtas conſuetudines leguntur in Talmudicis libris: has enim tunc viguiſſe apertè indicatur, vel innuitur in Evangelio; ut meritò rideantur qui credunt poſſe riſu explaudere quæ ex hiſce libris depromuntur.

Frequenter ergo allego Judæos; qua in re tutor me exemplo & auctoritate antiquorum & celebriorum interpretum Scripturæ, nimirum Origenis, Clementis, Euſebii, Hieronymi, quos hodie accuſant, qui id mihi dant vitio. *Ipſe Origenes, & Clemens, & Euſebius, aliique complures*, ait B. Hieronymus, *quando de ſcripturis aliqua diſputant & volunt approbare quod dicunt, ſic ſolent ſcribere: referebat mihi Hebræus; & audivi ab Hebræo; & Hebræorum iſta ſententia eſt. Certè etiam Origenes patriarcham Huillum qui temporibus ejus fuit, nominat & trigeſimum tomum in Iſajam ∴ illius expoſitione concludit; & cùm aliter prius ſenſiſſe ſe dicat, doctum ab illo id quod eſt verius, confitetur.* Sic de ſe ipſo loquitur Hieronymus: *Teſtis eſt mihi Dominus, me omnia quæ ſecundùm Ebraicum diſſero, non de proprio ſenſu loqui (quod arguitur in pſeudoprophetis) ſed Hebræorum ſequi expoſitionem: à quibus non modico tempore eruditus, debeo meis ſimpliciter indicare quæ didici.*

1. Apologiæ in Ruffinum.

In Nahum c. 3.

Judæos præ ceteris gentibus fuiſſe tenaces paternarum traditionum conſtat, quos & fuiſſe tenaciores quàm par erat, Dominus arguit. Ea quæ nobis cordi ſunt, facilè non damus oblivioni; ita ſuarum conſuetudinum Judæos memores fuiſſe & peritiſſimos certum eſt. Si quis ergo ſcriptor in his, quæ de patriæ ſuæ conſuetudinibus narrat, fide dignus ſit, digniores reputandi Hebræi, quibus ſemper fuit religio adhærere antiquis ſuis ritibus, & ideo illos dignoſcere. Juvat aliquo exemplo declarare quam ea in re adhiberent curam. *Traditio aliquandò excidit filiis Bethiræ, nam inciderat dies xiv. (quo Paſcha celebrari debebat) in ſabbatum, & illi ignorabant an Paſcha ſabbatum pelleret, nec ne. Dixerunt quidam ipſis: eſt hic Babylonius quidam, cujus nomen eſt Hillel; ille ſervit Schamai & Abthalioni, & ſine dubio ſciet an Paſcha ſabbatum pellat, nec ne. Miſerunt, & vocaverunt ipſum; & ipſi dixerunt, num unquam in vita tua audiviſti, an Paſcha (quod eſt die xiv. celebrandum) ſi incidat in ſabbatum, illud pellat, nec ne? Reſpondit ille; eſtne nobis tantùm unum Paſcha ſabbatum pellens in unoquoque anno? an non plurima Paſchata pellunt ſabbatum annuatim? nempè ſacrificium juge. Hac probavit argumentis à pari, à minori, ad majus &c. Aſt ab eo hoc non receperunt uſque dum diceret: ſic & ſic eveniat mihi, hoc & hoc audivi à Schamai & Abthalione.* In hoc exemplo videre eſt Judæos non facilè abrogaſſe veteres ritus, nec induxiſſe novos.

Tamuld. Hieroſol. tract. Peſachim interprete Othonio in hiſt. doctorum Miſnicorum.

Secundo, aut tertio ſæculo poſt Chriſtum incarnatum veteres illos ritus ſcripto mandavit Rabbi Juda, quem Judæi appellant ſanctum. Ille cùm poſt everſum templum nulla ſpes eſſet Judæis proximæ liberationis, vis autem ſapientiæ, & lex oralis, ſive traditio attenuaretur, ut inquiunt, corraſit, & ordine diſpoſuit omnia decreta, ſtatuta, & dicta virorum doctorum, qui ante ipſum floruerant, tum & documenta ac mandata ſynedrii, quibus omnibus conſtat *Miſchna*. Hoc nomine quod idem ſonat ac *duplicitas*, ſive quidpiam quod eſt *ordine ſecundum*, *iteratum*, Rabbi Juda inſcripſit opus ſuum, quia continet & explicat ſecundam illam legem quam Judæi dicunt Deum ore tradidiſſe Moyſi, poſt mandatam ſcripto legem; quæ lex oralis ſic erat veluti *ſecunda*, ſive *iterata lex*. Liber R. Judæ molis eſt exiguæ; ſe auctus ſubinde novis & multis gloſſis, crevit in illam voluminum multitudinem, quibus conſtat Talmud. Referta eſt collectio Talmudis anilibus nugis quibus caret Miſchna. Ex hac collectione immenſa excerpſit Maimonides, quæ magis neceſſaria ſunt ad Miſchna illuſtrandum, hoc eſt ad dilucidius exponendos Judaicos ritus; quapropter ſæpiùs occurrit nomen Maimonidis in paginis noſtris. Ne cui id mirum videatur, dicam quanti fiat ab omnibus viris doctis: ſic de illo Cunæus loquitur: *Eſt in admiratione hominum ſcriptor maximus Rabbi Moſes, Ben Maimon, is qui Talmudicam doctrinam ſepoſitis nugamentis feliciter complexus eſt divino illo opere, quod ipſe* משנה תורה *appellit*

Lib. 1. de Rep. Heb. cap. 2.

Mi-

Miſchna tota, *id eſt*, ſecunda lex: ibi jus canonicum & civile Judæorum, ritus & conſuetudines omnes dilucidè & breviter exponit. Sic pergit loqui Cunæus: *Nunquam ita magnificè quidquam de illo auctore dicemus, quin id virtus ſuperet ejus. Fato enim quodam, & ſorte naſcendi primus ſoluſque in illa gente rectè intellexit quid hoc ſit, non ineptire, ſæpè nos in his libris eum luculentiſſimum teſtem citabimus*. Hæc à me dicta exiſtimentur.

Non ulli labori peperci; idcircò audacter dicam in Commentariis meis congeſta reperiri quæ fruſtrà alibi quærerentur niſi in pluribus voluminibus mole & numero metuendis, etiam Lectori impigro. Nec hoc videri debet nimis inverecundè dictum; hæc enim eſſe congeſta, non adinventa dico. Bibliothecarum ſcrinia, ingenuè fatear, compilavi; & ſi diffiterer, quiſquis vir peritus citò deprehendet aſſutos meo operi pannos ex claris auctoribus; quorum nomina non reticeo, ut mihi arrogem eorum opes; ſed præterquam quod parum referat ſcire, quis hæc &

Ep. 84 illa dixerit proprius auctor, decet imitari apes, ut monet Seneca, quæ varios flores delibant, ſed varia libamenta in unum confundunt ſaporem; ut etiamſi innotuerit unde ſumptum ſit mel quod conficiunt, aliud tamen eſſe quàm id unde ſumptum eſt, appareat. *Alimenta quæ accepimus*, ait idem Seneca, *quandiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt; at cum ex eo quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt*. Si aliter fiat, oratio continuis allegationibus ſalebroſa eſt.

Igitur omnia concoquens ut unus & ſimplex fluat ſermo, ſicuti quæ mihi propria ſunt non vendito, ita aliena ad ſuos auctores non ubique refero; quod ſi peccare eſt; fateor id quoque. Eſto habeatur Commentarius meus pro breviario, quod ex alieno penu deprompſerim; quoquo nomine appelletur non mea refert, modo cùm molis ſit exiguæ, citra faſtidium legatur, & collectis undique, ut ita dicam, luminibus intelligentiam Evangelii ingerat, & amorem. Symbolam tamen à me datam nemo æquus æſtimator negaverit; etſi enim aurum, & gemmas non contulerim in tabernaculum; ſic olim loquebatur B.Hieronymus, alludens ad munera quæ ſtruendo tabernaculo oblata fuerant à Judæis, ſaltem obtuli lanam, & pilos caprarum; ut mihi liceat uſurpare verba Hugonis Grotii: *Si quis dicat me*

Præf. Annot. in Evang. *quæ in Evangelia ſcripſi, debere aliis qui in eodem ſe argumento exercuerunt, is neque penitùs mentietur, neque penitùs verum dicet. Ego per omnes eos qui ſcripſere antehac, profeciſſe me non diffiteor, quin gaudeo, gloriorque. Itaque omnibus me eis gratiam habere puta, quaſi nominaſſem ſingulos*.

Quo hæc omnia tendunt quæ hactenùs præfatus ſum? ſcilicet (fatebor enim) ut omnes, qui hæc mea legent, conciliem mihi; & nulli ſim faſtidio, ſi id fieri poſſet; nam omnia omnibus non æqualiter ſapiunt. Quin etiam qui iiſdem cibis delectantur, alii aliter eos ſibi condiri expetunt; ita & qui ſacram Scripturam amant, & perlegunt quæ in eam eduntur commentaria, analyſes, paraphraſes, cæteraque lucubrationum genera, alii alia probant, aut aſpernantur. Plerique & ſæpiùs optimi id unum ſatagentes ut legendo ſcripturam amore ejus capiantur, & Deum diligant ardentiùs, quocumque ſcripto ille ignis accendatur, etiamſi auctor parùm diligens fuerit nec multùm ſagax, contenti ſunt. Modò enim ſentiant cor ſuum ardere, non ſua putant referre, ſi quod legunt, parùm appoſitè dicatur. Verbo Dei paſcuntur & ſaginantur: ideò alieni à diſquiſitionibus multo ſtudio elaboratis, quia quandoque, dum his attentior eſt animus, cor vacuum ſit affectibus.

Attamen cùm melius ſit veris gaudere quàm falſis, & probandi ſint magis affectus (certum eſt Deo gratiores eſſe) qui naſcuntur ex vera interpretatione, cavendum eſt ne religio inertiæ obtendatur. Omnis inquiſitio ſine aliquo labore non fit, inde ſuavius eſt obviæ cuicumque interpretationi acquieſcere, quàm diſtringere mentem cura verioris. Sed penſitentur illa Domini verba: *Spiritus eſt Deus,*

Joan. cap. 4. v. 24. *& eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Sacra Scriptura ſermo eſt Dei, cujus corpus ſunt literæ quibus ſcribitur; ſpiritus verò ipſa ſententia

eſt

eſt, quam cùm aptis & congruis verbis Deus hominibus ſignificatam voluerit, numquid magis obſequuntur voluntati ejus, qui veram Scripturæ ſententiam ſub verborum cortice latentem ſcrutantur, & eruunt ex propria verborum ſignificatione, ex antiquis moribus, conſuetudinibuſque ? Ita ſentiunt quorum zelus eſt *ſecundùm ſcientiam*.

Qui ſic vivunt ut illis expediat deliramenta eſſe quæ de alterius vitæ pœnis narrant ſacri codices, hos refugiunt, aut ad illos accedunt, præconcepta opinione incertos eſſe? optarent prorsùs falſos eſſe. Hi ſanari non poſſunt niſi omnia adſtruantur certis argumentis, quibus certiores fiant, tùm de ſcripturarum veritate, tum de earum intelligentia. Ego verò ſicut in cordibus excitare pios affectus, ita & mentes imbuere cognitione veritatis, & hanc comprobare ſtudeo. Sinant ergo, quorum diverſa ſtudia ſunt, me non eadem ratione uti: ut alios pungam ratiociniorum aculeis; alios alliciam quaſi melle perfundens opus meum; & interdum exornans verbis ſanctorum Patrum elegantioribus tanquam gemmis & floſculis; quæ aliquando magis eleganter quàm appoſitè ſcripta ſunt; dum ſancti illi doctores ſcripturas accommodant propoſito ſuo prout quædam vitia inſectantur, aut certam virtutem commendant. Neque enim quoties illas uſurpant, toties interpretantur: quapropter horum exemplo malè ſe defendunt, qui cùm promittant interpretationem, alluſiones meras proponunt, & cogitata quæ venditari non poſſunt quaſi pia, ſi quidem prorsùs falſa ſint.

Itaque, Lector, ne inutilia reputes quæ tu forſan ſpernis tot ex libris Judæorum & Gentilium prolata teſtimonia, locorum ſcripturæ parallelorum comparationem, & accuratiorem Criticem. Satagis augeri religione magis quàm ſcientia; ſed memor eſto doctrina opus eſſe, ut, quod reipublicæ Chriſtianæ intereſt, verus ſcripturæ ſenſus eliciatur, confirmetur, roboreturque. Fidem habes: tibi non ſit moleſtum aliis fidem vel indi novam, vel veterem adjuvari, & augeri. Cognitione te egere non putas: non reproba majorem ſcientiam. Bonum quidem eſt ardere amore Dei, & hic finis eſt cognitionis nec incertæ, nec vanæ; ſed ut vitis palmites habet, ſine quibus racemi non matureſcerent, ita ſaltem à compluribus non tantùm amarentur Scripturæ quantùm amore dignæ ſunt, niſi doctrina ſenſum earum manifeſtum redderet, & demonſtraret certum.

Hæc dixi ut amolirer faſtidia & iniqua judicia. Magis autem mihi extimeſcenda ſupremi judicis ſententia. Utinam veniam condonet, ſi quandoque in ſacrum Evangeliorum penetrale irruperim non mundus, nec incenſus ſincero amore veritatis, & unicè ſtudens, ut illa amaretur. Attamen prodeſſe volui; ſed tuæ gratiæ eſt, bone Deus, ut proſim. Utilem aliis operam navavi, heu vanam mihi ſi vanus ſcripſi. Ut utilior tibi ſit lectio, diſce Lector, ab altero Bernardo, ſed ſanctiſſimo, ſcripturas eodem ſpiritu quo factæ ſunt, legendas eſſe & intelligendas. Verba vitæ complectitur Evangelium; ſed pleriſque mortis cauſa eſt; qui ipſa luce cæcantur; quibus & judicio occulto, ſed æquo, veritas ipſa eſt erroris occaſio. Itaque cum tremore accedendum ad ſacros codices; neque ideò legendi ſunt tantummodò, ut nobis innoteſcat Jeſus Chriſtus: ſicuti avemus ſcire quæ ſenſerit Plato, aut quæ patraverit præclara facinora Alexander; filium enim ſuum miſit Deus, ut audiamus verba ejus, capeſſamus & faceſſamus mandata. Audierunt eum Judæi; palàm enim loquebatur in ipſo templo, docens, & confirmans ſermones ſuos teſtimoniis ſcripturarum & manifeſtis ſignis; ab iis tamen actus eſt in crucem, ſub quorum oculis tot tantaque ediderat miracula.

Imprimis ergo cavendum nobis ne ſacra hæc lectio ſit irrita; quod fit, cùm ſtatim animo excidunt cogitationes, quas illa ſubjicit, aut congrui non ſubſequuntur affectus in corde. In hæc mentem lectoris copioſo ſermone convertere forſan decuiſſet, & eum commovere piis affectibus; ſed brevitati ſtudebam; & copioſior ſermo tædium parit, ut nauſeam cibus, cùm invito ſtomacho ingeritur. Qui cœleſtium rerum deſiderio tenetur, ultrò pias cogitationes animo ſuo

ver-

verſat; ex quibus ut ex proprio fomite flammam concipit. Ne quis tamen omninò frigidus Evangelium legat, præmonebo, Jeſum nobis ſemper obverſari debere tria exercentem munera quæ illi propria ſunt, Regis, Prophetæ, & Sacerdotis; quæ conſideratio piarum cogitationum, & optimorum affectuum fons eſt uberrimus. Etenim cùm arbitria principum pro legibus ſint; etiamſi ratio non appareat, cur nos præceptis Evangelicis adſtrinxerit, parendum eſſet: Rex enim & Dominus eſt: nos ſervi, quos emit ſuo ſanguine. Fruſtrà de vita rectè inſtituenda conſulimus Platonem, Ariſtotelem, & alios; Chriſtus enim eſt Propheta magnus, nempe magiſter noſter, de quo dixit Deus: *ipſum audite*. In ſermone autem ejus traditur breviter & clarè vera morum doctrina, quæ in Philoſophorum ſcriptis ea obruitur ſermonis luxurie; ut antequam quis didicerit vitam corrigere ex illorum regulis, ſenio confecta ſit, & tota abierit. Mores indigent prompta eruditione; momento autem illam comparat qui ſe Evangelio erudiendum committit. *Credere enim auctoritati magnum compendium, & nullus labor*, ut eleganter ait B. Auguſtinus. Quin eo quod ſibi vult credi Evangelium, ſe probat verum eſſe. Cùm enim homines non idonei ſint religioni, quæ non imperat ſibi ſtatim credi & diſcentem credere oporteat, ut ipſe Ariſtoteles aiebat, alia quæcumque religio quæ ſic fidem protinùs non exigit, caret veritatis nota, ſed non ideò omnis religio vera eſt, quia ſibi vult credi; niſi auctoritatem tantam habeat quantam Chriſtus conſecutus eſt ſuis miraculis. Inſuper præſtat Evangelium philoſophorum ſcriptis, quòd cùm illa obſcura ſint in iis etiam locis ubi præcipua doctrinæ elementa docentur, contrà *in iis quæ apertè in ſcripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi,*
Te doct. Chr. lib. 2. cap. 9. *ſpem ſcilicet atque charitatem*, inquit S. Auguſtinus.

Denique J. C. D. N. intuendus eſt nobis ut ſacerdos, quo præeunte Deus placari poteſt. Etenim docuit nos ſuos exemplo, pœnam alienorum peccatorum in ſe ſuſcipiens, nos pœnas debere juſtitiæ Dei, qui ipſi peccavimus. *Paſſus eſt pro nobis*, ſcribit Petrus omnibus Chriſtianis, *vobis relinquens exemplum, ut ſequami-*
Ep. 1. c. 2. v. 2. *ni veſtigia ejus*. Longum iter pēr præcepta, breve per exempla. Præcepta excidunt animo, exempla obverſantur oculis; ideò Chriſtus exemplum dedit nobis, ut quemadmodùm fecit, nos ipſi faciamus. Qui ergo cæteros libros percurrimus ut intelligamus quæ in his ſcripta ſunt; immoremur Evangelio, ut quod legimus, moribus noſtris effingamus.

Erudite Lector, ſi perlegens Commentaria mea, aut perlectis, mentem tuam ſubeat quidpiam quod in iis mutari, addi, detrahi debeat, quo exornari poſſint, vel corrigi, id mihi velis communicatum: ut ſi me ſuperſtite recudenda eſſent: ſive poſtquam ſummus Imperator juſſerit exire de corporis ſpecula, aliquem juvet recudendis præeſſe, prodeant iteratis typis tanquam novum opus, tuis & tui ſimilium monitis & conſiliis deterſum magis & expolitum.

COM-

COMMENTARIUS
IN
HARMONIAM,
SIVE
CONCORDIAM
QUATUOR EVANGELISTARUM.

LIBER PRIMUS.
VITA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI, ab ortu ſuo ad baptiſmum ſuum.

CAPUT PRIMUM.

B. Lucas quæ de Domino audierat, promittit ea ſe enarraturum à principio, & narrationi ſuæ præſtruit fidem.

LUCAS, Cap. 1. ℣. 1—4.

1 QUONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem,
quæ in nobis completæ ſunt, rerum:
2 ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, &
miniſtri fuerunt ſermonis.
3 viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter,
ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile,
4 ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

L. my, 7. l.

LUCAS Proœmio utens, quod cæteri Evangeliſtæ non faciunt, protinus confirmat narrationis ſuæ fidem ſimul ſignificans qua cauſa impulſus ſcribat. Præfatio autem illa rectè præmittitur à nobis Evangelicæ hiſtoriæ, quam ex quatuor Evangeliſtis conteximus; neque enim huic minus convenit, quàm proprio ipſius Lucæ libro. Quæ de dictis, & factis Domini Evangeliſtæ nobis tradiderunt, ipſi quoque diligenter aſſecuti proponimus unicuique Theophilo, id eſt Dei amico. Lucas ex B. Hieronymo Syrus natione, Antiochenſis erat, arte medicus, diſcipulus Apoſtolorum, poſtea Paulum ſecutus, ideo in hocce conſortio edoctus, jure uti potuit ſequenti Proœmio.

1. *Quoniam quidem*, inquit, *multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum.* Sic plerique interpretantur Lucam quaſi in aliquos ſcriptores hæc diceret, qui rem potius tentaverant, quàm effecerant, imo labefactaverant; conati erant, ſed non potuerant implere. *Lucas in ipſo Evangelii ſui exordio*, verba ſunt Euſebii hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 24. *quæ ſcribendi ſibi cauſa eſſet, expoſuit. Ait enim multos temerè, atque imprudenter aggreſſos fuiſſe narrationem earum rerum quas ipſe exploratas haberet; ac proinde ſe neceſſitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certiſſimam ac fideliſſimam narrationem earum rerum, quarum ipſe veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apoſtolorum ſermonibus hauſerat, Evangelio ſuo tradidiſſe.* Nominantur multa falſa Evangelia, quæ hæretici obtrudere voluerant ſub Nicodemi, Nazaræorum, Thomæ, Ægyptiorum, Protevangeli nominibus. Epiphanius Hæreſi 51. opinatur hos qui ſic conati erant Evangelium ſcribere, fuiſſe Cerinthum & Merinthum: Origenes Baſilidem; alii etiam Apellem. Sed hi omnes fuerunt ætate poſteriores quàm Lucas; & illa falſa Evangelia multo poſt ſcriptum Evangelium Lucæ cauſa ſunt; ita non hìc indicantur. Præterea verbum *ἐπεχείρησαν*, quod in fonte Græco legitur, & Latinus interpres reddidit *conati ſunt*, de felici conatu etiam uſurpatur. Ita Evangeliſta non agit ut oſtendat alios quod aggreſſi ſunt, non perfeciſſe, aut præſtitiſſe; ſed potius laudat eos qui hoc genus ſtudii præoccupaverant; iiſque ſe aſſociat: *Viſum eſt*, inquit *& mihi* &c. Iſta inquam, *multi conati ſunt*, poſſunt intelligi de Matthæo & Marco qui jam ſcripſerant; quos non ut argueret erroris, & mendacii, Lucas ad ſcribendum mentem ſuam appulit, ſed ut rem totam paulo altiùs repeteret, ſimul & pluribus teſtibus fidem Evangelii efficeret certiorem.

Præterea illud, *ordinare narrationem*, *ἀνατάξασθαι*, non ſic accipiendum, quaſi ſeriem veram actuum & ſermonum Domini contexuerit Lucas ab aliis neglectam; ſeu quam texere alii fruſtra conati eſſent. Ἀνατάξασθαι nihil aliud eſt, quàm res diſtinctè, atque dulcidè narrando explicare. Pariter illud: *quæ in nobis completæ ſunt rerum*, non ſic decet intelligere quaſi Lucas actor fuerit rerum iſtarum, quas alii jam narraverant, & ipſe narrandas ſuſcipiebat. Liquet enim ex verbis ejus non ſcribere viſa, ſed tantùm auditu accepta à viris, quorum cùm teſtimonium eſſet, plenam de iis fidem habebat. Verbum *πληροφορεῖν* idem ſonat ac *fidem facio*; ergo hæc locutio græca, *πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων*, non dicit res à Luca, vel in Luca completas, ſed harum plenam factam ei fidem. Quod agnoſcit ipſe interpres Latinus in epiſtola ad Rom. cap. 4. ℣. 21. & cap. 14. ℣. 5. Itaque tantummodo ſignificat Evangeliſta hæc quæ narraturus eſt, ſibi comperta eſſe: unde autem illi tam certa ſcientia, continuò declarat.

2. *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.* Inde nobis tam certa perſuaſio & fides, quia tradiderunt Apoſtoli, & diſcipuli J. C. D. N. qui *ab initio ipſi viderunt*, *αὐτόπται*, id eſt qui teſtes oculati, & *miniſtri fuerunt ſermonis*: qui actores, & pars fuerunt eorum quæ narrabant. Illud autem, *ſermonis*: *τοῦ λόγου*, ambiguum eſt; *ſermo* enim, ſive *verbum*, *λόγος*, apud Hebræos idem eſt ac *res*; ut ſenſus poſſit eſſe: qui miniſtri *rei* fuerunt; ſive, ut dixi, ipſi actores fuerunt. Vel ibi *λόγος* intelligendus eſt Jeſus; qui eſt *verbum*, *λόγος* Dei, cujus Apoſtoli fuerunt *ὑπηρέται*, *miniſtri*, *ſervi*. De illa voce infrà fusè diſſeremus. Hieronymus in proœmio ſuo in Matthæum ſic hunc locum interpretatus eſt, aut illum ſic legit. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt ſermonem, & miniſtraverunt ei.*

3. *Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile.* Viſum eſt mihi ut poſtquam omnia *ἄνωθεν*, *ab initio*, ſive à principio perveſtigaverim tibi ſcribere: ſic Poeta,

——*altiùs omnem.*

Expediam, prima repetens ab origine famam. Verbum Græcum *παρηκολουθηκότι*, diligentiam notat in ſcribendo: quaſi diceret Lucas, rerum quas ſum memoraturus teſtimonia perveſtigavi; veſtigiis earum inſtiti (hæc eſt vis verbis *ἀκολουθεῖν*) explorata ab incertis diſcernens, nihilque niſi benè compertum literis conſignans. Occaſionem huic perveſtigationi dederant Pauli quem ſectabatur, itinera in Judæam. Non ſemel, ut credere eſt, cum Eccleſiarum pecuniis miſſus fuerat à Paulo in Judæam. Obambulans ergo per omnes Eccleſias potuerat omnia diſcere ex primis auctoribus, nimirùm ab Apoſtolis & diſcipulis. Vulgatus Interpres reddit *aſſecuto omnia*, ita ad res retulit quas Lucam omnes aſſecutum fuiſſe intelligit. In Græco autem codice eſt *πᾶσιν*, *omnibus*; quod

Syrus

Digitized by Google

Syrus interpres ad perſonas refert, interpretans Lucam quaſi dicat ſe affectatum eſſe oculatos teſtes & miniſtros; ita non accipit metaphoricè verbum τὸ *παρηκολουθηκότι*, *aſſecuto*, pro aſſequi mente ea quæ facta, & dicta fuerint; ſed propriè pro *aſſectari aliquem*. Igitur juxta interpretem Syrum ſenſus Evangeliſtæ eſt: quandoquidem curioſè operam dedi, ut omnibus illis qui ſpectatores domini noſtri fuerunt adeſſem, eoſque aſſectatus ſim individuus comes, viſum mihi fuit omnia ordine perſcribere. Joſephus utitur hocce verbo παρηκολουθηκέναι, ſcribens contra Apionem. *Qui res geſtas*, inquit, *tradere aliis promittit, eas primùm accuratè oportet cognoviſſe*, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυνθανόμενον, *ſive quòd factis adfuerit, ſive quòd ab iis qui viderunt reſciverit*.

Quoquo modo accipiatur illud *aſſecuto*, potuit Lucas hiſtoriam Domini ſcriptis mandare, ex ordine *καθεξῆς*; id eſt *deinceps*, vel *ſigillatim*, *cohærenter*, *diſtinctè*; ut patet ex Actis, cap. 11. ℣. 4. & cap. 18. ℣. 23. ubi eodem adverbio utitur. Multò altiùs quàm cæteri Evangeliſtæ hiſtoriam ſuam exorditur; narrat enim conceptionem, & ortum Joannis Baptiſtæ, & miſſum Gabrielem ad Beatam Mariam Virginem. Sic aſſecutus eſt initium Evangelii. Verùm inde deduci non poteſt illum diligentiùs perſequi ordinem eorum quæ fecit, aut dixit Dominus, quaſi neglectum ab aliis: imo veriſimilius eſt quæ contigerunt poſt Domini Baptiſmum ſuis reddita eſſe temporibus à B. Matthæo, & B. Joanne, Breve eſt illud tempus, duorum nempe annorum, cum quinque, aut ſex menſibus, ut ſuo loco demonſtravimus, per quod illi duo Evangeliſtæ Dominum ſecuti ſunt. Teſtes ergo oculati ſeriem rerum, quarum ſola fama ad aures B. Lucæ pervenerat, memoriæ mandare potuerunt; ita & eas digerere eodem ordine quo illas dici & fieri contigerat.

Lucas verò dum ſcribit quæ à compluribus, & diverſis Domini diſcipulis didicerat, non eo ſemper quo geſta erant ordine, potuit non exprimere veram illorum ſeriem. *Evangelium ſicut audierat, ſcripſit*, inquit de illo B. Hieronymus: *Acta verò Apoſtolorum ſicut viderat ipſe, compoſuit*. Quare ibi rerum ordinem ſequitur, dum deſcribit itinera B. Pauli, cujus peregrinationis comes fuerat. Argumentum ingens; quæ alii Evangeliſtæ narrabant viſa, ea ſuis aſſignare temporibus. Huc facit quod dicit Papias auditor Joannis, B. Marcum non ſervaſſe temporum ordinem, quia rebus non interfuerat. Leguntur apud Euſebium, lib. 3. cap. 39. hiſt. Eccleſ. illa verba Papiæ referentis quæ à Presbytero didicerat. *Aiebat etiam presbyter*, ex cujus ore didicerat Papias quæ ſequuntur, *Marcum Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter perſcripſiſſe: non tamen ordine pertexuiſſe, quæ à Domino aut dicta, aut geſta fuerant. Neque enim ipſe Dominum audiverat, aut ſectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, poſtea verſatus eſt, qui pro audientium utilitate, non verò ut ſermonum Domini hiſtoriam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus qui nonnulla ita ſcripſit, prout ipſe memoria repetebat: quippe unum ſtudebat, ut nequid eorum, quæ audierat, prætermitteret, aut ne quid falſi eis affingeret*. Quæ cùm ita ſint, ſi in ea re veritas non lucet, ſaltem ſimilitudo veri ſuadet potiùs à B. Matthæo, & B. Joanne ſervatum temporum ordinem, quàm à B. Marco, & B. Luca. Quod hic dicimus veriſimile, infra certum eſſe evincemus.

An Lucas ad Theophilum quempiam ſcribat, an quemlibet amantem Dei alloquatur, quæri poteſt: nempè utrum ille Theophilus quem nominat in principio, ſit nomen commune; ut quemcumque virum pium intelligere liceat, qui Deum diligat, aut diligatur à Deo. Evangeliſtam deſignare certum virum nobilem, & conſpicuum, quidam colligunt ex illa compellatione, *optime*; ita enim Feſtus, & Felix hoc vocabulo in Actibus appellantur. Vox autem Græca κράτιστε, derivari poteſt à κράτος, *robur*, *imperium*; ut κράτιστε idem ſonet, ac *potens*, ſive *potentiſſime*, *præſtantiſſime*; ſed & reddi poteſt *optime*. etenim & eam habet ſignificationem, ut videre eſt in Lexicis.

4. *Ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*, ἀσφάλειαν, id eſt *firmitatem* & certitudinem; ſcilicet ut per ſcripturam hanc ἐπιγνῷς, *agnoſcas*, quæ jam tibi nota, id eſt ut majorem cognitionem nanciſcaris, & certiora jam ea eſſe credas, quæ viva voce audiviſti, κατηχήθης; hoc enim eſt Græcè, κατηχήθης, unde κατηχισμὸς, *catechiſmus*, doctrina viva voce tradita. τὸ κατηχίζειν de iis dicebatur qui prima religionis rudimenta in Eccleſia viva voce docebant, quorum diſcipuli propterea κατηχούμενοι, *catechumeni* vocabantur.

Digitized by Google

CAPUT II.

Angelus Gabriel nunciat Zachariæ, licèt ipſe & uxor ejus Eliſabeth ſenes eſſent, & hæc hactenus ſterilis fuiſſet, filium ſuſcepturos qui præcurreret Domino.

LUCAS, Cap. 1. ℣. 5—25.

† Vit. S. Joan. Bapt. † 1. Par. 24.10.

5 † FUit in diebus Herodis, regis Judææ, ſacerdos quidam nomine † Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron; & nomen ejus Eliſabeth.

6 Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela,

7 & non erat illis filius, eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.

8 Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum,

9 ſecundùm conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini:

† Exod. 30.7. Levit. 16.17.

10 & † omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi.

11 Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi.

12 Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum.

13 Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem:

14 & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt:

15 erit enim magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.

16 & multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum:

† Malach. c. 4.6.

17 & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: † ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum parare Domino plebem perfectam. ¶

18 Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis.

19 Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

20 Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, uſque in diem quo hæc fiant, pro eò quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.

21 Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo.

22 Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quòd viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.

23. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam.

24 Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens:

25 Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

Qui

QUt nuntiabant natum eſſe promiſſum à rerum principio ſervatorem; qui fuerat vaticiniis prænuntiatus, expetitus precibus & votis, & hunc eſſe quem Maria deſponſata Joſeph genuerat, rem tantam nonniſi invictis argumentis comprobare tenebantur. Inter plurima autem, & graviſſima argumenta quæ ſuppetebant, fuit ſanè teſtimonium illud quod Jeſu filio Mariæ perhibuerat Joannes dictus Baptiſta, poſtquam ipſe ſe probaſſet miſſum à Deo. Niſi enim invicta pervicacia obcœcaſſet Judæos, numquam Jeſum repudiaſſent, quem ille digito monſtraverat agnum eſſe qui peccata mundi tolleret. Cùm ergo tanti eſſet teſtimonium Joannis, Matthæus & Marcus qui primi Evangelium ſcripſerunt, non illud quidem prætermiſerant ſilentio; declarant enim Joannem fuiſſe ipſum Angelum quem prædixerat Iſaias fore ut mitteret Deus ad præparandas vias Chriſti ſui. Sed cùm Matthæus ſcriberet Hebræis, quibus res nota erat, Marcus verò exſcribat Matthæum, breviator tantùm ejus, uterque ſermonem non fecerat de ortu præcurſoris, quamquam tot tantiſque ſignis inclaruiſſet. At Lucas, qui gentibus ſcribebat, comes Apoſtoli gentium, tantæ rei famam quæ ad gentes non pervenerat, ſcriptis ſuis commendatam voluit movente Spiritu ſancto; ne memoria ejus interiret. Igitur à primo rei initio hiſtoriam ſuam exordiens, protinus enarrat quæ obtigerint, ſive cùm Angelus Gabriel ortum Joannis nuntiavit Zachariæ & Eliſabeth parentibus ejus ob ætatem effœtis; ſive cùm ipſe Joannes juxta verba Angeli natus eſt, cum tantis utroque tempore prodigiis, ut nullum Judæum latere potuerit, hiſce diebus natum eſſe puerum, in quo Deus magnam ſuam virtutem oſtenderet.

Primùm, quod fidem dictis ſolet conciliare, Evangeliſta deſcribit tempus quo res contigerit. 5. *Fuit*, inquit Lucas, *in diebus Herodis regis Judææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Eliſabeth*. Nempe regnante Herode magno, cui ſubdita erat Judæa; cùm alter Herodes filius ejus, à quo Joannes Baptiſta poſtea occiſus eſt, fuerit Tetrarcha Galilææ. Sunt qui velint hìc nominari alienigenam regem; neque enim Herodes genus ducebat ex Iſraelitarum gente, ut Judæi admonerentur tunc tempus acceleratum quod Jacob moriens deſignaverat, quo propè naſciturus erat Meſſias ablato à Judæis ſceptro. Reipſa vaticinium Jacobi prout illud interpretor cum pleriſque viris doctis, non omnino impletum eſt niſi Templo everſo, quando reſpublica Judaica penitus concidit; ſed id fieri jam ſub Herode rege cœptum erat.

Sacerdos nomine Zacharias. Apud Hebræos ſacerdotum genus erat illuſtre; ita Evangeliſta commendat Joannem à genere ſuo. *De vice Abia*; id eſt de familia Abia; quæ habebat vices ſuas in obeundis ſacerdotii muneribus in Templo. Scilicet cùm filii Aaron, quibus ſacerdotium mandatum fuerat, in eum numerum excreviſſent, ut omnes ſimul ſacerdotii muneribus occupari non poſſent, diviſerat eos David in viginti quatuor familias; quæ ſibi invicem ſuccederent, deſervituræ in Templo diebus ſuis, à ſabbato ad ſequens ſabbatum. Sic quæque familia habebat vicem ſuam, ἐφημερίαν. quaſi dicat certos dies ſtatutos ad deſerviendum in Templo. Hac voce utitur Joſephus, lib. 12. cap. 8. antiquit. Matthias, inquit, ex vice Joarib, ἐξ ἐφημερίας Ἰωάριβ. Illæ viginti quatuor familiæ denominabantur a capitibus ſuis; ſic Abiæ dicebatur, cujus olim Abias fuerat caput. In quos dies incurrere poſſent vices Abiæ diximus in Chronologicis, ubi inquirimus in diem natalem Chriſti. Joannes autem generoſos parentes habuit Zachariam & Eliſabeth: *Et uxor illius Eliſabeth de filiabus Aaron* pari cum marito nobilitate; quia uterque de ſtirpe ſacerdotali. Nam alioqui licitum fuerat Zachariæ de quavis tribu uxorem ducere.

6. *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus domini ſine querela*. Non omnis qui juſtus eſt ante homines, juſtus eſt ante Deum. Aliter judicant homines, aliter Deus: homines in facie, Deus in corde, Ait Ambroſius. Igitur Zacharias & Eliſabeth Deo quia corda novit ſerviebant mente integra, ſubditi in omnibus Legi, quæ in ſacro codice, modò *mandatum*, modò *juſtificatio* appellatur; ita ibi eſt pleonaſmus, quo vis additur orationi, ut ſignificetur quàm Legi Dei obedientes eſſent. Tribus hiſce potiſſimum vocibus Hebraicis denominantur mandata, חק *choc* משפט *miſchpath*, מצוה *miſqeva*, quas LXX. Græci interpretes reddunt modò ἐντολὰς, modò δικαίωμα, ita illud ἐν ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι, *in mandatis & juſtificationibus*, pro eadem re habendum. *ſine querela*, ἄμεμπτοι, id eſt, erant vitæ inculpatæ; fama eorum integra: de quibus nemo querebat. Horum itaque teſtimonium minimè ſuſpectum.

7. *Et non erat illis filius, eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis*. Ea ætate erant provecti, ut Eliſabeth non poſſet ex Zacharia ſene filium ſuſcipere, præterquam hactenus ſterilis fuerat, etiam tum cùm eſſet in flore ætatis. Deus tamen, qui Meſſiam educturus erat ex alvo virginis, his effœtis ſobolem dedit, quaſi præludens ut oſtenderet ſuam ſummam poteſtatem. Partus enim ſterilis, ut ait B. Chryſoſtomus, partus virginis fidem facit. Mundum inquam, reſtaurare volebat haud diſſimili modò quo primùm condiderat ex nulla materia ſubjacente; pariter enim inſtauravit ex nihilo, ſive ex rebus non idoneis. Præterea, quod animadvertendum; in eo enim elucet ſapientia Dei; tanta quanta res eſt Deum homi-

hominem fieri, & in terris naſci & pati, debuit illuſtribus ſignis ab omni parte confirmari. Jam quidem Chriſtus magnis typis olim abſens adumbratus erat ab ipſo mundi principio; ſed quamquam eum pati oporteret, & ideo nubibus obumbrandus eſſet; neceſſe erat ut eo tempore quo verſaretur in terra, certis ſignis ſaltem à viris piis qui redemptionem Iſraël expectarent, agnoſceretur. Id potuere quotquot mentem adverterunt ad teſtimonium Joannis; in quem & convertit Deus hominum mentes. Hunc enim ex effœtis parentibus naſci voluit, ut ortus ejus magnis portentis clarus neminem lateret. Procul omni dubio omnes intellexere Joannem futurum Iſraeli in portentum. Pervaſit fama rei ſtupendæ ſingulas Judææ urbes, natum puerum mulieri effœtæ. Eo tempore Judæi frequentes aderant in Templo, cùm Angelus nuntiavit Zachariæ filium illi naſciturum ex uxore Eliſabeth. Impedita quidem eſt lingua Zachariæ; ſed res non ideo obruta ſilentio: eo enim crebrior de illa ſermo quòd ille tacuit, donec ſoluta ejus lingua, poſtquam puer natus eſt, prædixit fore ut ille puer præcurreret Domino. Qui hæc memori animo, ut omnes Judæos decebat, repoſuerant, Jeſum habuere pro vero Meſſia, ſtatim ac protulit de illo ſuum teſtimonium Joannes. Verum hæc ſigna, quantacumque fuerint, citò exciderunt animis eorum qui colligendis divitiis, ſectandis voluptatibus, aut gloriæ aucupandæ ſolùm intenti erant. Nos verò qua par eſt attentione, hæc ſigna intueamur.

8. *Factum eſt autem cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum.* Id eſt eo tempore quo Zacharias defungeretur muniis ſuis, cùm ſcilicet familia ejus vices ſuas obiret in Templo, ubi Deus præſentior, ſive ubi exhibebat ſigna præſentiæ ſuæ. 9. *ſecundùm conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret, ingreſſus in Templum Domini.* Juxta conſuetudinem ἱερατείας, id eſt *functionis ſacerdotalis*, ſive ut fieri ſolebat inter ſacerdotes, ſortitus eſt ut adoleret, ſive incenderet odores. Plura erant ſacerdotii munera; ideo ex antiqua conſuetudine ſacerdotes ejuſdem vicis ἐφημερίας, ſortiebantur ſingulis diebus, ut fusè explicat *Maimonides tractatu de jugibus ſacrificiis, cap.4.* quam partem miniſterii quotidiani exercerent. Sors autem Zachariæ obtigit eo die ut incenderet thymiama, ſive ſacros odores in altari aureo, quod in prima parte ædis ſacræ poſitum erat & dicebatur Altare thymiamatis. Ergo Zacharias munus ſuum obiturus intravit in Templum εἰς τὸν ναὸν, qua voce ſæpiùs obſervabimus denotari ædem ſacram. Omnes ferè antiqui Patres perſuaſum habuere Zachariam fuiſſe ſacerdotem ſummum; & eo munere, de quo nunc loquitur Evangeliſta, defunctum feſto die Expiationis, in quo ſummus Pontifex intrabat in ſanctum ſanctorum, ſed hæc opinio multis erroribus arguitur. Non tacuiſſet Evangeliſta tanta dignitate fuiſſe conſpicuum Zachariam, nec ille cum cæteris ſacerdotibus ſortitus eſſet, quod munus impleret. Nam à Lege præſtitutum erat officium ſummi ſacerdotis maximè in feſto Expiationis. Præterea Zacharias *in Templum*, εἰς τὸν ναὸν non tantummodo ingreſſus eſſet, ſed in ſancta ſanctorum. Inter ſummos ſacerdotes quos Joſephus recenſet, non occurrit Zacharias ille de quo nunc ſermo eſt.

10. *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi.* Plebs, quæ adoratum veniebat, ſtabat ad oſtium atrii ubi altare holocauſtorum ſub propatulo coram ſacra æde. Ubi autem advenerat hora incenſi, & cui munus adolendi incenſum obtigerat, ædem ſacram fuerat ingreſſus, plebs extra hanc ædem, & forſan etiam extra dictum atrium morabatur fundens interea ſuppliciter preces ſuas Deo. Præceperat enim Deus in Levitico, cap.16.℣.17. *Nullus hominum ſit in tabernaculo quando Pontifex ſanctuarium ingreditur.:..donec egr .iatur.* Quod & fiebat in quotidiano ſuffimento, ex Maimonide, *de jugibus ſacrificiis* cap.3. *Cùm incendebatur ſuffimentum in hekal* inquit, *ab eo amovebatur omnis populus: & neminem inter veſtibulum & altare verſari fas erat, donec is qui ſuffimentum adolebat in hekal, egreſſus eſſet.* היכל *hekal* pars erat ædis ſacræ ubi altare thymiamatis, ſive incenſi; ita ut videatur Maimonides legem dictam Levitici interpretari etiam de ſacerdotibus; ut ſolus, qui adoleret, intraret in *hekal*. nunquam enim licebat populo intrare in hanc par em. Ubicumque tunc fuerit populus, cùm ſtaret foris, ἔξω, facile advertit moram Zachariæ in Templo, quæ fuit ſolito longior.

11. *Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi.* ὤφθη, *viſus eſt*, ſive conſpectus eſt à dextris altaris aurei in quo incendebantur odores. Ea hora, eoque in loco non inſolens erat videre viſiones. Narrat Joſephus *Antiquit. lib. 13. cap.18.* de Hircano Pontifice, quòd illa ipſa die qua ejus filii prælium conſeruerunt cum Antiocho Cyziceno, ipſe ſolus in Templo odoramenta adolens, ἐν τῷ ναῷ θυμιῶν, vocem audierit nuntiantem filiorum recentem de Antiocho victoriam; idque mox egreſſus è Templo renunciarit multitudini.

12. *Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum.* Omnibus enim Judæis id erat perſuaſum, mortis periculum huic imminere, qui Dominum, aut Angelum vidiſſet; unde dicebat Daniel: *Vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo* &c. huncce timorem Zachariæ ſtatim diſpulit Angelus.

13. *Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium; & vocabis nomen ejus Joannem.* Simul cum ſuffitu, ut ex eo

loco

loco comparare debet, preces offerebat ſacerdos. *Non veriſimile eſt*, inquit Auguſtinus *quæſt. Evang.* lib. 2. cap. 1. *ut cùm pro populi peccatis, vel ſalute, vel redemptione ille offerret, ſiquidem populus eum expectabat offerentem, quòd potuerit relictis publicis votis homo ſenex, uxorem habens anum, pro accipiendis filiis orare: præſertim quia nemo orat accipere, quod ſe accepturum eſſe deſperat. Uſque adeo autem ille jam ſe habiturum filios deſperabat, ut hoc Angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur: exaudita eſt oratio tua, pro populo intelligendum eſt, cujus populi quoniam ſalus & redemptio & peccatorum abolitio per Chriſtum futura erat, ad hoc nunciatur Zachariæ filius naſciturus, quia præcurſor Chriſti deſtinabatur.* Preces ſe concepiſſe de accelerando adventu Chriſti, in quem omnium Judæorum vota, ipſe Zacharias patefacit; gratias enim agens Deo ob exauditam ſuam & plebis deprecationem, protinus in cantico ſuo benedictum Deum prædicat qui juxta promiſſa erexerat cornu in domo David, hoc eſt Meſſiam protulerat ex domo David. Licèt autem de prole nec cogitaret, Angelus pollicetur naſciturum illi filium quem vocaret יוחנן *Joannem*; nominis ſignificatio eſt *Deus miſeratus eſt*; quo ergo nomine Angelus admonebat Zachariam preces ſuas exauditas de Meſſia, cujus præcurſor eſſet ipſe puer naſciturus; ut verborum Angeli ſenſus ille ſit: petiiſti ò Zacharia redemptorem, accipies redemptoris præconem.

14. *Et erit gaudium tibi: & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*; utpote nato, poſt quem ſtatim venturus eſſet Meſſias expectatus. 15. *Erit enim magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Erit magnus coram Deo, ſicut dicitur *venator robuſtus coram Deo*, qui eſt robuſtiſſimus. Non ſolùm hominum opinione, verùm etiam magnus erit in oculis Domini; cui nemo magnus eſt, niſi dotibus quas ipſe largitur. *Et vinum & ſiceram non bibet*, id eſt, *non bibat*; præcipit enim Angelus, ut more Nazaræorum qui Deo dicabantur, vinum non bibat Joannes, neque ſiceram; ſcilicet abſtineat ab omni potu inebriante, qui ſit expreſſus ex uvis; unde vinum, aut ex fructibus arborum, pomorum, pyrorum, palmarum, aut ex frugibus terræ frumento, tritico, hordeo. *Sicera* derivatur ab hæbreo verbo שכר *ſcakar*, id eſt inebriare. *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Jam inde ab utero matris, hoc eſt adhuc exiſtens in utero matris, antequam in luminis auras erumpat.

16. *Et multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum.* Multos dicit, quia non omnes crediderunt Joanni. Jam liquidò Angelus declarat hunc Domini futurum præcurſorem. Interpretatur de illo verba Malachiæ prophetæ vaticinantis de præcurſore Chriſti. 17. *Et ipſe præcedet, ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam.* Ipſe præcedet, ut ſolent qui reges & principes antegrediuntur. Solent enim habere qui antecedant, quos ubi conſpexeris; ſtatim intelligas regem non procul abeſſe. Præcedet inquam, in virtute Eliæ. Quaſi dicat Angelus, puer ille, ipſe eſt Elias de quo Malachias vaticinatus eſt. Conſidera autem lector, particulam *ante illum* referri ad *Dominum*, ad quem converſurus erat filios Iſrael; ita ut Angeli teſtimonio Chriſtus verè ſit Dominus Deus magnus Jehoua, ante cujus diem dicit propheta mittendum Eliam, quod infra magis diligenter expendemus. Joannem inquam, moribus futurus alter Elias, qui auſterus & vitam degens in deſertis, & pari habitu indutus eodem ſpiritu feretur, & eadem roborabitur virtute *δυνάμει*, id eſt potentia & efficacia. Dicitur de Elia in Eccleſiaſtico, cap. 48 ℣. 15. quòd *potentia nemo vicit illum*. Significatur ergo virtus inſuperabilis dicendi & redarguendi impios, quantumvis potentes, videlicet Phariſæos, Herodem, Herodiadem, quibus Joannes futurus eſſet, qualis Elias fuit adverſus Achab, Jeſabel, & pſeudoprophetas Baal.

Ergo Joannes præcedet adventum Meſſiæ, *ut convertat corda patrum in filios.* Ipſa ſunt verba Malachiæ, ut ſcilicet omnibus odiis depoſitis patres & filii parati ſint Meſſiæ excipiendo; vel ut efficiat tales eſſe Iudæos filios qui tunc viverent, quales olim extiterant Abraham, Iſaac, & Iacob patres Judæorum; ſicque in id quæ patres ſenſerunt filii conſentiant eumdem habentes pietatis affectum erga Meſſiam. Elias nominabatur תשבי *Thesbites*. id eſt converſus. *Ad prudentiam juſtorum* ἐν φρονήσει *δικαίων*. ibi ἐν poſitum eſt pro *eis*; ut liquet ex ipſo vaticinio Malachiæ, quod explicat Evangeliſta. Nam pro eo quod ſcripſit Malachias: *ad patres eorum*, dixit *ad prudentiam juſtorum*, ut ſcilicet filii imitarentur fidem patrum ſuorum, eadem ſentirent ac Iuſti. *φρόνησις* ſonat apud LXX. Græcos interpretes, idem quod *ſcientia*, *ſapientia*, *intelligentia*, *ſolertia*, *prudentia*. Toto præconii ſui tempore non ceſſavit Ioannes proclamare ut quiſque pœnitentiam agens reverteretur ad Dominum; ut pararet ei *plebem perfectam*, *λαὸν κατεσκευασμένον*, id eſt plebem præparatam ſcilicet Domino excipiendo. Latinus interpres *parare* reliquit in infinitivo ut in græco eſt *ἑτοιμάσαι*, cùm verbum *ἐπιστρέψαι* verterit in modum finitum, *ut convertat*, poterat ergo ille interpres reddere; *ut paret*. Sic in pſalmis: *Inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.*

18. *Et dixit Zacharias ad Angelum: unde hoc ſciam? κατὰ τί.* quo argumento, aut quomodo

Ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis: ætate provecti jam non idonei ſumus proli habendæ. Decuiſſet quidem Zachariam advertere animum ad ſummam Dei potentiam; ſed permiſit Deus, ut potius intueretur corpus ſuum emortuum, quo hacce illius dubitatione confirmaretur rei veritas. Etenim impedita eſt lingua ejus, quæ non eſt ſoluta niſi Joanne nato, cujus cunæ & hoc miraculo inclaruerunt. Cùm Zacharias ſenex eſſet, quare ergo inquiet aliquis non ſecluſus à miniſterio per legem ſuperannuationis Num. cap. 4. ỷ. 3. & cap. 8. ỷ. 24. Reſpondemus cum Talmudicis illam legem non agere de Sacerdotibus, ſed de Levitis; idque pro tempore tantùm, quo erant in eremo, cùm ſcilicet onera gravia ab illis portanda erant; ſacerdotes non erant inidonei niſi ob labem.

19. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum; & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.* Angeli nomina habent quæ indicant eorum miniſteria גבריאל eſt *δύναμις θεῦ*, ſumma virtus Dei. Hujuſce ergo nominis Angelo Deus utebatur ad ſummam potentiam explicandam, quæ enituit in evangelio Chriſti. Tunc enim Deus fecit potentiam in brachio ſuo. Gabriel non quaſvis res, ſed quæ ad Chriſtum, aut directè, aut antecedentes pertinerent ſolitus eſt nuntiare, olim Danieli, jam Zachariæ, mox & Mariæ. Ne Zacharias unum crederet ex Angelis qui ejecti ſunt à facie Dei, addit Gabriel: *qui aſto ante Deum* paratus miniſter ad capeſſenda mandata ejus. Sic apud Tobiam, cap. 12. ỷ. 15. dicit Raphael: *ego ſum unus ex ſeptem*, hoc eſt ex innumeris, qui aſtamus ante Dominum, *Miſſus ſum*, inquit Gabriel, hæc tibi Evangelizare: nempe tanti promiſſi, cujus ſum nuntius, Deus ipſe auctor eſt.

Olim Gabriel ut dixi, apparuerat Danieli: ad cujus ergo vaticinium de Chriſto venturo Zachariam revocabat Angelus ubi ſe nominavit Gabrielem. Vaticinium Danielis quo tempus Chriſti paſſuri clarè definiebatur, non potuit eſſe ignotum ſeni qui deditus erat ſtudio ſcripturarum, ſicut decebat virum juſtum. Sic certus fiebat de proximo Chriſti adventu: videlicet jamjam implendas annorum hebdomadas prædictas ab hoc propheta, quibus revolutis Meſſias appariturus erat in terris. Hocce Angeli colloquium cum Zacharia non potuit ab alio reſciri quàm ab ipſo Zacharia; cujus ſermonem fide eſſe dignum tum vita ejus inculpata, tum quæ ſequuta ſunt, oſtendebant. Quod enim ſignis editis innuit viſionem ſe vidiſſe, contra omnes naturæ leges Eliſabeth prægnans confirmavit.

Ut ad ipſa verba Angeli revertar, *ego ſum Gabriel* vult intelligi, ut loquitur Beda, quod ſi homo talia promitteret, impunè ſignum flagitare liceret: at cùm Angelus promittat, jam dubitari non deceat. Ergo pœnam infligit Angelus. 20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidiſti verbis meis quæ implebuntur in tempore ſuo.* Mutum factum eſſe Zachariam probat id quod ſubjicit Evangeliſta, *& permanſit mutus*; quare ibi *tacens* idem ſonat ac *ſurdus*; magna eſt enim oris & aurium connexio; ut non mirum ſit verba horum alteri convenientia ad alterum transferri. Verbum Hebræum חרש ſignificat *ſilere & obmuteſcere*. Non itaque pleonaſmus eſt, quod addit Angelus *Et non poteris loqui*. Iſta autem pœna portentum fuit, quo erectæ ſunt Judæorum mentes, ut attentiùs explorarent quæ in poſterum obtingerent Zachariæ; eoque magis incendebatur deſiderium cognoſcendi quæ Zacharias viderat, quòd ille ea effari non poſſet.

21. *Et erat plebs expectans Zachariam*, donec impleviſſet munus; & dimitteretur cum benedictione. Sacerdos rebus ſacris peractis, extendens manus ſuas, benedicebat plebi his verbis. *Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te.* Num. cap. 6. ỷ. 23. & *Levit.* cap. 9. ỷ. 22. Convertebat faciem ad plebem: ut nunc fit in ſynaxi chriſtiana peracto ſacrificio corporis Chriſti. Sic de Salomone dicitur 3. Reg. cap. 8. ỷ. 14. *convertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael.* Pergit loqui Evangeliſta. *Et mirabantur quòd tardaret ipſe in Templo.* Metuebant ei à præſente Dei majeſtate quam qui vidiſſet, adibat periculum mortis. Idcirco ut obſervat Maimonides *tractatu de ſolemni die Expiationum*. cap. 4. num. 1. Pontifex in hoc feſto Templum ſubiens, brevem in eo precem fundebat, ne populus metu perturbatus eum mortuum eſſe crederet.

22. *Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quòd viſionem vidiſſet in Templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.* ὀπτασία eſt apparitio. Apparuiſſe illi vel Dominum, vel Angelum intellexit populus; quòd omninò non inſolitum erat, ut ſupra obſervatum eſt.

23. *Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam.* Tranſacta hebdomade, ἐφημερίας vicis ſuæ; neque enim hoc toto tempore diſcedebant de Templo ſacerdotes 24. *Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens:* apud ſe, ſibi gaudens ſolo marito conſcio. 25. *Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.* Quibus reſpexit me ut auferret opprobrium: nempe miſertus mei abſtulit opprobrium. Etenim ut loquitur Ambroſius, *Pudor eſt fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc ſola eſt cauſa nubendi.* Vulgus interpretabatur rejectos à Deo eſſe, quibus non obtigiſſet, populum Deo ſacrum aliqua prole locupletare. Nondum enim didicerant carnales Judæi, ſpiritualem eſſe populum, quem Deus vellet cœleſti generatione ſemper in majus propagari. Non-

dum

Digitized by Google

dum audierant eſſe beatos, qui ſe caſtraſſent propter regnum Dei. *Quæ autem occultationis cauſa fuerit Zachariæ conjugi niſi pudoris?* verba ſunt ſancti Ambroſii; *eſt enim unicuique officio præſcripta ætas, & quod tempore decet, tempore non decet, ævique mutatio, facti uniuſcujuſque mutat ſæpe naturam. Sunt etiam quædam tempore præſcripta conjugio, quando dare operam liberis ſit decorum. Dum anni vigent, dum ſuſcipiendorum liberorum eſt ſpes, dum generandi uſus eſt exemplo, copulæque uſui in ſtudio eſt. At verò ubi maturi ævi ſenectus ſucceſſerit, & ætas regendis liberis habilior quàm creandis, pudor eſt legitimi licèt coitus indicia geſtare, & gravi alienæ ætatis onere, intumeſcere alvum non ſui temporis fructu.* Itaque partus ſui erubeſcebat ætatem Eliſabeth, & rurſus caruiſſe ſe opprobrio gaudebat. Vel *occultabat ſe menſibus quinque*; id eſt occultabat graviditatem ſuam, primis quinque menſibus, quibus non adeo uterus gravidis intumeſcit, quin ſi ipſæ taceant, latere queat, etiam intuentes; præſertim ſi ob gravem ætatem ſuſpicio facilè non ſuboriatur: Elizabet inquam, ſe gravidam non dixit toto hoc tempore, quia fides non adhibita eſſet hæc dicenti; imo fuiſſet ludibrio antequam uterus intumeſcens, nempè poſt quintum menſem, rem demonſtraſſet.

CAPUT III.

Gabriel nuntiat Mariæ deſponſatæ Joſeph, quod tametſi virgo, conceptura ſit Meſſiam; quo fidem aſtruat verbis, addens cognatam ejus Eliſabeth hactenus ſterilem, prægnantem eſſe.

LUCAS Cap. 1. ℣. 26—38.

26 † IN menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civi- *† In annuntiat. B. Mariæ, & Fer. 4. quatuor temp. Advent.*
tatem Galilææ, cui nomen Nazareth,
27. ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo
David, & nomen virginis Maria.
28 Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus
tecum: Benedicta tu in mulieribus:
29 Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis
eſſet iſta ſalutatio.
30 Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum:
31 † ecce concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus Jeſum. *† Iſa. 6. 14.*
32 Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus
Deus ſedem David patris ejus † & regnabit in domo Jacob in æternum. *† Dan. 7. 14. 27. Mich. 4. 7.*
33 & regni ejus non erit finis.
34 Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam vi-
rum non cognoſco?
35. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te,
& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, Ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum,
vocabitur Filius Dei.
36 Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute
ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.
37 quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.
38 Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm ver-
bum tuum. ¶ Et diſceſſit ab illa Angelus.

IN utero Eliſabeth ad hoc puer formatus erat, ut Chriſto præcurreret. Ergo congruebat, ut ante illum non præiret longo temporis intervallo, ne videretur alteri natus: itaque ſexto menſe prægnationis Eliſabeth, Chriſtus Dominus in alvo matris ſuæ conceptus eſt. Dominum autem omnium,

nium, qui ab æterno eſt, fieri in tempore, quem cœli non capiunt, in alvo teneri, ſuperaſſet fidem; niſi ex iis quæ in typum & vaticinium tantæ rei Deus præmiſerat, id credere homines pii didiciſſent. Non dedecebat eum nos reficere perditos, qui nos primùm fecerat. Antè autem Deus placandus; qui cùm placari non poſſet pœnarum noſtrarum qualiumcumque diuturnitate, digni enim eramus æternis, ipſe qui nos ſuſcipiebat reficiendos, debebat ſe in piaculum offerre. Hoc facere, ſive, quas juſtitia à peccato repetebat, ipſe pœnas dare, ſine carne non poterat: Deus enim pati nequibat, ſicut homo purus ſervare. His ergo de cauſis, quas non eſt hujus loci fuſiùs explicare, Verbum Dei, Filius Dei, per quem omnia facta ſunt, caro factum eſt. Sed cùm haud humanum eſſet opus, non ope hominis, ſed operante Spiritu ſancto in utero virgineo concipitur. Eligitur Maria, de cujus proſapia in ſcripturis altum ſilentium eſt. Magnus Auguſtinus docet nos lib. 2. contra Fauſtum, cap. 8. apocrypham eſſe ſcripturam ubi Joachim pater Mariæ legitur, cujus authoritate non detineatur. Quæ de patre B. Mariæ virginis dicerentur dum refert Gregorius Nyſſenus in oratione de Natali Chriſti, ea incerta eſſe agnoſcit. *Virginis pater*, inquit, (*ut ex hiſtoria quadam interti auctoris accepi*) *fuit inſignis quidam civis, obſervantia legis & probitate vitæ imprimis nobilis, qui ſine filiis ad ſenectutem pervenerat, cùm minùs idoneam ad gignendum uxorem haberet*, &c. Hæc cùm incerta ſint prætermittamus; Evangelio cujus auctoritas certa, innitamur, & huic exponendo immoremur.

26. *In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Sextus ille menſis poteſt numerari à die quo Gabriel apparuerat Zachariæ, vel ab hora qua conceperat Elizabet. Locum & tempus deſignat Evangeliſta; his enim ſolet confirmari hiſtoriæ fides. 27. *ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen virginis, Maria:* ad Virginem ſponſione promiſſam, ſed nondum viro traditam, ut proprietas verbi Græci *μνηστεύεσθαι*, & Latini, *deſponſari*, indicat. Sic interpretantur illud verbum Origenes hom. 1. in diverſos Evangeliſtas, Hilarius in Matth. Baſilius de humana Chriſti generatione, Epiphanius hæreſi 78. S. Chryſoſtomus quidem dicit *hom. 4. in caput primum Matthæi*, tunc Mariam cum Joſepho in eadem domo habitaſſe, ſed ſatis innuit non ultra ſponſi nomen habuiſſe Joſephum; id enim inquit tum antiquitùs, tum hac ætate id moris eſt ut ſponſi & ſponſæ unà aliquando verſentur. Hieronymus *in cap. 1. Matthæi* diſertè declarat tunc temporis Mariam nondum nuptam fuiſſe; ubi enim expoſuit verba illa: *virum Mariæ de qua natus eſt Jeſus*, protinus addit: *quum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare conſuetudinis ſcripturarum, quòd ſponſi viri, & ſponſæ uxores vocentur.* Tertullianus libro de velandis virginibus *cap. 6.* dicit deſponſatam quodammodo nuptam eſſe; tamen inquit, *inter quodammodo & verum ſatis intereſt duntaxat in hoc loco*, quia poſtea Maria conjugio maritata non alia fuit Joſepho quàm deſponſata. Innuit autem Tertullianus non decuiſſe ut Maria maritata conciperet, ne Chriſtus non conciperetur ex ea quæ nec nomine virgo eſſe deſierat.

Hæc ſententia, Mariam eo tempore quo Gabriel ad illam miſſus eſt nondum viro traditam fuiſſe, habet auctores ſanctos Patres, inquit Maldonatus. Attamen defendit opinionem contrariam, quæ invaluit; vulgò enim creditur Mariæ matrimonium quando concepit, jam cum Joſepho non conſummatum quidem, ſed ratum fuiſſe: etenim, inquiunt, non conſultum fuiſſet honori ejus, ſi deprehenſa eſſet prægnatio ante matrimonium. Adulterium, aut ſaltem aliquid aliud illicitum viſa eſſet indicare prægnatio ejus. B. Hieronymus dicit proprium eſſe commentariorum diverſas referre ſententias. Dicam igitur quoſdam reponere hanc opinionem congruam non eſſe verbis Evangeliſtarum, (id ſuo loco expendemus) nec conſulere prolis honori quem ſtatuere videtur. Etenim parentes Mariæ hactenus cuſtodes pudicitiæ ejus, potiùs tribuiſſent conſortio viri, quàm Spiritui ſancto onus uteri ejus; cùm è contra teſtes fuerint virginei partus. Nam ſcientes Mariam expertem conjugii, & à ſponſo abſentem, intellexerunt, non opere hominis tumere uterum ejus, cùm primi tumentem adverterunt.

His incommodis, quibus ſe commotos nonnulli dicunt, Deus proſpexerat. Statim poſt legationem Gabrielis Maria impulſa Spiritu ſancto abiit in Montana Judææ, ubi extrà popularium ſuorum rumores verſata eſt tribus menſibus in domo cognatæ ſuæ Elizabet. Reverſam ad parentes deduxit in domum ſuam Joſeph. Plures menſes poteſt celari uterus tumens, eos maximè quibuſcum non intercedit familiaris conſuetudo. Hiſce temporibus Auguſtus juſſerat ut deſcriberetur orbis. Profecti ſunt in civitatem David Joſeph & Maria, partu ibi ſoluta eſt, pariter extra rumores popularium ſuorum, ex quorum animis omnem malam de Maria ſuſpicionem amovebat nomen & fama Joſephi, quem ſciebant virum eſſe juſtum. Inſuper fuga in Ægyptum, & mora in illa longinqua regione effecerunt ut ad ea quæ partum Mariæ ſpectarent, non illi mentem adverterint.

Joſeph cui deſponſata Maria, de domo David erat, ex qua conſtabat naſciturum Meſſiam. Attamen Joſephus faber erat, id eſt vir pauperis ſortis. Quippe Chriſto, quem oportebat pati, natalium ſplendor non conveniebat. Etenim ſi qualis olim apparuerat in monte Sinai, iterum inter tonitrua & fulgura apparuiſſet, quis auſus eſſet in illum

yio-

violentas manus injicere? Latere ergo debuit dignitas ejus in obſcuris parentibus. Præterea quòd proderit ſæpiùs animo recolere, cùm ad ſanandam noſtram ſuperbiam ſuo exemplo, pariter ac auxilio Chriſtus veniret, congruebat illi parentum humilium & pauperum conditio. Nos enim addicti corporibus ea ſola, quorum corporeus eſt ſplendor, palatia Regum, divitum opes, generis claritatem habemus in aliquo pretio. Ut vitia faceret, his carere voluit. Natus eſt ex virgine quæ nuptui tradita eſt fabro, accolæ oppiduli, ex quo nec credebatur aliquid boni venire poſſe, adeo deſpectui erat. Deſpectus ergo Chriſtus, quem Judæi ex incolatu patris, habebant pro Nazareno.

Nomen Mariæ quod deducendum eſt ex fonte Hebraico, componitur duabus vocibus מר *mar*, id eſt *amaritudo* & ים *jam*, id eſt *mare*. Ita *Maria* eſt *amaritudo maris*, ſive *amaritudo amariſſima*. Sed & מר *mor* ſignificat *ſtillam*; unde ab Hieronymo *Maria* appellatur *ſtilla maris*. In vulgatis codicibus legitur *ſtella maris*; ſed ut viri eruditi admonent, mendum eſt; alioquin enim (quod abſit) arguendus eſſet imperitiæ Hieronymus, neque enim *mor* Hebræis *ſtella* eſt, ſed *ſtilla* ſive *myrrha*, quæ ſtilla eſt ex aliqua planta defluens. Syriacè מרא *mara* ſignificat *Dominam*, ideo Maria Syris eſt *Domina maris*.

28. *Et Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus*. Ingreſſus Angelus id eſt ſenſibili & corporali ſpecie apparuit & in conclavi, ac ſecreto loco cum ſola Maria collocutus eſt: *Ave gratia plena*, inquit. Veriſimile eſt Hebraicè loquentem dixiſſe more Hebræo, *pax tibi*: id eſt, *gaude* quæ plena es gratia, ſive favore Dei. Vox κεχαριτωμένη dicit plenam favore, gratioſam, unicè dilectam. *Dominus tecum*, formula eſt ſalutationis antiquæ, ut videre eſt in libro Ruth, cap. 2. ℣. 4. ſic & Angelus Gedeonem ſalutavit. Jud. cap. 6. ℣. 12. *Dominus tecum virorum fortiſſime*. Adjungit Gabriel: *Benedicta tu in mulieribus*; tu feliciſſima es mulierum: donis Dei nobilitata. Et illa laus olim præclaris fœminis data. Sic in Judicibus, cap. 5. *Benedicta inter mulieres Jahel*. Et in libro Judith, cap. 13. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram*. Sed hìc longè excellentiùs idipſum dicitur B. Virgini, quæ Jahelem, Judith, cæteraſque virgines & matronas ſuperavit mille benedictionibus, ſive donis Dei.

29. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Quæ cùm vidiſſet, ἡ δὲ ἰδοῦσα, ut habet Græcus codex: quam lectionem etiam antiqua exemplaria vulgatæ verſionis habere aſſerit Valla. Trepidare virginum eſt, & omnes viri affatus vereri, ut loquitur Ambroſius. Gabriel Mariam ſolam in cubiculo ſuo reperit, & ideo forſitan timore perterrita eſt, inquit Hieronymus, quia virum, quem non ſolebat aſpexit. Cogitabat inſuper, διελογίζετο, id eſt diſceptabat intra ſe quærens, quæ poſſet eſſe iſta ſalutatio; neque enim citò & temerè cuique verbo fidem adhibere decebat virginem ſapientia prædiram.

30. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum*. Olim Judæi ſibi inſtare mortem credebant Angelum videntes. Gabriel ſolvit illam timore quo forſan corripi potuit. Inveniſti, inquit, gratiam, hoc eſt pro more loquendi Hebræorum: jam dudum gratiam nacta es, ut Deo chara ſis, & tantam, ut Servatoris mater dicaris.

31. *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*. Quaſi dicat Angelus, tu virgo illa es, de qua Iſaias, cap. 7. ℣. 14. vaticinabatur: *Ecce virgo concipiet*. Nomen *Jeſus* ſignificat ſervatorem. Janſenius Iprenſis notat idem eſſe cum nomine יהושע *Jehoſchuagh*, quod LXX. Græci interpretes, Philo, & Joſephus reddunt *Jeſus*, Latini *Joſue*. Poſt Babylonicam captivitatem qui olim Hebraicè יהושע, dici vulgò cœpit ישוע. quod ex eo apertum, quia Jeſus ille filius Joſedech, typus veri noſtri Jeſu, cùm ab Aggæo & Zacharia ſemper vocetur יהושע, in libris Eſdræ & Nehemiæ appellatur ישוע. Imò & Joſue filius Nun, alter clariſſimus typus ſervatoris qui ubique vocatur יהושע tamen à Nehemia cap. 8. ℣. 17. dicitur ישוע. Nimirum libri Eſdræ & Nehemiæ ſcripti ſunt poſt captivitatem Babylonicam. Inde factum eſt ut ſervator noſter non יהושע Joſue, ſed ישוע Jeſus vocaretur. Nunc verò Judæi eum nominant ישו ſine ע in fine, partim ex contemptu, ne ſervatorem ipſo nomine fateantur; partim ex uſu linguæ Thalmudicæ, in qua ע pronunciatu difficillima, ſæpè facilitatis cauſa relinquitur. Gabriel liquidis verbis declarat Mariæ, quem paritura erat ipſum eſſe Meſſiam promiſſum & expectatum.

32. *Hic erit magnus*. Nempè rex, propheta, ſacerdos; *& filius altiſſimi vocabitur*. Id eſt, agnoſcetur verè Filius. Opera enim ejus & virtutes demonſtrabunt divinam ſuam naturam. Non ergo erit titulus inanis; non tantum nominabitur, ſed verè Deus erit: ſicut apud Iſaiam, cap. 1. ℣. 26. *vocaberis civitas Juſti*, ponitur pro, eris civitas Juſti. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem*, τὸν θρόνον, *thronum*, ſolium *David patris ejus*. Nempe dabit illi Deus hoc regnum, cujus Davidicum regnum typus fuit; multa paucis complectitur & ſignificat Gabriel. Chriſtus reputandus erat Davidis filius; unde à quibus Jeſus pro Chriſto agnoſcebatur, ſalutabatur *filius David*. Hocce nomine etiam hodie Judæi appellant Meſſiam, quem inaniter expectant. Regnum autem Chriſti non eſt de mundo. Regnum ejus eſt in bonos; qui cum ipſo regnaturi ſunt. Porro qui brevem vitam aga-

Digitized by Google

agamus noſtra non refert regnare, vel ſervire in terris. Non alia vera eſt felicitas, niſi quæ æterna eſt: ſicut nec calamitas vera, niſi exulare cœlo in æternum, & hic ſervire peccato; de qua ſervitute homines liberandi erant à Chriſto & aſſerendi in regnum quod exercerent in vitia, ipſi Chriſto ſubditi, cui imperium ſine fine datum eſt. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*; ſcilicet in Eccleſia, in cœtu fidelium, cujus typus fuit reſpublica Iſraelis, ſive domus Jacob à quo ortæ duodecim Tribus quibus hæc reſpublica conſtabat. Cùm itaque numquam futurum ſit, ut portæ inferi prævaleant adverſus Eccleſiam, ideo 33. *& regni ejus non erit finis*.

34. *Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Verba illa non ſunt dubitantis de poteſtate Dei, aut de veritate ſermonis Angelici; ſed modum quærebat, quo iſta fieri poſſent. Nempe rem difficilem credebat, ſive interpretaretur ſermonem Angeli, *Ecce concipiens*, ut illicò conciperet, licèt non cognoviſſet virum cui deſponſata, nondum verò tradita eſſet: quaſi dicat, quomodo parere potero quæ virum non cognovi? ſivè ſic acciperet verba Angeli, ut aliquando paritura eſſet. Quippe cognoſcere virum non congruebat perpetuæ virginitatis voto quod Mariam emiſiſſe creditum eſt. Ut eodem ſenſu dixerit *virum non cognoſco*, quo Cartuſianus, *carnibus non veſcor*. Alioqui enim reſponſio Mariæ non convenit verbis Angeli. Etſi enim tunc virum non cognoſceret, poterat cognoſcere ubi ejus in domum deducta eſſet. Ergo ut ſancti Patres docent nos, reſponſio Mariæ indicat eam voto fuiſſe amplexatam perpetuam virginitatem. Non dixiſſet illa, ut ait B. Auguſtinus, lib. de Virg. cap. 4. *quomodo fiet iſtud*, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat.

Propoſitum perpetuæ virginitatis tam incognitum Judæis non fuit, quam quidam exiſtimant, ut videre eſt in illis Philonis verbis. *Convivunt etiam mulieres, quarum pleræque ſunt vetulæ virgines, caſtitatem, non quidem ex neceſſitate, ut quædam apud Græcos ſacerdotiſſæ, ſervantes; ſed ex voluntario potius propoſito, & deſiderio ſapientiæ*, &c. Quid ergo, inquiunt, Maria voto aſtricta ſe conjugi ſubdebat? Parentibus parebat ſciens Deum, quo impellente voverat virginitatem, huic proſpecturum; ut Abraham paratus erat mactare filium unicum in quo tota repoſita ſpes, quam ei fecerat Deus plurimorum nepotum. Præterea ex veteri traditione narrat Epiphanius, ſenem admodum fuiſſe Joſephum, cùm Maria ipſi deſponſata eſt; ita propoſito Mariæ non adverſabatur cum agneto ſene conjugium, non prolis ſpe initum, ſed ut haberet, cujus ſub tutela delitеſceret, alioqui obnoxia injuriis. Denique aliqui obſervant verba iſta Mariæ, *virum non cognoſco*, denotare ſexum in genere; ſi enim ſponſum ſignificaſſet, non dixiſſet ſimpliciter *virum*, ſed addidiſſet pronomen, aut τὸν ἄνδρα, aut τὸν ἄνδρα μου. Itaque *virum non cognoſco*, idem eſt ac, *ſum virgo intacta*. Sic autem reſpondit Angelus Mariæ, ut ejus dubitationem, qualiſcumque erat, ſolveret, ſignificans partum, de quo ei loquebatur non alterius quàm Spiritus ſancti opus fore.

35. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*: id eſt Spiritus ſanctus in te tantam rem perficiet. *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi*: ſanctus Spiritus appellatur Act. cap. 1. ℣. 24. *virtus altiſſimi*. Itaque repetitio eſt & explicatio præcedentis; ut ſit idem quòd Spiritus ſanctus efficaciſſimus: ſummæ enim potentiæ fuit conceptus virginis ſine viro. Sub tali autem umbraculo Spiritus ſancti nullo ardore concupiſcentiæ æſtuavit Maria, inquit S. Aug. Ep. 57. cujus & hæc verba ſunt in lib. 13. de Trinitate, cap. 18. *Non interfuit carnis concupiſcentia, per quam ſeminantur & concipiuntur cæteri; ſed ea potius remotiſſima. Credendo non concumbendo, ſancta eſt fœcundata virginitas, ut illud quod naſcebatur ex progenie primi hominis, tantummodo generis non etiam criminis originem duceret*. Verba autem Angeli interpretor quaſi dicat: ut Spiritus ſanctus, olim incubans aquis adhuc virgineis ſua virtute fœcundas effecit, ita & te fœcundam reddet. Oſtendebat, inquam, Angelus eadem virtute concipiendum hunc fœtum, qua mundus exordium ſumpſerat. Dicitur enim in Geneſi, cap. 1. ℣. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: juxta fontem, *incubans aquis*, vel *ſuper aquas motabat*, ſumpta tralatione ab avibus, quæ ut pullos excludant, incubant ovis ſuis.

Vox hæc *obumbrabis*, peculiarem etiam ſummumque modum præſentiæ, inhabitationis, & operationis Dei indicat; quò ſpectat nubis obumbratio in tabernaculo fœderis: Cherubim dicebantur obumbrare arcam. Umbram hìc obduxit Deus, ne in modum hujus myſterii curioſiùs inquiramus.

Adjunxit Gabriel: *ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctum, vocabitur filius Dei*. Illud *ex te* non eſt in codicibus Græcis, neque in Latinis antiquis; ſunt tamen qui retinendum putent, quia præter Syrum & Arabem interpretes, illud veteres ſcriptores agnoſcant, Irenæus, Tertullianus, Novatianus, Epiphanius, & aliquot manuſcripti codices Græci. Græcum τὸ γεννώμενον in præſenti tempore eſt, nimirum *quod naſcitur*, ſive, quod in proximo eſt, ut naſcatur, tanto cum miraculo prodibit, ut facilè agnoſcatur filius Dei. Chriſtus inter titulos ſuos appellandus erat *ſanctus*; ita cum Jeſus pro Chriſto innotuit, *ſcio, qui ſis, ſanctus Dei*, exclamabat homo qui habebat ſpiritum im-

mun-

Digitized by Google

mundum. Alluſio eſt in hoc nomine ad locum Danielis, cap. 9. ℣. 24. ubi ſeptuaginta ſeptimanæ præfinitæ dicuntur *ad ungendum Sanctum ſanctorum*, neutrum autem ibi pro maſculino ponitur: id eſt Sanctus ille prænuntiatus à prophetis.

Hic decet animadvertere jam ante Chriſtum natum creditam piis ſanctiſſimam Trinitatem, licèt nondum tam clarè perceptam; ſive nondum tam clarè prædicatam. Etenim Angelus nominans Filium Dei indicat Deum Patrem, de quibus & de Spiritu ſancto loquitur Mariæ, ut de re nota. Mirum autem non eſt in Talmude & ejus generis ſcriptis mentionem non fieri ſacræ Triadis; præterquam enim ritus tantum & conſuetudines Patrum Talmudiſtæ commendent, antiqua dogmata corrumpunt, ut Chriſtianis contraria videantur. Pſeudochriſtianos verò qui malè ſentiunt de Trinitate Dei, non vacat in hiſce commentariis recenſere; nedum collato pede cum omnibus dimicare, ſed ubi occaſio ſe dabit orthodoxam fidem propriis Evangeliſtarum verbis adſtruam; non utique illam captui humano ſubjiciens, cum enim multa ſint in rebus naturalibus non minùs certa quàm obſcura, an *æquanimiter imperitus in tuis*, ut loquar verbis Hilarii magni, adeo *inſolens* eris *in rebus Dei*, ut illi niſi nota & aſſueta affirmanti diffidas?

36. *Et Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.* Quaſi dicat, ne dubites; en domeſticum tibi exemplum. Quantò autem minus eſt miraculum in partu anus ſterilis, quàm in partu virginis tantò tuus partus major illo erit. Gabriel oſtendit hoc ſibi certò cognitum eſſe, ſexum partus notans, quod humanitùs ſciri non poterat, *& menſis ſextus eſt illi*, à conceptu; quo tempore certa ſolent ſe præbere indicia prægnantis uteri. Ita confirmandæ virginis fiduciæ ſignum aſpectabile dat Angelus, nimirum anus prægnantis, *quæ vocatur ſterilis*, id eſt quæ ſterilis eſt. Sic loquuntur Hebræi, ut ſuprà vidimus. *Vocaberis civitas juſti*, id eſt eris civitas juſti; neque enim cogitandum, ſpeciali nomine Eliſabetham appellatam ſterilem, ut vernaculè diceremus, *la ſterile*, quod aliqui falsò opinati ſunt.

Undè autem Eliſabeth cognata Mariæ, Eliſabeth enim erat de filiabus Aaron, Maria verò, quæ viro de Domo David nuptui tradita eſſet, de eadem domo erat. Alii alia. Hi ſentiunt Eliſabeth & Mariam eo ſenſu cognatas dici, quo Paulus vocat omnes Iſraelitas cognatos ſuos. *Rom.* cap. 9. ℣. 1. Aliis placet vera cognatione fuiſſe conjunctas; legi enim de impermixtione Tribuum non aſtringebantur ſacerdotes. Summus quidem pontifex, *Levit.* cap. 21. ℣. 14. jubetur uxorem ducere מעמיו *meamo*, ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ, ut vertunt LXX. alii ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ, quod duplici interpretationi occaſionem dedit. Philo, *de ſpeci. Leg.* vetita putat ſummo Pontifici matrimonia extra genus Aaronicum. Sed apertè dicit lege illa non teneri cæteros ſacerdotes. Joſephus vocem עם *am* interpretatur non φυλὴν, *tribum*, ſed, quæ frequentior eſt hujus vocis ſignificatio, ἔθνος; ut cum cæteris Hebræis licitum eſſet peregrinas uxores ducere modò Judaizantes, quivis ſacerdotum non poſſet niſi ex Hebræis parentibus prognatas. Videre eſt apud Eſdram, lib. 1. c. 2. ℣. 16. Berzillaium minorum gentium ſacerdotem ex Galaadis proſapia uxorem duxiſſe; & in Regum lib. 4. cap. 11. ℣. 2. ſummum Pontificem Joiadam conjugem habuiſſe Jorami Regis filiam Ochaziæ ſororem ex poſteritate Judæ. Lex Numerorum, cap. 36. ℣. 8. quæ jubet intra Tribum virgines nubere, ad ſolas ἐπικλήρους (ſive quæ deficientibus maribus in paternam hæreditatem ſuccedebant) pertinet. Cùm ergo lex illa huc ſpectaret ne Tribuum diſtributiones confunderentur, non impediebat quominus cæteræ Tribus cum Levitica affinitatem inirent; ſiquidem Levitis nulla propriè aſſignata fuerat portio. Ergò Eliſabeth potuit eſſe ex Tribu Levi genere paterno; & ex Tribu Judæ, ac familia Davidis, genere materno atque ita cognata Mariæ. Poterat inquam aliquis majorum Mariæ uxorem ducere iiſdem cum Eliſabeth parentibus ſatam.

Ergo ex eo quod conceperat Eliſabeth hactenus ſterilis, colligit Angelus. 37. *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Nempe Deo volente nulla res quæ eum deceat, impoſſibilis eſt, *Deo nihil impoſſibile niſi quod non vult*, inquit Tertullianus, lib. de carne Chriſti, cap. 3. *verbum* ῥῆμα, pro ipſa re Hebraica locutio eſt. *Non omne* Hebræi ponunt pro eo quod Latini dicunt, *non ullum*, ſive *nullum*. 38. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.* Operetur id Deus in me quod dicis. Indicat obſequium ſuum cum fiducia & deſiderio implendæ promiſſionis conjunctum. Similis locutio occurrit 1. Reg. cap. 3. ℣. 6. & cap. 8. ℣. 9. 10. iſtam obedientiam Mariæ prædicat Tertullianus, lib. de carne Chriſti. *Sed & hic ratio defendit, quòd Deus imaginem & ſimilitudinem ſuam à Diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem adhuc Evam irrepſerat verbum ædificatorium mortis, in virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, ut quod per ejuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Crediderat Eva ſerpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.* Suo defunctus munere Angelus diſceſſit.

CA-

CAPUT IV.

Maria cum feſtinatione convenit Eliſabeth : quæ rem omnem à Spiritu ſancto edocta, Mariam Dei matrem appellat. Has laudes Maria in Deum refundens, illum cantico celebrat.

LUCAS Cap. 1. ℣. 39.—56.

† *In Viſit. & Fer. 6. quatuor temp. Adv.* 39 † EXurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſti-
natione, in civitatem Juda.
40 Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.
41 Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit in-
fans in utero ejus : & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth :
42 & exclamavit voce magna, & dixit : Benedicta tu inter mulieres,
& benedictus fructus ventris tui.
43 Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exul-
tavit in gaudio infans in utero meo.
45 Et beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt
tibi à Domino.
46 Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum :
47 & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. ¶
48 Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ : ecce enim ex hoc beatam
me dicent omnes generationes.
49 Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.
50 Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.
† *Iſa. 51. 9. Pſal. 38. 10.* 51. Fecit potentiam in † brachio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
52 Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.
† *Pſal. 33. 11. 1. Reg. 2. 5.* 53 † Eſurientes implevit bonis : & divites dimiſit inanes.
54 Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.
† *Iſa. 41. 8. Pſal. 131. 11. Gen. 17. 9. & 22. 16.* 55 Sicut locutus eſt ad patres noſtros, † Abraham & ſemini ejus in ſæcula.
56 Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus : & reverſa eſt in
domum ſuam.

QUÆRI poteſt utrum Maria conceperit ſtatim ac eam alloqui cœpit Angelus, an eo diſcedente ubi ſe verbis ejus obſequentem dixit. Veriſimilius videtur id factum poſtquam conſenſum præbuit. Quidquid ſit, conſtat prægnantem factam antequam conveniret cum Joſeph, ut diſertè declarat Matthæus. Decebat ut vidimus, matrimonii nomine pudicitiam ejus tutam eſſe à criminationibus. Etenim virgo Iſraelitis extra conjugium pariens morti addicebatur. Siquidem verò neceſſe eſſet conſtare Mariam dum erat virgo, prolem concepiſſe, congruebat ſic omnia peragi, ut teſtatum eſſet non alterius quàm Spiritus ſancti ope hanc prolem ſuſcepiſſe. Ideo ubi concepit antequam deduceretur ad ſponſum; imò ne deduceretur ad eum priuſquàm ea res certos teſtes haberet, impellente Spiritu ſancto, longè ab urbe patria Nazareth properavit ad cognatam ſuam Elizabeth.

39. *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Juda.* Illud *exurgens* videtur notare auſam Mariam ſuſcipere iter longiuſculum & difficile, nempè εἰς τὴν ὀρεινὴν *ad montanam regionem.* Evangeliſta non dicit, quæ fuerit illa civitas. Vulgò creditur fuiſſe Hebronem, quæ in monte Juda ſacerdotibus aſſignata erat, ut dicitur in libro Joſue, cap. 21. ℣. 9. Sed cùm multos viculos haberent montes Judææ

quò

quò ſe recipiebant ſacerdotes poſtquam obierant vices ſuas; certò definiri non poteſt quis fuerit ille vicus, vel quod oppidulum quod Zacharias incoleret. Abiit Maria cum feſtinatione, cum ſtudio, ut quidem inviſeret cognatam, ſed & ut frueretur ſigno quod dederat illi Angelus. *Non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuntio*, ait Ambroſius: addo ut probaretur ſponſum à quo abeſſet, non eſſe auctorem partus ſui. Certum eſt ex Evangelio Mariam cum Joſeph non conveniſſe, niſi poſtquam uterus ejus intumeſcere cœpit. Falluntur ergo qui volunt hanc peregrinationem ſuſcepiſſe Joſepho comite. Etenim ſi interfuiſſet primo huicce colloquio, quo Eliſabeth Mariam ſalutavit Matrem Dei, nulla poſtea ſuſpicio de Maria ejus animum ſubiiſſet, nec opus fuiſſet Angelo à quo diſceret quod jam didicerat ex ore Eliſabeth. Ergo aliquem alium comitem habere potuit, proximum, ut credere eſt, parentem, cujus cuſtodiæ commiſſa fuerat. Præterquam ſi concepit vigeſima quinta die Martii, quo anno ut diximus in chronologicis, circa undecimam diem Aprilis Paſcha celebratum eſt, Hieroſolymam in comitatu petens & inde revertens, potuerit deflectere in ædes cognatas.

40. *Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.* Evangeliſta non meminit Zachariæ, vel quia ille abſens fuit, vel quia hoc ad rem non pertinebat, nec ille jam niſi geſtibus, poterat ſalutari.

41. *Et factum eſt ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth.* Illicò invaſit illam Spiritus ſanctus, ſenſit ſe ab eo moveri, tum & commotum infantem quem utero geſtabat. Nec id mirum eſt, ſi enim commovebantur ſuperliminaria Templi, cùm illud ſubiret Dei majeſtas; quomodo eodem adventante Deo, tota Eliſabeth cum fœtu ſuo non fuiſſet commota? Eliſabeth autem Spiritu ſancto revelante, cognovit quid illa exultatio infantis ſignificaret, nempe cujus præcurſor ipſe & demonſtrator eſſet futurus, matrem veniſſe. *exultavit infans* ἐσκίρτησε, id eſt ſubſiliit, ut agni, pulli equorum, & cætera animalia cum ludunt poſtquam benè paſta ſunt. Quæſtionem agitant interpretes an Chriſtum adventantem verè agnoverit Joannes clauſus maternis viſceribus; ut eo tempore cœperit uti ratione. Motus ejus procul dubio non à natura, ſed, ut dixi, à præſentia Dei. De cæteris verò non juvat quærere, quæ inveniri non poſſunt; cùm è contra plura quæ hactenus ignorata ſunt, in apertam diem proferri poſſunt, modò quantum ſatis eſt vires contendantur. Potuit ratio prælucere in mente Joannis ante tempus, ſi Deus voluerit, & Domini ſui conſcius eſſe, ut loquitur Tertullianus. In hymnis ejus quos Eccleſia decantat, videtur vera cognitione ſenſiſſe Chriſtum advenientem; multi tamen & præclari interpretes inter quos Auguſtinus, contrarium ſentire pofitentur.

42. *Et exclamavit voce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Filii dicuntur in ſcriptura *fructus ventris.* Ut in illa promiſſione quæ in Deuteron. cap. 28. ℣. 4. fit Iſraelitæ Juſto. *Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ.* Hanc promiſſionem applicat Mariæ Eliſabeth, ſimul alludens ad illud pſalmi quod Meſſiam ſpectabat: *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Hæc autem quæ fuerant Gabrielis ad Mariam verba, *benedicta tu in mulieribus*, dum reperit Eliſabeth, & matrem Chriſti ſalutat, motam ſe à Deo oſtendit, & eo revelante comperta habere, quæ aliundè reſcire non potuerat. Maria ergo magis magiſque confirmatur. Etenim plus huic obtigit, quàm illi fuerat promiſſum ab Angelo; non enim ſolum reperit prægnantem cognatam mulierem ſterilem & effœtam, ſed & prophetiſſam, cujus ore iterum ſpiritus Dei declaravit quòd verè mater Chriſti electa eſſet.

43. *Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Verba illa non ſunt dubitantis ſed admirantis. Dominum ſuum vocat Meſſiam exemplo Davidis. Mariam appellat matrem Domini, hujus nimirum à quo omnia ſunt; Jeſus enim Deus & homo eſt; quapropter cùm indiviſus ſit, hoc eſt idem ſit verè Deus & verè homo, Maria quæ eum genuit verè eſt θεοτόκος, *Mater Dei.* Etenim ut Eliſabeth mater eſt Joannis, quamquam mentem pariter ei non infuderit, etiamſi ex Maria Chriſtus naturam divinam non acciperet, non ideo minùs illa dicenda mater ejus. Ut inquam, anima rationalis & caro unus homo eſt, ita Deus & homo unus Chriſtus. Ergo quæ eum progenuit, meritò dicitur genitrix ejus. Itaque ab Eliſabeth quæ repleta erat Spiritu ſancto, didicit Eccleſia regulam qua de Chriſto loqueretur; à qua aberrans Neſtorius lapſus eſt in hæreſim, quam ipſe Deus damnavit ore Eliſabeth loquens.

44. *Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* ἀγαλλιάσει, quam vocem Latinus interpres *gaudium* reddit, geſticulationem propriè notat, qualis eſſe lætantium ſolet. Motus autem ille, quem ſupernaturalem diximus, vaticinium erat gaudii illius, quo aliquando Joannes Dominum agnoſcens gaudere debebat. *Gaudium meum impletum eſt*, Joann. cap. 3. ℣. 29. cùm ex miraculis quæ à Jeſu audiebat patrata, intellexit eum eſſe Chriſtum. Olim colliſio infantum in utero Rebeccæ, præſagium fuerat futuræ inter ipſos æmulationis de primatu, in qua major à minore ſuperatus eſt. Geneſ. cap. 25. ℣. 22. Porro hiſce verbis Eliſabeth ſe patefecit prægnantem, ut veritas ſigni, quod Angelus dederat Mariæ, conſtaret.

45. Et

Digitized by Google

45. *Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Felix ergo es quæ fidem adhibueris ſigno quod dedit tibi Angelus; verè enim concepiſti prolem; & indè ſcire potes quoniam perficientur ea quæ tibi Dei nomine Angelus ſignificavit. Eliſabeth tacitè opponit Mariam marito ſuo incredulo; quem mutum factum dolere poterat. Pariter & Maria mota divinitùs in Dei laudes erupit, cantico celebrans myſterium, quod in illa perageretur. Declarat jam jam implendam melioris ſortis ſpem, quam de Servatore dederat Deus Abrahæ & ſemini ejus.

46. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.* Qui ſpiritu Dei aguntur, ſecundis in rebus omnia referunt Deo: non ſe efferunt, ſed Deum prædicant, quem ſentiunt magnum. Ergo Maria lætatur ſed in Deo, nec quia mater eſt Dei, ſed quia intelligit jam dies ſalutis adeſſe. Totum autem illud canticum contractum eſt ex cantico Annæ matris Samuelis, ex pſalmis & aliis ſcripturæ locis.

47. *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* σωτῆρί μου, ſervatore meo. Interpretes legiſſe videtur σωτηρίῳ, quod aliqui codices habent. Interioris gaudii ſenſu afficior, inquit Maria, dum intueor ſervatorem, ſive proximam ſalutem.

48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ab hoc tempore omnis ætas me prædicabit felicem, reſpexit enim Deus humilem & deſpectam conditionem ancillę ſuæ, ut eluceret poteſtas ejus. Imitatur Maria verba Annæ, quæ pariter dicit Deum reſpexiſſe vilitatem ſuam, τὴν ταπείνωσιν. Vox illa non denotat humilitatem, ſive modeſtiam quæ virtus eſt, quæ deſinit eſſe virtus quando non ignoratur. Non ergo ſe modeſtam dicit Maria ſed vilem, digna laudibus quibus illam B. Bernardus celebrat ſuavi ut ſolet ſermone. Loquitur de præconiis Eliſabeth, quæ in Deum refudit Maria. *Serm.* in illud Apoc. 12. ſignum magnum apparuit in cœlo. *Magna quidem præconio*, ait, *ſed & devota humilitatis nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis univerſa refudit, cujus in ſe beneficia laudabantur. Tu inquis, magnificas matrem Domini, ſed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium tuum perhibes exultaſſe in gaudio, ſed exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et ipſe quoque tanquam amicus ſponſi gaudet ad vocem ſponſi. Beatam eſſe dicis, quæ credidiſſem, ſed credulitatis & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam reſpexit Deus.* Dum ſe beatam dicit Maria, alludere videtur ad verba Liæ, cujus ancilla Zelpha cùm peperiſſet filium, vocavit eum *Aſer*, id eſt *beatus*, dicens, *hoc pro beatitudine mea: beatam me dicent omnes mulieres.*

49. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* Quia ille cujus poteſtas maxima eſt, in me μεγαλεῖα, *magnalia*, res magnas & miras fecit. Quid enim virgini majus obtingere poterat, quàm eſſe Dei matrem. Non autem de Deo cogitat Maria niſi cum religioſo pavore: quaſi dicat ille cujus eſt nomen ſanctum, id eſt non uſurpandum ut alia nomina ſolent, fecit in me magna. Conjunctio & tenet locum relativi *cujus*; ita ſubſequens verſus cum ſuperiori poteſt conjungi: fecit mihi magna cujus eſt nomen ſanctum, & cujus miſericordia, &c.

50. *Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Stupet in magna ejus miſericordia à rerum initio uſque in ſæcula erga timentes eum. Sic Hebræi appellant quos pios dicimus. Intelligit Maria pios Iſraelitas quibus Deus ſemper ſe miſericordem exhibuit.

51. *Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Veluti ſi diceret: exſerto brachio ſuo Deus oſtendit quantum poſſet. Humano more loquitur: robur hominis in brachio. Ibi autem attendit Maria ad libertatem, Iſraelis. Spes erat affore tempus ut ſub Rege Meſſia exſereret potentiam ſuam Deus, detraheret jugum quo premebatur populus ejus, & illi reſtitueretur regnum. Maria autem edocta à Spiritu ſancto non intuebatur regnum terrenum; ſed tamen & ſignificatum voluit regna omnia pendere à Deo. *Diſperſit*, inquit, *ſuperbos mente cordis ſui*; id eſt diſſipavit conſilia, cogitationes gentium inimicarum. Solent ſcripturæ appellare ſuperbos, qui confidentes in brachio carnis ſuæ laceſſebant populum Dei.

52. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Deturbavit de throno ſuo δυνάστας, *dynaſtas*, hoc eſt, principes, reges; extulit homines abjectæ ſortis, qualem ſe cogitabat Maria; & eos collocavit in throno. Sæpius hæc ſententia occurrit in ſcripturis.

53. *Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.* Sors timentium Deum mutata eſt: qui affligebantur inopia, divitiis donantur, & divites ablegantur vacui. Sic Deus amat oſtendere potentiam ſuam, & ideo erigit ſubditos & ſuperbos premit.

54. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.* Apud Iſaiam, cap. 41. ℣. 10. Deus appellat Iſraelem puerum ſuum, id eſt, ſervum. Verbum autem ἀντιλαμβάνεσθαι *ſuſcipere*, quod uſurpat Evangeliſta, idem eſt quod apprehendere porrecta manu erigendi, aut firmandi gratia. In eo ſenſu ſumitur à Græcis interpretibus, c. 41. Iſaiæ, eo ipſo loco ad quem hic alluſio fit. Significat Maria Iſraelitas juvandos à Deo qui recordatus erat miſericordiæ ſuæ. Dicitur Deus in ſcripturis populi ſui meminiſſe, quoties eum longis malis oppreſſum ſublevat inſigni ali[quo]
bene-

beneficio. Infinitivus modus μνησθῆναι verti poteſt *ut recordaretur*, ſi ſubintelligatur ἕνεκα τοῦ, id eſt *propter recordari*, vel *recordando*, ſi ſubintelligatur ἐν τῷ. Olim in vulgata legebatur *memorari*, ſic Græcum verbum reddebat fidus interpres, nunc optimè legitur & canitur: *recordatus miſericordiæ ſuæ*.

55. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula.* Etenim poſteris Abrahæ, nempe Iſaac, Iacob, Davidi Deus nominatim renovaverat promiſſionem factam Abrahæ *in ſæcula*; id eſt pacto ſæculorum, ſive pacto perpetuo. Sic loqui amant Hebræi: *mandatum ſæculi*, eſt mandatum quod nunquam ſolvi poteſt. Nempe Abrahæ Deus pollicitus fuerat quod miſericordia ejus perpetua futura eſſet, ſive in æternum ſuſcepturus eſſet Iſraelem. Hoc intuens Paulus dicebat ſine pœnitentia eſſe dona Dei, quia ratum fixumque erat Dei promiſſum de benedictione ſeminis Abrahæ, ex quo erat oriturus Meſſias.

56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus: & reverſa eſt in domum ſuam.* Vix ante tres menſes deprehendi poterat prægnans. Priuſquàm verò id contingeret, decebat ut in domum ſponſi deducta, & ab eo probata præriperet locum ſuſpicionibus. Sextus erat menſis prægnantis Eliſabeth cùm Gabriel ad Mariam miſſus eſt; igitur poſt tres illos menſes, quibus Maria apud eam manſit, ſoluta eſt partu. Verùm an huic puerperio interfuerit Maria, incertum facit ambiguitas particulæ ὡσεὶ, *quaſi*, quæ modò minuit, modò aſtruit veritatem. Mentionem Mariæ non facit Lucas cùm de ortu Ioannis loquitur. Diſceſſerat, inquit Theophilactus, propter multitudinem eorum qui ad partum conventuri erant; indecens enim virgini in talibus verſari. Si autem arca Dei olim cauſa extitit plurium bonorum; dicitur enim, lib. 2. Reg. cap. 6. ℣. 11. *Et habitavit arca Domini in domo Obededon Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededon & omnem domum ejus*: quantò magis Maria verior & ſanctior arca Verbi Dei, potuit cumulare bonis domum Eliſabeth tribus menſibus apud illam commorata. Illa trimeſtris manſio argumentum fuit virginei partus ejus; abfuit enim à ſponſo, idque cauſa idonea, ut cognatæ proximo partui adeſſet, ſi reipſa adfuit, ſive quia ubi poſt tres menſes Maria prægnans deprehenſa eſt, tunc Eliſabeth teſtari potuit opus eſſe Spiritus ſancti.

CAPUT V.

Joannes naſcitur. Ortus ejus multis clarus ſignis latere non potuit Judæos. Zacharias ſoluto linguæ vinculo Deum laudat ob excitatum Meſſiam, cujus Joannem fore præcurſorem declarat.

LUCAS, Cap. 1. ℣. 57—80.

57 † ELiſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. † *In Nativit. S. Joan. Bapt.*
58 Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.
59 Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.
60 Et reſpondens mater ejus, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.
61 Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.
62 Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.
63 Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi.
64 Apertum eſt autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.
65 Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:
66 & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Digitized by Google

legit ὅρκον ὃ jusjurandum quod juravit. Senſus ergo eſt ut memor eſſet juramenti, quod juravit Abrahæ. *Gen.* cap. 22. ℣. 16. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem: Iſaac mihi obtuliſti in ſacrificium, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, &c.* Dignum autem notatu eſt hiſce tribus. 1. Facere miſericordiam. 2. Memorari teſtamenti. 3. Jusjurandum quod juravit, reſpondere nomina, quæ & filio & parentibus non ſine divina diſpoſitione obtigerant. Nam *facere miſericordiam* explicat *Joannis* nomen; *memorari* nomen Zachariæ, qui ſonat, *recordatio Dei*, & *jusjurandum* nomen Eliſabeth, quod idem eſt ac *juramentum Dei*. Juraverat autem Deus *daturum ſe nobis*: τοῦ δοῦναι ἡμῖν, id eſt quòd daret.

74. *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi.* Promiſerat, inquam, quòd daret nobis, ut excuſſo jugo inimicorum, qui non alii ſunt, quàm dæmones, ſaltem qui timendi ſint, liberè illi ſerviremus. Hìc deſcribitur pax ſumma ſub regno Chriſti, quam prænunciabant prophetæ, & qua fruentes Deo ſervire poſſunt. 75. *in ſanctitate & juſtitia coram ipſo*, ex corde, ſive ſincerè & verè, non ficta religione, *omnibus diebus noſtris*, per totam vitam. Ergo Zacharias non interpretatur regnum Chriſti de terreno; & liquet non alios hoſtes piis Iſraelitis reformidatos niſi qui illis erant impedimento, quominus Deum colerent.

Convertit Zacharias orationem ſuam ad puerum qui recèns natus erat. Hunc ita clarè declarat Chriſti præcurſorem, ut nemo ex adſtantibus non intelligeret jam dies Meſſiæ inſtare.

76. *Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* παιδίον diminutivum eſt; quaſi dicat, etſi tantulus, eris tamen propheta, id eſt nuntius & interpres Chriſti, eo ſenſu quo Aaron dicitur propheta Moſis. Docebis populum paratum ſe exhibere accipiendæ ſaluti.

77. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum.* Tu ille es Angelus prænunciatus à prophetis præcurſor Chriſti, in cognitionem ejus deducturus populum Dei. Reipſa Joannes notum fecit, Jeſum eſſe Agnum qui tollit peccata mundi; à quo ergo homines acceperunt remiſſionem peccatorum. Neque enim remiſſionis peccatorum, de qua hìc fit mentio ullo modo Joannes cenſendus auctor. In Græco fonte hodierno legitur ἐν ἀφέσει, ſed ibi ἐν pro εἰς poſitum, ut plerumque fit in novo Teſtamento; cujus auctores qui Hebræi eſſent, pro more linguæ ſuæ liberè utuntur præpoſitionibus Græcis. Joannis prædicatio fecit ut Judæi intelligerent inſtare ſalutem, quæ contingeret in remiſſione, hoc eſt per remiſſionem peccatorum.

In eo autem relucet magna miſericordia Dei, quòd filium ſuum miſerit in terras ad remittenda peccata. 78. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Viſcera miſericordiæ eſt intima Dei miſericordia, quam oſtendit cùm Meſſias ex alto cœlo demiſſus nos viſitavit, & habitavit nobiſcum. Ibi autem nomen *Oriens* non adjectivum eſt, ſed ſubſtantivum. In fonte Græco eſt ἀνατολὴ, quæ vox ſignificat quidem *plagam orientalem* & *ortum ſolis*; ſed aliam ſignificationem, inſuper habet in ſcripturis. Chriſtus appellatus eſt *germen David*. De Chriſto intelliguntur loca illa Jeremiæ, cap. 23. ℣. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit rex.* Ibi in fonte Hebræo צמח *tzemach*, quod interpres Latinus reddidit *germen*. Apud Zachariam, cap. 3. ℣. 8. *adducam ſervum meum orientem*. In fonte ſervum meum צמח *germen*, & cap. 6. ℣. 12. *ſed ſemen pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cœli dabunt rorem ſuum.* Hæc duo loca Zachariæ Chaldæus Paraphraſtes interpretatur de Meſſia: ſolent autem LXX. Interpretes verbum Hebræum צמח *tzamach*, reddere ἀνατέλλειν, & *tſemach* ἀνατολὴ, quod faciunt in allegatis locis Jeremiæ & Zachariæ. Itaque ἀνατολὴ, non eſt propriè oriens, ſive plaga ubi ſol oritur, ſed idem quod Latinis *ortus*, ſive *germen*. Ergo Meſſias à Judæis Græcè loquentibus appellabatur ἀνατολὴ, per reſpectum ad ſignificationem *germinis*. Addit autem Zacharias *ex alto*, ut illum diſtinguat à cæteris germinibus quę è terra oriuntur. Sed & iſtud nomen poterat ſumi altera ſignificatione qua indicatur plaga ubi ſol oritur, & ſimul ipſe ortus ſolis; Zacharias enim ſubjicit, *illuminare his qui in tenebris, &c.* ſed verbum ἐπιφᾶναι quo uſus eſt, verti poteſt *apparere*. Huc aliqui referunt celebre vaticinium quod Tacitus dicit in antiquis ſacerdotum literis fuiſſe, nimirum eo ipſo tempore quo contigit excidium Hieroſolymorum *fore ut valeſceret oriens*. Non aſſequebatur Tacitus ſenſum vaticinii; ſed circa hæc tempora rumor erat inter Judæos Meſſiam, qui *Oriens* dicebatur, modò regnaturum.

79. *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Non ſolùm Chriſtus dictus eſt ἀνατολὴ, quia germen, ſed quia adventus ejus futurus erat velut ortus ſolis. Iſaias intuebatur Meſſiam cùm dixit, cap. 9. ℣. 2. *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Sed & ipſe Zacharias ibi hunc locum Iſaiæ intuebatur. Verbum *illuminare* barbarum eſt. ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει reddi poterat *ad apparendum*, vel *ad illuceſcendum iis qui in tenebris ſunt*. Umbra mortis dicitur quæ denſiſſima eſt. Antea velut in tenebricoſo carcere detinebantur homines ex quo eos eduxit Chriſtus; ita ut in lumine quod ipſe Chriſtus eſt, poſſimus

diri-

Digitized by Google

dirigere greſſus noſtros, & ambulare *in viam pacis*, hoc eſt tutò & ſecurè in viam pacis & ſalutis.

Igitur poſt tot tantaque ſigna, poſt illud vaticinium, quod apertum eſt, nemo poterat ignorare modò adfuturum Meſſiam. Verùm gloria ſæculi, amor divitiarum, cæca cupiditas avocaverunt Judæos quominus adverterent Joannem verè eſſe præcurſorem Chriſti; & Jeſum eſſe Chriſtum, prout Joannes illis demonſtrabat. Decet autem ſuſpicere Dei œconomiam in iis quæ Chriſtum ſpectant. Æquum erat ut de repudiato Chriſto Judæi rei non eſſent, niſi apertis indiciis eum cognoſcere potuiſſent; ab illis autem repudiandus erat. Ergo prælucent ea ſigna adventus ejus, quibus clariora deſiderari non poſſunt; ſed & nubes obducuntur, quibus fit, ut Judæi parùm veritati attenti, hanc vix advertant, aut animadvertentes non multùm illa commoveantur. Itaque Joannes poſtquam ſuo in ortu innotuit quantum ſatis erat, protinùs oculis Judæorum ſubducitur, & occultus manet in deſertis.

80. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu:* fiebat robuſtus & validus, non corpore tantùm ut vulgus puerorum, ſed ſpiritu. Cum ætate creſcebat virtus, & magis roborabatur gratia Spiritus ſancti, *& erat in deſertis uſque in diem oſtenſiones ſuæ ad Iſrael.* commercio hominum ſubductus ne quid labis contraheret. Sic olim Rechabitæ, nec ſerebant, nec plantabant vineas, nec bibebant vinum, nec habitabant in ædibus. Joannes fuit perfectus Nazaræus omnino ſeparatus; nullo contactu, nullis cibis, nullo veſtimento, nullis impuris ædibus, nullo hominum conſortio pollutus qui in deſerto viveret, paſtus tantùm melle ſylveſtri & locuſtis: *veſtis aſpera: zona pellicea, cibus locuſtæ, melque ſylveſtre, omnia virtuti & continentiæ præparata,* inquit B. Hieronymus, *Ep. ad Ruſticum.* Cœpit prædicare, poſt triginta circiter annos ab ortu ſuo, quo tempore dicta factaque in hocce ortu nota erant compluribus viris piis qui non ſinebant tantas res animo ſuo excidere.

CAPUT VI.

Matthæus narraturus Nativitatem Jeſu Chriſti, librum Genealogiæ ejus, priùs proponit ut protinus oſtendat ortum de domo David.

MATTHÆUS, Cap. 1. ℣. 1—17.

1. † LIber generationis Jeſu Chriſti filii (*a*) David, filii Abraham.
2 (*b*) Abraham genuit Iſaac. (*c*) Iſaac autem genuit Jacob. (*d*)
Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.
3 (*e*) Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. (*f*) Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram.
4 Aram autem genuit Aminadab. (*g*) Aminadab autem genuit Naaſſon.
Naaſſon autem genuit Salmon.
5 Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex
Ruth. Obed autem genuit Jeſſe. (*h*) Jeſſe autem genuit David regem.
6 (*i*) David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.
7 (*l*) Salomon autem genuit Roboam. (*m*) Roboam autem genuit Abiam. (*n*) Abias autem genuit Aſa.
8. Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.
9 (*o*) Ozias autem genuit Joatham. (*p*) Joatham autem genuit Achaz.
Achaz autem genuit Ezechiam.
10 (*q*) Ezechias autem genuit Manaſſen. (*r*) Manaſſes autem genuit Amon.
Amon autem genuit Joſiam.
11 (*ſ*) Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.
12. Et poſt tranſmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel.
Salathiel autem genuit Zorobabel.

† *In Nativ. & Concept. B. M.*
(a) *Gen.* 21. 3.
(b) *Gen.* 25 16.
(c) *Gen.* 29. 35.
(d) *Gen.* 38. 29.
(e) 1. *Par.* 2. 5.
(f) 1. *Par.* 2. 5. *Ruth* 4. 18.
(g) *Num.* 7. 12.
(h) 1. *Reg.* 16. *Ruth* 4. 18.
(i) 2. *Reg.* 12. 24
(l) 3 *Reg.* 11. 43
(m) 3. *Reg.* 14. 31.
(n) 3. *Reg.* 15. 8
(o) 2. *Par.* 26. 23.
(p) 2. *Par.* 27. 9.
(q) 2. *Par.* 3. 33. 2. *Par.* 28. 27.
(r) 2. *Par.* 33. 20. & 25.
(ſ) 2. *Par.* 36. 2. 2.

agamus noſtra non refert regnare, vel ſervire in terris. Non alia vera eſt felicitas, niſi quæ æterna eſt: ſicut nec calamitas vera, niſi exulare cœlo in æternum, & hic ſervire peccato; de qua ſervitute homines liberandi erant à Chriſto & aſſciſcendi in regnum quod exercerent in vitia, ipſi Chriſto ſubditi, cui imperium ſine fine datum eſt. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*; ſcilicet in Eccleſia, in cœtu fidelium, cujus typus fuit reſpublica Iſraelis, ſive domus Jacob à quo ortæ duodecim Tribus quibus hæc reſpublica conſtabat. Cùm itaque numquam futurum ſit, ut portæ inferi prævaleant adverſus Eccleſiam, ideo 33. *& regni ejus non erit finis.*

34. *Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Verba illa non ſunt dubitantis de poteſtate Dei, aut de veritate ſermonis Angelici; ſed modum quærebat, quo iſta fieri poſſent. Nempe rem difficilem credebat, ſive interpretaretur ſermonem Angeli, *Ecce concipiens*, ut illicò conciperet, licèt non cognoviſſet virum cui deſponſata, nondum verò tradita eſſet: quaſi diceat, quomodo parere potero quæ virum non cognovi? ſivè ſic acciperet verba Angeli, ut aliquando paritura eſſet. Quippe cognoſcere virum non congruebat perpetuæ virginitatis voto quod Mariam emiſiſſe creditum eſt. Ut eodem ſenſu dixerit *virum non cognoſco*, quo Cartuſianus, *carnibus non veſcor*. Alioqui enim reſponſio Mariæ non convenit verbis Angeli. Etſi enim tunc virum non cognoſceret, poterat cognoſcere ubi ejus in domum deducta eſſet. Ergo ut ſancti Patres docent nos, reſponſio Mariæ indicat eam voto fuiſſe amplexatam perpetuam virginitatem. Non dixiſſet illa, ut ait B. Auguſtinus, lib. de Virg. cap. 4. *quomodo fiet iſtud*, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat.

Propóſitum perpetuæ virginitatis tam incognitum Judæis non fuit, quam quidam exiſtimant, ut videre eſt in illis Philonis verbis. *Convivunt etiam mulieres, quarum pleræque ſunt vetulæ virgines, caſtitatem, non quidem ex neceſſitate, ut quædam apud Græcos ſacerdotiſſæ, ſervantes; ſed ex voluntario potius propoſito, & deſiderio ſapientiæ*, &c. Quid ergo, inquiunt, Maria voto aſtricta ſe conjugi ſubdebat? Parentibus parebat ſciens Deum, quo impellente voverat virginitatem, huic proſpecturum; ut Abraham paratus erat mactare filium unicum in quo tota repoſita ſpes, quam ei fecerat Deus plurimorum nepotum. Præterea ex veteri traditione narrat Epiphanius, ſenem admodum fuiſſe Joſephum, cùm Maria ipſi deſponſata eſt; ita propoſito Mariæ non adverſabatur cum agnato ſene conjugium, non prolis ſpe initum, ſed ut haberet, cujus ſub tutela delitеſceret, alioqui obnoxia injuriis. Denique alii qui obſervant verba iſta Mariæ, *virum non cognoſco*, denotare ſexum in genere; ſi enim ſponſum ſignificaſſet, non dixiſſet ſimpliciter *virum*, ſed addidiſſet pronomen, aut *τὸν ἄνδρα*, aut *τὸν ἄνδρα μου*. Itaque *virum non cognoſco*, idem eſt ac, *ſum virgo intacta*. Sic autem reſpondit Angelus Mariæ, ut ejus dubitationem, qualiſcumque erat, ſolveret, ſignificans partum, de quo ei loquebatur non alterius quàm Spiritus ſancti opus fore.

35. *Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*: id eſt Spiritus ſanctus in te tantam rem perficiet. *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi*: ſanctus Spiritus appellatur Act. cap. 1. ℣. 24. *virtus altiſſimi*. Itaque repetitio eſt & explicatio præcedentis; ut ſit idem quòd Spiritus ſanctus efficaciſſimus: ſummæ enim potentiæ fuit conceptus virginis ſine viro. Sub tali autem umbraculo Spiritus ſancti nullo ardore concupiſcentiæ æſtuavit Maria, inquit S. Aug. Ep. 57. cujus & hæc verba ſunt in lib. 13. de Trinitate, cap. 18. *Non interfuit carnis concupiſcentia, per quam ſeminantur & concipiuntur cæteri; ſed ea potius remotiſſima. Credendo non concumbendo, ſancta eſt fœcundata virginitas, ut illud quod naſcebatur ex progenie primi hominis, tantummodo generis non etiam criminis originem duceret.* Verba autem Angeli interpretor quaſi dicat: ut Spiritus ſanctus, olim incubans aquis adhuc virgineis ſua virtute fœcundas effecit, ita & te fœcundam reddet. Oſtendebat, inquam, Angelus eadem virtute concipiendum hunc fœtum, qua mundus exordium ſumpſerat. Dicitur enim in Geneſi, cap. 1. ℣. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: juxta fontem, *incubans aquis*, vel *ſuper aquas motabat*, ſumpta tralatione ab avibus, quæ ut pullos excludant, incubant ovis ſuis.

Vox hæc *obumbrabit*, peculiarem etiam ſummumque modum præſentiæ, inhabitationis, & operationis Dei indicat; quò ſpectat nubis obumbratio in tabernaculo fœderis: Cherubim dicebantur obumbrare arcam. Umbram hìc obduxit Deus, ne in modum hujus myſterii curioſiùs inquiramus.

Adjunxit Gabriel: *ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctum, vocabitur filius Dei.* Illud *ex te* non eſt in codicibus Græcis, neque in Latinis antiquis; ſunt tamen qui retinendum putent, quia præter Syrum & Arabem interpretes, illud veteres ſcriptores agnoſcant, Irenæus, Tertullianus, Novatianus, Epiphanius, & aliquot manuſcripti codices Græci. Græcum *τὸ γεννώμενον* in præſenti tempore eſt, nimirum *quod naſcitur*, ſive, quod in proximo eſt, ut naſcatur, tanto cum miraculo prodibit, ut facilè agnoſcatur filius Dei. Chriſtus inter titulos ſuos appellandus erat *ſanctus*; ita cùm Jeſus pro Chriſto innotuit, *ſcio, qui ſis, ſanctus Dei*, exclamabat homo qui habebat ſpiritum immun-

mundum. Alluſio eſt in hoc nomine ad locum Danielis, cap. 9. ℣. 24. ubi ſeptuaginta ſeptimanæ præfinitæ dicuntur *ad ungendum Sanctum ſanctorum*, neutrum autem ibi pro maſculino ponitur: id eſt Sanctus ille prænuntiatus à prophetis.

Hic decet animadvertere jam ante Chriſtum natum creditam piis ſanctiſſimam Trinitatem, licèt nondum tam clarè perceptam; ſive nondum tam clarè prædicatam. Etenim Angelus nominans Filium Dei indicat Deum Patrem, de quibus & de Spiritu ſancto loquitur Mariæ, ut de re nota. Mirum autem non eſt in Talmude & ejus generis ſcriptis mentionem non fieri ſacræ Triadis; præterquam enim ritus tantum & conſuetudines Patrum Talmudiſtæ commendent, antiqua dogmata corrumpunt, ut Chriſtianis contraria videantur. Pſeudochriſtianos verò qui malè ſentiunt de Trinitate Dei, non vacat in hiſce commentariis recenſere; nedum collato pede cum omnibus dimicare, ſed ubi occaſio ſe dabit orthodoxam fidem propriis Evangeliſtarum verbis adſtruam; non utique illam captui humano ſubjiciens, cum enim multa ſint in rebus naturalibus non minùs certa quàm obſcura, an *æquanimiter imperitus in tuis*, ut loquar verbis Hilarii magni, adeo *inſolens* eris *in rebus Dei*, ut illi niſi nota & aſſueta affirmanti diffidas?

36. *Et Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.* Quaſi dicat, ne dubites: en domeſticum tibi exemplum. Quantò autem minus eſt miraculum in partu anus ſterilis, quàm in partu virginis tantò tuus partus major illo erit. Gabriel oſtendit hoc ſibi certò cognitum eſſe, ſexum partus notans, quod humanitùs ſciri non poterat, *& menſis ſextus eſt illi*, à conceptu; quo tempore certa ſolent ſe præbere indicia prægnantis uteri. Ita confirmandæ virginis fiduciæ ſignum aſpectabile dat Angelus, nimirum anus prægnantis, *quæ vocatur ſterilis*, id eſt quæ ſterilis eſt. Sic loquuntur Hebræi, ut ſuprà vidimus. *Vocaberis civitas juſti*, id eſt eris civitas juſti; neque enim cogitandum, ſpeciali nomine Eliſabetham appellatam ſterilem, ut vernaculè diceremus, *la ſterile*, quod aliqui falsò opinati ſunt.

Undè autem Eliſabeth cognata Mariæ, Eliſabeth enim erat de filiabus Aaron, Maria verò, quæ viro de Domo David nuptui tradita eſſet, de eadem domo erat. Alii alia. Hi ſentiunt Eliſabeth & Mariam eo ſenſu cognatas dici, quo Paulus vocat omnes Iſraelitas cognatos ſuos. *Rom.* cap. 9. ℣. 1. Aliis placet vera cognatione fuiſſe conjunctas; legi enim de impermixtione Tribuum non aſtringebantur ſacerdotes. Summus quidem pontifex, *Levit.* cap. 21. ℣. 14. jubetur uxorem ducere מעמיו *meamo*, ἐκ τῦ γένους αὐτῦ, ut vertunt LXX. alii ἐκ τῦ ἔθνους αὐτῦ, quod duplici interpretationi occaſionem dedit. Philo, *de ſpeci-Leg.* vetita putat ſummo Pontifici matrimonia extra genus Aaronicum. Sed apertè dicit lege illa non teneri cæteros ſacerdotes. Joſephus vocem עם *am* interpretatur non φυλῆς, *tribuum*, ſed, quæ frequentior eſt hujus vocis ſignificatio, ἔθνος; ut cum cæteris Hebræis licitum eſſet peregrinas uxores ducere modò Judaizantes, quivis ſacerdotum non poſſet niſi ex Hebræis parentibus prognatam. Videre eſt apud Eſdram, lib. 1. c. 2. ℣. 16. Berzillaium minorum gentium ſacerdotem ex Galaadis proſapia uxorem duxiſſe; & in Regum lib. 4. cap. 11. ℣. 2. ſummum Pontificem Joiadam conjugem habuiſſe Jorami Regis filiam Ochaziæ ſororem ex poſteritate Judæ. Lex Numerorum, cap. 36. ℣. 8. quæ jubet intra Tribum virgines nubere, ad ſolas ἐπικλήρους (ſive quæ deficientibus maribus in paternam hæreditatem ſuccedebant) pertinet. Cùm ergo lex illa huc ſpectaret ne Tribuum diſtributiones confunderentur, non impediebat quominus cæteræ Tribus cum Levitica affinitatem inirent; ſiquidem Levitis nulla propriè aſſignata fuerat portio. Ergò Eliſabeth potuit eſſe ex Tribu Levi genere paterno; & ex Tribu Judæ, ac familia Davidis, genere materno atque ita cognata Mariæ. Poterat inquam aliquis majorum Mariæ uxorem ducere iiſdem cum Eliſabeth parentibus ſatam.

Ergo ex eo quod conceperat Eliſabeth hactenus ſterilis, colligit Angelus. 37. *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Nempe Deo volente nulla res quæ eum deceat, impoſſibilis eſt, *Deo nihil impoſſibile niſi quod non vult*, inquit Tertullianus, lib. de carne Chriſti, cap. 3. *verbum* ῥῆμα, pro ipſa re Hebraica locutio eſt. *Non omne* Hebræi ponunt pro eo quod Latini dicunt, *non ullum*, ſive *nullum*. 38. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.* Operetur id Deus in me quod dicis. Indicat obſequium ſuum cum fiducia & deſiderio implendæ promiſſionis conjunctum. Similis locutio occurrit 1. Reg. cap. 3. ℣. 6. & cap. 8. ℣. 9. 10. iſtam obedientiam Mariæ prædicat Tertullianus, lib. de carne Chriſti. *Sed & hic ratio defendit, quòd Deus imaginem & ſimilitudinem ſuam à Diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem adhuc Evam irrepſerat verbum ædificatorium mortis, in virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, ut quod per ejuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Crediderat Eva ſerpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.* Suo defunctus munere Angelus diſceſſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Maria cum feſtinatione convenit Eliſabeth ; quæ rem omnem à Spiritu ſancto edocta, Mariam Dei matrem appellat. Has laudes Maria in Deum refundens, illum cantico celebrat.

LUCAS Cap. 1. ℣. 39.—56.

† *In Viſit. & Fer. 6. quatuor temp. Adv.*

39 † EXurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſti-
natione, in civitatem Juda.
40 Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.
41 Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit in-
fans in utero ejus : & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth :
42 & exclamavit voce magna, & dixit : Benedicta tu inter mulieres,
& benedictus fructus ventris tui.
43 Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exul-
tavit in gaudio infans in utero meo.
45 Et beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt
tibi à Domino.
46 Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum :
47 & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. ¶
48 Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ : ecce enim ex hoc beatam
me dicent omnes generationes.
49 Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.
50 Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.
51 Fecit potentiam in † brachio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
52 Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.
53 † Eſurientes implevit bonis : & divites dimiſit inanes.
54 Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.
55 Sicut locutus eſt ad patres noſtros, † Abraham & ſemini ejus in ſæcula.
56 Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus : & reverſa eſt in
domum ſuam.

† *Iſa. 51. 9. Pſal. 32. 10.*

† *Pſal. 33. 11. 1. Reg. 2. 5.*

† *Iſa. 41. 8. Pſal. 131. 11. Gen. 17. 9. & 22. 16.*

QUÆRI poteſt utrum Maria conceperit ſtatim ac eam alloqui cœpit Angelus, an eo diſcedente ubi ſe verbis ejus obſequentem dixit. Veriſimilius videtur id factum poſtquam conſenſum præbuit. Quidquid ſit, conſtat prægnantem factam antequam conveniret cum Joſeph, ut diſertè declarat Matthæus. Decebat ut vidimus, matrimonii nomine pudicitiam ejus tutam eſſe à criminationibus. Etenim virgo Iſraelitis extra conjugium pariens morti addicebatur. Siquidem verò neceſſe eſſet conſtare Mariam dum erat virgo, prolem concepiſſe, congruebat ſic omnia peragi, ut teſtatum eſſet non alterius quàm Spiritus ſancti ope hanc prolem ſuſcepiſſe. Ideo ubi concepit antequam deduceretur ad ſponſum; imò ne deduceretur ad eum priuſquàm ea res certos teſtes haberet, impellente Spiritu ſancto, longè ab urbe patria Nazareth properavit ad cognatam ſuam Elizabeth.

39. *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Juda.* Illud *exurgens* videtur notare auſam Mariam ſuſcipere iter longiuſculum & difficile, nempè *ex tribu ſpecialiter ad montanam regionem.* Evangeliſta non dicit, quæ fuerit illa civitas. Vulgò creditur fuiſſe Hebronem, quæ in monte Juda ſacerdotibus aſſignata erat, ut dicitur in libro Joſue, cap. 21. ℣. 9. Sed cùm multos viculos haberent montes Judææ

quò

quò ſe recipiebant ſacerdotes poſtquam obierant vices ſuas; certò definiri non poteſt quis fuerit ille vicus, vel quod oppidulum quod Zacharias incoleret. Abiit Maria cum feſtinatione, cum ſtudio, ut quidem inviſeret cognatam, ſed & ut frueretur ſigno quod dederat illi Angelus. *Non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuntio*, ait Ambroſius: addo ut probaretur ſponſum à quo abeſſet, non eſſe auctorem partus ſui. Certum eſt ex Evangelio Mariam cum Joſeph non conveniſſe, niſi poſtquam uterus ejus intumeſcere cœpit. Falluntur ergo qui volunt hanc peregrinationem ſuſcepiſſe Joſepho comite. Etenim ſi interfuiſſet primo huicce colloquio, quo Eliſabeth Mariam ſalutavit Matrem Dei, nulla poſtea ſuſpicio de Maria ejus animum ſubiiſſet, nec opus fuiſſet Angelo à quo diſceret quod jam didicerat ex ore Eliſabeth. Ergo aliquem alium comitem habere potuit, proximum, ut credere eſt, parentem, cujus cuſtodiæ commiſſa fuerat. Præterquam ſi concepit vigeſima quinta die Martii, quo anno ut diximus in chronologicis, circa undecimam diem Aprilis Paſcha celebratum eſt, Hieroſolymam in comitatu petens & inde revertens, potuerit deflectere in ædes cognatas.

40. *Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.* Evangeliſta non meminit Zachariæ, vel quia ille abſens fuit, vel quia hoc ad rem non pertinebat, nec ille jam niſi geſtibus, poterat ſalutari.

41. *Et factum eſt ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth.* Illicò invaſit illam Spiritus ſanctus, ſenſit ſe ab eo moveri, tum & commotum infantem quem utero geſtabat. Nec id mirum eſt, ſi enim commovebantur ſuperliminaria Templi, cùm illud ſubiret Dei majeſtas; quomodo eodem adventante Deo, tota Eliſabeth cum fœtu ſuo non fuiſſet commota? Eliſabeth autem Spiritu ſancto revelante, cognovit quid illa exultatio infantis ſignificaret, nempe cujus præcurſor ipſe & demonſtrator eſſet futurus, matrem veniſſe. *exultavit infans ἐσκίρτησε*, id eſt ſubſiliit, ut agni, pulli equorum, & cætera animalia cùm ludunt poſtquam benè paſta ſunt. Quæſtionem agitant interpretes an Chriſtum adventantem verè agnoverit Joannes clauſus maternis viſceribus; ut eo tempore cœperit uti ratione. Motus ejus procul dubio non à natura, ſed, ut dixi, à præſentia Dei. De cæteris verò non juvat quærere, quæ inveniri non poſſunt; cùm è contra plura quæ hactenus ignorata ſunt, in apertam diem proferri poſſunt, modò quantum ſatis eſt vires contendantur. Potuit ratio prælucere in mente Joannis ante tempus, ſi Deus voluerit, & Domini ſui conſcius eſſe, ut loquitur Tertullianus. In hymnis ejus quos Eccleſia decantat, videtur vera cognitione ſenſiſſe Chriſtum advenientem; multi tamen & præclari interpretes inter quos Auguſtinus, contrarium ſentire poſitentur.

42. *Et exclamavit voce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Filii dicuntur in ſcriptura *fructus ventris.* Ut in illa promiſſione quæ in Deuteron. cap. 28. ℣. 4. fit Iſraelitæ Juſto. *Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ.* Hanc promiſſionem applicat Mariæ Eliſabeth, ſimul alludens ad illud pſalmi quod Meſſiam ſpectabat: *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Hæc autem quæ fuerant Gabrielis ad Mariam verba, *benedicta tu in mulieribus*, dum repetit Eliſabeth, & matrem Chriſti ſalutat, motam ſe à Deo oſtendit, & eo revelante comperta habere, quæ aliundè reſcire non potuerat. Maria ergo magis magiſque confirmatur. Etenim plus huic obtigit, quàm illi fuerat promiſſum ab Angelo; non enim ſolum reperit prægnantem cognatam mulierem ſterilem & effœtam, ſed & propheti ſſam, cujus ore iterum ſpiritus Dei declaravit quòd verè mater Chriſti electa eſſet.

43. *Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Verba illa non ſunt dubitantis ſed admirantis. Dominum ſuum vocat Meſſiam exemplo Davidis. Mariam appellat matrem Domini, hujus nimirum à quo omnia ſunt; Jeſus enim Deus & homo eſt; quapropter cùm indiviſus ſit, hoc eſt idem ſit verè Deus & verè homo, Maria quæ eum genuit verè eſt θεοτόκος, *Mater Dei.* Etenim ut Eliſabeth mater eſt Joannis, quamquam mentem pariter ei non infuderit, etiamſi ex Maria Chriſtus naturam divinam non acciperet, non ideo minùs illa dicenda mater ejus. Ut inquam, anima rationalis & caro unus homo eſt, ita Deus & homo unus Chriſtus. Ergo quæ eum progenuit, meritò dicitur genitrix ejus. Itaque ab Eliſabeth quæ repleta erat Spiritu ſancto, didicit Eccleſia regulam qua de Chriſto loqueretur; à qua aberrans Neſtorius lapſus eſt in hæreſim, quam ipſe Deus damnavit ore Eliſabeth loquens.

44. *Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* ἠγαλλίασε, quam vocem Latinus interpres *gaudium* reddit, geſticulationem propriè notat, qualis eſſe lætantium ſolet. Motus autem ille, quem ſupernaturalem diximus, vaticinium erat gaudii illius, quo aliquando Joannes Dominum agnoſcens gaudere debebat. *Gaudium meum impletum eſt*, Joann. cap. 3. ℣. 29. cùm ex miraculis quæ à Jeſu audiebat patrata, intellexit eum eſſe Chriſtum. Olim colliſio infantum in utero Rebeccæ, præſagium fuerat futuræ inter ipſos æmulationis de primatu, in qua major à minore ſuperatus eſt. Geneſ. cap. 25. ℣. 22. Porro hiſce verbis Eliſabeth ſe pateſecit prægnantem, ut veritas ſigni, quod Angelus dederat Mariæ, conſtaret.

45. *Et*

Digitized by Google

45. *Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Felix ergo es quæ fidem adhibueris ſigno quod dedit tibi Angelus; verè enim concepiſti prolem; & indè ſcire potes quoniam perficientur ea quæ tibi Dei nomine Angelus ſignificavit. Eliſabeth tacitè opponit Mariam marito ſuo incredulo; quem mutum factum dolere poterat. Pariter & Maria mota divinitùs in Dei laudes erupit, cantico celebrans myſterium, quod in illa perageretur. Declarat jam jam implendam melioris ſortis ſpem, quam de Servatore dederat Deus Abrahæ & ſemini ejus.

46. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.* Qui ſpiritu Dei aguntur, ſecundis in rebus omnia referunt Deo: non ſe efferunt, ſed Deum prædicant, quem ſentiunt magnum. Ergo Maria lætatur ſed in Deo, nec quia mater eſt Dei, ſed quia intelligit jam dies ſalutis adeſſe. Totum autem illud canticum contractum eſt ex cantico Annæ matris Samuelis, ex pſalmis & aliis ſcripturæ locis.

47. *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* σωτῆρί μου, ſervatore meo. Interpretes legiſſe videtur σωτηρίῳ, quod aliqui codices habent. Interioris gaudii ſenſu afficior, inquit Maria, dum intueor ſervatorem, ſive proximam ſalutem.

48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ab hoc tempore omnis ætas me prædicabit felicem, reſpexit enim Deus humilem & deſpectam conditionem ancillę ſuæ, ut eluceret poteſtas ejus. Imitatur Maria verba Annæ, quæ pariter dicit Deum reſpexiſſe vilitatem ſuam, τὴν ταπείνωσιν. Vox illa non denotat humilitatem, ſive modeſtiam quæ virtus eſt, quæ deſinit eſſe virtus quando non ignoratur. Non ergo ſe modeſtam dicit Maria ſed vilem, digna laudibus quibus illam B. Bernardus celebrat ſuavi ut ſolet ſermone. Loquitur de præconiis Eliſabeth, quæ in Deum refudit Maria. *Serm.* in illud Apoc. 12. ſignum magnum apparuit in cœlo. *Magna quidem præconio*, ait, *ſed & devota humilitatis nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis univerſa refudit, cujus in ſe beneficia laudabantur. Tu inquis, magnificas matrem Domini, ſed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium tuum perhibes exultaſſe in gaudio, ſed exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et ipſe quoque tanquam amicus ſponſi gaudet ad vocem ſponſi. Beatam eſſe dicis, quæ credidiſſem, ſed credulitatis & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam reſpexit Deus.* Dum ſe beatam dicit Maria, alludere videtur ad verba Liæ, cujus ancilla Zelpha cùm peperiſſet filium, vocavit eum *Aſer*, id eſt *beatus*, dicens, *hoc pro beatitudine mea: beatam me dicent omnes mulieres.*

49. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* Quia ille cujus poteſtas maxima eſt, in me μεγαλεῖα, *magnalia*, res magnas & miras fecit. Quid enim virgini majus obtingere poterat, quàm eſſe Dei matrem. Non autem de Deo cogitat Maria niſi cum religioſo pavore: quaſi dicat ille cujus eſt nomen ſanctum, id eſt non uſurpandum ut alia nomina ſolent, fecit in me magna. Conjunctio *&* tenet locum relativi *cujus*; ita ſubſequens verſus cum ſuperiori poteſt conjungi: fecit mihi magna cujus eſt nomen ſanctum, & cujus miſericordia, &c.

50. *Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Stupet in magna ejus miſericordia à rerum initio uſque in ſæcula erga timentes eum. Sic Hebræi appellant quos pios dicimus. Intelligit Maria pios Iſraelitas quibus Deus ſemper ſe miſericordem exhibuit.

51. *Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Veluti ſi diceret: exſerto brachio ſuo Deus oſtendit quantum poſſet. Humano more loquitur: robur hominis in brachio. Ibi autem attendit Maria ad libertatem, Iſraelis. Spes erat affore tempus ut ſub Rege Meſſia exſereret potentiam ſuam Deus, detraheret jugum quo premebatur populus ejus, & illi reſtitueretur regnum. Maria autem adocta à Spiritu ſancto non intuebatur regnum terrenum; ſed tamen & ſignificatum voluit regna omnia pendere à Deo. *Diſperſit*, inquit, *ſuperbos mente cordis ſui*; id eſt diſſipavit conſilia, cogitationes gentium inimicatum. Solent ſcripturæ appellare ſuperbos, qui confidentes in brachio carnis ſuæ laceſſebant populum Dei.

52. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Deturbavit de throno ſuo δυνάστας, *dynaſtas*, hoc eſt, principes, reges; extulit homines abjectæ ſortis, qualem ſe cogitabat Maria; & eos collocavit in throno. Sæpius hæc ſententia occurrit in ſcripturis.

53. *Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.* Sors timentium Deum mutata eſt: qui affligebantur inopia, divitiis donantur, & divites ablegantur vacui. Sic Deus amat oſtendere potentiam ſuam, & ideo erigit ſubditos & ſuperbos premit.

54. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.* Apud Iſaiam, cap. 41. ℣. 10. Deus appellat Iſraelem puerum ſuum, id eſt, ſervum. Verbum autem ἀντιλαμβάνεσθαι *ſuſcipere*, quod uſurpat Evangeliſta, idem eſt quod apprehendere porrecta manu erigendi, aut firmandi gratia. In eo ſenſu ſumitur à Græcis interpretibus, c. 41. Iſaiæ, eo ipſo loco ad quem hic alluſio fit. Significat Maria Iſraelitas juvandos à Deo qui recordatus erat miſericordiæ ſuæ. Dicitur Deus in ſcripturis populi ſui meminiſſe, quoties eum longis malis oppreſſum ſublevat inſigni aliquo bene-

beneficio. Infinitivus modus *μνησθῆναι* verti poteſt *ut recordaretur*, ſi ſubintelligatur *ἕνεκα τοῦ*, id eſt *propter recordari*, vel *recordando*, ſi ſubintelligatur *ἐν τῷ*. Olim in vulgata legebatur *memorari*, ſic Græcum verbum reddebat fidus interpres, nunc optimè legitur & canitur: *recordatus miſericordiæ ſuæ*.

55. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula.* Etenim poſteris Abrahæ, nempe Iſaac, Iacob, Davidi Deus nominatim renovaverat promiſſionem factam Abrahæ *in ſæcula*; id eſt pacto ſæculorum, ſive pacto perpetuo. Sic loqui amant Hebræi: *mandatum ſæculi*, eſt mandatum quod nunquam ſolvi poteſt. Nempe Abrahæ Deus pollicitus fuerat quod miſericordia ejus perpetua futura eſſet, ſive in æternum ſuſcepturus eſſet Iſraelem. Hoc intuens Paulus dicebat ſine pœnitentia eſſe dona Dei, quia ratum fixumque erat Dei promiſſum de benedictione ſeminis Abrahæ, ex quo erat oriturus Meſſias.

56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus: & reverſa eſt in domum ſuam.* Vix ante tres menſes deprehendi poterat prægnans. Priuſquàm verò id contingeret, decebat ut in domum ſponſi deducta, & ab eo probata præriperet locum ſuſpicionibus. Sextus erat menſis prægnantis Eliſabeth cùm Gabriel ad Mariam miſſus eſt; igitur poſt tres illos menſes, quibus Maria apud eam manſit, ſoluta eſt partu. Verùm an huic puerperio interfuerit Maria, incertum facit ambiguitas particulæ *ὡσεὶ*, *quaſi*, quæ modò minuit, modò aſtruit veritatem. Mentionem Mariæ non facit Lucas cùm de ortu Ioannis loquitur. Diſceſſerat, inquit Theophilactus, propter multitudinem eorum qui ad partum conventuri erant; indecens enim virgini in talibus verſari. Si autem arca Dei olim cauſa extitit plurium bonorum; dicitur enim, lib. 2. Reg. cap. 6. ℣. 11. *Et habitavit arca Domini in domo Obededon Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededon & omnem domum ejus*: quantò magis Maria verior & ſanctior arca Verbi Dei, potuit cumulare bonis domum Eliſabeth tribus menſibus apud illam commorata. Illa trimeſtris manſio argumentum fuit virginei partus ejus; abfuit enim à ſponſo, idque cauſa idonea, ut cognatæ proximo partui adeſſet, ſi reipſa adfuit, ſive quia ubi poſt tres menſes Maria prægnans deprehenſa eſt, tunc Eliſabeth teſtari potuit opus eſſe Spiritus ſancti.

CAPUT V.

Joannes naſcitur. Ortus ejus multis clarus ſignis latere non potuit Judæos. Zacharias ſoluto linguæ vinculo Deum laudat ob excitatum Meſſiam, cujus Joannem fore præcurſorem declarat.

LUCAS, Cap. 1. ℣. 57—80.

57 † ELiſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. † *In Nativit. S. Joan. Bapt.*
58 Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.

59 Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.

60 Et reſpondens mater ejus, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.

61 Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

62 Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63 Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi.

64 Apertum eſt autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.

65 Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:

66 & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Digitized by Google

67 Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto : & prophetavit, dicens :
† Pſalm.72.18. & 111. 17. 68 † Benedictus Dominus Deus Iſrael : quia viſitavit, & fecit redem-
ptionem plebis ſuæ : ¶
69 Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui,
† Ier.23.6. & 30. 10. 70 † Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, propheta-
rum ejus :
71 Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos :
72 Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris : & memorari te-
ſtamenti ſui ſancti.
† Geneſ.22.16. 73 † Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, datu-
rum ſe nobis :
Ier. 31. 33. 74 ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi ;
Heb.6.13.17. 75 in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.
76 Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis : præibis enim ante faciem
Domini parare vias ejus.
† Malach.4.5. 77 † Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum
eorum :
† Zach. 2.9. 78 Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri : in quibus viſitavit nos, † oriens
ex alto :
Malach. 4. 2. 79 Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent : ad dirigen-
dos pedes noſtros in viam pacis.
80 puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu : & erat in deſertis uſ-
que in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

57. ELISABETH *autem impletus eſt tempus pariendi, & peperit filium*. Expletis diebus per quos prægnans fuerat Eliſabeth, natus eſt ei filius.

58. *Et audierant vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei*. Non rarò *miſericordia* in ſcripturis ponitur pro *beneficentia* ; quia beneficia quæ Deus confert, ſunt miſerantis. Igitur cognati Eliſabet cum illa gaudebant *συνέχαιρον* quia Deus exhibuiſſet ei magnam miſericordiam, ſive beneficentiam, ſteriliſ & vetulæ dans prolem.

59. *Et factum eſt in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam*. De more ut lex præcipiebat expectabatur octavus dies ab ortu, ne partus nimiùm recens non eſſet ferendo dolori. Nullus certus locus ſive ſacer, ſive prophanus circumciſioni præſcribebatur in Lege, ſicut nec certus circumciſor ; ita cognati & vicini venerunt domum Zachariæ circumcidere puerum. Etenim rem non fuiſſe peractam extra Eliſabet domum, hoc argumento ſuademur, quòd præſens illa interfuerit, cui non licebat exire domo. jubebat enim Lex *Levit. cap. 12.* immundam per ſeptem dies à partu, & per alios triginta dies in ſanguine purificationis ſuæ manere. Cùm circumcidebatur puer, tum & nomen ei imponebatur : hac enim & eadem die qua Abraham circumciſus eſt, nomen novum accepit, vocatus à Deo *Abraham* qui priùs *Abram* dicebatur. *Geneſ. cap. 17.* Animo cognatorum Elizabet protinus occurrit nomen Zachariæ, quo puerum vocaſſent niſi mater renuiſſet.

60. *Et reſpondens mater ejus, dixit : Nequaquam ſed vocabitur Ioannes*. Id non didicerat à marito, ut liquet ex iis quæ ſequuntur. Præterea, ut ait D. Ambroſius, mutus intimare vocabulum filii nequivit uxori, ſed per propheriam Elizabet didicit, quod non didicerat à marito : *Ioannes eſt*, inquit, *nomen ejus*, hoc eſt, non ei nos nomen imponimus, qui jam à Deo nomen accepit. Habet vocabulum ſuum quod agnovimus, non quod eligimus. Habent hoc merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant.

61. *Et dixerunt ad illam : quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*. Idcirco noluerunt imponere hoc ei nomen quin priùs rogarent ſententiam Zachariæ.

62. *Innuebant autem patri ejus*, quia ſurdus & mutus erat, *quem vellet vocari eum*. 63. *Et poſtulans pugillarem*, codicillum, tabulam ceream, vel ligneam, *ſcripſit, dicens : Ioannes eſt nomen ejus*. Congruum nomen puero qui regni gratiæ præco futurus eſſet. Ioannes enim ſonat, *Deus miſertus eſt*, vel *Deus gratioſus fuit*. Addit Evangeliſta, *& mirati ſunt univerſi*, illam ſcilicet patris & matris concordiam, quà conſtabat Eliſabet revelatum, quo nomine proles ejus eſſet appellanda.

64. *Aper-*

64. *Apertum eſt autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Solutum eſt eos ejus quod quaſi colligatum erat, id eſt ſolutum linguæ vinculum juxta promiſſum Angeli, nec aliunde redditi ſermonis facultatem auſpicatus eſt, quàm à laudibus Dei cujus gratuita munificentia tantus gaudiorum cumulus contigiſſet.

65. *Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Iudææ divulgabantur omnia verba hæc.* Viſio facta Zachariæ innotuerat omnibus; nec fictam fuiſſe oſtendebat proles nata ex ſenibus parentibus; itaque reverebantur Deum omnes, cujus tanta poteſtas eſſet. Rem tantam rumor ſpargebat, nimirum ſingula quæ dicta & facta fuerant. Iam notum *res* ab Hebræis appellari *verba*.

66. *Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: quis putas puer iſte erit, τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται.* Vulgatus retulit τί ad παιδίον. fons ſic reddi poteſt: quid putas erit de hoc puero; quaſi dicerent: ſtupendum quid hic puer futurus videtur. In quibuſdam codicibus legitur τίς, *quis*. *Etenim manus Domini erat cum illo.* id eſt apertum erat, horum omnium Deum eſſe auctorem: mos eſt loquendi uſitatus Hebræis. Sic *manus Ioab tecum.* 2. Reg. cap. 14. ℣. 19. id eſt Ioab auctor rei eſt. Qualis & quantus inquiebant ad ſe invicem, puer ille erit; in cujus ortu potentiam ſuam ſic declarat Deus. Manus Dei eſt poteſtas ejus.

Tunc ergo conſtare potuit omnibus jam inſtare illum diem, quo Deus, prout pollicitus fuerat, ſervatorem daret, cujus puer modò natus futurus erat præcurſor; hoc enim luculenter Zacharias declaravit. 67. *Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto: & prophetavit dicens.* Nimirum interpretatus eſt rem quæ contigerat; & quid portenderet expoſuit his qui frequentes aderant. Etenim eorum qui prophetæ dicebantur, non unum munus erat prædicere res futuras, ſed & interpretari præſentes. Ergo prophetavit Zacharias dicens 68. *Benedictus Dominus Deus Iſrael,* id eſt laudetur, Deus, quem colit Iſrael. Raro nomen Dei efferebant Iudæi ſine laudibus. *Quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Animadvertit ad ſuum populum (phraſis uſitata) ut eum redimeret. Iſraelitæ populus Dei erant, quem in peculium ſuum ex omnibus gentibus ſelegerat ſibi. Non quòd non eſſet aliarum gentium Dominus, ſed quòd Iſraeliticum populum typum eſſe voluerit Chriſtianorum, qui contemptis rebus terrenis aſpirant ad æternam Hieruſalem, nempe ad cælum, ubi Deus à Sanctis colitur.

69. *Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.* Excitavit Deus in familia David, ex Davidica ſtirpe eduxit regem Meſſiam, qui ſumma eſt ejus poteſtas. Cornu enim præcipuum quorumdam animalium robur, ſymbolum eſt cujuslibet poteſtatis. Sæpiùs hocce nomine ſignificatur in ſcripturis poteſtas, maxime regalis, ut videre eſt apud Danielem, ubi paſſim *cornu* uſurpatur pro Rege, aut pro Regno. Senſus ergo eſt regnum, ſive Regem ſalutiferum ex domo Davidis ſurrecturum, juxtà illud pſal. 131. ℣. 17. *illuc producam cornu David.* In fonte: oriri faciam cornu Davidis. Non alienum eſt ab hoc loco, quod dicit Benjamin vir Iudæus in ſuo itinerario: *Iſraelitæ,* inquit, *per omnes regiones diſperſi ſunt: ſed cui curæ fuerit ne Iſrael congregetur, non aſpiciet felicitatis ſigna, nec cum Iſrael reviviſcet. At cùm Deus captivitatem noſtram viſitans,* MESSIÆ SUI CORNU EVEHET, *tunc unuſquiſque dicet: Ego Iudæos ducam, eoſque congregabo.* Disertè indicabat Zacharias conceptum eſſe Meſſiam in utero matris, quæ eſſet de domo David pueri ſui. Sic ipſe David ubique in pſalmis ſuis ſe dicit ſervum Dei. Vox autem παῖς Græcis interpretibus eſt quod Hebræis עֶבֶד *eved*, id eſt *ſervus*. Quin etiam mos eſt Latinis appellare pueros, quos & alio nomine ſervos vocant.

70. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum ejus.* Sicut locutus eſt per os prophetarum, qui ab antiquis temporibus dixerant oriturum Meſſiam de domo David. In Geneſi cap. 6. ℣. 4. in Græca verſione antiqui gigantes appellantur *viri à ſæculo, ἀπ' αἰῶνος.* Iam ab initio mundi celebratus fuerat a prophetis quot quot fuerant, Meſſiæ adventus, huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, ut dicitur *Act.* cap. 10. ℣. 43.

71. *Salutem ex inimici noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Promiſerat Deus ſalutem; nimirum quòd Iſraelitas liberaret & vindicaret ab hoſtibus qui non alii ſunt, quàm diabolus; neque enim timendi ſunt homines, qui corpus ſolum, non verò animam poſſunt interficere. Carnales Iudæi qui regnum Meſſiæ de hoc etiam mundo futurum putant, quoties ſubit eos recordari hujus regni, quam vindictam de iis quibus nunc ſubjiciuntur, ſumpturi ſint, meditantur.

72. *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.* Etenim beneficia Chriſti pertinent ad patres, qui exulabant à regno Dei antequam illud recluſiſſet Chriſtus. *Et memorari*, id eſt, locutus erat, ſive promiſerat, ποιῆσαι ἔλεος facere miſericordiam, καὶ μνησθῆναι, & memorari, ſive & quòd memor eſſet διαθήκης, fœderis quod pepigerat cum antiquis patribus.

73. *Iuſjurandum quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* In accuſativo caſu eſt *juſjurandum*, ὅρκον, quem caſum volunt regi à præpoſitione ſubintellecta κατὰ, id eſt *ſecundùm juſjurandum*. Alii volunt LXX. interpretes indifferenter conſtruere verbum μνησθῆναι, vel cum genitivo, ut *Gen.* cap. 9. ℣. 15. vel cum accuſativo, ut *Gen.* cap. 9. ℣. 16. Theophylactus

legit ὅρκον ὃν jusjurandum quod juravit. Senſus ergo eſt ut memor eſſet juramenti, quod juravit Abrahæ. *Gen.* cap. 22. ℣. 16. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem:* Iſaac mihi obtuliſti in ſacrificium, *& non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, &c.* Dignum autem notatu eſt hiſce tribus. 1. Facere miſericordiam. 2. Memorari teſtamenti. 3. Jusjurandum quod juravit, reſpondere nomina, quæ & filio & parentibus non ſine divina diſpoſitione obtigerant. Nam *facere miſericordiam* explicat *Joannis* nomen; *memorari* nomen Zachariæ, qui ſonat, *recordatio Dei*, & *jusjurandum* nomen Eliſabeth, quod idem eſt ac *juramentum Dei*. Juraverat autem Deus *daturum ſe nobis:* τοῦ δοῦναι ἡμῖν, id eſt quòd daret.

74. Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi. Promiſerat, inquam, quòd daret nobis, ut excuſſo jugo inimicorum, qui non alii ſunt, quàm dæmones, ſaltem qui timendi ſint, liberè illi ſerviremus. Hic deſcribitur pax ſumma ſub regno Chriſti, quam prænunciabant prophetæ, & qua fruentes Deo ſervire poſſunt. 75. *in ſanctitate & juſtitia coram ipſo*, ex corde, ſive ſincerè & verè, non ficta religione, *omnibus diebus noſtris*, per totam vitam. Ergo Zacharias non interpretatur regnum Chriſti de terreno; & liquet non alios hoſtes piis Iſraelitis reformidatos niſi qui illis erant impedimento, quominus Deum colerent.

Convertit Zacharias orationem ſuam ad puerum qui recèns natus erat. Hunc ita clarè declarat Chriſti præcurſorem, ut nemo ex adſtantibus non intelligeret jam dies Meſſiæ inſtare.

76. Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. παιδίον diminutivum eſt; quaſi dicat, etſi tantulus, eris tamen propheta, id eſt nuntius & interpres Chriſti, eo ſenſu quo Aaron dicitur propheta Moſis. Docebis populum paratum ſe exhibere accipiendæ ſaluti.

77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum. Tu ille es Angelus prænunciatus à prophetis præcurſor Chriſti, in cognitionem ejus deducturus populum Dei. Reipſa Joannes notum fecit, Jeſum eſſe Agnum qui tollit peccata mundi; à quo ergo homines acceperunt remiſſionem peccatorum. Neque enim remiſſionis peccatorum, de qua hìc fit mentio ullo modo Joannes cenſendus auctor. In Græco fonte hodierno legitur ἐν ἀφέσει, ſed ibi ἐν pro εἰς poſitum, ut plerumque fit in novo Teſtamento; cujus auctores qui Hebræi eſſent, pro more linguæ ſuæ liberè utuntur præpoſitionibus Græcis. Joannis prædicatio fecit ut Judæi intelligerent inſtare ſalutem, quæ contingeret in remiſſione, hoc eſt per remiſſionem peccatorum.

In eo autem relucet magna miſericordia Dei, quòd filium ſuum miſerit in terras ad remittenda peccata. 78. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Viſcera miſericordiæ eſt intima Dei miſericordia, quam oſtendit cùm Meſſias ex alto cœlo demiſſus nos viſitavit, & habitavit nobiſcum. Ibi autem nomen *Oriens* non adjectivum eſt, ſed ſubſtantivum. In fonte Græco eſt ἀνατολή, quæ vox ſignificat quidem *plagam orientalem* & *ortum ſolis*; ſed aliam ſignificationem, inſuper habet in ſcripturis. Chriſtus appellatus eſt *germen David*. De Chriſto intelliguntur loca illa Jeremiæ, cap. 23. ℣. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit rex.* Ibi in fonte Hebræo צמח *tzemach*, quod interpres Latinus reddidit *germen*. Apud Zachariam, cap. 3. ℣. 8. *adducam ſervum meum orientem.* In fonte ſervum meum צמח *germen*, & cap. 6. ℣. 12. *ſed ſemen pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum.* Hæc duo loca Zachariæ Chaldæus Paraphraſtes interpretatur de Meſſia: ſolent autem LXX. Interpretes verbum Hebræum צמח *tzamach*, reddere ἀνατέλλω, & *tſemach* ἀνατολή, quod faciunt in allegatis locis Jeremiæ & Zachariæ. Itaque ἀνατολή, non eſt propriè oriens, ſive plaga ubi ſol oritur, ſed idem quod Latinis *ortus*, ſive *germen*. Ergo Meſſias à Judæis Græcè loquentibus appellabatur ἀνατολή, per reſpectum ad ſignificationem *germinis*. Addit autem Zacharias *ex alto*, ut illum diſtinguat à cæteris germinibus quę è terra oriuntur. Sed & iſtud nomen poterat ſumi altera ſignificatione qua indicatur plaga ubi ſol oritur, & ſimul ipſe ortus ſolis; Zacharias enim ſubjicit, *illuminare his qui in tenebris, &c.* ſed verbum ἐπιφᾶναι quo uſus eſt, verti poteſt *apparere*. Huc aliqui referunt celebre vaticinium quod Tacitus dicit in antiquis ſacerdotum literis fuiſſe, nimirum eo ipſo tempore quo contigit excidium Hieroſolymorum *fore ut valleſceret oriens*. Non aſſequebatur Tacitus ſenſum vaticinii; ſed circa hæc tempora rumor erat inter Judæos Meſſiam, qui *Oriens* dicebatur, modò regnaturum.

79. Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Non ſolùm Chriſtus dictus eſt ἀνατολή, quia *germen*, ſed quia adventus ejus futurus erat velut ortus ſolis. Iſaias intuebatur Meſſiam cùm dixit, cap. 9. ℣. 2. *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Sed & ipſe Zacharias ibi hunc locum Iſaiæ intuebatur. Verbum *illuminare* barbarum eſt. ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει reddi poterat *ad apparendum*, vel *ad illuceſcendum iis qui in tenebris ſunt*. Umbra mortis dicitur quæ denſiſſima eſt. Antea velut in tenebricoſo carcere detinebantur homines ex quo eos eduxit Chriſtus; ita ut in lumine quod ipſe Chriſtus eſt, poſſimus

dirì-

Digitized by Google

dirigere greſſus noſtros, & ambulare *in viam pacis*, hoc eſt tutò & ſecurè in viam pacis & ſalutis.

Igitur poſt tot tantaque ſigna, poſt illud vaticinium, quod apertum eſt, nemo poterat ignorare modò adfuturum Meſſiam. Verùm gloria ſæculi, amor divitiarum, cæca cupiditas avocaverunt Judæos quominus adverterent Joannem verè eſſe præcurſorem Chriſti; & Jeſum eſſe Chriſtum, prout Joannes illis demonſtrabat. Decet autem ſuſpicere Dei œconomiam in iis quæ Chriſtum ſpectant. Æquum erat ut de repudiato Chriſto Judæi rei non eſſent, niſi apertis indiciis eum cognoſcere potuiſſent; ab illis autem repudiandus erat. Ergo prælucent ea ſigna adventus ejus, quibus clariora deſiderari non poſſunt; ſed & nubes obducuntur, quibus fit, ut Judæi parùm veritati attenti, hanc vix advertant, aut animadvertentes non multùm illa commoveantur. Itaque Joannes poſtquam ſuo in ortu innotuit quantum ſatis erat, protinùs oculis Judæorum ſubducitur, & ocultus manet in deſertis.

80. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu:* fiebat robuſtus & validus, non corpore tantùm ut vulgus puerorum, ſed ſpiritu. Cum ætate creſcebat virtus, & magis roborabatur gratia Spiritus ſancti, *& erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* commercio hominum ſubductus ne quid labis contraheret. Sic olim Rechabitæ, nec ſerebant, nec plantabant vineas, nec bibebant vinum, nec habitabant in ædibus. Joannes fuit perfectus Nazaræus omnino ſeparatus; nullo contactu, nullis cibis, nullo veſtimento, nullis impuris ædibus, nullo hominum conſortio pollutus qui in deſerto viveret, paſtus tantùm melle ſylveſtri & locuſtis: *veſtis aſpera: zona pellicea, cibus locuſta, melque ſylveſtre, omnia virtuti & continentiæ præparata*, inquit B. Hieronymus, *Ep. ad Ruſticum*. Cœpit prædicare, poſt triginta circiter annos ab ortu ſuo, quo tempore dicta factaque in hocce ortu nota erant compluribus viris piis qui non ſinebant tantas res animo ſuo excidere.

CAPUT VI.

Matthæus narraturus Nativitatem Jeſu Chriſti, librum Genealogiæ ejus, priùs proponit ut protinus oſtendat ortum de domo David.

MATTHÆUS, Cap. 1. ℣. 1—17.

1. † LIber generationis Jeſu Chriſti filii (*a*) David, filii Abraham.
2 (*b*) Abraham genuit Iſaac. (*c*) Iſaac autem genuit Jacob. (*d*)
Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.
3 (*e*) Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. (*f*) Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram.
4 Aram autem genuit Aminadab. (*g*) Aminadab autem genuit Naaſſon.
Naaſſon autem genuit Salmon.
5 Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex
Ruth. Obed autem genuit Jeſſe. (*h*) Jeſſe autem genuit David regem.
6 (*i*) David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.
7 (*l*) Salomon autem genuit Roboam. (*m*) Roboam autem genuit Abiam. (*n*) Abias autem genuit Aſa.
8. Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat autem genuit Joram. Joram
autem genuit Oziam.
9 (*o*) Ozias autem genuit Joatham. (*p*) Joatham autem genuit Achaz.
Achaz autem genuit Ezechiam.
10 (*q*) Ezechias autem genuit Manaſſen. (*r*) Manaſſes autem genuit Amon.
Amon autem genuit Joſiam.
11 (*ſ*) Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.
12. Et poſt tranſmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel.
Salathiel autem genuit Zorobabel.

† *In Nativ. & Concept. B. M.*
(a) *Gen.* 21. 3.
(b) *Gen.* 25 16.
(c) *Gen.* 29. 35.
(d) *Gen.* 38. 29.
(e) 1. *Par.* 2. 5.
(f) 1. *Par.* 2. 5. *Ruth* 4. 18.
(g) *Num.* 7. 12.
(h) 1. *Reg.* 16. *Ruth* 4. 18.
(i) 2. *Reg.* 12. 24
(l) 3 *Reg.* 11. 43
(m) 3. *Reg.* 14. 31.
(n) 3. *Reg.* 15. 8
(o) 2. *Par.* 26. 23.
(p) 2. *Par.* 27. 9.
(q) 2. *Par.* 3. 33. 2. *Par.* 28. 27.
(r) 2. *Par.* 33. 20 & 25.
(ſ) 1. *Par.* 36. 1. 2.

Digitized by Google

13 Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Elia-
cim autem genuit Azor.
14 Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem
genuit Eliud.
15 Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan
autem genuit Jacob.
16 Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus;
qui vocatur Chriſtus. ¶
17 Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generatio-
nes quatuordecim: & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, gene-
rationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum,
generationes quatuordecim.

Sive ortui Joannis B. Maria interfuerit, ſive paulò ante puerperium Eliſabeth, jam reverſa eſſet domum, certum eſt non multo poſt tempore à Joſepho cui deſponſata fuerat, acceptam in conjugem. Hoc itaque nobis protinus enarrandum fuiſſet: ſcilicet quid contigerit quando Joſeph accepit Mariam; & tunc demum genealogia Domini poſtquam è Maria natus, ſubjicienda eſſet. Id ordo poſtulare videbatur; ſed aliter viſum eſt B. Matthæo, qui exordiens Evangelium quo ſuſcipiebat demonſtrare Jeſum eſſe Meſſiam, ſtatim è re credidit eſſe hunc publico teſtimonio probare ortum ex familia Davidica, ex qua conſtabat Meſſiam oriturum. Evangelium ſurſum verſum facere refugit animus. Quantùm igitur fieri poteſt, ſervo ordinem quem ſequi inſtituerunt Evangeliſtæ: non niſi invitus avellens à ſuis locis partes quibus conſtant ſcripta eorum; unde magis cohærent ſibi in hac noſtra harmonia, quàm in quacumque alia.

Hanc genealogiam, quam præmittit Evangelio ſuo Matthæus, exſcripſerat ut puto ex publicis tabulis; in quibus cujuſque viri proſapiam ſcriptam fuiſſe non ſolum florente republica, ſed & in ipſa captivitate & poſt captivitatem, demonſtrare facile eſt. Videmus apud Eſdram lib. 2. cap. 7. quomodo paucis exceptis, potuerint omnes indicare *domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum*; & ejecti fuerint è ſacerdotio, qui *ſcripturam ſuam in cenſu non invenerint*. Inde potuit Lucas dicere Annam fuiſſe ex Tribu Aſer; & Paulus ſe ortum eſſe ex Tribu Beniamin. Proſapiam ſuam proponit Joſephus hiſtoricus in vita ſua à ſe tranſcriptam ut ait prout erat in publicas tabulas relata. *τὴν μὲν οὖν τοῦ γένους ἡμῶν διαδοχήν, ὡς ἐν ταῖς δημοσίαις δέλτοις ἀναγεγραμμένην εὗρον, οὕτως παρατίθεμαι.* De cura qua hæ tabulæ conficerentur & ſervarentur fusè diſſerit idem Joſephus, lib. 1. contra Apionem. *Non enim ſolum* inquit Joſephus *ab initio probatiſſimos viros, & in Dei placatione præparatos ad hæc exercenda conſtituerunt; ſed quatenus etiam genus ſacerdotum ſine permixtione purumque conſiſteret providerunt. Oportet enim eum, qui ſacerdotium habiturus eſt, ex ejuſdem gentis naſci muliere; & neque ad pecunias, neque ad honores inſpicere; ideoque ex antiquis tabulis ſucceſſionem inquirere, eamque idoneis teſtibus probatam habere. Quod ſcilicet agimus non ſolum in ipſa Judæa; ſed ubicumque noſtri generis cœtus reperitur. Etiam ibi integritas iſta ſervatur circa nuptias ſacerdotum, hoc eſt in Ægypto & Babylonia, & quotumque terrarum orbe quilibet de ſacerdotum genere ſunt diſperſi. Mittunt enim Hieroſolymam, conſcribentes à patre nomen nuptæ & antiquorum progenitorum, quicumque hujus rei teſtimonia præbuere.* In texendis genealogiis videre eſt occupatiſſimos fuiſſe ſcriptores veteris fœderis.

Matthæus qui Hebræis ſcribebat, niſi veritas genealogiæ quam proponit, certa fuiſſet, in fundamentum operis ſui haud eam locaſſet, in ipſo limine impingens; quod, vel cogitare nefas. Extra omnem controverſiam eſt hiſce temporibus cujuſque viri teſtatam eſſe potuiſſe genealogiam; cum in hanc rem Judæi adhiberent non dico curam ſed & religionem, potiſſimum circa proſapiam Davidicam, unde oriturum Meſſiam omnes ſciebant. Ergo eo tempore quo ſcripſit Matthæus ex publicis tabulis conſtabat Jeſum ortum ducere ex domo David. Quod qui negarent hodie Judæi, quia antiquas tabulas promere non poſſumus, inepti eſſent, cùm diu eſt quod ipſi quærantur has tabulas amiſſas. *A quo tempore* inquiunt Talmudici in Peſachin, *periit liber genealogiarum, ſive familiarum; debilitata eſt virtus ſapientum, & caligavit lumen oculorum ipſorum.* Buxt. Dict. Talmud. pag. 202.

1. *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham.* Sic inſcribebantur genealogiæ Hebræorum ab antiquis temporibus. Ita in capite quinto Geneſeos dicitur ספר תולדת אדם *ſepher tholedot Adam*, liber generationum Adam; quem locum ſic vertunt Græci ſenes, *Βίβλος γενέσεως*, eodem prorſus modo, quo Matthæi interpres Græcus, *Liber generationis, &c.* Vox Hebræa

ſepher

ſepher non ſolùm indicat *librum*, *volumen*, ſed & *catalogum*, etiam *ſchedam*. Unde ſcheda qua mulier dimittebatur, libellus repudii dicitur. Omne inquam inſtrumentum emptionis, venditionis appellatur hocce nomine *ſepher*. Proponit ergo Matthæus catalogum eorum quos Jeſus, quem demonſtraturus erat Meſſiam, patres haberet, Davidem ante omnes, & Abraham poſt Davidem, quia potiſſimum his duobus factæ erant promiſſiones de Chriſto orituro ex ſemine eorum. Uſus autem invaluerat quod liquet ex multis locis Evangelii, ut Meſſias diceretur filius Davidis. Etiam hodie quem Meſſiam expectant Judæi, filium Davidis appellant. Ideo Davidem Abrahæ præponere videtur Evangeliſta, quia ſæpius Davidis quàm Abrahæ filius Meſſias diceretur.

2. *Abraham genuit Iſaac*. Non meminit Eſau, quia *in Iſaac tibi vocabitur ſemen*, dixerat Deus alloquens Abraham; id eſt poſteri Iſaac futuri erant hæredes promiſſionis, ſive ex illis naſciturus erat Chriſtus. *Iſaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus*. Adjungit fratres, quia ex illis conſtituta erat gens Iſraelitica. Duodecim tribus ortæ ſunt ex duodecim filiis Jacob. prætermiſſis autem matrum nominibus, puta Saræ, Rebeccæ, Rachelis & aliarum, eas ſolas memorat Matthæus; ſive potius in ſtemmate domus Davidicæ eæ ſolæ nominabantur; quæ vitio non carerent. Etenim ut dixi; veriſimile eſt Evangeliſtam inſeruiſſe ſtemma Jeſu, quale erat in publicis tabulis. Memoratur Thamar, quæ extra legiuimum conjugium conceperat de ſocero ſuô Juda; Rahab quæ fuit meretrix, ut dicitur in Epiſtola ad Hebræos, cap. 11. ℣. 31. & Ruth mulier alienigena; erat enim Mohabitis: fit & mentio hujus, quæ fuerat Uriæ nempe Betzabee adulteræ. His autem meretricibus, adulteris, aut alienigenis tanquam ſymbolis docebat Deus, fore ut ex gentibus peccatricibus conjungeret ſibi Eccleſiam; ex quo conjugio naſcerentur hæredes regni ſui cæleſtis. *Ne judeat*, inquit Ambroſius, *Eccleſiam ex peccatoribus congregari, cùm Dominus de peccatoribus naſceretur*. Simul etiam occurrebat Deus ſcandalo quod Judæi ex humili conditione parentum Jeſu accipiebant.

3. *Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram*. Nominatur Zaram qui ad genealogiam non pertinet, quia & ipſe typus fuit cum Phares fratre ſuo. Protulerat manum ſuam ex utero matris ſuæ Thamar, oſtendens ſe primogenitum futurum. Phares tamen prior egreſſus eſt & hæres fuit. Sic gentes jus primogenituræ in regno cœlorum abſtulerunt, ad quam præripiendam videbantur Judæi manus primi protuliſſe.

4. *Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon*. 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab muliere* meretrice, vel cauponaria; dicitur enim זונה *zona*, quod nomen reddi poteſt hiſce duobus Latinis nominibus. *Booz autem genuit Obed ex Ruth*. Illa erat Moabitis, quæ ideo nominatur, ut præmonerentur Judæi non deſpiciendas gentes; cùm ex Moabitide ortus ſit David, ex quo oriturus erat Meſſias. *Hæc erat* inquit B. Chryſoſtomus, *alienigena & in extremam delapſa pauperiem, ſed videns eam Booz, nec ob ipſius paupertatem deſpexit; nec ob impietatem gentis exhorruit; ſicut etiam & Chriſtus Eccleſiam ſuſcipiens, & alienigenam & magnorum laborantem egeſtate bonorum, ſuo conſortio copulavit. Sed quemadmodum Ruth illa ex alienigenis mulier, niſi prius reliquiſſet parentes, niſi domum contempſiſſet, & gentem & patriam, atque cognatos, nunquam profectò tali fuiſſet nobilitata connubio: ita Eccleſia etiam non antè amabilis efficitur ſponſo, quàm priorem converſationem relinquat*.

Obed autem genuit Jeſſe. Jeſſe autem genuit David regem. Jeſſe ille nominatur in Latina verſione primi regum, *Iſai*, quia hæc verſio exprimit Hebræum fontem. Græci vero interpretes nomen illud reddiderunt Ἰεσσαί, quos ſequitur Matthæi Græcus interpres. *Jeſſe* inquam & *Iſai* unus eſt homo pater David. Conſonantes Hebrææ quibus illud conſtat pro ut afficitur his, vel illis punctis, quæ apud Hebræos tenent locum vocalium, ſonant, vel *Jeſſe*, vel *Iſai*. Movetur autem gravior difficultas, quomodo inter Salmonem & Davidem tres tantùm numerentur generationes, videlicet Booz, Obed, & Jeſſe, cùm illud temporis intervallum magnum ſit. Reſpondetur primùm non majus eſſe quàm ut plures neceſſariò admittendæ ſint generationes. Eſto enim Salmon nupſerit Rahab ſtatim ac Jericho capta eſt anno ab orbe condito 2553. ſecundùm præſtantiorum chronologorum calculos: ab hoc tempore uſque ad illum annum, quem illi ſtatuunt 2919. quo Jeſſe in ſenectute ſua genuit Davidem non effluxerunt pluſquam anni 366. Potuit autem Salmon non ſtatim ex Rahab ſuſcipere prolem. Ita non pauci anni detrahendi ex hocce numero; cujus reliquum ſi dividas in tres generatores, ſcilicet Booz, Obed & Jeſſe, invenies quemque ex illis non majori ætate provectum fuiſſe, quàm quà ſuſcipiendæ proli olim homines apti erant, & hiſce diebus aliqui reperti ſunt, qui pluſquam centum annos nati genuerunt.

Unum eſt quod negotium faceſſit; nimirum Joſephus dicit Booz nupſiſſe Ruth temporibus Heli ſummi ſacerdotis; ita inter Salmonem & Booz pluſquam ducenti anni elapſi eſſeat; nam Heli mortuus eſt anno mundi 2888. verùm Joſephus, nullo argumento nixus refert conjugium Booz & Ruth ad tempora Heli. Sunt qui non refugiant dicere prætermiſſas plures generationes inter Salmonem & Jeſſe: quod quandoque fit in genealogiis. Quidquid ſit, talem genealogiam David

ſubjiciunt Matthæus & Lucas, qualis texitur in libro Ruth, cap. quarto, & in primo Paralipomenorum capite ſecundo, ubi non plures generationes recenſentur inter Salmonem & Davidem; ita difficultas non ſpectat primitùs Evangeliſtam.

6. *David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.* David nominatur rex, cujus regni hæres Meſſias. Refricatur autem memoria adulterii Davidis, cùm nominatur Bethſaboe mater Salomonis, deſignata his verbis, *ex ea quæ fuit Uriæ*, quæ nempe erat uxor Uriæ; cujus thorum violaverat David, & quem curaverat occidendum, ne ille animadverteret in uxorem adulteram. Attamen tanta ob crimina Deus non reſciderat promiſſa facta huic regi.

7. *Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa.* 8. *Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.* Joram non genuit Oziam niſi generatione mediata, intermediis tribus, Ochoſia filio, Joa nepote, Amaſia pronepote, ut patet ex libris regum & Paralipomenorum. Tres ergo reges illos prætermittit Matthæus. *hoc ita*, loquitur Hilarius, *quia ex gentili fœmina Joras Ochoziam genuit, ex Achab ſcilicet, qui Hiezabel habuit uxorem. Denique per prophetam, non niſi quarta generatione in throno regio Iſraelis, quenquam de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur.* Cùm Deus interdicit omni idolatrico cultu Iſraelitis, admonet peccata patrum uſque in tertiam & quartam generationem à ſe animadvertenda. Exod. cap. 20. ℣. 5. Joram autem in moribus idolatricis regum Iſrael ambulaſſe dicitur 4. Reg. cap. 8. ℣. 18. Ergo elidi potuerunt nomina filiorum ejus uſque ad quartam generationem ab his qui tabulas genealogicas confecere.

Plerique ſic credunt tres dictos reges prætermiſſos ob peccata ſua. Alii id negant, quòd etiam pejores, aut impietate proximos nominet Matthæus. Ergo inquiunt rotundandi numeri cauſa, quia voluerat omnes illas generationes in teſſeredecadas referre, opportuno ad memoriam juvandam compendio. In genealogiis plures etiam perſonas licet omittere, quia non tantùm pater genuiſſe filium, ſed & avus nepotem, & pronepotem proavus, ſalva recti ſermonis ratione dici poſſit. Cùm toties genealogiæ depromendæ eſſent, nempe quoties de cujuſque viri genere quæreretur, credo Hebræos uſos eſſe compendio, & antiquas genealogias breviores feciſſe. Etenim ſi prætermiſſionem trium regum accomodaſſet Matthæus certo generationum numero, cujus ipſe & non alius auctor extaret, clamitaſſent Judæi detractum veritati ſcripturarum. Veriſimilius ergo eſt in tabulis publicis quas profert Matthæus, omiſſos dictos reges; & ſic placuiſſe Judæis quia hæc nomina infauſta illis erant, ob rationem allatam. Non deſunt ſimilia exempla. Pleraque nomina nec labiis ſuis uſurpata volebant; qualia idolorum, quæ aliis nominibus quàm ſuis efferebant. Animadverſione haud dignum eſt Pſeudophilonis figmentum, ſtirpem regiam Salomonis ſucciſam in Ochoſia rege & ab eo cœpiſſe lineam Nathan.

9. *Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.* 10. *Ezechias autem genuit Manaſſem. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem Joſiam.* Hæc genealogia firmatur hiſtoria regum & Paralipomenorum, cujus hiſtoriæ chronologicas difficultates omnes enodare velle alienum eſt à propoſito. Achaz in Paralipomenis, cap. 28. ℣. 1. dicitur viginti annos natus cùm regnare inciperet. Non vixit ultra triginta & ſex annos; filius verò ejus Ezechias attigerat annum vigeſimum quintum cùm ille mortuus eſt; unde ſequitur Acham genuiſſe Ezechiam antequam ingreſſus eſſet annum decimum, aut undecimum. Hoc fieri potuiſſe ipſe D. Hieronymus & alii confirmant adductis exemplis; ſed etiam fieri potuiſſet ut Ezechias non natura, ſed lege filius fuerit Achaz, quod viri docti ſentiunt.

11. *Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.* Plures filios ſuſcepit Joſias circa illa tempora quibus Judæi captivi abducti ſunt Babylonem, quorum tres regnaverunt; ideo genealogiſta addit & fratres ejus. 12. *Et poſt tranſmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.* Id eſt poſtquam Judæi migravere Babylonem, Jechonias genuit Salathiel.

Quæritur an unus ſit Jechonias, idem filius Joſiæ & pater Salathielis; an verò duo ſint Jechoniæ, unus Joſiæ filius, & alter hujuſce filius & Salathielis pater. Huic quæſtioni lucem afferet ſtemma filiorum Joſiæ quod hìc proponimus ex 1. Paralip. cap. 3. conjice in illud oculos tuos lector. Verba autem ſcripturæ ex quibus illud ſtemma confecimus iſta ſunt. 15. *Filii autem Joſiæ fuerunt primogenitus Johanam, ſecundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* 16. *De Joakim natus eſt Jechonias & Sedecias.* 17. *Filii Jechoniæ fuerunt, Aſir, Salathiel.*

Ex his verbis primùm liquet eumdem qui ſit Joſiæ filius, non eſſe patrem Salathielis; & ideò Jechoniam filium Joſiæ alterum eſſe à Jechonia patre Salathielis. Ergo reſtat, ut quæramus unde illi duo ſint in Matthæo cognomines. Conſtat pleroſque ex hiſce regibus fuiſſe binomines, & trinomines. Ex quarto regum, cap. 23. ℣. 34. Scimus filium Joſiæ, qui in loco Paralipomenorum circa quem verſamur, dicitur Joakim, primùm appellatum Eliachim, & nomen Joakim accepiſſe à rege Ægypti, quando in locum fratris ſui Joachas in regem ſuffectus eſt, qui in Paralipomenis, loco allegato & apud Jeremiam, cap. 22. ℣. 11. dicitur Sellum; in loco regum proximè

citato

STEMMA GENEALOGICUM
FILIORUM JOSIÆ REGIS JUDA.

Ex libro primo Paralip. cap. 3.

JOSIAS

ex quo nati ſunt.

JOHANAM
Non alibi ille nominatur, quàm hoc loco Paralipomenorum, unde creditur eodem prælio quo pater ejus Joſias, occiſus cum rege Ægypti dimicans.

JOAKIM
Eo nomine appellatus eſt à rege Ægypti cùm prius diceretur Eliacim, 4. Reg. cap. 23. ℣. 34. Eum nominat Jechoniam Matthæus. Ab eodem Ægypti rege pro fratre Sellum, ſive Joakas, rex eſt conſtitutus. Filii Joakim fuere

SEDECIAS
Qui & Matthanias junior Joſiæ filius, à Nabuchodonoſore in regnum ſuffectus eſt Joacnino fratris Joakim filio, 4. Reg. cap. 24. ℣. 17.

SELLUM
Qui etiam & Joakas nominatus. Regnavit, 4. Reg. cap. 23. ℣. 30. poſtquam occiſus eſt pater ejus Joſias; ſed rex Ægypti eum ſolio deturbavit, ſufficiens ejus loco fratrem Joakim, ſive Eliacim.

JECHONIAS
Appellatur Joachin, lib. 4. Reg. cap. 24. ℣. 6. & poſt patrem ſuum Joakim, ſive Eliacim regnavit, donec eum Babylonem tranſtulit Nabuchodonoſor, conſtituens Matthaniam patruum ejus in regem. Filii Jechoniæ, ſive Joachin fuere

SEDECIAS

ASIR,
Nomen idem ſonans quod *vinctus*, ita plerique ſic exponunt fontem Hebræum, ut vincti Jechoniæ ſeptem ſequentes filii ſint.

SALATHIEL,
Quæritur an ille fuerit natura, vel lege filius Joachin aut Jechoniæ.

MELCHIRAM, PHADAJA, SENNESER, JECEMIA, SAMA, NADABIA.

ZOROBABEL,
Non ille videtur alius quàm quem Eſdras appellat Salathielis filium, quo adjuvante ædificavit altare Templi. Ita non naturalis filius ſed legalis tantùm Salathielis erat, natus ex fratre ejus Phadaja.

SEMEI,

MOSOLLAN, HANANIAS, SALOMITH, HASABAS, OHOL, BARACHIAS, HASADIAS, JOSABHESED.
ſoror eorum.

PHALTIAS
JESEJAS
RAPHAJA
ARNAN
OBDIA
SECHENIAS
SEMEJA

HATTUS, JEGAAL, BARIA, NAARIA, SAPHAT,

ELIOENAI, EZECHIAS, EZRICAS,

ODUJA, ELIASUB, PHELEJA, ACCUB, JOHANAN, DALAJA, ANANI.

Digitized by Google

citato nominatur Joachas. Quin & ipſe Jechoniæ filius, ſive Eliacim, ſive Joakim, appellatur Joachin, ut ex his verbis 4. Reg. cap. 24. ℣. 5. apertum eſt. *Et dormivit Joachim cum patribus ſuis, & regnavit* Joachim *filius ejus pro eo.* Animadvertendum quibus literis hęc duo nomina ſcribantur in fonte Hebræo & in verſione Græca. Pater nominatur יהויקים *Jehoiakim* per *coph* ק *Iωακεὶμ* per κ filius vero ejus יהויכן *Iehoiachin* per *caph* כ & in fine habet literam *nun* ן. Græcè vero ſcribitur Ἰωαχὶμ per χ ille Joachin motus eſt regno, & rex conſtitutus eſt loco ejus Mathanias patruus ejus, frater patris cui Sedeciæ nomen impoſitum eſt. Duo nomina illa Joakim & Joachin non multùm ſono differunt; idcirco quemadmodum Joachin nominabatur Jechonias, potuit obtinere Joakim ut eodem nomine appellaretur. Inter varias lectiones codicis Græci quas collegit Robertus Stephanus, quæque uberiores exhibentur in ſexto tomo Bibliorum polyglottorum Londinenſium, legitur Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. *Joſias autem genuit Jachim*, aut *Joachim*. *Jachim autem genuit Jechoniam*. Verùm illa lectio videtur inducta ut tolleretur difficultas, in qua cùm olim Patres pariter laboraverint, argumentum eſt lectionem vulgatam antiquam eſſe.

Quidquid ſit de legitima lectione hujus loci, duo illi Jechoniæ non poſſunt pro uno & eodem homine haberi; alioquin non ſibi conſtaret Matthæus; qui à Davide uſque ad tranſmigrationem Babylonis numerat generationes quatuordecim; & totidem à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum. Quòd autem dicit Matthæus Joſiam genuiſſe Jechoniam & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis, ſic accipiendum non quaſi illi poſt tranſmigrationem geniti ſint, nam Jechonias abductus eſt captivus, & ideo anteà genitus fuerat. Sic loquitur quia circa tempora tranſmigrationis nati ſint ἐπὶ τῆς μετοικεσίας. Propoſitio ἐπὶ non ſtrictè aliquod certum temporis intervallum deſignat, ſed cum latitudine aliqua includit multa & diſtincta tempora.

13. *Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.* 14. *Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.* 15. *Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit* Jacob. Cùm archiva ex quibus illam genealogiam deprompſit Matthæus, diſſipata ſint, hæc ſola nomina proavorum Chriſti ſcire poſſumus.

16. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus qui vocatur Chriſtus.* Diximus ſponſos etiam viros vocari; ita potuit Matthæus Joſeph appellare virum Mariæ, etſi nondum dixeſit deductam in domum ejus. Præterea genealogiam cui explicandæ incumbimus, protulit, ut dixi, ex archivis, in quæ fuerat relata poſtquam Jeſus natus eſt, quo tempore juncti erant vero conjugio Maria & Joſeph, licèt jura connubii non exercerent.

17. *Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quatuordecim: & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.* Genealogia iſta J. C. D. N. quam exhibet Matthæus dividitur in tres *Teſſaradecadas*, τεσσαρεσκαιδεκάδας, id eſt in tres partes, quarum una quæque continent quatuordecim generationes. Primæ Theſſaradecadis primus eſt Abraham & David poſtremus; ſecundæ primus Salomon, & ultimus Jeconias Joſiæ filius; & tertiæ primus Jechonias Jechoniæ filius, & ultimus Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Quæritur unde illa diviſio. Vulgò reſpondetur id factum à Matthæo, ut qui hanc genealogiam legerent, faciliùs eam memoria complecterentur. Alii ternariæ diſtributionis cauſam hanc reddunt, quia res omnes Hebræorum in tres claſſes diſtribui ſolerent; pro ut primùm nata eſt eorum reſpublica ab Abraham uſque ad David: floruit à regno David uſque ad captivitatem, à cujus tempore res eorum peſſum abire cœperunt. Ego verò, cui perſuaſum eſt non potuiſſe Evangeliſtam alium libellum genealogicum proferre, quàm quem continerent archiva publica, eum non puto auctorem hujuſce diſtributionis. Genealogiæ, inquam, Jeſu Chriſti nihil addit, aut detrahit, detraxiſſet enim de pondere ejus; Judæi enim clamitaſſent falſarium. Cùm ergo ex ſcriptura ubi de genere David ſit mentio; non numerentur ab Abraham ad hunc regem niſi quatuordecim generationes, placuit Judæis, quocumque conſilio id facerent, non plures ſtatuere generationes à David ad tranſmigrationem in ſtemmare ſtirpis Davidicæ. Inſignem autem mutationem in ſtatu Judæorum affore nato Jeſu inde argumentum Evangeliſta ducebat, quod Jeſu generatio eſſet quarta decima à tranſmigratione.

Cur autem Joſeph magis, quàm Mariæ generatio deſcribatur, ait Ambroſius, *cùm Maria de Spiritu ſancto generaverit Chriſtum, & Joſeph à generatione Domini videatur alienus, dubitare poſſemus, niſi conſuetudo nos inſtrueret ſcripturarum, quæ ſemper viri originem quærit.* Et paulò pòſt. *Noli mirari quod Joſeph origo deſcripta eſt. Etenim ſecundùm carnem natus, uſum debuit ſequi carnis, & qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more deſcribi maximè cùm in Joſeph origine etiam origo ſit Mariæ. Nam cùm vir juſtus fuerit Joſeph, utique ex Tribu ſua & ex patria ſua accepit uxorem, nec potuit juſtus facere contra id quod lege præſcriptum eſt.* Videbimus modò quæ ſit iſta lex. Teſtimonio etiam Judæorum conſtat fœminarum non texi genealogias, ut viri alicujus genus oſtendatur, tritúmque eſt apud illos axioma, *Matris familia non fami-*

Digitized by Google

qui propinquior ei erat ſuperſtes, ut præcipitur in lege, cap. 25. Deuteron. Qui primus naſcebatur ex hoc matrimonio, filius hujus cenſebatur, cujus vidua genuerat ex ſecundo marito, & adibat hæreditatem primi, cui ſecundus ſemen ſuſcitaverat. Inde fiebat ut libri genealogiarum pro ut in illis inſerebantur, vel qui genuerant, vel illi quibus ſuſcitatum erat ſemen, alias oſtenderent generationes, ſicque inter ſe differrent.

Cùm Matthæus librum unum genealogiæ Domini protuliſſet, ne actum ageret Lucas, ſive potiùs ut ſecundo teſtimonio proſapia Domini ex Davide magis magiſque conſtaret, alium librum attulit ex publicis tabulis.

23. *Ieſu .... ut putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* A filiis aſcendit Lucas ad patres, quod non rarò fit in genealogiis. Illud fontis Græci, *ὡς ἐνομίζετο*, quod vulgatus interpres reddit, *ut putabatur*, indicat non natura, ſed opinione Jeſum filium eſſe Joſephi. Addunt aliqui verbum illud habere eam vim, ut ſignificet Jeſum cenſeri debuiſſe filium Joſeph ob conſuetudinem & leges quibus conſuetum & confirmatum erat, ut cenſeretur parens, cui ex uxore legitima ſuſceptus eſſet filius, *νομίζεσθαι* enim propriè ſonat *legibus comparatum eſſe, moribus eſſe receptum*. Quocumque autem ſenſu ſumatur, non ad totum contextum ſtemmatis verbum illud pertinet, ſed ad Jeſum ſolum, qui Joſephi filius non erat, ſed putabatur. In cæteris autem generationibus ἐνομίζετο locum non habet; niſi dicere lubeat, Davidem putatum filium Jeſſe; atque ita deinceps cæteros ad Adamum uſque, in omni generatione ſubintelligendo ὡς ἐνομίζετο; quod abſurdum eſt; David enim natura filius erat Jeſſe.

24. *Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioſeph.* 25. *qui fuit Mathatiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge.* Duo illi Levi & Mathat dicuntur inſerti à librariis. Divus Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes, cap. 33. non agnoſcit in genealogia Domini ſecundùm Lucam ultra ſeptuaginta duas generationes. Nunc ſeptuaginta & ſex numerantur. Ita aliquæ ex his generationibus addititiæ eſſent, ſaltem Levi & Mathat cum Cainan, quem viri docti inſertum volunt inter Arphaxad & Sale, ut modò obſervabitur.

26. *Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda,* 27. *qui fuit Ioanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.* Nullo argumento probari poteſt Salathielem & Zorobabelem, de quibus loquitur Lucas, alios eſſe ab eodem Salathiele & Zorobabele, qui memorantur à Matthæo. Iſte eſt Zorobabel Chriſti typus, quo duce Judæi è captivitate in Judæam reverſi ſunt, ut Chriſto duce cœlum patriam noſtram repetamus, à quo eramus exules. Non alius inquam, eſt iſte Zorobabel, quàm quem exhibet ſtemma Joſiæ, ubi ille ſtatuitur filius Phadaiæ fratris Salathielis, cujus ergo Salathielis non natura, ſed lege Zorobabel filius fuit.

28. *Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,* 29. *qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,* 30. *qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim,* 31. *qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Plerique ex antiquis ſcriptoribus ſimilitudine nominis decepti, non diſtinxerunt hunc Nathan à propheta; tumque ex eo quòd Maria eſſet cognata Eliſabeth quæ erat de filiabus Aaron, crediderunt Mariam fuiſſe de genere ſacerdotali; ut juxta Matthæum fuerit Jeſus ex ſtirpe Davidica, & juxta Lucam è ſacerdotali genere; è regibus oriatur in Matthæi genealogia, ex ſacerdotibus verò in altera genealogia, quam texuit Lucas. Hanc ſententiam erroris arguit ipſe Apoſtolus ſcribens ad Hebræos, cap. 7. ℣. 11. *ſi ergo conſummatio* inquit *per ſacerdotium Leviticum erat .... quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm Aaron dici?* 12. *translato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis translatio fiat ...* 14. *manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua Tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt.*

Miror qui de genere Levitico Jeſum natum putabant, nomine Nathanis, ut dixi, decepti, non advertiſſe ejuſdem nominis appellatum filium David, quem cum Salomone ſuſceperat ex Bethſabee. Hoc aſtruitur claro ſermone in Paralip. lib. 1. cap. 3. ℣. 5. ubi referuntur generationes David: *Porro in Ieruſalem nati ſunt ei filii Simmaa & Sobab, & Nathan & Salomon quatuor de Betſabee filia Ammiel.* B. Auguſtinus ad hunc locum mentem non advertens, Nathanem prophetam & Nathanem filium David pro eodem homine habuerat, ſed poſtea in retractationibus ſuis errorem ſuum agnovit. Salomon quidem dicitur unicus matris ſuæ; ſed id intelligendum de amore ſpeciali, qua eum diligebat præ cæteris filiis ſuis. Cùm ergo Nathan frater eſſet Salomonis ex eodem patre & eadem matre prognatus, tenebatur ipſe, aut ejus nepotes, ſi aliquando Salomon, aut poſteri ejus carerent liberis, eis ſuſcitare ſemen. Quod factum modò dicemus, quando Jechonia mortuo ſine liberis, Neri ex Nathane deſcendens, ſuſcitavit ei Salathielem.

32. *Qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,* 33. *qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,* 34. *qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachor,* 35. *qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit*

Thaleg,

LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI

Secundum Matthæum. — **Secundum Lucam.**

Septuaginta ſex generationes.

Tres generationum τεσσαρεσκαιδέκαδες

ſive

ter quatuordecim generationes.

Matth.	Secundum Matthæum		Secundum Lucam	Luc.
			Adam.	1
			Seth.	2
			Enos.	3
			Caioan.	4
			Malaleel.	5
			Jared.	6
			Enoch.	7
			Mathuſale.	8
			Lamech.	9
			Noe.	10
			Sem.	11
			Arphaxad.	12
			Cainan.	13
			Sale.	14
			Heber.	15
			Phaleg.	16
			Raçau.	17
			Sarug.	18
			Nachor.	19
	Prima quatuordecim generationes.		Thare.	20
1	....	Abraham	....	21
2	....	Iſaac	....	22
3	....	Jacob	....	23
4	....	Juda	....	24
5	....	Phares	....	25
6	....	Eſron	....	26
7	....	Aram, *aut* Ram	....	27
8	....	Aminadab	....	28
9	....	Naaſſon	....	29
10	....	Salmon	....	30
11	....	Booz	....	31
12	....	Obed	....	32
13	....	Jeſſe	....	33
14	....	David	....	34
	Secundæ quatuordecim generationes.		Nathan.	35
1	Salomon.		Mathata.	36
2	Roboam.		Menna.	37
3	Abia.		Melea.	38
4	Aſa.		Eliakim.	39
5	Joſaphat. *Tres reges prætermiſſi*		Jona.	40
6	Joram. *à Matthæo.*		Joſeph.	41
	.... *Ochoſias.*		Juda.	42
	.... *Joas.*		Simeon.	43
	.... *Amazias.*		Levi.	44
7	Ozias, *qui &* Azarias.		Mathat.	45
8	Joathan.		Jorim.	46
9	Achaz.		Eliezer.	47
10	Ezechias.		Jeſu.	48
11	Manaſſe.		Her.	49
12	Amon.		Elmadan.	50
13	Joſias.		Coſan.	51
14	Jechonias.		Addi.	52
	Tertiæ quatuordecim generationes.		Melchi.	53
1	Jechonias.		Neri.	54
2	....	Salathiel	....	55
3	....	Zorobabel	....	56
			Reſa.	57
4	Abiud.		Joanna.	58
			Juda.	59
			Joſeph.	60
5	Eliacim.		Semei.	61
			Mathatias.	62
6	Azor.		Maath.	63
			Nagge.	64
7	Sadoc.		Heſli.	65
			Nahum.	66
8	Achim.		Amos.	67
			Mathatias.	68
9	Eliud.		Joſeph.	69
			Janne.	70
10	Eleazar.		Melchi.	71
			Levi.	72
11	Mathan.		*Mathat.*	73
			Heli.	74
12	Jacob.			
13	....	Joſeph	....	75
14	....	Jeſus	....	76

Digitized by Google

13 Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14 Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15 Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

16 Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus; qui vocatur Chriſtus. ¶

17 Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quatuordecim: & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.

SIVE ortui Joannis B. Maria interfuerit, ſive paulò ante puerperium Eliſabeth, jam reverſa eſſet domum, certum eſt non multò poſt tempore à Joſepho cui deſponſata fuerat, acceptam in conjugem. Hoc itaque nobis protinus enarrandum fuiſſet: ſcilicet quid contigerit quando Joſeph accepit Mariam; & tunc demum genealogia Domini poſtquam è Maria natus, ſubjicienda eſſet. Id ordo poſtulare videbatur; ſed aliter viſum eſt B. Matthæo, qui exordiens Evangelium quo ſuſcipiebat demonſtrare Jeſum eſſe Meſſiam; ſtatim è re credidit eſſe hunc publico teſtimonio probare ortum ex familia Davidica, ex qua conſtabat Meſſiam oriturum. Evangelium ſurſum verſum facere refugit animus. Quantùm igitur fieri poteſt, ſervo ordinem quem ſequi inſtituerunt Evangeliſtæ: non niſi invitus avellens à ſuis locis partes quibus conſtant ſcripta eorum; unde magis cohærent ſibi in hac noſtra harmonia, quàm in quacumque alia.

Hanc genealogiam, quam præmittit Evangelio ſuo Matthæus, exſcripſerat ut puto ex publicis tabulis; in quibus cujuſque viri proſapiam ſcriptam fuiſſe non ſolùm florente republica, ſed & in ipſa captivitate & poſt captivitatem, demonſtrare facile eſt. Videmus apud Eſdram lib. 2. cap. 7. quomodo paucis exceptis, potuerint omnes indicare *domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum;* & ejecti fuerint è ſacerdotio, qui *ſcripturam ſuam in cenſu non invenerint.* Inde potuit Lucas dicere Annam fuiſſe ex Tribu Aſer; & Paulus ſe ortum eſſe ex Tribu Beniamin. Proſapiam ſuam proponit Joſephus hiſtoricus in vita ſua à ſe tranſcriptam ut ait prout erat in publicas tabulas relata. τὴν μὲν οὖν γένους ἡμῶν διαδοχὴν, ὡς ἐν ταῖς δημοσίαις δέλτοις ἀναγεγραμμένην εὗρον, οὕτως παρατίθεμαι. De cura qua hæ tabulæ conficerentur & ſervarentur fusè diſſerit idem Joſephus, lib. 1. contra Apionem. *Non enim ſolum* inquit Joſephus *ab initio probatiſſimos viros, & in Dei placatione præparatos ad hæc exercenda conſtituerunt; ſed quatenus etiam genus ſacerdotum ſine permixtione purumque conſiſteret providerunt. Oportet enim eum, qui ſacerdotium habiturus eſt, ex ejuſdem gentis naſci muliere; & neque ad pecunias, neque ad honores inſpicere; ideoque ex antiquis tabulis ſucceſſionem inquirere, eamque idoneis teſtibus probatam habere. Quod ſcilicet agimus non ſolùm in ipſa Judæa; ſed ubicumque noſtri generis cœtus reperitur. Etiam ibi integritas iſta ſervatur circa nuptias ſacerdotum, hoc eſt in Ægypto & Babylonia, & quocumque terrarum orbe quilibet de ſacerdotum genere ſunt diſperſi. Mittunt enim Hieroſolymam, conſcribentes à patre nomen nuptæ & antiquorum progenitorum, quicumque hujus rei teſtimonia præbuere.* In texendis genealogiis videre eſt occupatiſſimos fuiſſe ſcriptores veteris fœderis.

Matthæus qui Hebræis ſcribebat, niſi veritas genealogiæ quam proponit, certa fuiſſet, in fundamentum operis ſui haud eam locaſſet, in ipſo limine impingens; quod, vel cogitare nefas. Extra omnem controverſiam eſt hiſce temporibus cujuſque viri teſtatam eſſe potuiſſe genealogiam; cùm in hanc rem Judæi adhiberent non dico curam ſed & religionem, potiſſimum circa proſapiam Davidicam, unde oriturum Meſſiam omnes ſciebant. Ergo eo tempore quo ſcripſit Matthæus ex publicis tabulis conſtabat Jeſum ortum ducere ex domo David. Quod qui negarent hodie Judæi, quia antiquas tabulas promere non poſſumus, inepti eſſent, cùm diù eſt quod ipſi quærantur has tabulas amiſſas. *A quo tempore* inquiunt Talmudici in Peſachin, *periit liber genealogiarum, ſive familiarum; debilitata eſt virtus ſapientum, & caligavit lumen oculorum ipſorum.* Buxt. Dict. Talmud. pag. 202.

1. *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham.* Sic inſcribebantur genealogiæ Hebræorum ab antiquis temporibus. Ita in capite quinto Geneſeos dicitur ספר תולדת אדם *ſepher tholedot Adam*, liber generationum Adam; quem locum ſic vertunt Græci ſenes, Βίβλος γενέσεως, eodem prorſus modo, quo Matthæi interpres Græcus, *Liber generationis*, &c. Vox Hebræa *ſepher*

ſepher non ſolum indicat *librum*, *volumen*, ſed & *catalogum*, etiam *ſchedam*. Unde ſcheda qua mulier dimittebatur, libellus repudii dicitur. Omne inquam inſtrumentum emptionis, venditionis appellatur hocce nomine *ſepher*. Proponit ergo Matthæus catalogum eorum quos Jeſus, quem demonſtraturus erat Meſſiam, partes haberet, Davidem ante omnes, & Abraham poſt Davidem, quia potiſſimum his duobus factæ erant promiſſiones de Chriſto orituro ex ſemine eorum. Uſus autem invaluerat quod liquet ex multis locis Evangelii, ut Meſſias diceretur filius Davidis. Etiam hodie quem Meſſiam expectant Judæi, filium Davidis appellant. Ideo Davidem Abrahæ præponere videtur Evangeliſta, quia ſæpius Davidis quàm Abrahæ filius Meſſias diceretur.

2. *Abraham genuit Iſaac*. Non meminit Eſau, quia *in Iſaac tibi vocabitur ſemen*, dixerat Deus alloquens Abraham; id eſt poſteri Iſaac futuri erant hæredes promiſſionis, ſive ex illis naſciturus erat Chriſtus. *Iſaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.* Adjungit fratres, quia ex illis conſtituta erat gens Iſraelitica. Duodecim tribus ortæ ſunt ex duodecim filiis Jacob. prætermiſſis autem matrum nominibus, puta Saræ, Rebeccæ, Rachelis & aliarum, eas ſolas memorat Matthæus; ſive potius in ſtemmate domus Davidicæ eæ ſolæ nominabantur; quæ vitio non carerent. Etenim ut dixi; veriſimile eſt Evangeliſtam inſeruiſſe ſtemma Jeſu, quale erat in publicis tabulis. Memoratur Thamar, quæ extra legitimum conjugium conceperat de ſocero ſuo Juda; Rahab quæ fuit meretrix, ut dicitur in Epiſtola ad Hebræos, cap. 11. ℣. 31. & Ruth mulier alienigena; erat enim Mohabitis: fit & mentio hujus, quæ fuerat Uriæ nempe Betzabee adulteræ. His autem meretricibus, adulteris, aut alienigenis tanquam ſymbolis docebat Deus, fore ut ex gentibus peccatricibus conjungeret ſibi Eccleſiam; ex quo conjugio naſcerentur hæredes regni ſui cæleſtis. *Ne ſudeat*, inquit Ambroſius, *Eccleſiam ex peccatoribus congregari, cùm Dominus de peccatoribus naſceretur.* Simul etiam occurrebat Deus ſcandalo quod Judæi ex humili conditione parentum Jeſu accipiebant.

3. *Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram.* Nominatur Zaram qui ad genealogiam non pertinet, quia & ipſe typus fuit cum Phares fratre ſuo. Protulerat manum ſuam ex utero matris ſuæ Thamar, oſtendens ſe primogenitum futurum. Phares tamen prior egreſſus eſt & hæres fuit. Sic gentes jus primogenituræ in regno cœlorum abſtulerunt, ad quam præripiendam videbantur Judæi manus primi protuliſſe.

4. *Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon.* 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab* muliere meretrice, vel cauponaria; dicitur enim זונה *zona*, quod nomen reddi poteſt hiſce duobus Latinis nominibus. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Illa erat Moabitis, quæ ideo nominatur, ut præmonerentur Judæi non deſpiciendas gentes; cùm ex Moabitide ortus ſit David, ex quo oriturus erat Meſſias. *Hæc erat* inquit B. Chryſoſtomus, *alienigena & in extremam delapſa pauperiem, ſed videns eam Booz, nec ob ipſius paupertatem deſpexit; nec ob impietatem gentis exhorruit: ſicut etiam & Chriſtus Eccleſiam ſuſcipiens, & alienigenam & magnorum laborantem egeſtate bonorum, ſuo conſortio copulavit. Sed quemadmodum Ruth illa ex alienigenis mulier, niſi prius reliquiſſet parentes, niſi domum contempſiſſet, & gentem & patriam, atque cognatos, nunquam profectò tali fuiſſet nobilitata connubio: ita Eccleſia etiam non antè amabilis efficitur ſponſo, quàm priorem converſationem relinquat.*

Obed autem genuit Jeſſe. Jeſſe autem genuit David regem. Jeſſe ille nominatur in Latina verſione primi regum, *Iſai*, quia hæc verſio exprimit Hebræum fontem. Græci vero interpretes nomen illud reddiderunt Ἰεσσαί, quos ſequitur Matthæi Græcus interpres. *Jeſſe* inquam & *Iſai* unus eſt homo pater David. Conſonantes Hebrææ quibus illud conſtat pro ut afficitur his, vel illis punctis, quæ apud Hebræos tenent locum vocalium, ſonant, vel *Jeſſe*, vel *Iſai*. Movetur autem gravior difficultas, quomodo inter Salmonem & Davidem tres tantùm numerentur generationes, videlicet Booz, Obed, & Jeſſe, cùm illud temporis intervallum magnum ſit. Reſpondetur primùm non majus eſſe quàm ut plures neceſſariò admittendæ ſint generationes. Eſto enim Salmon nupſerit Rahab ſtatim ac Jericho capta eſt anno ab orbe condito 2553. ſecundùm præſtantiorum chronologorum calculos: ab hoc tempore uſque ad illum annum, quem illi ſtatuunt 2919. quo Jeſſe in ſenectute ſua genuit Davidem non effluxerunt pluſquam anni 366. Potuit autem Salmon non ſtatim ex Rahab ſuſcipere prolem. Ita non pauci anni detrahendi ex hocce numero; cujus reliquum ſi dividas in tres generatores, ſcilicet Booz, Obed & Jeſſe, invenies quemque ex illis non majori ætate provectum fuiſſe, quàm quà ſuſcipiendæ proli olim homines apti erant, & hiſce diebus aliqui reperti ſunt, qui pluſquam centum annos nati genuerunt.

Unum eſt quod negotium faceſſit: nimirum Joſephus dicit Booz nupſiſſe Ruth temporibus Heli ſummi ſacerdotis; ita inter Salmonem & Booz pluſquam ducenti anni elapſi eſſent; nam Heli mortuus eſt anno mundi 2888. verùm Joſephus, nullo argumento nixus refert conjugium Booz & Ruth ad tempora Heli. Sunt qui non refugiant dicere prætermiſſas plures generationes inter Salmonem & Jeſſe; quod quandoque fit in genealogiis. Quidquid ſit, talem genealogiam David

 ſubji-

ſubjiciunt Matthæus & Lucas, qualis texitur in libro Ruth, cap. quarto, & in primo Paralipomenorum capite ſecundo, ubi non plures generationes recenſentur inter Salmonem & Davidem; ita difficultas non ſpectat primitùs Evangeliſtam.

6. *David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.* David nominatur rex, cujus regni hæres Meſſias. Refricatur autem memoria adulterii Davidis, cùm nominatur Bethſaboe mater Salomonis, deſignata his verbis, *ex ea quæ fuit Uriæ*, quæ nempe erat uxor Uriæ; cujus thorum violaverat David, & quem curaverat occidendum, ne ille animadverteret in uxorem adulteram. Attamen tanta ob crimina Deus non reſciderat promiſſa facta huic regi.

7. *Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa.* 8. *Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.* Joram non genuit Oziam niſi generatione mediata, intermediis tribus, Ochoſia filio, Joa nepote, Amaſia pronepote, ut patet ex libris regum & Paralipomenorum. Tres ergo reges illos prætermittit Matthæus. *hoc ita*, loquitur Hilarius, *quia ex gentili fœmina Joras Ochoziam genuit, ex Achab ſcilicet, qui Hiezabel habuit uxorem. Denique per prophetam, non niſi quarta generatione in throno regio Iſraelis, nunquam de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur.* Cùm Deus interdicit omni idolatrico cultu Iſraelitis, admonet peccata patrum uſque in tertiam & quartam generationem à ſe animadvertenda. Exod, cap. 20. ℣. 5. Joram autem in moribus idolatricis regum Iſrael ambulaſſe dicitur 4. Reg. cap. 8. ℣. 18. Ergo elidi potuerunt nomina filiorum ejus uſque ad quartam generationem ab his qui tabulas genealogicas confecere.

Plerique ſic credunt tres dictos reges prætermiſſos ob peccata ſua. Alii id negant, quòd etiam pejores, aut impietate proximos nominet Matthæus. Ergo inquiunt rotundandi numeri cauſa, quia voluerat omnes illas generationes in teſſeradecadas referre, opportuno ad memoriam juvandam compendio. In genealogiis plures etiam perſonas licet omittere, quia non tantùm pater genuiſſe filium, ſed & avus nepotem, & pronepotem proavus, ſalva recti ſermonis ratione dici poſſit. Cùm toties genealogiæ depromendæ eſſent, nempe quoties de cujuſque viri genere quæreretur, credo Hebræos uſos eſſe compendio, & antiquas genealogias breviores feciſſe. Etenim ſi prætermiſſionem trium regum accomodaſſet Matthæus certo generationum numero, cujus ipſe & non alius auctor extaret, clamitaſſent Judæi detractum veritati ſcripturarum. Veriſimilius ergo eſt in tabulis publicis quas profert Matthæus, omiſſos dictos reges; & ſic placuiſſe Judæis quia hæc nomina infauſta illis erant, ob rationem allatam. Non deſunt ſimilia exempla. Pleraque nomina nec labiis ſuis uſurpata volebant; qualia idolorum, quæ aliis nominibus quàm ſuis efferebant. Animadverſione haud dignum eſt Pſeudophilonis figmentum, ſtirpem regiam Salomonis ſucciſam in Ochoſia rege & ab eo cœpiſſe lineam Nathan.

9. *Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.* 10. *Ezechias autem genuit Manaſſem. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem Joſiam.* Hæc genealogia firmatur hiſtoria regum & Paralipomenorum, cujus hiſtoriæ chronologicas difficultates omnes enodare velle alienum eſt à propoſito. Achaz in Paralipomenis, cap. 28. ℣. 1. dicitur viginti annos natus cùm regnare inciperet. Non vixit ultra triginta & ſex annos; filius verò ejus Ezechias attigerat annum vigeſimum quintum cùm ille mortuus eſt; unde ſequitur Acham genuiſſe Ezechiam antequam ingreſſus eſſet annum decimum, aut undecimum. Hoc fieri potuiſſe ipſe D. Hieronymus & alii confirmant adductis exemplis; ſed etiam fieri potuiſſet ut Ezechias non natura, ſed lege filius fuerit Achaz, quod viri docti ſentiunt.

11. *Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.* Plures filios ſuſcepit Joſias circa illa tempora quibus Judæi captivi abducti ſunt Babylonem, quorum tres regnaverunt; ideo genealogiſta addit & fratres ejus. 12. *Et poſt tranſmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.* Id eſt poſtquam Judæi migravere Babylonem, Jechonias genuit Salathiel.

Quæritur an unus ſit Jechonias, idem filius Joſiæ & pater Salathielis; an verò duo ſint Jechoniæ, unus Joſiæ filius, & alter hujuſce filius & Salathielis pater. Huic quæſtioni lucem afferet ſtemma filiorum Joſiæ quod hìc proponimus ex 1. Paralip. cap. 3. conjice in illud oculos tuos lector. Verba autem ſcripturæ ex quibus illud ſtemma confecimus iſta ſunt. 15. *Filii autem Joſiæ fuerunt primogenitus Johanam, ſecundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* 16. *De Joakim natus eſt Jechonias & Sedecias.* 17. *Filii Jechoniæ fuerunt, Aſir, Salathiel.*

Ex his verbis primùm liquet eumdem qui ſit Joſiæ filius, non eſſe patrem Salathielis; & ideò Jechoniam filium Joſiæ alterum eſſe à Jechonia patre Salathielis. Ergo reſtat, ut quæramus unde illi duo ſint in Matthæo cognomines. Conſtat pleroſque ex hiſce regibus fuiſſe binomines, & trinomines. Ex quarto regum, cap. 23. ℣. 34. Scimus filium Joſiæ, qui in loco Paralipomenorum circa quem verſamur, dicitur Joakim, primùm appellatum Eliachim, & nomen Joakim accepiſſe à rege Ægypti, quando in locum fratris ſui Joachas in regem ſuffectus eſt, qui in Paralipomenis, loco allegato & apud Jeremiam, cap. 22. ℣. 11. dicitur Sellum; in loco regum proximè

citato

ad pag. 24. *Harm. Evang.*

STEMMA GENEALOGICUM
FILIORUM JOSIÆ REGIS JUDA.

Ex libro primo Paralip. cap. 3.

JOSIAS

ex quo nati ſunt.

JOHANAM
Non alibi ille nominatur, quàm hoc loco Paralipomenorum, unde creditur eodem prælio quo paret ejus Joſias, occiſus cum rege Ægypti dimicans.

JOAKIM
Eo nomine appellatus eſt à rege Ægypti cùm prius diceretur Eliacim, 4. Reg. cap. 23. ℣. 34. Eum nominat Jechoniam Matthæus. Ab eodem Ægypti rege pro fratre Sellum, ſive Joakas, rex eſt conſtitutus. Filii Joakim fuere

SEDECIAS
Qui & Matthanias junior Joſiæ filius, à Nabuchodonoſore in regnum ſuffectus eſt Joacnino fratris Joakim filio, 4. Reg. cap. 24. ℣. 17.

SELLUM
Qui etiam & Joakas nominatus. Regnavit, 4. Reg. cap. 23. ℣. 30. poſtquam occiſus eſt pater ejus Joſias; ſed rex Ægypti eum ſolio deturbavit, ſufficiens ejus loco fratrem Joakim, ſive Eliacim.

JECHONIAS
Appellatur Joachin, lib. 4. Reg. cap. 24. ℣. 6. & poſt patrem ſuum Joakim, ſive Eliacim regnavit, donec eum Babylonem tranſtulit Nabuchodonoſor, conſtituens Matthaniam patruum ejus in regem. Filii Jechoniæ, ſive Joachin fuere

SEDECIAS

ASIR,
Nomen idem ſonans quod *vinctus*, ita plerique ſic exponunt fontem Hebræum, ut vincti Jechoniæ ſeptem ſequentes filii ſint.

SALATHIEL,
Quæritur an ille fuerit natura, vel lege filius Joachin aut Jechoniæ.

MELCHIRAM, PHADAJA, SENNESER, JECEMIA, SAMA, NADABIA.

ZOROBABEL,
Non ille videtur alius quàm quem Eſdras appellat Salathielis filium, quo adjuvante ædificavit altare Templi. Ita non naturalis filius ſed legalis tantùm Salathielis erat, natus ex fratre ejus Phadaja.

SEMEI,

MOSOLLAN, HANANIAS, SALOMITH, HASABAS, OHOL, BARACHIAS, HASADIAS, JOSABHESED.
ſoror eorum.

PHALTIAS
JESEJAS
RAPHAJA
ARNAN
OBDIA
SECHENIAS
SEMEJA

HATTUS, JEGAAL, BARIA, NAARIA, SAPHAT,

ELIOENAI, EZECHIAS, EZRICAS,

ODUJA, ELIASUB, PHELEJA, ACCUB, JOHANAN, DALAJA, ANANI.

citato nominatur Joachas. Quin & ipſe Jechonias filius, ſive Eliacim, ſive Joakim, appellatur Joachin, ut ex his verbis 4. Reg. cap. 24. ℣. 5. apertum eſt. *Et dormivit Joachim cum patribus ſuis, & regnavit* Joachim *filius ejus pro eo*. Animadvertendum quibus literis hæc duo nomina ſcribantur in fonte Hebræo & in verſione Græca. Pater nominatur יהויקים *Jehoiakim* per *coph* ק *kuaim* per κ filius verò ejus יהויכין *Jehoiachin* per *caph* כ & in fine habet literam *nun* ן. Græcè verò ſcribitur Ἰωαχὶμ per χ ille Joachin motus eſt regno, & rex conſtitutus eſt loco ejus Mathanias patruus ejus, frater patris cui Sedeciæ nomen impoſitum eſt. Duo nomina illa Joakim & Joachin non multùm ſono differunt; idcirco quemadmodum Joachin nominabatur Jechonias, potuit obtinere Joakim ut eodem nomine appellaretur. Inter varias lectiones codicis Græci quas collegit Robertus Stephanus, quæque uberiores exhibentur in ſexto tomo Bibliorum polyglottorum Londinenſium, legitur Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. *Joſias autem genuit Jachim*, aut *Joachim*. *Jachim autem genuit Jechoniam*. Verùm illa lectio videtur inducta ut tolleretur difficultas, in qua cùm olim Patres pariter laboraverint, argumentum eſt lectionem vulgatam antiquam eſſe.

Quidquid ſit de legitima lectione hujus loci, duo illi Jechoniæ non poſſunt pro uno & eodem homine haberi; alioquin non ſibi conſtaret Matthæus; qui à Davide uſque ad tranſmigrationem Babylonis numerat generationes quatuordecim; & totidem à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum. Quòd autem dicit Matthæus Joſiam genuiſſe Jechoniam & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis, ſic accipiendum non quaſi illi poſt tranſmigrationem geniti ſint, nam Jechonias abductus eſt captivus, & ideo anteà genitus fuerat. Sic loquitur quia circa tempora tranſmigrationis nati ſint ἐπὶ τῆς μετοικεσίας. Propoſitio ἐπὶ non ſtrictè aliquod certum temporis intervallum deſignat, ſed cum latitudine aliqua includit multa & diſtincta tempora.

13. *Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.* 14. *Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.* 15. *Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.* Cùm archiva ex quibus illam genealogiam deprompſit Matthæus, diſſipata ſint, hæc ſola nomina proavorum Chriſti ſcire poſſumus.

16. *Jacob autem genuit* Joſeph *virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus qui vocatur Chriſtus*. Diximus ſponſos etiam viros vocari; ita potuit Matthæus Joſeph appellare virum Mariæ, etſi nondum dixerit deductam in domum ejus. Præterea genealogiam cui explicandæ incumbimus, protulit, ut dixi, ex archivis, in quæ fuerat relata poſtquam Jeſus natus eſt, quo tempore juncti erant vero conjugio Maria & Joſeph, licèt jura connubii non exercerent.

17. *Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David, generationes quatuordecim: & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim*. Genealogia iſta J. C. D. N. quam exhibet Matthæus dividitur in tres *Teſſaradecadas*, τεσσαρεσκαιδεκάδας, id eſt in tres partes, quarum una quæque continent quatuordecim generationes. Primæ Theſſarædecadis primus eſt Abraham & David poſtremus; ſecundæ primus Salomon, & ultimus Jeconias Joſiæ filius; & tertiæ primus Jechonias Jechoniæ filius, & ultimus Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Quæritur unde illa diviſio. Vulgò reſpondetur id factum à Matthæo, ut qui hanc genealogiam legerent, faciliùs eam memoria complecterentur. Alii ternariæ diſtributionis cauſam hanc reddunt, quia res omnes Hebræorum in tres claſſes diſtribui ſolerent; pro ut primùm nata eſt eorum reſpublica ab Abraham uſque ad David: floruit à regno David uſque ad captivitatem, à cujus tempore res eorum peſſum abire cœperunt. Ego verò, cui perſuaſum eſt non potuiſſe Evangeliſtam alium libellum genealogicum proferre, quàm quem continerent archiva publica, cum non puto auctorem hujuſce diſtributionis. Genealogiæ, inquam, Jeſu Chriſti nihil addit, aut detrahit, detraxiſſet enim de pondere ejus; Judæi enim clamitaſſent falſarium. Cùm ergo ex ſcriptura ubi de genere David ſit mentio; non numerentur ab Abraham ad hunc regem niſi quatuordecim generationes, placuit Judæis, quocumque conſilio id facerent, non plures ſtatuere generationes à David ad tranſmigrationem in ſtemmate ſtirpis Davidicæ. Inſignem autem mutationem in ſtatu Judæorum afflore nato Jeſu inde argumentum Evangeliſta ducebat, quod Jeſu generatio eſſet quarta decima à tranſmigratione.

Cur autem Joſeph magis, quàm Mariæ generatio deſcribatur, ait Ambroſius, *cùm Maria de Spiritu ſancto generaverit Chriſtum, & Joſeph à generatione Domini videatur alienus, dubitare poſſemus, niſi conſuetudo nos inſtrueret ſcripturarum, quæ ſemper viri originem quærit*. Et paulò pòſt. *Noli mirari quod Joſeph origo deſcripta eſt. Etenim ſecundùm carnem natus, uſum debuit ſequi carnis, & qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more deſcribi maximè cùm in* Joſeph *origine etiam origo ſit Mariæ. Nam cùm vir juſtus fuerit* Joſeph, *utique ex Tribu ſua & ex patria ſuâ accepit uxorem, nec potuit juſtus facere contra id quod lege præſcriptum eſt*. Videbimus modò quæ ſit iſta lex. Teſtimonio etiam Judæorum conſtat fœminarum non texi genealogias, ut viri alicujus genus oſtendatur, tritùmque eſt apud illos axioma, *Matris familia non fami-*

familia. Nec aliena à Chriſto exiſtimanda eſt origo Joſephi, cùm natus ſit Chriſtus ex ea, quam Joſephus duxerat uxorem. Nam ſi ea vis eſt legis, ut partus viduæ ex agnato defuncti viri conceptus in omne jus defuncti ſuccedat, non aliter quàm ſi ex ipſius genitura ortum traxiſſet; & proles à fratre genita, ſemen vocetur, non illius per quem ſuſcepta eſt, ſed illius, cui ſuſcepta eſt, nempe fratris ſine liberis defuncti, ut videre eſt Geneſeos cap. 38. ℣. 9. quidni inquam, id quod ſine humana opera ex legitima illius conjuge natum eſt, quaſi ipſius ſolo divinitùs inſitum, (utor verbis Grotii) ipſius proprium cenſeatur; atque hinc eſt, nimirum, quòd non tantùm ab Evangelii ſcriptoribus Joſephus pater Chriſti, nuptiis videlicet patrem demonſtrantibus, nominatur, ſed & Chriſtus omnia obſequia, atque operas illi præſtitit, quæ expectari poſſint à filio in laribus paternis conſtituto. Quòd ſi ubique gentium adoptivi liberi ex ejus gentis, cui velut inſiti ſunt, nobilitate cenſentur, quantò juſtiùs omnia jura gentilitia Joſephi ac promiſſiones divinæ ipſius majoribus factæ ad Dominum Jeſum pertinebant?

Quæ cùm ita ſint quacumque ex Tribu fuerit Maria, ſufficiebat Evangeliſtæ oſtendere Dominum Jeſum natum ex muliere, quæ nupſerat viro de domo Juda. Præterea Maria potuit eſſe ex Joſephi Tribu & domo: etſi ſcriptura non dicat, non utique negat. Etenim ex eo quòd Eliſabeth de filiabus Aaron ejus fuerit cognata, non poteſt inde deduci fuiſſe de Tribu ſacerdotali. Sacerdotes, quorum portio Deus erat, non aſtringebantur lege, qua cavebatur ne hæreditates permiſcerentur. Ne id fieret, cæteri Iſraelitæ tenebantur nubere non ſolum intra eandem tribum, ſed etiam intra eandem domum, ſive familiam. Cùm ergo cuique ſacerdoti licitum eſſet accerſere ſibi uxorem ex omni Tribu; & ſic contrahere affinitates, qualis fuit inter Mariam & Eliſabeth, cum omni Iſraelita: Maria quæ unica erat parentibus ſuis & ideo ex aſſe hæres, ſive ut loquuntur Græci, ἐπίκληρος; non poterat nubere alteri quàm viro ex eadem Tribu & familia. Lex lata eſt occaſione filiarum Salphaad qui maſculum prolem non reliquerat. Num. cap. 36. ℣. 6. *Et hæc lex ſuper filiabus Salphaad à Domino promulgata eſt: nubant quibus volunt, tantùm ut ſuæ Tribus hominibus. 7. ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de Tribu in Tribum. Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & cognatione ſua. 8. & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient; ut hæreditas permaneat in familiis. 9. nec ſibi miſceantur Tribus, ſed ita maneant.* Alius autem finis erat magis præcipuus, ut ſcilicet conſtaret ex quibus proavis certò Chriſtus aliquando naſceretur. Inde piis omnibus tanta cura circa dictæ legis obſervationem. Quærebatur Sara Lib. Tob. Verſ. Gr. cap. 3. ℣. 18. quòd pater ejus filios hæredes non haberet, & non eſſet ei frater, cujus filio ſe ex lege uxorem ſervaret. Nec ſecus Judith nupſerat viro ex familia ſua.

Viri periti, inter eos Bollandus, fatentur nullius eſſe pretii libros in quibus enarratur Mariæ genus. Sanctus Epiphanius ex traditione Judæorum, ut ait, patrem ejus appellavit Joachim. Verùm S. Hieronymus eum appellat Cleopham. Fauſtus Manichæus aſſerebat Joachim fuiſſe ſacerdotem; unde adverſus Apoſtolum contendebat Jeſum fuiſſe de gente Aaronidarum; ſed ut reponit B. Auguſtinus id probare non poterat niſi ex fabuloſis traditionibus; in quibus Græci, ſæpius mendaces omnia hauſere quæ ſcripſerunt circa parentes Mariæ virginis. Saltem quæ ſcribunt de genere B. Mariæ & ortu ejus incerta & ſuſpecta ſunt.

Attamen vetus eſt traditio, Mariam unicam fuiſſe parentibus ſuis; quod ſi pro certo habendum ſit, Maria & Joſeph legis tenaces non iniiſſent inter ſe nuptias niſi de eadem cognitione. Ex Mariæ inquam conjugio cum viro de ſtirpe Davidica colligere licet, eam genus ſuum ab eadem Davidica origine ducere. Fruſtra quis objiciat pauperem Mariam non aſtrictam huicce legi, quæ ſolas virgines divites ſpectaret; nam Ruth pauperrima propinquum ſuum Booz adiit, cui juncta eſt matrimonio, qui enim carebant poſſeſſionibus, habebant avita jura, promiſſiones factæ Davidi attinebant ad omnes poſteros ejus quamquam in tenui re eſſent.

CA-

CAPUT VII.

Genealogia J. C. D. N. alia ratione quàm fecerat Matthæus, à Luca contexta ſubjicitur.

LUCAS Cap. 3. ℣. 23—38.

23 JEſus....ut putabatur filius Joſeph, qui ſuit Heli, qui fuit Mathat,
24 qui ſuit Levi, qui ſuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph,
25 qui fuit Mathathiæ, qui ſuit Amos, qui ſuit Nahum, qui ſuit Heſli,
qui fuit Nagge,
26 qui ſuit Mahath, qui fnit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph,
qui ſuit Juda,
27 qui ſuit Joanna, qui ſuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui ſuit Salathiel,
qui fuit Neri,
28 qui ſuit Melchi, qui fuit Addi, qui ſuit Coſan, qui ſuit Elmadan, qui
fuit Her,
29 qui ſuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui ſuit Jorim, qui ſuit Mathat, qui
ſuit Levi.
30 qui ſuit Simeon, qui ſuit Juda, qui ſuit Joſeph, qui ſuit Jona, qui
ſuit EliaKim,
31 qui ſuit Melea, qui ſuit Menna, qui ſuit Mathata, qui ſuit Nathan,
qui ſuit David.
32 qui ſuit Jeſſe, qui ſuit Obed, qui ſuit Booz, qui ſuit Salmon, qui
ſuit Naaſſon,
33 qui ſuit Aminadab, qui ſuit Aram, qui ſuit Eſron, qui ſuit Phares,
qui ſuit Judæ,
34 qui ſuit Jacob, qui ſuit Iſaac, qui ſuit Abrahæ, qui ſuit Thare, qui
ſuit Nachor,
35 qui ſuit Sarug, qui ſuit Ragau, qui ſuit Phaleg, qui ſuit Heber, qui
ſuit Sale,
36 qui ſuit Cainan, qui ſuit Arphaxad, qui ſuit Sem, qui ſuit Noe, qui
ſuit Lamech,
37 qui ſuit Mathuſale, qui ſuit Henoch, qui ſuit Jared, qui ſuit Malaleel,
qui ſuit Cainan,
38 qui ſuit Henos, qui ſuit Seth, qui fuit Dei, qui ſuit Adam.

LICET B. Lucas non præmiſerit Evangelio à ſe ſcripto, quod ſuo fecit Matthæus genealogiam J. C. D. N. nec illam referat niſi poſt ejus baptiſmum, attamen duxi hic eſſe ſubjungendam, ut utriuſque Evangeliſtæ libellis genealogicis inter ſe compoſitis, initetur ratio qua alter cum altero conciliari poteſt. Etenim diſſentire videntur; ſed hanc diſcordiam verbo tenus eſſe, imo nec verbis diſſentire certum eſt. Cùm enim diverſas res ſignificent, non mirum eſt, ſi ſermo eorum non idem ſit. Qua ergo ex diverſitate Porphyrius & Julianus olim ſruſtraneo conatu pugnarunt adverſus Evangeliſtarum Concordiam.

Omnibus modis J. C. D. N. probandus erat filius, & ideo utraque ratione filius, qua quiſque Judæus reputari poterat ex quonam natus. Vel natura, vel lege ſuſcipiebantur filii. Pater erat qui genuerat, vel cui ſemen fuerat ſuſcitatum: Sic loquuntur ſcripturæ. Nimirum viro mortuo ſine liberis, viduam ejus in uxorem ducere tenebatur,

qui

qui propinquior ei erat ſuperſtes, ut præcipitur in lege, cap. 25. Deuteron. Qui primus naſcebatur ex hoc matrimonio, filius hujus cenſebatur, cujus vidua genuerat ex ſecundo marito, & adibat hæreditatem primi, cui ſecundus ſemen ſuſcitaverat. Inde fiebat ut libri genealogiarum pro ut in illis inſerebantur, vel qui genuerant, vel illi quibus ſuſcitatum erat ſemen, alias oſtenderent generationes, ſicque inter ſe differrent.

Cùm Matthæus librum unum genealogiæ Domini protuliſſet, ne actum ageret Lucas, ſive potiùs ut ſecundo teſtimonio proſapia Domini ex Davide magis magiſque conſtaret, alium librum attulit ex publicis tabulis.

23. *Ieſu .... ut putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* A filiis aſcendit Lucas ad patres, quod non raró fit in genealogiis. Illud fontis Græci, *ὡς ἐνομίζετο*, quod vulgatus interpres reddit, *ut putabatur*, indicat non natura, ſed opinione Jeſum filium eſſe Joſephi. Addunt aliqui verbum illud habere eam vim, ut ſignificet Jeſum cenſeri debuiſſe filium Joſeph ob conſuetudinem & leges quibus conſuetum & confirmatum erat, ut cenſeretur parens, cui ex uxore legitima ſuſceptus eſſet filius, *νομίζεσθαι* enim propriè ſonat *legibus comparatum eſſe, moribus eſſe receptum*. Quocumque autem ſenſu ſumatur, non ad totum contextum ſtemmatis verbum illud pertinet, ſed ad Jeſum ſolum, qui Joſephi filius non erat, ſed putabatur. In cæteris autem generationibus *ἐνομίζετο* locum non habet; niſi dicere lubeat, Davidem putatum filium Jeſſe; atque ita deinceps cæteros ad Adamum uſque, in omni generatione ſubintelligendo *ὡς ἐνομίζετο*; quod abſurdum eſt; David enim natura filius erat Jeſſe.

24. *Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioſeph.* 25. *qui fuit Mathatiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge.* Duo illi Levi & Mathat dicuntur inſerti à librariis. Divus Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes, cap. 33. non agnoſcit in genealogia Domini ſecundùm Lucam ultra ſeptuaginta duas generationes. Nunc ſeptuaginta & ſex numerantur. Ita aliquæ ex his generationibus addititiæ eſſent, ſaltem Levi & Mathat cum Cainan, quem viri docti inſertum volunt inter Arphaxad & Sale, ut modò obſervabitur.

26. *Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda,* 27. *qui fuit Ioanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.* Nullo argumento probari poteſt Salathielem & Zorobabelem, de quibus loquitur Lucas, alios eſſe ab eodem Salathiele & Zorobabele, qui memorantur à Matthæo. Iſte eſt Zorobabel Chriſti typus, quo duce Judæi è captivitate in Judæam reverſi ſunt, ut Chriſto duce cœlum patriam noſtram repetamus, à quo eramus exules. Non alius inquam, eſt iſte Zorobabel, quàm quem exhibet ſtemma Joſiæ, ubi ille ſtatuitur filius Phadaiæ fratris Salathielis, cujus ergo Salathielis non natura, ſed lege Zorobabel filius fuit.

28. *Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,* 29. *qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,* 30. *qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim,* 31. *qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Plerique ex antiquis ſcriptoribus ſimilitudine nominis decepti, non diſtinxerunt hunc Nathan à propheta; tumque ex eo quòd Maria eſſet cognata Eliſabeth quæ erat de filiabus Aaron, crediderunt Mariam fuiſſe de genere ſacerdotali; ut juxta Matthæum fuerit Jeſus ex ſtirpe Davidica, & juxta Lucam è ſacerdotali genere; è regibus oriatur in Matthæi genealogia, ex ſacerdotibus verò in altera genealogia, quam texuit Lucas. Hanc ſententiam erroris arguit ipſe Apoſtolus ſcribens ad Hebræos, cap. 7. ℣. 11. *ſi ergo conſummatio* inquit *per ſacerdotium Leviticum erat .... quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm Aaron dici?* 12. *tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat ...* 14. *manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua Tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt.*

Miror qui de genere Levitico Jeſum natum putabant, nomine Nathanis, ut dixi, decepti, non advertiſſe ejuſdem nominis appellatum filium David, quem cum Salomone ſuſceperat ex Bethſabee. Hoc aſtruitur claro ſermone in Paralip. lib. 1. cap. 3. ℣. 5. ubi referuntur generationes David: *Porro in Ieruſalem nati ſunt ei filii Simmaa & Sobab, & Nathan & Salomon quatuor de Betſabee filia Ammiel.* B. Auguſtinus ad hunc locum mentem non advertens, Nathanem prophetam & Nathanem filium David pro eodem homine habuerat, ſed poſtea in retractationibus ſuis errorem ſuum agnovit. Salomon quidem dicitur unicus matris ſuæ; ſed id intelligendum de amore ſpeciali, qua eum diligebat præ cæteris filiis ſuis. Cùm ergo Nathan frater eſſet Salomonis ex eodem patre & eadem matre prognatus, tenebatur ipſe, aut ejus nepotes, ſi aliquando Salomon, aut poſteri ejus carerent liberis, eis ſuſcitare ſemen. Quod factum modò dicemus, quando Jechonia mortuo ſine liberis, Neri ex Nathane deſcendens, ſuſcitavit ei Salathielem.

32. *Qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,* 33. *qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,* 34. *qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachor,* 35. *qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit*

Phaleg,

Digitized by Google

LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI

Secundum Matthæum.			Secundum Lucam. *Septuaginta ſex generationes.*	
			Adam.	1
			Seth.	2
			Enos.	3
			Cainan.	4
			Malaleel.	5
			Jared.	6
			Enoch.	7
			Mathuſale.	8
			Lamech.	9
			Noe.	10
	Tres generationum τεσσαρεσκαιδεκάδες		Sem.	11
			Arphaxad.	12
	ſive		*Cainan.*	13
			Sale.	14
			Heber.	15
	ter quatuordecim generationes.		Phaleg.	16
			Ragau.	17
			Sarug.	18
			Nachor.	19
	Primæ quatuordecim generationes.		Thare.	20
1		Abraham		21
2		Iſaac		22
3		Jacob		23
4		Juda		24
5		Phares		25
6		Eſron		26
7		Aram, *aut* Ram		27
8		Aminadab		28
9		Naaſſon		29
10		Salmon		30
11		Booz		31
12		Obed		32
13		Jeſſe		33
14		David		34
	Secundæ quatuordecim generationes.		Nathan.	35
1	Salomon.		Mathata.	36
2	Roboam.		Menna.	37
3	Abia.		Melea.	38
4	Aſa.		Eliakim.	39
5	Joſaphat. *Tres reges prætermiſſi*		Jona.	40
6	Joram. *à Matthæo.*		Joſeph.	41
	.... *Ochoſias.*		Juda.	42
	.... *Joas.*		Simeon.	43
	.... *Amazias.*		Levi.	44
7	Ozias, *qui & Azarias.*		Mathat.	45
8	Joathan.		Jorim.	46
9	Achaz.		Eliezer.	47
10	Ezechias.		Jeſu.	48
11	Manaſſe.		Her.	49
12	Amon.		Elmadan.	50
13	Joſias.		Coſan.	51
14	Jechonias.		Addi.	52
	Tertiæ quatuordecim generationes.		Melchi.	53
1	Jechonias.		Neri.	54
2		Salathiel		55
3		Zorobabel		56
			Reſa.	57
4	Abiud.		Joanna.	58
			Juda.	59
			Joſeph.	60
5	Eliacim.		Semei.	61
			Mathatias.	62
6	Azor.		Maath.	63
			Nagge.	64
7	Sadoc.		Heſli.	65
			Nahum.	66
8	Achim.		Amos.	67
			Mathatias.	68
9	Eliud.		Joſeph.	69
			Janne.	70
10	Eleazar.		Melchi.	71
			Levi.	72
11	Mathan.		*Mathat.*	73
			Heli.	74
12	Jacob.			
13		Joſeph		75
14		Jeſus		76

Digitized by Google

Phaler, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. *qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech.* In fonte Hebræo Geneſeos, cap. 10. ℣. 24. & 1. Paralip. cap. 1. ℣. 18. Sale dicitur genitus ab Arphaxad. Ergo Cainam qui hic legitur apud Lucam inter Sale & Arphaxad inſertus eſt à manu aliena, ex corrupta verſione ut volunt LXX. interpretum. Abeſt enim non ſolùm ab Hebraico ſed & à Samaritano codicibus; non legitur in verſione vulgata Paralipomenorum & Geneſeos. Omiſſum eſt in Chaldaicis paraphraſibus; non occurrit apud Joſephum: & Uſſerius evincit in editione Græca, quæ correctior erat, non lectum illud nomen, allegans teſtimonia veterum in ſua doctiſſima de Cainane diſſertatione. Opinatur ergo vel Lucam ſequutum eſſe aliquorum ſententiam, qui Cainanem interponerent inter Sale & Arphaxad, vel quod veriſimilius eſt, ex non ſatis correcta editione Græca inductum illud nomen à ſciolo amanuenſi in Lucæ codicem, unde manavit error non in omnes, nam in aliquibus codicibus Græcis non occurrit.

Cainanem illum inſititium eſſe probat inſuper generationum numerus, quem Irenæus agnoſcit, ut ſuprà obſervavimus. Hanc autem ſententiam plerique orthodoxi & magni nominis interpretes ſequuntur, quorum teſtimonia adducit Uſſerius. Attamen viri qui actum putant de auctoritate ſacri codicis, ſi vel minimus error in illum irrepſerit, vel ab oſcitantia amanuenſium, vel ex ſcholiis ſciolorum quæ marginibus primùm appoſita, deinde in textum tranſeunt: illi inquam viri volunt Sale fuiſſe binominem; ut τῦ Σαλᾶ, τῦ Καινὰν reddi debeat; *qui fuit Sale, qui Cainam dicebatur*, vel Cainam omiſſum à Moyſe, à Luca expreſſum, cùm vel traditione, vel revelatione ſic faciendum didiciſſet. Quia verò ſcriptura dicat Arphaxad genuiſſe Sale anno trigeſimo quinto, reponunt Arphaxad anno decimo octavo nupſiſſe & ſuſcepiſſe Cainam, qui ipſe decimo ſeptimo anno habuerit Sale filium contra morem antiquum; nam hiſce temporibus matrimonia tardiùs contrahebantur.

37. *Qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Cainam,* 38. *qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Nempe Adam non habuit alium vitæ ſuæ auctorem quàm Deum. Hocque gradu attollit animos Evangeliſta ad credendam Chriſti genituram. Nam qui ſine patre hominem primum potuit producere, idem efficere potuit, ut Chriſtus ex virgine ſine patre naſceretur. Paulus dicit nos eſſe Dei genus. Ita & Adam filius Dei haberi poteſt. Quin & ipſe Deus hocce ſenſu ſe patrem dicit. Deuteron. cap. 32. ℣. 6.

Jam expendendum in quo Evangeliſtæ ſeries texatur patrum legalium, in quo naturalium, juxta duplicem rationem qua diximus libellos genealogicos confici potuiſſe. Unam & eandem rationem Matthæus & Lucas non ſecuti ſunt, alioquin non diverſa nomina ſive diverſas generationes proferrent. Quam autem rationem quiſque inierit nunc quærimus. Huicce loco inſerendum eſt ſyſtema utriuſque genealogiæ, quod ſubjicit oculis in quo conveniant Evangeliſtæ, & in quo videantur non convenire. Oculos & mentem adverte, lector, ad illud ſyſtema, in quo compoſitas cernis quas uterque Evangeliſta Jeſu Chriſti genealogias texuit.

Matthæus Hebræis ſcribens, quibus notum erat Adamum eſſe omnium hominum parentem, non ab illo genealogiam Domini repetivit, quod facit Lucas ſcribens Gentibus, quas latebat Adamum primum hominum parentem eſſe, & eum factum à Deo quem Judæi colerent. Eò tem perducit tantùm Matthæus ut oſtendat Jeſum eſſe hæredem Abrahami & David, quibus factæ erant promiſſiones de Meſſia. Nulli Judæo ignotus erat Adam ut ſupra Abrahamum genealogiam Domini producere operæ pretiũ eſſet. Sed non ita erat de Gentibus, quarum ergo in favorem omnes generationes ante Abraham recenſet Lucas. Ambo cõveniunt referentes ab Abraham uſque ad David parem numerum generationum & eaſdem perſonas. Ubi verò ad David pervenerũt Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan ſeriem genealogiæ Dominicæ texunt. Per Salomonis inquam filios qui regnavere deſcendit ad Dominum Matthæus; & Lucas aſcendit per Nathanis prolem.

Conveniunt iterum dicti Evangeliſtæ in Salathiele, & in Zorobabel. Porro Salathieli Matthæus Jechoniam patrem aſſignat, Lucas Neri. Quis autem ex illis Salathielem natura genuerit, quæritur. In Schemate quidem genealogico, quod ſuprà propoſuimus ex Paralipomenis lib. 1. cap. 3. Jechoniæ de quo agimus, plures filii nominantur. Horum primus in verſione Græca & Latina dicitur ἀσὶρ, *aſir* quam vocem plerique volunt eſſe appellativam; ſonat illa apud Hebræos idem quod *vinctus*; ut fontis ſenſus eſſe poſſit: *& filii Jechoniæ vincti fuerunt Salathiel, Melchiram*, & alii. Verùm an natura ab eo fuerint ſuſcepti, incertum facit Jeremias de illo loquens tanquam de viro ſterili, cap. 22. ℣. 30. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David & poteſtatem habeat ultrà in Juda.* In paraphraſi Chaldaïca *ſcribe virum abſque liberis.* Scio vaticinium illud ſic detorqueri, ut minas tantummodo intentaverit Deus, nec poſtea ſine vera prole diem ſuum obierit Jechonias. Quin diſcimus ab Hieronymo in interpretatione vocis Hebrææ ערירי *hariri*, diſſentire Græcos interpretes. Alii *ſterilem*; alii *non creſcentem*, alii *abominabilem* & *abdicatum* interpretatos eſſe. Verùm præterquam *hariri* uſitatiùs ſignificet virum improlem, ſive ſine liberis, ſi reipſa Jechonias genuiſſet naturali generatione Salathie-

lathielem, qua cauſa impulſus ad Nathanem Lucas perduxiſſet genealogiam Chriſti? Huc ſpectabat iſta genealogia, ut oſtenderetur Ieſus hæreſes ſceptri Davidici: Si Salathielem Iechonias verè genuit, filius & hæres Iechoniæ Salathiel erat, nec jus ullum ei conſerebat aliqua cum Neri affinitas. Saltem illam affinitatem memorare nullius pretii erat; cùm è contra ut Lucas regiam ſucceſſionem aſſereret Chriſto. ſi Iechonias ſine liberis mortuus eſt, ad legalem ſucceſſionem ei recurrendum fuit, innuendo quòd Neri proles Nathanis debuerat ſuſcitare ſemen Iechoniæ ſine liberis defuncto.

Ex hiſce colligo veriſimilius eſſe naturalem ſucceſſionem exhiberi à Luca, à Matthæo legalem. Sic decebat. Lucas enim comes peregrinationum Apoſtoli gentium, ſcribebat gentibus quibus minus nota legalis ſucceſſio. Debuit igitur Chriſti genealogiam proponere juxta naturalem ſucceſſionem. Matthæus verò ſcribebat Hebræis, quibus magis accommodata genealogia legalis; etenim apud eos non natura ſed lex hæredes conſtituebat. Qui in contrariam ſententiam abeunt parum validis, ut puto, fundamentis nituntur, neque enim verbo ἐνομίζετο pugnare poſſunt, quaſi omnes quos recenſet Lucas parentes non natura ſed νόμῳ ſive lege fuiſſent, plures enim nominat ut dixi, verè patres. Nec poſſunt vim facere in verbo, *genuit*, quod uſurpat Matthæus, cùm dicat Lucas, *qui fuit*; quaſi verbum *genuit* conveniret tantùm generationi naturali, & *qui fuit* oſtenderet generationem ſolummodo legalem. Certum eſt eum qui ex fratre genitus ſit, mortui fratris vocari ſemen ipſius. Potuit ergo Matthæus genitorem appellare eum qui hæredem reliquerit. Latini adoptivos parentes nominant genitores. Idem Matthæus dicit Ioram genuiſſe Oziam, licèt inter utrumque ſini tres generationes. Nec omninò certum eſt de Ezechia quem ille Evangeliſta dicit genirum ab Achaz, an naturà filius fuerit ejus; præterquam enim Ezechiam genuiſſet Achaz non ultra undecim annos natus ut ſupra dicebamus; quod creditu difficile eſt, videtur Achaz mortuus fuiſſe ſine liberis. Dicitur enim de eo. 4. Reg. cap. 16. ℣. 3. conſecraſſe filium ſuum idolis Gentium transferendo per ignem, ſive luſtraſſe filios ſuos in igne, ut adſtruitur. 2. Paralip. cap. 28. ℣. 3. Ioſephus verò diſertè dicit proprium filium ſuum holocautoma obtuliſſe idolis. καὶ τὸν ἴδιον ὡλοκαύτωσε παῖδα. lib. 9. cap. 22. antiq. Laxa ergò eſt ſignificatio verbi *genuit* in ſcripturis. Caleb in libro Ioſue, c. 14. ℣. 14. appellatur filius Iephone qui in Paralipomenis, lib. 1. cap. 2. ℣. 18. dicitur filius Heſron, qua occaſione notat Maſius, non inſolens eſſe ut nepotes clari inter filios adnumerentur. Ita ex his verbis *genuit* & *qui fuit*, evinci non poteſt Lucam hæredum, Matthæum filiorum ſeriem texere.

Neutri autem Evangeliſtæ propoſitum fuit altera conſtanter neglecta unam ſequi ex duabus rationibus quibus libros genealogicos confici potuiſſe docuimus. deprompſere hos libros quales ſervabantur in archivis. Ambo faciunt Obed filium Booz à quo natura genitus eſt; neuter meminit Mahalon cui priùs Ruth nupſerat, cujus ergo Obed filius erat legalis, contra verò in Zorobabele ambo ſucceſſionem legalem ſequuntur; nam ut oſtendit ſtemma Ioſiæ ſupra poſitum, Zorobabel erat filius Phadaiæ fratris Salathielis; nec alterius Zorobabelis, quàm de quo loquuntur Matthæus & Lucas, fit mentio in illo loco Paralipomenorum ex quo ſtemma excerptum eſt; ille enim erat Ioſiæ regis hæres. In hoc autem ſtemmate ſoboles Zorobabelis non eadem eſt quæ nominatur tum in Matthæo tum in Luca. Sed poteſt fieri ut hi quos memorant Evangeliſtæ non orti ſint ab Hanania, cujus ſoboles recenſetur in Paralipomenis, ſed ab altero Zorobabelis filio; nam præter filiam Salomith multos filios habuit Zorobabel, ut videre eſt in ſtemmate. Omnem caliginem hinc fugare non poſſumus; quia perierunt libri genealogici unde lux affulgere poſſet. Nec conjecturis aſſequi licet quis ex illis duobus Abiud & Reſa natus ſit ex Zorobabel natura, quis natus lege.

Eadem dicerem de Iacob à quo Ioſephum genitum fuiſſe dicit Matthæus, & de Heli quem pro patre Ioſephi ſtatuere videtur Lucas, ſed antiquum eſt Eccleſiæ monumentum, cujus ratio habenda. Occurrit illud apud Euſebium, lib. 1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 7. Epiſtola eſt Africani ad Ariſtidem in qua agitur de hocce diſſenſu qui creditur eſſe inter Evangeliſtas circa ſtirpem Chriſti. Primùm obſervat Africanus quod & nos ſupra fecimus, patres conſtitui φύσει ἢ νόμῳ. *natura, aut lege. Unde fit*, ut ex verbis illius *ut familiæ, quæ cùm à Salomone deducuntur, adeo inter ſe permixtæ ſint, partim reparatione nominis eorum qui ſine prole deceſſiſſent, partim ſecundis nuptiis, partim etiam ſeminis ſuſcitatione, ut iidem homines diverſos patres habuiſſe meritò credantur; hos quidem qui viderentur, illud verò naturales, quo fit ut utriuſque Evangelii narratio abſolutè veriſſima, vario quidem linearum contextu, ſed accuratè ad Ioſephum uſque deſcendat.* Nodum deinde ſoluturus auctor, ſive definiturus, qui reipſa pater eſſet naturalis Ioſephi, affert veterem traditionem, quam ſe accepiſſe ſcribit ab iis qui ſe dicebant ortos ex cognatione I. C. D. N. & ideo *Δεσπόσυνοι* dicebantur.

Mathan & Melchi inquit Africanus ex dicta traditione, *cùm eandem uxorem alter poſt alterum habuiſſent, liberos ex ea, qui uterini fratres erant, ſuſceperunt. Quippe lex minimè vetabat, ne mulier vidua, ſeu repudiata, ſeu viro ipſius mortuo, alteri nuberet. Igitur ex Eſtha (hoc enim mulieris nomen fuiſſe accepimus) primus Mathan qui à Salomone genus ducebat; Iacobum filium ſuſtulit. Poſt Mathanis autem interitum, Melchi qui ad Nathanem*

ori-

Digitized by Google

originem referebat; cùm ex eadem Tribu; ſed diverſa familia editus eſſet, ut antea diximus, uxorem eam ſortitus Heli filium ſuſcepit. Hoc modo Iacob & Heli licèt diverſo genere prognatos uterinos fratres reperiemus: quorum alter, Iacob ſcilicet; cùm frater ipſius Heli ſine liberis deceſſiſſet, viduam eius conjugem ſibi accipiens tertium ex ea Ioſephum genuit naturali quidem ratione filium ſuum. Unde etiam ſcriptum eſt: Iacob autem genuit Ioſeph, ſed ſecundùm legem filius erat Heli, quippe cùm ejus ſemen Iacobus frater ſuſcitaviſſet. Proinde nec generis per eum deducta ſeries vana ac futilis deprehendetur: quam Matthæus quidem recenſens, Iacob inquit, genuit Ioſeph. Lucas verò è contrario à filiis ad parentes aſcendens; Ieſus, inquit, ut putabatur, (hoc enim disertè addit) filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi, neque enim, poterat diſertiùs exprimi illa generandi ratio, quæ eſt ſecundùm legem: φύσιν καὶ νόμον. Ideo in hujuſmodi liberorum generatione, verbum illud genuit ad finem uſque reticuit, cùm ad uſque ipſum Adamum, qui fuit Dei, gradatim aſcendendo, totius generis ſeriem produxit. Subſequens ſtemma hæc clariora faciet.

MATTHÆUS.	LUCAS.
Mathan prior maritus Eſthæ.	*Melchi* poſterior maritus Eſthæ.
Iacob filius naturalis Mathan ex Eſtha conjuge.	*Heli* filius naturalis Melchi ex Eſtha conjuge.

Ita Iacob & Heli fratres uterini. Cùm autem Heli mortuus eſſet ſine liberis, viduam ejus uxorem duxit Iacob, ex quo conjugio natus eſt

IOSEPH

filius naturalis Iacob & filius legalis Heli.

Itaque Ioſeph verè genitus à Iacob, jure naturæ hæres erat Iacob & aliorum, quorum ille hæres, nempe regum de ſtirpe Davidica. Quo ergo fine à Ieſu Chriſto aſcendiſſet Lucas ad Nathanem, cui nullum jus in regnum, cùm è contra ille non erat prætermittendus ſi verè genuiſſet proavos Ioſephi in cujus conjugio natus erat Chriſtus. Præterea non concordat cum veteri traditione Africani id quod allegatur ex Maimonide. *Fratres uterini nequaquam reputantur fratres, ſive in cauſa hæreditatis cernendæ, ſive in cauſa ducendæ fratriæ aut exuendi calcei.*

Quidquid ſentiendum ſit de ſyſtemate Africani non mirandum eſt ſi inter Melchi & Heli duas reticeat generationes, nempe *Levi & Mathat*; etenim nondum inſertæ fuerant in codicem ſacrum ea qua vivebat ætate Africanus. Lucas autem à Davide uſque ad Salathielem, utroque excluſo termino habet viginti generationes; Matthæus verò intra eoſdem terminos, quindecim generationes. Scilicet Lucas, aut auctor genealogiæ quam protulit, omnes enumerat natura patres per quadringentos annos, prout autem quiſque ex illis Iunior uxorem duxerat, major eſſe debuit generationum numerus. Succeſſionem verò regiam demonſtrans Matthæus ſolos enumerat regni Davidici hæredes, quales deprehenduntur in ſacro codice. Per alios quingentos, aut ſexcentos annos qui effluxerunt uſque ad Chriſtum natum, à Salathiele uſque ad Ieſum, non numeratis Levi & Mathat qui inſititii putantur, complectentes autem Ieſum & Salathielem numeramus in Luca decem & octo generationes quibus in Matthæo reſpondent tredecim generationes. Nimirum cùm Matthæus, vel quiſquis archivorum tabulas conflaverit, jus ſucceſſionis oſtenderet, huic, vel illi ſufficiebat, hæredes enumerare. Plerumque enim contingit ut quis moriens ante diem, relinquat hæredi ſuo jus ad hæreditatem, quam ipſe non adierit, quia tenebatur à viro adhuc vivente. Unde ſi de regno ageretur, neutiquam ille eſſet recenſendus inter reges quia non regnaverit, licèt genuerit regem. Ita minor eſſe potuit generationum, ſive ſucceſſorum, aut hæredum numerus in Matthæo, quàm in Luca qui naturales parentes recenſuit.

Plura non addam; neque enim mihi propoſui congerere omnes diverſas opiniones; ſicut nec ſolvere quæſtiones difficultateſque, quæ animum ſubire poſſunt circa genealogiam Chriſti. Fruſtrà enim quæruntur quæ non poſſunt inveniri niſi in archivis Iudæorum, quæ evanuerunt? Alii alia diverſa ſyſtemata cognationum, ſive Ioſephi, ſive Mariæ ſuperſtruunt. Verùm hæc gratis finguntur, aut hauriuntur ex fontibus turbidis. Utar verbis magni Auguſtini contra Fauſtum, lib. 32. cap. 9. *Quod canonicum non eſt, non me conſtringit.* Sufficit in his & ſimilibus rebus diſtinguere clara ab obſcuris, certa ab incertis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Maria reverſa ab Eliſabeth, ſuſpecta fit Joſeph ſponſo ſuo advertenti eam prægnantem eſſe; ſed ille monitus ab Angelo de Spiritu ſancto concepiſſe, in uxorem accipit.

MATTHÆUS, Cap. 1. ℣. 18—25.

† *In Vigil. Nat. Dom. & feſto S. Joſeph.*

18 † CHriſti autem generatio ſic erat. Cùm eſſet deſponſata mater ejus
Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero ha-
bens de Spiritu ſancto.

† *Deut. 24. 1.*

19 Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam † traducere: vo-
luit occultè dimittere eam.
20 Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei,
dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam:
quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.

† *Luc. 1. 31. Act. 4. 12.*

21 Pariet autem filium: † & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum fa-
ciet populum ſuum à peccatis eorum. ¶
22 (Hoc autem totum factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt à Do-
mino per prophetam dicentem:

† *Iſa. 7. 14.*

23 † Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen
ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.)
24 Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Do-
mini, & accepit conjugem ſuam.
25 Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum: &
vocavit nomen ejus Jeſum.

REVERTAMUR ad ſeriem hiſtoriæ Evangelicæ, quam interpellavimus inſerta genealogia Domini. Priùs tamen de legibus Hebræorum circa connubia agendum: hinc enim pendet ſolutio difficultatum quas tum attigimus, tum attingendæ reſtant circa nuptias, quibus Maria cum Joſepho conjuncta eſt. Iam dixi has nuptias neceſſarias, ut obumbraretur virginitas Mariæ, *ut partus ejus celaretur diabolo, dum non putat de virgine ſed de conjugio naſci filium ejus.* Verba ſunt Ignatii Martyris, quæ allegat Hieronymus. *Teſtis pudoris maritus adhibetur.* Verba ſunt D. Ambroſii *qui poſſet & delere injuriam, & vindicare opprobrium ſi non agnoſceret ſacramentum. Quid quòd etiam fides Mariæ verbis major adſciſcitur, & mendacii cauſa removetur? Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mendacio innupta prægnans. Cauſam autem mentiendi indeſponſata habuit, deſponſata non habuit; cùm conjugii præmium & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum.*

Nuptias Maria & Ioſeph procul dubio inierunt ſervatis Hebræorum circa connubia legibus; juxta quas decet igitur explicare tum res de quibus agimus, tum & ſermonem quo utitur Evangeliſta in eo in quo nunc verſamur loco. Igitur operæ prætium eſt leges Hebræorum circa connubia, mores, conſuetudines deſponſationum, & nuptiarum expendere diligenter. *Iſraelitis quidem præceptum eſt*, ait Maimonides de connubiis Hebr. cap. 1. num. 1. interprete Ludovico de Veille. *Ut ſi quis eorum ducat uxorem, is ſibi primùm eam teſtibus adhibitis emat: tum pro uxore habeat, Namque hoc eſt, quod ſcriptum legitur.* Deuter. cap. 22. ℣. 13. Cùm emerit vir uxorem, & ingreſſus fuerit ad eam &c. Num. 2. *Atqui hanc emptionem jubendo lex ſancit. Tribus igitur rebus uxor comparatur, argento, inſtrumento, ſeu præſcriptione atque congreſſu: congreſſu quidem ac præſcriptione ex dicto legis: argento autem inſtitutis ſapientum. Atqui hæc emptio paſſim dicatio dicitur, vel ſponſalia: & quæ mulier harum trium rerum*

aliqua

aliquâ fuit empta, hæc vel dicata, vel ſponſa dicitur. Pergit loqui Maimonides, num. 3. *Jam ubi fuerit empta mulier atque dicata, quamquam nondum viro eſt conjuncta, nec deducta domum, tamen emptoris fit uxor; & ſi quis præter illum cum ea corpus miſcuerit, hunc morti Judices addicunto; atque emptor eam ſi repudiatam eſſe velit, repudii libello opus eſto*. Id pluribus Judæorum teſtimoniis conſtat; quæ congerunt Buxtorfius & Seldenus in libris quos circa Hebræorum connubia ediderunt. Id aſtruit Philo, libro *de Specialibus Legibus*. Cùm dixiſſet turpe facinus admiſſum cum deſponſata ſed nondum nupta, eſſe ſpeciem adulterii, ſubjungit protinus: *Nam ſponſalia tantumdem valent quantum nuptiæ, quando in ſolemni amicorum conventu mariti uxoriſque nomina inſcribuntur tabulis. Propterea lex reum & ream jubet lapidibus obrui, ſi acceſſit etiam puellæ conſenſus ad nequitiam*. In Judicibus, cap. 14. ℣. 15. & 20. Samſon vocatur vir ſponſæ ſuæ, & illa dicitur uxor ejus, quamquam nondum contractis nuptiis, quæ poſtea non contractæ ſunt. Ergo eo tempore quo nondum Maria virgo deducta fuerat in domum Joſephi, potuit illa vocari uxor, & ille vir ejus; ex qua ergo appellatione deduci non poteſt, tunc temporis perfecto matrimonio fuiſſe conjunctos.

Quoniam Maimonides mihi eſt inſtar omnium Judæorum; & omnium virorum doctorum ſententia demendus ſit de numero Rabinorum qui ineptiunt; mores Hebræorum in contrahendis nuptiis ore ejus exponere proſequar. Statim poſt ſponſalia in domum conjugis virgo non deducebatur: concedebatur ei aliqua in parentum ædibus mora, quam ſic definit Maimonides tractatus allegati, cap. 10. num. 17. *Cùm parvam ſibi deſpondit aliquis, multiſque moratus annis ſponſam ſibi poſtulat nuptum dari puellam externam, à poſtulatione tribuuntur etiam ſponſæ menſes duodecim, quibus ſe ipſa alat, & comparet ea quorum indiget: tum deinde nuptui datur. Si poſtulat jam puberem, menſes ei duodecim ſunt numerandi à primo pubertatis die. Et ſi quis virginem eodem ipſo die, quo illa pubeſceret, ſibi dicarit, item dantur ſponſæ menſes duodecim à dicationis die, qui idem ipſe pubertatis eſt. Si quis autem virginem ſibi dicarit poſtea quam puber eſſet, huic ſiquidem pubertas extiterit duodecim menſes antequam dicaretur, omnino triginta dies concedantur ex quo poſtulatur in nuptias. Item ſi quis ſibi deſponderit mulierem, ſponſæ dies omnino triginta conceduntur ex quo poſcitur in nuptias*. Id moris eſſe adhuc Judæis, ſed nullo ſtatuto moræ termino adſtruit Leo de Modena, parte 4. cap. 3. hiſtoriæ ſuæ de ritibus Hebræorum. Quidam, inquit, deſponſati manent per integrum annum; alii per ſemeſtre; plus, vel minus pro voluntate, vel commoditate partium contrahentium. Sed ne ſuſpecta ſit Judæorum fides, videamus exempla hujuſce conſuetudinis in ſcriptura. In Geneſi, cap. 24. ℣. 55. fratres Rebeccæ poſtulant ne illa ad Iſaac cui modò fuerat deſponſata deduceretur, niſi poſt aliquod temporis intervallum. *Maneat*, inquiunt, *puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur*. In Paraphraſi Chaldaica: *maneat puella nobiſcum aliquo tempore, aut decem menſibus, & poſtea ibit*. Videre eſt in Geneſi, cap. 19. ℣. 14. eos Lot dici generos, qui accepturi erant filias ejus, quæ interea apud eum commorabantur, quin & ipſis puellis captivis menſis concedebatur ex lege Deuteronomii, cap. 22. ℣. 13. poſt deſponſationem, antequam deducerentur in thalamum ſponſi.

Interea temporis dum ſponſa manebat in domo parentum, ſponſo non licebat cum ea rem habere. *Sponſus*, inquit Maimonides, cap. 10. num. 1. *auctoritate ſapientum ſponſa prohibetur tamdiu, dum ea remanet ad patrem. Et qui ſua cum ſponſa cubat apud ſocerum, is de rebellione uſque diverberatur*, hoc ergo pro pravo facinore habebatur. Ad rem quam tractamus maximè facit locus ille Maimonidis in tractatu de prohibitis congreſſibus, cap. 15. num. 17. *Deſponſata ſi gravida fiat in domo patris ſui, infans habetur pro ſpurio, & prohibitus eſt filiæ Iſraelis honeſtæ, imo & ſpuriæ. Quòd ſi examinetur mater ejus, & dicat ex ſponſo meo impregnata ſum, creditur ei, & infans eſt legitimus: quòd ſi verò ſponſus ejus eam mendacii arguat, & dicat per vitam meam nunquam rem habui cum ea; infans eſt ſpurius, licèt pro filio ejus habeatur &c.*

Elapſo tempore quod ſponſæ conceſſum fuerat, deducebatur domum ſponſi, qua deductione verum perficiebatur matrimonium, ut docet nos idem Maimonides tractatu ſuprà allegato de connubiis, cap. 10. num. 2. *atque ut ſponſam duxit ad thalamum ſponſus licèt cum ea quo libeat tempore cubet: tum hæc illius uxor ad omnia ſit habenda: item ut ad thalamum ſponſa ducta fuit, nupta appellatur, ut etiam cum viro corpus nondum miſcuerit, ſi quidem ad miſcendum parata ſit. Nam menſtrualem ſi duxerit ad thalamum, & cum ſola fuerit ſolus, nihilomagis conſummatæ ſunt nuptiæ; ſed hæc etiam pro ſponſa habetur*. Tunc cùm ad ſponſum ducebatur ſponſa, dicebatur ille eam accipere in uxorem; ut liquet ex hiſce verbis Deuteronomii, cap. 20. ℣. 7. *Quis eſt homo, qui deſpondit uxorem, & non accepit eam? Vadat & revertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam*. Ad hanc legem reſpiciebat Judas dicens, lib. 1. Machab. cap. 3. ℣. 56. *Et dixit his qui ſponſabant uxores & plantabant vineas, & formidoloſis, ut redirent unuſquiſque in domum ſuam ſecundum legem*; donec ſcilicet accepiſſent ſponſas ſuas. De illa acceptione, ſive in domum ſponſi deductione locus ille Judicum, cap. 14. ℣. 7. & 8. intelligendus; ubi de Samſone fit ſermo.

Digitized by Google

Deſcenditque & locutus eſt mulieri quæ placuerat oculis ejus, & poſt aliquos dies revertens ut acciperet eam &c.

Sponſa, poſtquam accepta erat, ſi virgo non deprehenderetur, obruebatur lapidibus. Ream accuſare maritus tenebatur; neque enim licebat cuiquam in ea re eſſe injuriæ patientem. Maimonides in præfatione in *Seder Zeraim*, adſtruit à Moſis tempore in controverſiam non vocatum commiſſi ſtupri ream poſt ſponſalia mortis ſupplicio eſſe plectendam. Multi ſunt Judæi in enumerandis præreptæ virginitatis indiciis, tum in inſtruenda actione quæ intendebatur reæ virgini. Quoniam mea refert non haberi pro figmento quæ ex Maimonide protuli, hæc confirmabo luculento teſtimonio Philonis, *lib. de Special. Leg. Si quis*, inquit, *poſt epulum nuptiale cum puella non maritali affectu, ſed tanquam cum meretrice libidinis cauſa congreſſus, deinde non habens, quod ei palam exprobret; calumnioſè vertat ſe ad occulta crimina, dicendo in primis complexibus eam à ſe mulierem deprehenſam non virginem: vocetur univerſus ſenatus ut judicet: adſint etiam accuſatæ parentes, communem cauſam acturi. In tali enim controverſia, quando de caſtitate corporis quæritur, non imminet periculum ſoli filiæ, ſed etiam ejus curatoribus, non modò quia uſque ad ſuum tempus non cuſtodierint natæ pudicitiam, verùm quia vitiatam ab alio deſponderunt pro virgine, decepto qui eam ſibi uxorem petiit. Qui ſi litem vicerint, mu*[illegible]*tur calumniator ex judicum arbitrio, tum pecuniis, tum verberibus &c.* Eadem inveniuntur apud Joſephum Antiq. lib. 4. cap. 8. *Si quis aliquam pro virgine deſponſatam poſtea talem non invenerit, in jus vocatam accuſet, afferatque argumenta quæ habet; puellæ verò cauſam agat pater, aut frater, aut qui poſt hos genere videtur proximus.* Ubique adultera mulier habetur pro interdicta; ita vir juſtus, id eſt legum tenax, non poterat retinere apud ſe, quam ſuſpicaretur adulterio pollutam. Inde Salomon dicit in Proverbiis, cap. 18. ℣. 22. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & impius.* Similiter & in Eccleſiaſtico, cap. 25. ℣. 36. *à carnibus tuis abſcinde illam.* his prænotatis verba ſacri codicis expendamus.

18. *Chriſti autem generatio ſic erat. Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.* Nativitas ejus, id eſt tum conceptus, tum partus; quod denotat nomen γέννησις aliud à γένεσις, quo primùm uſus Evangeliſta dixit βίβλος γενέσεως *liber generationis*, ſive progeniei, ſive generis. Nunc quæ circa conceptum & partum Domini contigerint narranda, ſuſcipit Matthæus. *Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph*, ſponſione huic promiſſa, ut diximus, *antequam convenirent*, nimirum antequam Maria duceretur in domum Joſeph, inventa eſt prægnans. Statim ac deſponſata eſt, juxta verba Gabrielis conceperat; & illud tempus quod concedebatur puellis deſponſatis ante deductionem triverat commorata per tres menſes apud cognatam ſuam Eliſabeth, hoc autem elapſo tempore, cùm ad parentes reverſa eſt, tumeſcentis uteri indicia apparuere.

Hæc omnia clara ſunt, & conſentanea, ut liquet, moribus Hebræorum. Invaluit tamen opinio, ut dixi, Mariam non ſolùm deſponſatam ſed & matrimonio conjunctam cum Joſepho etiam ante colloquium Gabrielis. Verùm præterquam noſtra interpretatio nititur verbis Evangeliſtæ, majorem Dei ea in re ſapientiam oſtendit. Neque enim decebat Mariam ſubjacere imperio mariti, & unà cum eo verſari, cui priùs non innotuiſſet eam à Deo matrem Chriſti electam eſſe. Myſterium autem illud non illi ante patefaciendum fuerat, niſi tempore quo ſponſa domum ejus deducenda, ut nuptiæ à ſuſpicione criminis virginem defenderent ſimul & virgineum partum tegerent. Deſponſanda quidem Maria viro, ſed donec ille rem omnem eſſet edoctus, congruebat ut interea ab eo abeſſet poſt deſponſationem per aliquod tempus ante nuptias complendas. Quo conſtare poterat neutiquam rem habuiſſe cum ſponſo: nam mos conſuetus erat in Galilæa in qua Maria habitabat, ut ante deductionem nec hora unica ſponſus cum ſponſa moraretur, ut indicat ille locus Gemaræ Babylonicæ ad titulum Cethubo. *In Judæa mos antiquus obtinuit, ut ſponſus ſolus hora unica permitteretur cum ſponſa ante deductionem in thalamum (quod in Galilæa fieri neutiquam ſolet) ut nempe amor ejus erga eam accenderetur.*

Ubique ſcopulis impingunt, qui in contrariam ſententiam abeunt. Vix enim cogitari poteſt conjux cum conjuge expers thori, cùm Chriſtus nondum natus ex Virgine virginitatem præmiis nuptiarum anteponendam probaſſet. Sed clamitant non ab omni dedecore Mariam immunem fuiſſe, ſi populares ejus adverterint ante legitimas nuptias prægnantem; & ſex tantùm elapſis menſibus à manſione cum marito, partu ſolutam. Ad hæc reſpondeo, Joſephum, cui primò innotuit tumens uterus Mariæ, & qui myſterium omne edoctus fuit, ſuſpicionem de conjuge amovere potuiſſe. Præterea Maria, raró in publicum prodiens non in ore hominum erat, & parturiens extra incolatum & protinus poſt partum in Ægyptum fugiens non dedit locum rumoribus. Quam opinionem defendo, non pauci interpretes tutantur. Placuit Toſtato, Caietano & aliis. Nondum in domum Joſeph Mariam fuiſſe deductam cùm Gabriel ad eam acceſſit, aſtruunt Salmero & Baronius, ne plures alios nominem.

Hæc doctrina favet perpetuæ virginitati Mariæ; hæc enim verba *antequam convenirent* inter-

Digitized by Google

terpretamur de acceptione Mariæ in conjugem, quando ſcilicet Joſeph cum ea habitavit. Hæreticis accenſet Eccleſia Helvidianos Antidicomarianitas, qui maritali commercio Joſephum uſum eſſe contendebant poſtquam Maria Jeſum pepetit. Illi autem arma petebant ab horum verborum interpretatione, quam repudiamus, *antequam convenirent*. Scilicet opinabantur, ibi honeſto nomine ſignificari, quæ fieri ſolent in conjugiis. Invalidum quidem argumentum erat hæreticorum; etſi enim Evangeliſta dixerit Mariam concepiſſe antequam illa & Joſeph convenirent, non ſequitur poſtea conveniſſe, ut multis collatis ſimilium locorum exemplis evincunt orthodoxi. Verùm omnis argutiarum materies heterodoxis præripitur, cùm in eum ſenſum verba Matthæi ſic accipiuntur, ut non indicetur honeſto nomine res inhoneſta, ut ait Maldonatus, ſed tantummodo ipſa in domum mariti deductio; nimirum priuſquam conſociarentur Maria & Joſeph, illam inventam prægnantem. Non diffiteor verbum Græcum *συνελθεῖν*, ſicut & Latinum *convenire*, maritale commercium poſſe ſignificare; ſed ſignificatio alia magis propria eſt, ut liquet ex innumeris locis ſcripturarum ubi occurrit & uſurpatur ad ſignificandum duorum, vel plurium concurſum in eundem locum. *Convenientibus vobis in eccleſiam*. 1. Corint. cap. 11. ℣. 18.

Ergo illa verba *antequam convenirent*, ſic intelligenda; videlicet antequam Maria in domum mariti deducta eſſet. Iſta autem deductio poſt deſponſationem non niſi interjecto intervallo, fiebat, ut probatum eſt. Interea Maria *inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto*: id eſt operante Spiritu ſancto. Non inventa eſt à Joſepho potiùs quàm ab alio, ut optimè notat Maldonatus, non niſi expletis tribus menſibus à conceptu ſuo reverſa eſt domum Maria. Poſt tres menſes uterus prægnantis tumeſcit; unde inquiunt Hebræi, fœmina viduata non nubit niſi poſt nonaginta dies; ut nempe dignoſcatur utrum gravida ſit nec ne; atque diſtinguatur inter ſobolem primi mariti & ſecundi. Tunc ergo Mariam reviſens Joſephus ut acciperet, advertit eſſe prægnantem. Res iſta malè eum habuit; latebat enim myſterium, quod reſciviſſet ſi Mariæ & Eliſabethæ interfuiſſet colloquiis. Quid ſentirent parentes Mariæ, non aperit ſcriptura.

19. *Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*. Id eſt, ut plerique volunt, cùm Joſeph eſſet vir bonus & æquus; juſtitia enim, inquiunt, non ſignificat virtutem, qua jus ſtrictim exigitur, ſed potiùs miſericordiam oppoſitam rigori & ſeveritati. Verùm omnia, ex conſuetudinibus Hebræorum circa connubia interpretantes, alium & apertiorem ſenſum ſequimur. Ibi juſtus dicitur Joſeph, quia juſti tenax; & ea vis eſt hujus vocis; quia autem juſti tenax non poterat accipere in conjugem, quam leges damnabant; pro adultera enim omnis ſponſa puniebatur, quæ virgo non deprehenderetur à marito. Inde tamen revocabatur à ſeveritate, quia procul dubio expertus erat ſummam eſſe virtutem Mariæ; poterat ergo, ut volunt aliqui, ſuſpicari vim illi illatam ab aliquo. Quidquid ſit: *cùm nollet eam traducere*, *παραδειγματίσαι*, hoc eſt *deferre*, ut in ea exemplum ederetur & ſubiret mortis ſupplicium juxta legem; quod decebat virum æqui & recti amantem, *voluit occultè dimittere eam*, *ἀπολῦσαι*. hoc eſt permittere illi cum eo inire nuptias cujus ope prægnans videretur; & ad hoc dare illi libellum repudii, coram paucis arbitris, *occultè*; id eſt non rapiens eam ad tribunalia, non adhibitis ſolemnibus juris formulis, convocato ſenatu, parentibus, ut vidimus in ſuprà allegato Philonis teſtimonio. Sine autem libello repudii ſponſa dimitti non poterat, quamquam non eſſent perfectæ ut dictum eſt nuptiæ, ſine teſtibus autem non dabatur ille repudii libellus. Quapropter illud *occultè* ſic intelligendum, ut noluerit Joſephus criminaliter in uxorem agere ex lege, atque capitis ob virginitatem præreptam accuſare, aut nomine dotis ſive reſcindendæ ſive minuendæ eandem ob cauſam actione civili uti. Id poterat, ſed cauſas divortii reticuit, ideo occultè quantum fieri poterat; eam voluit dimittere. Eam ſignificationem habere in illo loco verbum Latinum *dimittere*, non eſt dubitandi locus. Verbum Græcum *ἀπολῦσαι* quod exprimit, proprium eſt huic actioni qua ſponſa, vel uxor etiam manere volens amandabatur & ejiciebatur. Reſpondet verbo Hebræo גרש, *garaſch*, hujus ſignificationis, quod LXX. reddunt, *ἀπολύειν*, quo & utuntur Evangeliſtæ ubi de repudiata muliere fit ſermo. Ex eo autem repudio, ſive ex eo quòd Joſephus cogitaverit de repudianda Maria, malè concluderetur, ergo jam conjunctam fuiſſe cum Joſepho, alioquin non potuiſſe ab ejus conſortio ſeparari, etenim libello repudii, non minùs ſponſa liberanda erat à nuptiis contrahendis, quàm uxor à contractis, ſi id luberet ſponſo, vel marito. Joſephus cogitabat ut ea omnia occultè fierent non in jus vocando, ſed pro ut cuique licebat ſine ſtrepitu litis denuntiando per libellum repudii, jam nolle pro uxore habere Mariam. Hoc non inurebat ullam notæ infamiam virgini repudiatæ, neque obſtare poterant repudio parentes, cùm abeſſet accuſatio pudicitiæ violatæ.

20. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*. Tunc myſterium patefaciendum fuit Joſepho. *Poſtquam ſuſpicione cruciatus eſt*, inquit Chryſoſtomus, *viſione recreatur: ut hoc ipſum, quod poſt ſuſpicionem docetur, ea quæ dicuntur vera eſſe demonſtret. Cùm enim quod nulli fuerat ipſe confeſſus, ſed incluſum*

tantummodo mente volvebat: id etiam loquente ſibi Angelo recognoſcit, certiſſimum & abſque ulla ambiguitate prorſus documentum eſt, quòd à Deo ad illum miſſus advenerit. Ipſius enim eſt ſolummodo, cordis arcana proſpicere. Cùm ergo Joſephua dormiret noctu, aut potiùs curas verſaret ſub pectore, dum alii dormirent, apparuit ei Angelus in ſomnis κατ' ὄναρ, *ſecundùm quietem*; ſive dormientem excitaverit, ſive invenerit vigilantem. His verbis eum allocutus eſt, *dicens, Joſeph fili David* (admonebat eum de ſuo genere, nempe Davidico ex quo oriturus erat Chriſtus) *noli*, inquit, *timere accipere Mariam*. Id eſt, ut volunt qui jam ratas ejus nuptias contendunt, *acceptam retine*; qua expoſitione non alia eſt violentior. In naturali ſenſu, Joſephus Mariam quam haberet ſuſpectam, nolebat deducere in domum ſuam, à propoſito revocat eum Angelus, quaſi dicat, contrahe nuptias, quas vis diſſolvere; & quod reſtat faciendum, conjugem deduc in domum: ſic vocat, quoniam & ſponſæ, ut vidimus, appellentur uxores. Patefacit myſterium Angelus, *Quod enim in ea natum eſt*, ſive conceptum & genitum eſt, inquit, *de Spiritu ſancto eſt*. Maria quidem prægnans eſt, ſed opere Spiritus ſancti, non viri. Qui animum ſuum credere induxerunt, ſanctiſſimam Trinitatem ignotam prorſus fuiſſe hominibus veteris fœderis, iterum animadvertant, Deum Patrem, Dei Filium, Spiritum ſanctum, res fuiſſe notiſſimas inter veteres Judæos; niſi enim hanc ſanctiſſimam Trinitatem notam habuiſſet Maria, ut jam vidimus, non dixiſſet ei Angelus, quò dubitatione ſolveret & pavore: *Deſcendet in te Spiritus ſanctus*; ſi quid eſſet Spiritus ſanctus, non habuiſſet benè compertum; neque idem Angelus dixiſſet alloquens Joſepum, quòd in Maria eſt, de Spiritu ſancto eſt; ſi & ipſe quid eſſet Spiritus ſanctus omnino ignoraſſet. Licèt autem reſponſio Angeli oſtendat animum Joſephi impeditum ſuſpicione adverſus pudicitiam ſponſæ, non pauci adducuntur ut credant, ideo eum de dimittenda Maria cogitaſſe, quia tanto conſortio parùm ſe dignum crederet.

21. *Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Paritura eſt hunc qui promiſſus eſt & tandiu expectatus ſervator, quem vocabis Jeſum, hoc eſt *ſervatorem*; ſervabit enim populum ſuum vera ſalute, nimirum à peccatis eorum. Jam ſæpiùs obſervatum eſt quòd Meſſias non largiturus eſſet Judæis opes terrenas, nec collaturus imperium in gentes, qua inani ſpe paſcebant animum ſuum; & ideo Jeſum aſpernati ſunt, quia ignobilis & pauperculi fabri putaretur filius. Servaturus erat homines non à bellis ſed à peccato; quo non eſt aliud malum magis reformidandum; ſola enim peccata impedimento eſſe poſſunt, quominus ſimus in æternum felices. De felicitate terrena, hoc eſt de temporanea & fluxa non multùm ſatagendum, Sanctiſſimum autem nomen illud quod imponendum puero, declarat Angelus, ſic Hebraicè ſcribitur ישוע unde Græci abjecta ultima gutturali litera, ut loquuntur Grammatici Hebræi, fecere ἰησοῦς, addentes ſibi familiarem terminationem.

22. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam*, nimirum Iſaiam, cujus ore Dominus locutus eſt. Verba autem illa ſunt Matthæi, qui admonet ea in re, quam modò narraverat circa partum Mariæ virginis, veteres typos fuiſſe completos. Aliis tamen placet verba eſſe Angeli revocantis in memoriam Joſephi vetus vaticinium de virgine paritura, ut non miraretur ſponſam extra conjugium concepiſſe. Particula *ut* nec cauſam, nec finem denotat, ſed eventum & conſequentiam; neque enim hæc facta ſunt, quia Deus voluerit implere vaticinium Iſaiæ, ſi quidem non id prænuntiaverit Iſaiaa niſi quia videret futurum. Tanta res eſt filium Dei fieri, quod jam dicebamus, & naſci ex muliere, ut tali operi decuerit Deum quaſi præludere typis, quibus homines huic rei credendæ idonei redderentur. τύπος, *typos* vocant Græci formas imperfectas quæ exprimunt primas tantùm lineas rerum, ſuis temporibus perficiendarum. Ergo verbum *adimpleretur* denotat id quod ex Iſaia ſubjicit Evangeliſta, verè fuiſſe typum, cujus Chriſtus eſſet perfectio; ſive fuiſſe umbram, cujus Chriſtus eſſet plenitudo. Totius veteris legis Chriſtus πλήρωμα plenitudo eſt. Itaque Matthæus verbo *adimpleretur*, ſignificat adimpletum fuiſſe veterem typum illum, de quo Iſaias loquitur capite ſeptimo.

23. *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus*, ſive Matthæus, ſive Angelus referat illud vaticinium, congruit loco cui inſeritur, re ipſa impletum eſt in partu Mariæ hoc quod ex Iſaia affertur. Sed non neceſſe eſt ut in alium ſenſum non poſſint deduci verba prophetæ; nec ulla alia quàm Maria obverſata ſit menti ejus: quod expendere juvat. Primùm ipſi Judæi non diffitentur Deum olim præmiſiſſe typos venturi Meſſiæ; unde olim paraphraſtæ Chaldæi de illo interpretati ſunt loca, quæ juxta ſenſum magis obvium Davidem, Salomonem & alios indicant. Chriſtianis ſufficit ut Virgini matri magis quàm cuicumque alteri conveniat vaticinium Iſaiæ quod de illa interpretatur Matthæus. Cauſam igitur noſtram non prodit Judæis, quiſquis eis dederit, verba prophetæ accommodari poſſe alteri quàm virgini, cùm in primo & obvio ſenſu accipiuntur. Etenim neceſſe eſt ut ea verba quibus veteres typi exprimuntur, ipſis conveniant typis. Loquitur B. Chryſoſtomus: *neque omnino alienum oportet eſſe typum à veritate: alioquin non eſſet typus;*

Digitized by Google

typus; *neque omnino adæquari veritati*, *quia alioquin & veritas ipſa foret*.

Non ſolùm vaticinia de Meſſia *venturo* verbis concipiebantur, ſed & exprimebantur rebus. *Dico illorum hominum*, loquitur Auguſtinus de Judæis contra Fauſtum ſcribens, lib. 22. cap. 24. *non tantum linguam*, *ſed etiam vitam fuiſſe propheticam*; *totumque illud regnum gentis Hebrææ*, *magnum quemdam*, *quia magni cujuſdam*, *fuiſſe prophetam*. Ita ſerpens æneus exaltatus in deſerto fuit, ſive typus, ſive vaticinium Chriſti in cruce exaltandi. Jonas pariter ad tempeſtatem ſedandam projectus in mare, & tres degens in ventre ceti, fuit & typus & vaticinium Chriſti, qui tres dies aliquando degeret in ſepulchro. Non ideo minus ſerpenti æneo, & Jonæ prophetæ propria ſunt verba quibus enarrantur in ſacro codice, ſed illa verba in ſenſu recondito ſpectare Chriſtum venturum, ex Chriſto ipſo didicimus. Ex Judæorum traditionibus, quarum certiores continentur in Chaldaicis paraphraſibus, pleraque ad Chriſtum pertinere videmus, quorum obvius ſenſus aliò animum abduceret. Pariter Iſaias potuit eſſe & vates & typus Chriſti; ut non ſolùm lingua ejus vaticinium pronuntiavit, ſed & perſona ejus exſtiterit vaticinium; quod ut liqueat, advertendum eſt qua occaſione ediderit oraculum de Virgine paritura, quid tunc dixerit & egerit.

Achaz rex Judææ perterritus Syrorum & Iſraelitarum in ſe conſpiratione, ſpem omnem ſalutis reponebat in rege Aſſyro. Iſaias hortabatur eum Deo potius confidere; utque ſpem faceret auxilii, dat optionem ſigni, quo ſibi conſtaret hoſtiū copias diſceſſuras ex Judæa irrito conatu, atque interea temporis Judæos nulla, quæ tunc timebatur, laboraturos rerum neceſſariarum penuria. Deſcribit Iſaias temporis iſtius ambitum, ſpatio quo puella quæ adhuc virgo erat, nuberet, conciperet, pareret, & educaret infantem; ita ut initia hujuſce infantiæ annos, ſive priuſquam puerilis ætas ad boni malique notitiam perveniret, fore ut lacte & butyro abundaret Judæa.

Itaque Iſaias uxorem duxit, quam appellat propheriſſam. Ex ea ſuſcepit puerum, quem ex Dei juſſu appellavit מהר שלל חש בז, *maher-ſchal-cha-bas*, hoc eſt *velociter ſpolia detrahe*, *cito prædare*, fuit enim puer ille ſignum liberationis populi Judaici, qui & victor evaderet de hoſtibus ſuis, quia Deus erat cum illo; unde & ille puer Emmanuel dicendus, hoc eſt nobiſcum Deus. Hunc ſenſum primò ingerere verba prophetæ, incaſſum negaremus; neque enim id ſibi extorqueri Judæi ſinant; nec evinci poteſt haud ullam in dicto vaticinio mentionem fieri virginis ab Iſaia in uxorem ducendæ; nec etiam quatenus illa typo deſerviebat. Reclamat ipſe Iſaias, qui cùm de virgine paritura loquutus eſſet, ſtatim ſuas nuptias & prolem quam poſtea ſuſcepit, celebrat.

Sed plerique inquiunt, quale ſignum & portentum eſt, uxor ducenda, & poſt modum paritura? Verùm cùm conceptio & partus in poteſtate viri & uxoris non ſint, partus uxoris in tempore, pro ut dixerat Iſaias ſignum potuit eſſe quòd non falſa vaticinaretur. Ipſe partum uxoris ſuæ portentum dicit, cap. 8. ℣. 18. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in ſignum & in portentum Iſrael à Domino exercituum.* Non vincimus adverſariorum pertinaciam cùm negamus pertinaciter contendendo obſcura eſſe quæ clara ſunt. Retundimus autem perfidiam Judæorum, dantes eis in loco Iſaiæ, in quo nunc verſamur, cap. 7. agi quidem primariò de nuptiis & partu propheriſſæ, ſed & evincentes hoc quod diceret & ageret propheta, fuiſſe reipſa typum & vaticinium. Quæ ille prædicebat conveniebant Regi Achaz quem alloquebatur; indicabant enim proximum auxilium, ſed more prophetarum, ut olim Balaam loco maledictionis adverſus Iſraelitas, his oriturum ſydus, nempe Meſſiam prædixerat. Similiter Iſaias dum ageret de oppreſſione Judææ, & de Syris Samaritaniſque hoſtibus, intuens alias calamitates, alios hoſtes verbis ſuis implicat res futuras, ſub Chriſto naſcituro.

Itaque verba prophetæ aliud præferebant in fronte, aliud ſub involucro. Id omne typus erat virginei partus; quem Iſaias mente intuebatur dum ore proferret verba rei præſenti convenientia; prophetarum enim menti ſemper obverſabatur Chriſtus. Sciebant ſolos dæmones nobis nocere, ſolam eam ſervitutem duram, qua quis premeretur eorum imperio ſubditus; quod imperium everſum eſt cùm Jeſus ex Maria virgine natus eſt, & eo nato copia verorum bonorum abundavit. Eſto itaque indicent verba prophetæ uxorem ducendam, ſuſceptionem prolis, quæ dabatur in ſignum proximæ liberationis, & fugæ Syrorum, quos ſolos ſibi eſſe hoſtes cogitabat Achaz; demus, inquam, hæc vera eſſe; certum eſt, ut de omnibus veris typis conſtat, verba illa Iſaiæ: *Ecce virgo concipiet*, *& pariet filium*, excellentiorem & veriorem ſenſum habere, cùm virgini matri accommodantur. Neque enim uxor Iſaiæ virgo concepit, neque peperit. Judæi autem fruſtrà objiciunt non uſum prophetam vocem בתולה, *bethula*, quæ propriè ſignificat *virginem*, ſed עלמה, *alma*; licèt enim nomen illud quod derivatur a verbo עלם, *latuit*, ſignificet *abſconditam*, nempe adoleſcentulam abſconditam, nuſquam dicitur in ſcripturis niſi de juvencula quæ nondum juncta eſt viro; quare LXX. Interpretes illud nomen reddunt παρθένος; & Iſaias ipſe ſumpſit vocem *alma*, pro puella nondum nupta, & ideo pro virgine.

Non opus eſt dicere partum virginis Deo non magis arduum fuiſſe quàm mulieris ſterilis & effœtæ. Qui è virgine terra hominem formavit, & è coſta hominis mulierem eduxit, potuit in virginis

Digitized by Google

alvo hominem compingere. Cætera proſequamur. Omnia quæ habet typus ille de quo loquimur, hoc eſt quæ Iſaiæ obtigerunt & ab eo dicta ſunt, ſic miris modis rei cujus ſunt typi, congruunt, ut dubitandi locus non ſit, quin præmiſſa ſint à Deo in typum partus virginei. Neque enim ab omni parte conveniunt proli Iſaiæ. Dixerat ille: *Ecce virgo in utero habebit & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Græci codices habent, *& vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Proles Iſaiæ nomine Emmanuelis non legitur appellata. Nato quidem hoc puero prout pater prædixerat, Judæa ſublevata eſt; ſed majus auxilium de cælo attulit partus virginis. Filius Iſaiæ non erat verus Emmanuel, ſed Jeſus, qui cùm ſit verus Deus, quando in terris natus eſt, verè Deus nobiſcum fuit; non etenim nomine ſed re Emmanuel eſt, quoniam nominatus eſt Jeſus, & non Emmanuel. *Et cur, inquies,* verba ſunt Chryſoſtomi, *non eſt hoc nomine, id eſt Emmanuel; ſed Jeſus Chriſtus vocatus? quia ſcilicet non dixit vocabis,* ſic tamen ſons habet: *ſed vocabunt, populi ſine dubio, & ipſe exitus rerum, hic enim ab effectu nomen imponitur. Eſt enim mos ſcripturæ, eventus rerum ponere nominum loco. Quid eſt enim aliud, vocabunt nomen ejus Emmanuel: niſi videbunt oculi mortalium Deum inter homines verſantem,* hoc etiam altero nomine quod habebat puer Iſaiæ, *velociter ſpolia detrahe, citò prædare,* liquet typum Domini fuiſſe in iſto ſigno, quod Iſaias regi Achaz proponebat. Jeſus enim dæmones vicit, & aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, ut dicit Paulus ad Epheſios, cap. 4. ℣. 8.

Etſi autem nomina etiam rebus tribuantur, quibus non propria ſunt, tamen ex nomine Emmanuelis deduci poteſt filium Mariæ eſſe verè Deum. Res enim ſignificata per nomen Emmanuel potiùs quàm nomen ei convenit; neque enim appellatus eſt Emmanuel, ut diximus, ſed qui eſſet Deus, tunc cùm natus eſt, revera fuit in terris Emmanuel, id eſt *nobiſcum Deus,* non ſolo nomine tenus ſed re; eo ſenſu quo Joannes in Apocalypſi dicit, cap. 21. ℣. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Vaticinium illud Angeli *& vocabitur Emmanuel,* Joannes impletum ſignificat ubi in Evangelio dicit de Jeſu: *Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre.*

24. *Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam,* id eſt domum ſuam deduxit, virginitatis ejus teſtis & cuſtos. Virgo autem cum virgine permanſit; nam quod ſubjicitur, 25. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jeſum;* ex his inquam verbis, quæ Helvidius cum cæteris Antidicomarianitis nobis objicit, colligi non poteſt poſtea Joſephum ſuſcepiſſe ex Maria liberos. Particula ἕως οὗ, *donec* in ſcripturis non eum habet ſenſum, ut excludat cum exceptione. Cùm enim Deus dicit ad Chriſtum: *ſede à dextris meis donec ponam inimicos ſcabellum pedum tuorum,* non ſignificat hac ſede movendum filium, poſtquam ei ſubditi fuerint inimici ejus; hac enim victoria damnum ei accideret: dixit ipſe Dominus, *ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi,* ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ex quibus verbis colligere non poſſis, Chriſtum non eſſe nobiſcum futurum poſt conſummationem ſæculi, particula ergo ἕως, *donec,* aliquando, ita refertur ad tempus præcedens, ut de ſequenti non affirmetur contrarium, ſimiliter nomen *primogenitus* non innuit alios ex hoc conjugio genitos. In ſcripturis qui *primus aperit vulvam,* ſive alius partus ſequatur, ſive non, dicitur primogenitus; & eo nomine Judæi utebantur reſpicientes ad legem qua tenebantur omnia primogenita Deo dicare, hoc eſt, id omne quod primùm naſceretur, etiamſi non alter ſequeretur partus. *Et vocavit nomen ejus Jeſum,* quo ſolo prolato nomine fugantur dæmones, & ab inſidiis eorum ſervamur. Sic Mariæ filius verè cognoſcitur *Jeſus,* ſeu verè ſervator. Nomine Jeſu duo extiterunt viri celebres, quorum unus populum in terram promiſſam, qua cælum ſignificabatur, deduxit; alter è Babylone, typo ſervituris peccati, Judæos liberos reduxit in patriam. Fuit & Jeſus filius Syrach propheta & doctor eximius.

CAPUT IX.

Illo tempore exiit edictum ab Auguſto Imperatore, ut quiſque in civitate ſua profiteretur nomen ſuum. Ideo Maria & Joſeph eunt Bethlehem, unde oriundi, Ibi naſcitur J.C.D.N.

LUCAS, Cap. 2. ℣. 1—7.

1 † FActum eſt autem in diebus illis, exiit edictum à Cæſare Augu- † *In Nat. Dom. Miſſa 1.*
ſto, ut deſcriberetur univerſus orbis.
2 Hæc deſcriptio prima, facta eſt à præſide Syriæ Cyrino:
3 & ibant omnes ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem.
4 Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam
in civitatem David, quæ vocatur † Bethlehem: eò quòd eſſet de domo & fa- † *Mich. 5. 2*
milia David.
5 ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.
6 Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret.
7 Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & re-
clinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio.

1. FACTUM *eſt autem in diebus illis, exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis.* Dum novem menſes fluerent ex quo prægnans erat Maria, edictum ab Imperatore Auguſto exiit, id eſt promulgatum fuit, quo quiſque teneretur profiteri nomen ſuum in civitate, ex qua originem trahebat; *ut* ſcilicet *deſcriberetur univerſus orbis*, ſive omnis terra quæ habitatur, ut fert Græcus codex: *ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*. Sic Imperium Romanum deſignabatur; illud enim Florus appellat *terrarum orbis Imperium*; quia, ut canit Ovidius, *totum circumſpicit orbem*. Gentes à Romanis non ſubactæ quaſi pro feris habebantur extra orbem projectæ; intra quem orbem vox Evangelii potiſſimùm inſonuit. Plures autem cenſus egit Auguſtus Imperator; hoc eſt pluries deſcribendum imperium ſuum curavit. Volebat inire numerum, vim & opes eorum qui ejus Imperio ſubeſſent, & ideo ut verbis Flori utar, juſſerat, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur*, deſcriptiones illæ dicebantur *cenſus*, de quibus loquitur Cicero, lib. 3. de legibus. *Cenſores populi ævitates, ſuboles familias, pecuniaſque cenſento.*

Quo preciſè anno hæc deſcriptio orbis, de qua loquitur Lucas, facta ſit, quærimus in chronologicis. Latinius autem diceretur *cenſus* quàm deſcriptio, in re de qua quæſtio eſt; ſed omiſſis tricis ſuſpiciamus admirandam Dei ſapientiam, qua utitur hominibus ſcientibus & neſcientibus. Sinit quidem homines proprios ſuos motus exercere, & ſuis obſequi ſtudiis, ſic tamen affectus eorum regit, ut ſuis ab æterno deliberatis conſiliis ſerviant. Procul enim dubio nec Deus, nec Chriſtus obverſabantur animo Auguſti. Intelligebat Imperator è re ſua eſſe vires totius imperii habere numeratas. Verùm Deus Imperatore utebatur, ut teſtimonio, cui refragari nemo poſſet, conſtaret Jeſum eſſe de domo David. Parentes enim ejus Bethlehem profecti ex qua urbe oriundi erant, ſe probaverunt ex familia David, & cùm eo tempore, quo advenerunt in hanc civitatem Jeſus natus ſit, gentem ſuam & ſobolem in acta Romanorum retulerunt; ex quibus, quoties opus fuit, depromi poterat, Jeſum natum eſſe in Bethlehem ex parentibus de familia David. Ad illa acta provocavere Juſtinus martyr, & Tertullianus, & poſt eos Chryſoſtomus, dum adhuc fortè illa extarent.

Ita non ſola reſpublica Hebræorum, ſed & totum Imperium Romanum conſtitutum videtur ut Chriſto deſerviret. Verè rerum omnium finis Chriſtus. Effectum eſt hoc Auguſti propoſito, ut Dominus naſceretur eo in loco, ex quo oriturus erat Meſſias; & cum Maria & Joſeph urbem Nazareth, longo à Bethlehem intervallo diſſitam incolerent, fiebat hoc incolatu, ut Judæi non adverterent illum natū Bethlehem, & ea de cauſa deſpicerent. Non ideo minus rei; etenim rem qua oportebat diligentia, ſcrutati; veras ejus cunas facilè cognoviſſent, fuerunt illæ ſplendidæ, ad quas paſtores moniti ab Angelis cucurrerunt. Multi

populi aderant frequentes in urbe Bethleem; ubi tunc temporis nullum erat diverſorium vacuum, quo Maria & Joſeph exciperentur. Quin ſi Judæi interrogaſſent Mariam adhuc ſuperſtitem, cùm prædicabat Jeſus, reſciviſſent ab ea veritatem ortus illius.

Omnia propter Chriſtum ordinata fuiſſe demonſtrat pacatus ſub Auguſto orbis. Ille templum Jani, quod ſignum pacis erat; clauſerat. Nempe ad jacienda faciliùs Chriſtianæ religionis fundamenta neceſſe erat, ut furor bellorum deſæviret, & pace componerentur omnia. Pariter Deo providente poteſtas imperii in unum collata fuit, ut pervius eſſet Apoſtolis orbis terrarum; quando enim diſſident principes, ægrè ex unius ditione in alterius terras aditus datur, omnia ſervent bello, maria claſſibus, itinera militibus armatis occupantur, ut ſine periculo peregrinationes ſuſcipi non poſſint. Neceſſe autem erat, ut miſſi ad prædicandum Gentibus Apoſtoli totum orbem terrarum pervaderent.

2. *Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino*. Hæc deſcriptio nempe de qua agitur, facta eſt ſub Cyrino qui præerat Syriæ; nam alterius deſcriptionis ſub eodem Cyrino mentionem facit Joſephus; quam cùm factam multis poſt Herodis obitum annis ſcribat, hoc eſt multis poſt Chriſtum natum annis, non decet eam habere pro una & eadem, ut in chronologicis vidimus; neque enim ſemel, ut dixi, orbem terrarum deſcribendum curavit Auguſtus, ſic bis mitti potuit Cyrinus in Judæam. Ideo dixit Evangeliſta: *hæc deſcriptio prima facta*, ſcilicet ratione ſecundæ deſcriptionis, quæ facta eſt poſt Archelaum pulſum regno Judææ; quæ ſuæ loco fuſiùs dicta & probata ſunt. Dici etiam poteſt quòd hæc deſcriptio appelletur *prima*, pro priori; ſicut idem Evangeliſta dicit, cap. 15. ℣. 22. *Proferte ſtolam primam*, pro *ſtola priori*.

3. *Et ibant omnes ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem*. Edicto Imperatoris parebant omnes, quia non refragabatur legibus Dei; cenſebantur enim tantùm capita. Nullum tunc temporis juſſi ſunt vectigal pendere Judæi; quod profeſſionem eſſe ſervitutis poſtea dixere, quando in ſecunda deſcriptione cenſitæ ſunt poſſeſſiones eorum, quod plerique putabant adverſari Deo, cui ſoli ſerviendum. Ergo omnes ibant in civitatem ſuam, in qua ſcilicet nati fuerant, vel quæ erat caput familiæ ipſorum, ſive ad quam ratione originis pertinebant.

4. *Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem; eo quòd eſſet de domo & familia David*. Galilæa depreſſior eſt Judæa, quæ regio montana eſt, ideo dicitur aſcendiſſe in Judæam Joſeph. Bethleem ſignificat *domum panis*; ibi ergo natus qui panis eſt vitæ, ſingulæ tribus dividebantur in familias & rurſum in domos. Proximè Davidem contingebat Joſeph, ſiquidem non ſolùm de eadem Tribu, ſed & de eadem familia & domo ejus, cujus urbs natalitia Bethleem. 5. *Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Evangeliſta Mariam vocat adhuc deſponſatam Joſeph, licèt ut vidimus, jam eam accepiſſet in uxorem; verùm nomine maritus, conſcientia ſponſus erat, ab illa abſtinens tanquam à ſponſa. Nam ſponſæ interdictæ viris ſuis erant ut menſtruatæ, inquiunt Hebræi.

6. *Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret*. Expletis novem menſibus Maria peperit filium. Ergo cùm in dictis deſcriptionibus ſoboles cenſeretur, nomen pueri in acta relatum eſt.

7. *Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio*. Modò vidimus ab Hebræis primogenitum dici qui primus naſcitur, quamvis alius partus non ſequatur. Faſciis & linteolis, ut fieri ſolet, Maria involvit puerum, *Et reclinavit in præſepio*, ἐν τῇ φάτνῃ; qua te datur intelligi, Mariam & Joſeph commoratos in ſtabulo, ubi præſepe, *quia non erat eis locus in diverſorio*. Nimirum in domo in quam venerunt hoſpitii quærendi cauſa, nullus erat locus vacuus ob turbam hoſpitum; ſive non alius locus erat quàm in præſepi; aut quia nullum erat vacuum in urbe diverſorium, ſeceſſerunt in ſpeluncam prope urbem, in qua præſepe erat, ut adſtruunt veteres. Qui autem ſe manducandum præbiturus erat, voluit reponi in præſepio, ubi cibus animalibus apponi ſolet. Jacuit inter paleas & fœnum.

Digitized by Google

CAPUT X.

Angeli nuntiant paſtoribus qui circa Bethlehem erant, natum eſſe Dominum, qui circumciditur octavo die.

LUCAS, Cap. 2. ℣. 8—21.

8 ET paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigi-
lias noctis ſuper gregem ſuum.
9 Et ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit
illos, & timuerunt timore magno.
10 Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gau-
dium magnum, quod erit omni populo:
11 quia natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civi-
tate David.
12 Et hoc vobis ſignum: Invenietis infantem pannis involutum, & poſi-
tum in præſepio.
13 Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium
Deum, & dicentium.
14 Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. ¶ † *In Nativit.*
15 † Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, paſtores lo- *Dom. Miſſa 2.*
quebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc ver- *& alibi.*
bum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis,
16 Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem
poſitum in præſepio.
17 Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de pue-
ro hoc.
18 Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant à
Paſtoribus ad ipſos.
19 Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.
20 Et reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ
audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. ¶
21 † † Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer: † *In Circumc. Dom.*
vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priùs quàm in † *Gen.17.12.*
utero conciperetur. *Levit.12.3.*

LOCUS magis infra dignitatem Chriſti quàm ſtabulum cogitari non poteſt, ubi bos & aſinus paleas & fœnum ſolebant comedere. Igitur Chriſti cunabula ratione loci obſcura & idonea fuere in quibus lateret; congruebant enim iſtæ latebræ myſterio, quod oportebat ex parte eſſe abſconditum. Sed & iſtæ latebræ inclaruerunt; neque enim poterat fieri ut tanti ſolis ortus prorsùs obſcurus eſſet. Angeli bonum nuntium, quòd mundi ſervator natus eſſet dedere paſtoribus; cùm enim ſoleant requiri teſtimonia quibus confirmetur veritas cunarum ejus qui naſcitur futurus regni hæres, non decebat nativitatem regis Meſſiæ omnino carere teſtibus. *Non autem mediocre fidei tibi videatur exemplum*, loquitur Ambroſius, *quòd vilis ſit perſona paſtorum. Certè quò vilior ad prudentiam, eò pretioſior ad fidem. Non gymnaſia choris referta ſapientium, ſed plebem Dominus ſimplicem requiſivit, quæ phalerare audita & fucare neſciret, ſimplicitas enim quæritur, non ambitio deſideratur.* Ergo dum ſtella in cælo fulgens, ut modò videbimus, advocabat ex oriente Magos, viros vel regno, vel ſapientia potentes, qui teſtes eſſent Chriſti nati, pariter Angelus luce coruſcans ad inviſendum puerum recèns natum hortatur paſtores, qui greges in vicinia Bethlehem paſcebant. Hi poterant repræſentare gentem Iſraelitarum, cujus patriarchæ primùm vitam paſtoritiam egerant;

rant ; qua & ex conditione Deus promoverat Davidem toti genti imperaturum.

8. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Paſtores erant in vicinia Bethlehem in agro agentes & commorantes noctu. Ea vis eſt verbi ἀγραυλοῦντες, ut ſignificet *pernoctare in agris*; quam cùm interpres Latinus non ſatis exprimat, ſunt qui putent legiſſe in codice quo uſus eſt, ἀγρυπνοῦντες, *vigilantes*; quod verbum occurrit in epiſtola ad Hebræos, cap. 13. ℣. 17. Paſtores illi cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem, ut fit in caſtris more militum, partientes inter ſe noctis tempora, vigilabant viciſſim adverſus incurſus luporum & ferarum aliarum. Nox in quatuor partes dividebatur, quarum quæque dicebatur *vigilia*, ſic vigilia prima eſt prima pars noctis. Veriſimile eſt ſtatim nato Domino Angelum conveniſſe paſtores dum pernoctarent; unde meritò colligitur Chriſtum nocte natum eſſe; conjunctio enim *& paſtores erant* indicat eadem hora qua Maria peperit Dominum tunc paſtores noctu vigilaſſe ſuper greges ſuos. Adducunt interpretes illud ſapientiæ cap. 18. ℣. 14. *Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus &c.* Sed eo in loco agitur de Angelo exterminatore, qui media nocte totam pervaſit Ægyptum, primogenitos Ægyptiorum interficiens.

9. *Et ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno.* Sic Deus amat illucere pauperibus, quos amor ſæculi non obcæcat. Tenebras offundit oculis ſuperborum, qui procul dubio parvi feciſſent infantem (ſi vel in illum dignati eſſent oculos conjicere) quem vidiſſent natum ex pauperculis parentibus; quos nec hoſpitio quis voluerat excipere. Claritas autem illa Dei quæ circumfulſit eos, non erat ſimplex ſplendor qualis eſt ſolis, qui fulſerit circa illos, ſed ut fons habet δόξα κυρίου, *gloria Domini*. Quo nomine tum in veteri, tum in novo fœdere denotatur præſentia divinæ majeſtatis, quam eximia aliqua lux teſtatur. *Apparuit gloria Dei*, idem eſt ac Deus ſe declaravit præſentem fulgore, fulguribus, nube inſolita. Illam autem *gloriam Domini* interpretari licet de gloria Chriſti, quem Angelus protinùs Dominum vocat; ut ipſa gloria Chriſti, quæ latebat in ſpelunca, eruperit in vicinia. Non mirum ergo ſi tanta gloria perculſi paſtores timuerint timore magno. Mortis periculum adire credebant Judæi, quoties Angelus Domini ſe conſpicuum illis præberet; ut jam obſervatum eſt.

10. *Et dixit illis Angelus: nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Bonum nuntium affero proximæ ſalutis, quod jucundiſſimum eſſe debet omni Iſraeli, qui populus Dei eſt. Etenim hos gaudium perſentire non poterant quibus nulla ſpes facta fuerat Chriſti venturi. Niſi vi morbi comperta, ars medici qui ſanavit, quanta eſt, æſtimari non poteſt; nec quo gaudio Chriſtus ſervator excipiendus eſſet niſi poſtquam exploratum nos ejus auxilio indiguiſſe, & unde tanta ejus in terris expectatio. Populus verò Dei cumulandus erat gaudio, audiens, 11. *quia natus eſt hodie vobis ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David.* In hac die, hac hora natus vobis Meſſias exſpectatus, à quo ſervandi eſtis. *Dominus.* Quid ibi nomen *Dominus* ſignificat; niſi idem quod *Deus?* Modò Lucas hunc Angelum appellaverat *Angelum Domini*: nunc ipſe Angelus Meſſiam appellat Dominum; quomodo ſi re ipſa Chriſtus non eſſet filius Dei, Dominus Angelorum à quibus adorandus, ut adſtruit B. Paulus? Angeli miniſtri ſunt ſummi Dei, cujus nomen magnum *Jehova.* Non dicit Angelus natum Dominum Bethlehem, ſed in civitate David; ut hac appellatione advertant paſtores ibi natum Chriſtum, unde oriturus erat, juxta antiqua vaticinia.

12. *Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*, hoc ſignum non commoviſſet viros quos ſolus divitiarum ſplendor perſtringit. Non alius indicatur ſervator, quàm pauper: prædixerant prophetæ hunc deſpiciendum: congruebat itaque illi paupertas, qui repudiandus eſſet. Ne autem natum Dominum quærerent in palatio Herodis; aut totam Bethlehem perreptarent paſtores, indicatur eis locus; *invenietis ... in præſepio*, ἐν τῇ φάτνῃ; quare veriſimile eſt præſepium illud fuiſſe notiſſimum; ſive ſpeluncam notiſſimam omnibus paratam, quibus diverſoria urbis non eſſent aperta. Alii putant non deſignatum ab Angelo locum, ſed eſſe vaticinium, quòd euntes Bethlehem, fore erat ut inciderent in præſepe ubi jaceret puer pannis involutus; quale eſt illud vaticinium Samuelis ad Saulem. 1. Reg. cap. 10. ℣. 2. *Cum abieris hodie à me, invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel &c.*

13. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum & dicentium.* Angeli dicuntur *militia cæleſtis*, ut credo, ob multitudinem ſuam, qua Deus veluti acie ordinata ſtipatur. Millia enim millium miniſtrant Deo qui in ſcripturis exhibetur ſub imagine fortiſſimi bellatoris; qua nulla alia occurrit animo imago dignior. Ita Jacob, dum videret Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes, dicebat *caſtra Dei ſunt hæc*. Geneſ. cap. 32. ℣. 2.

14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* quaſi dicerent: Ovate cæli; glorificetur Deus in cælo ab Angelis. Antitheſis *& in terra*, admonet illud *in altiſſimis* non denotare ibi Deum eſſe in *altiſſimis*, ſed Deum in altiſſimis celebrandum pariter & in terra, eò quòd benevolum ſe hominibus oſtenderet.

δόξα

Digitized by Google

δόξα Dei ſæpe eſt majeſtas ejus præſens. Sed ibi non dicitur *gloria Dei*, ſed *gloria Deo*. Ita ibi δόξα laus eſt Dei; quaſi canerent Angeli: laudetur Deus in cælis, lætetur terra; quia Deus hominibus favet, pro ut habet vulgata, quia *pax*, id eſt felicitas, venit hominibus bonæ voluntatis. Auctor vulgatæ legebat εὐδοκίας; nunc legitur in nominativo εὐδοκία. Nomen autem illud ſonat idem ac *benevolentia*, ſive *complacentia*, à verbo εὐδοκέω *complaceo*. ἐν ᾧ εὐδόκησα *in quo mihi complacui*. Reſpondet hoc Nomen Hebræo רצון *ratſon* quod ſæpiùs à LXX. redditur εὐδοκία. *ratſon* autem eſt *beneplacitum*, *favor*. Juxta lectionem hodiernam codicis Græci, ſic canticum Angelorum exponi poreſt: Gloria in cælis Deo ſit, & in terris pax, & bona voluntas, nempe Dei, ſit erga homines. Laudetur Deus in cælis & lætetur terra, quia Deus oſtendit ſe benevolum hominibus. Juxta Latinum interpretem optabant Angeli ut eſſet pax hominibus bonæ voluntatis; non voluntatis humanæ, ſed Divinæ, iis nimirum qui Deo cari ſunt: ita ut ſive legatur εὐδοκία, vel εὐδοκίας, idem ſit ſenſus. Etenim locus iſte non intelligendus, quaſi his tantùm pax optaretur, quorum voluntas jam bona erat: imo Deus ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum in mundum ut perditum ſervaret; cui gratulabantur Angeli, ſimul Deum laudibus celebrantes. *Cælum* autem *pateſaciebat quod vile præſepe occultabat*.

15. *Et factum eſt ut diceſſerunt ab iis Angeli in cælum: paſtores loquebantur ad invicem: tranſeamus, uſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.* Jam diximus *verbum* uſurpari ab Hebræis pro *re*. Tranſeamus uſque Bethlehem, ut rem videamus, quam ibi contigiſſe Dominus nobis per Angelum ſuum ſignificavit. 16. *Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam & Joſeph & infantem poſitum in præſepio*. Rem ſic ſe habere ut præmonuerat Angelus, deprehenderunt. 17. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*. Ex ipſa re certiores facti ſunt; vel notum fecerunt, ſive divulgaverunt quod viderant. Verbum διεγνώρισαν ambiguum eſt, reddi enim poteſt, *cognoverunt*, ſimul & *nota fecerunt*. Nempe quæ ab Angelis dicta erant de puero, ſparſerunt in vulgus; qui ſenſus magis cohæret cum iis quæ ſequuntur. 18. *Et omnes qui audierunt, mirati ſunt; & de his quæ dicta erant à paſtoribus ad illos:* qui audierant paſtores dum hæc ab illis enarrarentur, mirati ſunt de his, ſive circa hæc quæ dicebantur, ἐθαύμασαν περὶ τῶν λαληθέντων, conjunctio & abeſt à fonte Græco.

19. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo* ſingula hæc dicta factaque, ſive res iſtas; *verbum* enim Hebræis idem eſt quod *res* Latinis. Hæc inquam omnia, Angelorum apparitionem paſtoribus, horum ad præſepe concurſum, cæteraque omnia in animo reponebat, & ſecum expendebat. *Conferre in corde ſuo* phraſis eſt non inſolens in ſcriptura pro *cogitare ſecum & conſiderare*, ut videre eſt. 1. Reg. cap. 21. ℣. 12.

20. *Et reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos*. Non tantùm ſigna viſibilia quæ illis apparuerant, intelligit Evangeliſta, ſed multò magis illa quæ audierant paſtores ex Joſepho & Maria congruentia cum dictis Angeli; viderant enim conſentanea auditis & prædictis.

21. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur*. Impleto tempore quod ex lege erat circumciſioni præſtitutum, nimirum octavo die, ut dicitur: *cùm complerentur dies Pentecoſtes*, pro die ipſa Pentecoſtes; legitimo inquam tempore circumciſus eſt puer, ut intelligendum relinquit Evangeliſta. De more ei impoſitum eſt nomen cùm circumciſus eſt. Videlicet vocatus eſt Jeſus, quo dixerat appellandum Angelus priuſquam conciperetur; unde colligunt quòd non conceptus ſit antequam Maria aſſenſum præbuiſſet dicens Angelo, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*.

Circumcidendus erat Dominus multis de cauſis. De ſimilitudine peccati damnandum erat peccatum, ideo non alius quàm homo dare Deo poterat meritas pœnas, itaque debuerat Dominus induere carnem noſtram. Hanc traxerat ex ſemine Abrahæ, cujus poſteri tenebantur lege circumciſionis valitura uſque dum novam præciperet Deus circumciſionem non manu factam, ſcilicet depoſitionem ſordium carnis, cujus prima circumciſio, quæ erat depoſitio ſuperfluæ carnis typus fuerat. Igitur ut Dominus ſimilis prorſus eſſet cæterorum Judæorum & in eodem habitu inveniretur, caro ejus de more octavo die juxta legem circumciſa eſt, præterquam parentes ejus ſi huic legi non paruiſſent, obnoxii pœnis fuiſſent, ipſe non uti potuiſſet conſuetudine Judæorum, frequentare Templum, in illud intrare, & ſacrorum fieri particeps; excludebantur enim omnes incircumciſi Templi atriis interioribus & ſacris. Ut ergo poſſet obire miniſterium ſuum neceſſariò circumciſus eſt. Circumciſione autem fiebat Judæus, id eſt debitor univerſæ legis faciendæ, ut ſtatuit Paulus ad Galatas, cap. 5. ℣. 3. Etenim circumciſio erat profeſſio Judaiſmi; unde Judæi ſtatuunt neminem Moſaicis legibus teneri, niſi poſt hanc profeſſionem. Viri autem circumciſi officio nulla in re defuit Chriſtus.

Inutiliter inquit Theophilactus, quæritur ubi ſit abſecta illa particula carnis Chriſti, nam quæ ſcriptura tacuit, ea quærere non oportet, præſertim ubi nulla utilitas. Hujus regulæ memor, ſtudioſe lector, nunquam à nobis quæras, quæ non opis eſt humanæ retegere, aut quæ retecta non ſunt alicujus utilitatis.

CA-

CAPUT XI.

Magi excitati nova ſtella veniunt Jeruſalem, adoraturi regem Judæorum; quem illa ſignificabat natum. Horum adventu Herodes & cum illo urbs perturbatur. Stella autem duce perducti Bethlehem ubi natus Dominus, huic ſua munera offerunt.

MATTHÆUS, Cap. 2. ꝟ. 1—12.

† In Epiph. 1 † Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam.
2 dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.
3 Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.
4 Et congregans omnes principes ſacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur.
5 At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam.
† Mich. 5.2. 6 † Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.
7 Tunc Herodes clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.
8 & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogare diligenter de puero: & cùm inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.
9 Qui cùm audiſſent regem, abierunt: & ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat puer.
10 Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valdè.
11 Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, &
† Pſal. 71.10. procidentes adoraverunt eum: † & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.
12 Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. ¶

SUMMA imis quaſi permixta ſunt in ortu Domini; cunæ enim ejus non potuere obſcuriores eſſe ſimul & clariores. Recurſet animo imago pueri in præſepio jacentis inter fœnum & paleas, verùm eædem cunæ maxima claritate ſplendeſcunt; neque enim tantùm in angulo Judææ circa Bethlehem celebrantur ab Angelis; ſed & ſtella nova in cælo radians eas prædicat in regionibus remotiſſimis. Illa excitavit Magos ut adoraturi puerum Hieroſolymam venirent ex orientalibus plagis, qui cum cauſam profectionis reddunt, & ſignificant ſibi viſam ſtellam, quæ portendebat natum eſſe hunc regem eximium, quem Judæi expectabant; fieri non poterat quin commotis Hieroſolymis rumor tantæ rei omnium impleret aures; & ita natum eſſe Dominum ubique perſonaret; quod contigit fieri.

1. *Cùm ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* In fonte Græco legitur in *Bethlehem τῆς Ἰουδαίας*, *Judææ*, lectionem noſtram probat B. Hieronymus ut magis conſonam veritati; neque enim, inquit ille, extra Judæam alia eſt Bethlehem; ſed Judæam ſumit in lata ſua ſignificatione pro omnibus Tribubus; fatetur enim fuiſſe urbem ejuſdem nominis in Tribu Zabulon; & ideo dictam *Bethlehem Juda*; id eſt quæ eſſet in Tribu Juda. *In diebus Herodis regis.* Hebraiſmus eſt pro tempore Herodis regis; nempe regnante & adhuc vivente Herode magno, qui ideo appellatur *Rex*, ut hocce titulo diſtinguatur ab alio Herode filio ejus, qui fuit tantùm Tetrarcha Galilææ, nomen dignitatis infra regiam; neque enim appellatione regis à Romanis decoratus eſt. Adve-

vertunt interpretes Herodem qui quidem religione Judæus erat ſed alienigena, hic nominari, ut indicaretur ablatum à Tribu Juda ſceptrum; quo ergo tempore ex vaticinio patriarchæ Jacob oriturus erat Meſſias. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* Plura ſunt quæ animum ſollicitum habere poſſunt circa eos Magos: qui fuerint: unde his tale nomen: quæ conditio eorum, dignitas, ars, patria: cur & quo tempore Hieroſolymam venerint: quæ iſta ſtella quæ illis apparuit: quæ hujus ſtellæ natura, quis motus: denique unde ex illius ortu collegerint Magi ortum regis Judæorum.

Primùm decet advertere nomen illud *Magus* non ſemper indicare virum malarum artium, ſive præſtigiatorem, ſed & philoſophum, qui deditus ſit ſtudio rerum naturalium. Conſtat omnium veterum hiſtoricorum teſtimonio, Magos appellatos ab Orientalibus, quos Græci dixere philoſophos. Si hujuſce vocis origo Hebraica ſit, *Magus* ſonat Hebræis, quod Latinis *meditans* à verbo הגה *haga meditatus eſt*; unde participium מהגה *mehage*. Juxta alios origo hujuſce nominis eſt Syro-arabica. מגוש *magus*, id eſt *explorans*, *ſcrutans*. Quidquid ſit de nominis origine, illud uſitatum fuit maximè Perſis, apud quos ſive dignitatis, ſive artis titulus fuit. *In Perſis*, Ciceronis verba ſunt libro de divinatione, *augurant & divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi cauſa, atque inter ſe colloquendi. Nec quiſquam rex Perſarum eſſe poteſt, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.* Herodotus & Xenophon ſcribunt Magos in Perſide fuiſſe conſiliarios & præcipuos adminiſtros regis, ex quorum numero etiam aliqui imperarunt. Verùm potiorem curam literis impendebant Magi, maximè Aſtronomiæ, cujus ſcientia Perſæ & Chaldæi olim commendati ſunt. Videtur Plinius, lib. 25. Cap. 2. innuere Magos fuiſſe non ſolùm apud Perſas, ſed & apud Arabes, Æthiopas, & Ægyptios. Magos autem illos de quibus loquitur Matthæus Aſtronomiam percalluiſſe res ipſa oſtendit. Etenim ſi hanc ſcientiam non excoluiſſent, quomodo advertiſſent novam ſtellam, qua ſibi ſignificatum ortum regis Judæorum dixere.

Vulgò creditur Magos de quibus nunc fit ſermo, fuiſſe reges; ſed nullus ſcripturæ locus hancce eis dignitatem vindicat. His quidem aliqui ex ſanctis patribus accommodant verba, Pſalmi 71. *reges Tharſis & inſulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent.* Non ideo minùs clariſſimi interpretes, Baronius, Toſtatus, Canus, Emmanuel Sa, Cornelius Janſenius, Franciſcus Lucas, aliique complures negant hocce vaticinium reſpicere Magos; hoc adducti argumento, quòd hanc ſublimem dignitatem Matthæus non prætermiſiſſet ſilentio. Nulla res in Evangeiro, neque comitatus eorum, neque apparatus quo excepti ſunt, regio diademate ornatos fuiſſe oſtendit. Viri ergo erant, ut videtur ſcientia potiùs quàm ſceptro clari. Nullus princeps patiatur ignotum regem de improviſo irrumpere in propriam ſuam ditionem; itaque adventus Magorum inexpectatus, ſi verè reges fuerint, non placuiſſet Herodi. Verùm evinci non poteſt omni dignitate caruiſſe; ſi autem infra regiam dignitas eorum erat, & comitatus infra regium ſatellitium fuit, idcirco non potuit Herodes perterreri: perterritus eſt tamen, ſed ab eo, quem natum dicebant regem Judæorum.

Numerus Magorum, qui Hieroſolymam venerint non magis cognoſci poteſt quàm eorum dignitas. Tres fuiſſe colligitur ex tribus muneribus quæ obtulerunt Domino, quaſi non ſinguli tria hæc, ſed ſinguli unum ex his, quod incertum eſt, quin etiam poſterioribus ſæculis eò evaſit fingendi licentia, ut nomina eorum recitata ſint, & deſignata muneris ſpecies, quam quiſque ex illis obtuliſſet. Talia figmenta abſint à paginis noſtris.

Ambigitur etiam quæ fuerit Magorum patria. Venere quidem ab Oriente, ἀπὸ ἀνατολῶν; ſed id non ſecat lites. Alii contendunt Perſas fuiſſe: favet nomen *Magi* uſitatum Perſis, & ars quam illi Magi videbantur profiteri; Chaldæos enim, quorum regionem Perſæ tenebant peritia Aſtronomiæ antiquitùs commendabat, inſuper Chaldæa orientalis eſt reſpectu Judææ. Magos celebriores conſtat in Perſide extitiſſe. Arabia verò ex qua alii profectos Magos volunt, meridionalis eſt per reſpectum ad Judæam. Verùm qui ſentiunt Magos fuiſſe Arabes in argumentum afferunt tria munera à Magis oblata; auri enim thuris & myrrhæ Arabia ferax eſt. Arabiam autem ex parte quidem ad meridiem Judææ ſitam, & huic eſſe ex altera parte orientalem probant ex libro quinto hiſtoriarum Taciti ubi deſcribens Judæam, *Terra fineſque* inquit, *qua ad Orientem Judæi vergunt, Arabia terminantur: à meridie Ægyptus objacet.* Sunt qui velint à Matthæo non tam indicari patriam, quàm profeſſionem; ſic autem ejus orationem connectunt, ut Magi non dicantur veniſſe ab Oriente, ſed fuiſſe ſapientes orientales *de Oriente*, ἀπὸ ἀνατολῶν. Ita illud *de Oriente* non jungunt cum verbo *advenerunt*, ſed cum *Magi*, quaſi dixerit Evangeliſta: Magi ab Oriente, id eſt ſapientes Orientales venerunt. Celebris nempe Oriens ſapientiæ nomine. De Job dicitur, cap. 1. ℣. 3. *Eratque vir ille magnus inter omnes orientales*; & de Salomone 3. Reg. cap. 4. ℣. 30. *Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum.* Sic *Orientalis* & *ſapiens* idem ſonant. Ergo in genere nec ratione forſan habita ſitus Judææ, Evangeliſta ſignificat ad cunabula Chriſti veniſſe viros Orientales ſive ſapientes, qui potuerunt eſſe vel Perſæ, vel Arabes.

Quæ-

Quæritur an Magi venerint Hieroſolymam modico, vel longo poſt natum Dominum intervallo. Particula *ἰδοὺ ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam*, admonet cùm recens natus eſſet Dominus, Jeroſolymam adveniſſe, *ἰησοῦ γεννηθέντος*. aoriſtus ille denotat actum recenter editum. Si diu erat quòd id didiciſſent, nimirum ex ſtella quæ illis apparuit, non dixiſſent Jeroſolymam ingreſſi: *ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? ὁ τεχθεὶς βασιλεύς*; etenim illud *τεχθεὶς* pariter in aoriſto ſignificat tempus non longè antè præteritum. Igitur ante purificationem Mariæ, ſive ante quadrageſimum à nativitate Domini diem venerunt; quod verum eſſe Joſeph & Maria demonſtrant tunc temporis adhuc in Bethlehem commorantes, etenim poſt purificationem non veriſimile eſt deprehenſos in loco, in quem peregrini venerant. Nazareth erat accolatus eorum; & gratis fingitur quandoque reverſos Bethlehem, ut etiam poſt unum, vel alterum annum à nativitate, reperti ſint à Magis. Repugnat ſcriptura quæ dicit rem contigiſſe, ubi natus eſt Dominus, & illum vocat *τὸ παιδίον* puerum, quod nomen puero recens nato magis convenit. Oſtendemus Mariam neceſſariò permanſiſſe per quadraginta dies in loco ubi pepererat. Sic lex jubebat; & providebat Deus ut hoc intervallo Judæi ſi libuiſſet, explorarent Domini cunas, admoniti à paſtoribus & excitati Magorū adventu. De tempore quo illi in Judæam advenerunt, fuſiùs & diligentiùs egimus in chronologicis.

2. *Dicentes: ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum: vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Nimirum ubi Magi advenerunt Jeroſolymam, dixerunt, ſive requiſierunt ubi eſſet rex ille quem Judæi à tanto tempore expectabant & celebrabant venturum. *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam ejus* quæ eum deſignat; eadem phraſi qua dicitur infra *ſignum filii hominis*, id eſt ſignum quod notum facit filium hominis. Credo nec ipſam plebem, nedum viros doctos Orientis latere potuiſſe expectatum eſſe à Judæis regem Meſſiam. Ubique Judæi diſſeminati, à quibus creber de ſuo Meſſia ſermo. Ergo cùm inſolita ſtella apparuit, facilè Magi revocati ſunt ad illud antiquum prophetæ Balaam vaticinium: *orietur ſtella ex Jacob*; quod ille edidit Deo cogente, ſive impellente; cùm advocatus à Rege Balac ad maledicendum Iſraeli, loco maledictionis vaticinatus eſt fore ut aliquando oriretur ex Iſraelitis, qui eſſet lux mundi. De Meſſia vaticinium illud intellectum fuiſſe oſtendunt hæc Philonis verba, lib. 1. de vita Moſis. *Egredietur olim homo ex vobis, & imperitabit multis gentibus, cujus regnum in dies creſcens magis ac magis exaltabitur.* Sic Philo inducit loquentem Balaam de Iſraelitis. Hinc nebulo ille qui Adriani imperatoris tempore ſe Meſſiam dicebat, nomen Hebræum *Barchocheba* aſſumpſit, quod idem ſonat ac *filius ſtellæ*, quaſi ipſe ſtella eſſet oritura ex Jacob.

Nemo refragari poteſt vaticinium Ballaam reſpexiſſe Meſſiam, qui verè lux eſt mundi, ut ipſe de ſe dixit, & de illo prædixerat Iſaias. Convenit patria prophetæ, qui ut dicitur in Numeris, cap. 22. ℣. 5. habitabat Pethoram, quæ eſt impoſita flumini, nempe Euphrati, ſic ſolet enim Euphrates antonomaſticè dici *flumen* ob amplitudinem. Ita Balaam vicinus erat Chaldæis, ſi non ipſe Chaldæus. *Veni de montibus Orientis*, inquit ille, cap. 23. ℣. 7. ut certum ſit de patria horum Magorum fuiſſe, de quibus nunc fit ſermo. Forſan & ipſe Magus eo ſenſu quo nomen illud uſurpabatur à Chaldæis & à Perſis. Itaque recordatio vaticinii, quod non ſolùm Chaldæam Perſidem, ſed & vicinam Arabiam pervaſerat, impulit Magos, ſive Perſæ, ſive Arabes fuerint, ut diligentiùs inſpicerent ſtellam novam, quæ motu ſuo rem inſolitam obtigiſſe terris indicabat.

An illa ſtella fuerit cometes, an inſolitus tantùm fulgor, an nova ſtella cælo addita, an etiam Angelus in ſtella latens, ut ſuſpicantur aliqui, vel Spiritus ſanctus in ſiderea ſpecie, ut poſtea in ſpecie columbæ, non quæro, neque enim hiſce quæſtionibus vacat immorari, de quibus poſtquam multa dixeris, hæc cogaris fateri incerta. quærenda ſunt, ut interdum moneo, quorum inveſtigatio utilis eſt, aut ſaltem poſſibilis. Id unum ſtatuere poſſumus, quòd cùm inſolitus ſive fulgor, ſive motus, ſive ſitus ſtellæ converteret in ſe oculos Magorum, quorum aſſiduum ſtudium erat ſidera contemplari, citò eos deprehendiſſe novum aliquid in mundo portendi. Stella *illuſtrior cæteriſque pulchrior ſideribus, facilè in ſe intuentium oculos animoſque converti, ut confeſtim adverterent non eſſe otioſum quod tam inſolitum apparebat.* Utor verbis Leonis magni, cujus ſequentia ſunt ex, Serm. 4. de Epiphan. *Dedit Deus aſpicientibus intellectum qui præſtitit ſignum ſtellæ: quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inveniendum obtulit requiſitus.* Inepti ſunt aſtrologi, qui multùm in homines poſſe ſidera inde volunt probare; nam ut ait Gregorius magnus, hom. 10. in Evang. *Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit; ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ, qui apparuit puer fuit.* Veriſimile eſt ſtellam præluxiſſe ante ortum Domini ſufficienti tempore, ut Magi ex luce ejus, motu, cæteriſque intelligerent ſibi ſignificari natum hunc quem vetuſta fama canebat oriturum ex Judæis; ſed non tanto tempore, ut alteri quàm Chriſto prælucere videretur; aliquo tamen opus fuit, neque enim forſan in animos Magorum ſtatim incidit cogitatio hanc eſſe ſtellam quæ nuntiatura erat natum Judæorum regem. Quidquid ſit, Deus ſic moderatus eſt ortum & motum ſtellæ, ut Magi deducti ſint Jeroſolymam diebus quibus contigerat Jeſum naſci. Attamen non adducendus animus, ut credat quod pleriſque certum videtur, ſtellam motu ſuo direxiſſe iter Magorum

gorum

gorum ; cur enim eos recta via non perduxiſſet domum ubi puer erat cum matre ; ipſi arguunt falſam eſſe eam opinionem de ſtella quæ viam monſtraret. *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam ejus in Oriente*, id eſt dum in Oriente eſſemus, aut vidimus ſtellam quæ apparebat in Oriente. Si autem & in via eam vidiſſent, ſi ipſa deduxiſſet eos Hieroſolymam, procul dubio non id tacuiſſent : præviam ſtellam ſequimur, dixiſſent.

Unde ergo & qua de cauſa Hieroſolymam perrexere ? Statim ac ſtella ſe conſpicuam præbuit, & admoniti ſunt regem Judæorum natum, quod decebat eos facere, in urbem quæ regni & religionis Judæorum caput erat, venerunt ſciſcitaturi quo loco natus eſſet rex eorum. Exiſtimabant enim tanti principis nativitatem non poſſe latere apud eos, qui hunc à tot ſæculis expectabant. Ubi, inquiunt, ille eſt rex Judæorum nuper natus ? Stellam enim ejus, quæ ſcilicet indicat natum, vidimus. Proinde ſcientes illum omnium bono naſci, licèt alienigena huc profecti ſumus, ut novo regi debitas honoris primitias exhibeamus. Hujuſmodi ſermonem cùm ſimpliciter apud quoſvis effunderent, illico rumor ad Herodem regem perlatus eſt, qui jam pridem Chriſti naſcituri famam horruerat, metuens, ne regno quod alienigena occupaverat, deturbaretur, ſi tantus princeps è Judæorum ſtirpe extitiſſet.

3. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.* Non ergo Magi ipſi protinus adierunt Herodem, ad cujus aures rumor publicus tantùm pertulit, quæ dixerant ; argumentum ingens viros fuiſſe privatæ ſortis ; neque enim reges, niſi præmiſſis ad Herodem legatis urbem intraſſent. Poſtquam autem Herodes audiit natum quem metuerat naſciturum, & audiit à Magis viris ob eruditionem nequaquam aſpernandis, conturbatus eſt animo, ſimulque cum illo tota civitas Hieroſolymorum, aliis aliud metuentibus, aut ſperantibus ; novitate rei, vel timore Romanorum, vel quòd Herodi faverent.

4. *Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur.* γεννᾶται, hoc eſt μέλλει γεννᾶσθαι, *naſciturus* eſt. Providebat Deus ut clareſceret ortus filii ſui, ne aliquando perfidi Judæi cauſarentur clam eſſe natum ; & de illius ortu nec fando audiviſſe. Etenim Magorum adventu excitati ſunt Herodes & omnes Hieroſolymitæ, ut inquirerent in locum ubi naſciturus erat Chriſtus. Res ad aures omnium procerum perlata. Accerſit ad ſe Herodes ex ordine ſacerdotum primores, ac ſcribas populi ἀρχιερεῖς, *principes ſacerdotum*. Intelligi poſſunt qui præerant ſingulis claſſibus, in quas dividebantur ſacerdotes ; vel primates Synedrii magni, vel qui olim fuerant ſummi ſacerdotes ; tunc enim pro arbitrio principis movebantur loco ſuo ; & cùm viventibus alius ſufficeretur, plures ſimul erant ſaltem nomine ἀρχιερεῖς, *ſummi ſacerdotes*. Peculiaris ſcribarum profeſſio erat, ut ſi quid exoriretur rerum novarum, è prophetarum oraculis, èque divinis libris reſponſa darent, quòd horum exactam ſcientiam profiterentur. Vocem Hebræam שטרים, quæ & ſonat *præfecti, prætores, gerentes magiſtratum*. LXX. Græci interpretes reddunt γραμματεῖς, *ſcribas*. Eadem voce Græca exprimunt Hebræam ספרים, qua Hebræi appellant virum literarum ſtudio deditum.

5. *At illi dixerunt ei : In Bethlehem Juda : ſic enim ſcriptum eſt per prophetam.* Omnes communi ſententia ſtatuerunt ex urbe Bethlehem oriturum Meſſiam, quia ſic ſcriptum eſſet per prophetam. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Iſta ſunt deſumpta ex capite quinto Michææ ; ſed non ipſa ſunt verba prophetæ, qualia hæc interpretati ſunt LXX. intepretes, & codex hodiernus Hebræus præfert ; quod non mediocre negotium faceſſit. Sic ipſe interpres vulgatus locum hunc exprimit apud Michæam. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael*, nec alio modo Græci interpretes hunc locum reddunt. Unde ergo fieri potuit ut aliter allegaretur ab Evangeliſta ? urbem enim non minimam dicit, quam parvulam appellat Michæas : non *Bethlehem Ephrata*, ſed *Juda* dicit, nec *in millibus*, ſed *in principibus*.

Hieronymus refert viſum aliquibus quòd Matthæus & alii Evangeliſtæ non ſemper ex ipſo codice exſcriberent teſtimonia, ſed memoriæ crederent, quæ nonnunquam fallitur ; ſed qui iſta ſentiunt, injuriam faciunt ſcriptoribus ſacris. Alii dicunt Matthæum hic hiſtoricum agere, & non tam prophetæ verba, quàm ſacerdotum & ſcribarum referre, qui allegabant Michæam non ex ipſo fonte, ſed ex vulgata aliqua paraphraſi, vel expoſitione ; unde Bethlehem Juda dicunt, quia tunc temporis non ampliùs cognominaretur Ephrata. Verùm non opus eſt ut huc confugiamus. Quoquomodo enim legamus & interpretemur Michæam, ſenſus vaticinii idem eſt, nimirum : etſi tu Bethlehem Ephrata, quæ ſic cognominabaris tempore Michææ, nunc autem diceris Bethlehem Juda : etſi inquam, ſis minima urbs quàm ut reputeris inter urbes, quæ habent chiliarcham, ſive principem millium ; attamen ex te exiet dux, qui regat populum meum Iſrael : horum verborum ſenſus, qui eſt Græcorum interpretum, & Latini interpretis Michææ, non alius eſt ab iſto quem ingerunt verba Matthæi ; ſcilicet Bethlehem haud minimam eſſe in principibus Juda. Quamquam enim videatur propheta Bethlehem appellare parvam, liquet tamen re ipſa dicere haud minimam ratione prolis ſuæ, quia inde Chriſtus originem ducturus eſſet.

Aliqui legunt cum puncto interrogationis illud

Mat-

Digitized by Google

Matthæi : *nequaquam minima es ?* Pochochius obſervat quandoque apud Hebræos vocem candem pati contrarios ſenſus pro loco ubi ponitur. Sic idem verbum ברך ſignificat *benedicere* & *maledicere*. קדש *ſanctum* & *non ſanctum*. חסד, *pium* & *non pium*. Vox ergo צעיר *tſehir*, quæ reperitur io loco Michææ, reddita eſt à Græcis ὀλιγοστὸς *parvulus* ; & eam ſignificationem ſæpiùs habet ; ſed in contraria ſignificatione ibi accipiendam eſſe contendit auctor allegatus, quia res ipſa velit, & interpretes Græci alibi ita accipiant iſtam vocem צעיר *tſehir*. Apud Danielem, cap. 8. ℣. 9. illam reddunt ἰσχυρὸν, & apud Zachariam, cap. 13. ℣. 7. ποιμένας. Ut decuerit potiùs locum Michææ verti : *nequaquam minima es* : quàm, *minima es*. Sic Matthæus rectè, alii minus benè Michæam interpretati ſunt. Maluit Evangeliſta dicere Bethlehem Juda ; quia ſic ferret conſuetudo loquendi, nunc legimus in codice Hebræo באלפי, *bealphe*, id eſt *in millibus* : Matthæus verò legebat, באלופי *bealuphe*, id eſt, *in principibus*. Duæ ille voces una literula, quæ facilè eraditur, differunt, & punctis vocalibus, quæ pro libito librariorum olim ſubſtituebantur. Verbum ποιμανεῖ, quo uſus interpres Græcus Matthæi, exprimit verbum Hebræum מושל *dominatorem* ; beoè enim redditor à vulgato, *qui regat* ; nam reges etiam appellantur *paſtores populorum*.

Ex hoc autem vaticinio, quod omnes de Meſſia interpretabantur, liquet compluta alia loca ſimiliter de Chriſto intellecta, quia ſic fuerat traditum à majoribus. Chaldæus paraphraſtes verbis allegatis ex Michæa inſerit Meſſiæ oomen. *Ex te coram me prodibis Meſſias, ut ſis dominium exercens in Iſrael. Cujus nomen dictum eſt ab æternitate, à diebus ſæculi.* pro quo in ſonte & in Græca verſione eſt : *Et egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* quod ſi de generatione Chriſti intelligatur, ſenſus apertus eſt ; qui enim natus eſt Bethlehem, ab æterno in ſinu Patris generatus eſt. Saltem hæc Zorobabeli non coveniunt cui Judæi tribuebant hunc Michææ locum, quos erroris arguit Chryſoſtomus. Attamen concedi poteſt hæc primariò reſpexiſſe Zorobabelem qui & typus Chriſti fuit. Verba autem prophetarum Chriſto quàm typis ſuis magis conveniunt. Dictum in vaticinio, ut obſervat Theophilactus, *ex te exiet dux*, quia Chriſtus non manſit in Bethlehem, ſed ex illa urbe poſtquam natus eſt, exiit, & in Nazareth frequenter converſatus eſt.

7. *Tunc Herodes clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.* Clam accerſivit Magos Herodes ; neque enim volebat patefieri perverſum ejus conſilium de enecanda nimirum omni prole quæ nata erat in Bethlemica regione circa tempora quibus apparuerat ſtella, ſignum nati regis ; ideo diligenter quæſivit de illis temporibus.

8. *Et mittens illos in Bethlehem dixit : Ite, & interrogate diligenter de puero : & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut ego veniens adorem eum.* Mirum eſt neque ipſum Herodem, oeque ullum alium Judæum deduxiſſe Magos in Bethlehem ; ſed Deus ipſe utebatur callidis conſiliis Herodis ut conſuleret vitæ pueri nati, etenim jam ſtatuerat rex impius illum interficere ; ſed ne ſibi eriperetur, è re eſſe credidit per viros ignotos explorare locum ubi natus, & è quibus parentibus. Miſit ergo Magos tanquam exploratores. Ite inquit : omnia explorate : locum indagate ubi natus puer ille, quem non dignatur vocare regem, ut cùm renuntiaveritis, eò proficiſcar, & illum adorem. Sic pietatem obſtendebat conſiliis furioſis, quibus ſperabat oppreſſurum quod divinitùs agebatur.

9. *Qui cùm audiſſent regem, abierunt.* Profecti ſunt Bethlehem, ubi didicerant natum, quem quærebant. *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente.* Non dicit Evangeliſta, quæ illis hactenus comes itineris præluxerat, *antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat puer.* Scilicet ſtella eadem quam viderant in Oriente, tunc illis prævia fuit ſignans iter, donec ſtatione ſua ſignificaret ubi illud ſiſterent.

10. *Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valdè.* Etenim ut veriſimile eſt ipſius pueri capiti imminens è propinquo, ceu digito demonſtrabat infantem.

11. *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Neque enim opus erat aliis indiciis ; cæleſtem ducem ſecuti : hoc qualicumque tugurio latere, quem quærebant, certiores facti ſunt. Ex eo quòd ibi nominetur *domus*, aliqui colligunt in ipſum diverſorium vacuum Mariam ſe recepiſſe diffluentibus advenis, alii volunt in ipſo ſtabulo Jeſum adoratum à Magis ; & ibi *domum* idem ſonare ac locum ; ut ſenſus ſit ; & intrantes locum in quo puer erat &c. *Et procidentes adoraverunt eum ; & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Ibi nomen *theſaurus* uſurpatur ſive pro *theca* ſive pro *reconditorio*. Ea ſignificatio eſt hujus nominis, ut fruſtrà quis deducat Magos fuiſſe reges ex eo quòd aperuerint theſauros. Perſæ autem non adeunt reges ſuos ſine muneribus. Thure Deo adoletur ; in Oriente mortuorum corpora myrrha condiuntur, ubique aurum in vectigal regibus penditur. Ergo ut inquit Hilarius, in auro regem, in thure Deum, io myrrha hominem confeſſi ſunt.

12. *Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem*, χρηματισθέντες, id eſt divinitùs admoniti, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Sic Deus eluſit Herodem ; & malè ei ceſſit dolus. Etenim non miſit Bethlehem qui interficerent puerum, niſi cùm impletis purgationis diebus Maria jam in Ægyptum cum marito & puero fugerat. Siquidem verò Magorum adventus per-

tur-

Digitized by Google

turbaverat Herodem; & ideo expectaret anxius reverſionem eorum, nec Bethlehem niſi paucis milliaribus diſtaret Hieroſolyma, veriſimile eſt non ultra paucos dies diſtuliſſe cædem Bethlemiticæ prolis. Ita Magorum adventum & fugam pueri in Ægyptum non licet multo temporis intervallo disjungere. Id in cauſa potuit eſſe, ut à pleriſque ignoratus ſit Jeſus; qui enim audientes quòd Magi de ſtella dixerant, ſtatim viam non ingreſſi ſunt, timore Herodis, ne alteri regi ſervire ſe eſſe paratos oſtenderent, non invenerunt puerum jam deportatum in Ægyptum, etſi inveniſſent, qui erat Judæorum ſtupor, prolem pauperem non multifeciſſent; aſpernati enim eſſent quem pro fabri filio haberent.

CAPUT XII.

Maria impletis purgationis ſuæ diebus, ipſa & conjux ejus ſecundùm legem ſiſtunt puerum ad Templum, quem Simeon & Anna pro Chriſto agnoſcunt.

MATTHÆUS, Cap. 2. ℣. 13. LUCAS, Cap. 2. ℣. 23—39.

Matth. 13. QUi (*Magi*) cùm receſſiſſent .... L. 22. † poſtquam impleti ſunt † *In Purific.*
dies purgationis ejus ſecundùm [*a*] legem Moyſi, tulerunt (a) *Lev.* 13.7.
illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino,
23 ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: [*b*] Quia omne maſculinum adape- (b) *Exod.* 13.2. *Num.* 8.16.
riens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.
24 & ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt [*c*] in lege Domini, (c) *Lev.* 12.8.
par turturum, aut duos pullos columbarum.
25 Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus,
& timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.
26 Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi
priùs videret Chriſtum Domini:
27 Et venit in ſpiritu in Templum. Et cùm inducerent puerum Jeſum pa-
rentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo:
28 & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit:
29 Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in
pace.
30 Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,
31 Quod paraſti ante faciem omnium populorum;
32 Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſrael. ¶
33 Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de
illo.
34 Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: [*d*] Ecce (d) *Iſai.* 8.14. *Rom.* 9.3. 1. *Petr.* 2.2.
poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſi-
gnum, cui contradicetur:
35 & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cor-
dibus cogitationes.
36 Et erat Anna propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſe-
rat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate
ſua.
37 Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat
de Templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.

Digitized by Google

38 Et hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.

39 Et ut perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.

VERISIMILE eſt, ut dixi, Magos veniſſe Bethlehem non multos dies antequam ſe Maria purgaret, & inde fugeret in Ægyptum. Ergo neceſſe eſt ut ſtatim ac abierunt, Templum adierit Maria quadrageſimo die ex quo partu ſoluta fuerat. Tandiu autem illa manſit in ſtabulo, vel in diverſorio, nempe quando abeuntibus hoſpitibus vacuum factum eſt. Quæ enim legi pareret, debuit ſeparata vivere ſeptem diebus, & triginta tribus aliis manere in ſanguine purificationis, ut præcipitur in Levitico, cap. 12. verùm his expletis, non erat cur diutiùs ibi moraretur, aut cur huc reverteretur poſt purificationem, unde deduximus Magos jam Bethlehem veniſſe. Sed ajunt: quomodo Herodes qui ubi advertit ſe deluſum à Magis ita excanduit, non incuſſiſſet timorem Mariæ, quominus ſeſe cum puero ſiſteret Hieroſolymam? Reſponſio facilis: nam ſi ſtatim poſt abitum Magorum Maria aſcendit Hieroſolymam, nondum Herodes ſeſe ſentiebat deceptum; quod fortè tunc intellexit, cùm rumor qui augere potuit perturbationem ejus, vulgavit tota urbe Meſſiam oblatum in Templo & exceptum ulnis Simeonis. Harum rerum veram ſeriem non licèt aſſequi niſi per conjecturas, quæ veriſimilior viſa, ſeriem ſubjicimus.

13. Mt *Qui Magi cùm receſſiſſent* L. 22. *poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino:* Norunt medici immundo & noxio ſanguinis profluvio laborare mulieres diebus ſequentibus partum; ideo lex, quæ quantum fieri poterat, omnem immunditiem præcavebat, ſic præcipit in Levitico, cap. 12. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ*, hoc eſt ſicut mulieres quæ menſtrua patiuntur. *Ipſa verò triginta tribus diebus*, nempe aliis, *manebit in ſanguine purificationis ſuæ*; id eſt arcebitur à loco ſacro, dum toto hoc tempore durare poteſt profluvium ejus. *Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ*, ut munda ſit. Cenſorinus obſervat libello de die natali, mulieres quadraginta poſt partum diebus ſanguinem interdum non continere. Quidquid ſit, huic legi mulierum immundarum Virgo non ſubdita erat. *Unde ſordes in virgine matre*, inquit Auguſtinus *lib. de quinque hæreſib. cap. 5. ubi non eſt concubitus cum homine patre? Unde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo paſſa eſt dolorem?* & ut dicitur in ſermone de Nativitate, qui tribuitur Cypriano, *Maria genitrix & obſtetrix; nullus dolor, nulla naturæ contumelia.*

Ergo cùm Evangeliſta de impletis diebus purgationis Mariæ, ſermonem facit, loquitur ex conſuetudine; quia ſcilicet conſuetum erat, ut mulieres non adirent Templum niſi poſt quadrageſimum à partu diem. Nunc in codice Græco legitur τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς, *purgationis ejus*, nempe Mariæ; ſed & quidam codices habent αὐτοῦ, ut & de puero locus ille intelligatur. Cùm enim etiam qui immundum contrectaret, immundus haberetur, quandiu immunda erat mater, talis erat & infans qui in ſinu ejus geſtabatur, & lacte ejus alebatur. Hinc factum, ut ſicut mater toto immunditiei ſuæ tempore à ſacrario arcebatur, filius quoque primogenitus non poterat ſiſti Deo, niſi elapſis iſtis diebus. Quomodo legatur, vel αὐτῆς, vel αὐτοῦ, vel αὐτῶν quod & reperitur, nec Maria ire ad Templum, nec Jeſus huc deferri poterat niſi quadrageſimo die.

23. *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Exod. cap. 13. ℣. 2. & Num. cap. 8. ℣. 16. *quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur*, id eſt conſecrabitur, ſive ſeparabitur Domino, ut illi dicatum maneat tamquam res propria, niſi redimatur pretio quinque ſiclorum in memoriam primogenitorum ſervatorum in Ægypto. Non neceſſe erat ut puer Jeſus Deo patri ſuo ſiſteretur, qui alienus non eſſet; ſed quoniam ſimilis nobis factus erat, ſimiliter & tenebatur lege, quæ aſtringebat omnes Iſraelitas, Quin & pro ea ſacrificium offerendum quod dicebatur *pro peccato*. Ex eo autem quòd verba legis puero accommodet Lucas, non ſequitur verè aperuiſſe uterum matris, ſed primò natum eſſe ex Maria. *Adaperiens vulvam* eſt periphraſis primogeniti; ideo non poteſt repudiari opinio illa, Jeſum è matris utero, quemadmodum poſteà è tumulo, egreſſum fuiſſe.

24. *Et ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini.* Levit. cap. 12. ℣. 8. *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Mulier expletis purgationis ſuæ diebus jubebatur ad Templum deferre agnum anniculum in holocauſtum; quem ſi non inveniret manus ejus, quia ſcilicet rerum anguſtia non patiebatur, poterat ſumere duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato. Lucas ſatis clarè innuit munus pauperculorum oblatum fuiſſe à Maria, mentionem enim agni non facit. Suppetebat tamen Mariæ aurum, quod à Magis acceperat, ſi re ipſa Magi venerant ante

illud

illud tempus. Verùm præterquam ſpecies muneris magis quàm copia cogitanda ſit, Maria non alia dona offerre voluit quàm quæ decerent conjugem pauperis fabri, ita ut reſervatum ſit Magorum munus in alias impenſas.

Quoniam oportebat Dominum latere & idcirco haberi in numero hominum qui è ſemine Abrahæ prognati legi ſubjacebant, Maria etſi partu ſuo non facta erat immunda, ſed mundior, paruit legi: redemit filium; & ſolitum pro peccato obtulit ſacrificium. Immundus non erat puer, ſed videbatur, qui ex nuptiis Mariæ & Joſeph credebatur natus. Attamen in purgatione apparentis immunditiei Mariæ & pueri, & in paupertate parentum non latuit Chriſtus, quem occurſus Simeonis & Annæ in Templo manifeſtum fecere.

25. *Et ecce homo erat in Jeruſalem cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Non erat vir obſcurus, ſed pietate ſua conſpicuus, quem ideo nominat Evangeliſta. Hebræis *timoratus* idem ſonat quod religioſus; qui timidus circumſpicit ne in Deum peccet. Quidam opinantur Simeonem ſacerdotem fuiſſe; ſed eam dignitatem Lucas non tacuiſſet. Conſolationem Iſrael expectabat Simeon, nempe adventum Meſſiæ, quem veri Iſraelitæ non minori deſiderio expetebant, quàm qui carcere detenti ſunt, libertatis vindicem, pauperes adjutorem, ægri medicum, certò enim credebant pii Judæi ſe liberandos dura peccati ſervitute, adjuvandos omnibus bonis ſpiritualibus, & quocumque morbo ſanandos à Meſſia. Itaque adventus ejus erat conſolatio Iſrael. *Annos conſolationis* appellabant illud tempus quo proditurus erat; ut videre eſt in libris Judæorum. Sic Chaldæi paraphraſtæ exponentes illum locum Iſaiæ, cap. 4. ℣. 3. quem de Chriſto interpretantur. *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, &c.* videbit, inquiunt, conſolationem Jeruſalem; & illud Jeremiæ cap. 31. ℣. 6. *Surgite & aſcendamus in Sion, &c.* interpretantur de juſtis qui deſiderabant *annos*, inquiunt, *conſolationis*. Simeon, inquam, vir erat propheta Spiritu ſancto afflatus; ut liquet ex iis quæ ſequuntur.

26. *Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto,* ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον, id eſt *divinitus ei fuerat revelatum*, ſive promiſerat illi Deus *non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini*, dies conſolationis Iſrael.

27. *Et venit in ſpiritu in Templum*, impellente Spiritu ſancto, ea ipſa hora qua Jeſum parentes ejus offerrent. *Et cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo*; conſuetudini enim parebant non neceſſitati.

28. *Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit*, ſenex beatus protinus agnovit Dominum ſuum, & præ gaudio in has voces erupit, quibus procul dubio omnium aures arrectæ ſunt, ſimul & eorum oculi converſi in puerum, ut non latuerit occurſus ejus, qui alioquin feſelliſſet, quis enim advertiſſet pauperculos parentes, dum ex more ea quæ legis erant, perficerent?

29. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.* Id eſt tunc mori ſinis, hoc eſt animam meam corpore ſolutam ad te aſſumis; ibi enim eſt ellypſis & metaphora, ſolvis me à vinculis corporis, jam moriar felix. Hebræi pace felicitatem ſignificant. Quod mihi, ò Deus, promiſeras, implevisti. 30. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, ibi *ſalutare*, ſive *ſalus* ponitur pro Chriſto ſervatore: phraſis uſitatiſſima. 31. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum*, ſalutare quod dediſti, id eſt Chriſtum quem dediſti, ut ſervaret omnes populos. 32. *Lumen ad revelationem gentium*, ibi revelatio activè ſumitur, id eſt Chriſtus lumen erit gentibus, lucem illis inferet, diſcutiens ab animis tenebras. Eadem Iſaias olim de Chriſto prædixerat, cap. 29. ℣. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium*, addit Simeon: *& gloriam plebis tuæ Iſrael.* Meſſias enim ex Iſraelitis prodiit; & de Jeruſalem lex egreſſa eſt. Iſraelitæ populus Dei cenſebantur; cæteri hominum dicebantur non populi Dei.

33. *Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.* Etenim illa Simeonis oratio improviſa erat Mariæ & Joſepho, qui in pauperum turba ad Templum aſcenderant. 34. *Et benedixit illis Simeon*, Joſephum & Mariam bonis omnibus proſecutus eſt, eis talem filium gratulatus; ut Eliſabeth benedictam Mariam dixerat; neque enim benedictio illa Simeonis, ut aliqui volunt, ſacerdotalis fuit.

Et dixit ad Mariam matrem ejus: ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur. Simeon dixerat Chriſtum natum Iſraelitis & gentibus omnibus; ſed admonet, ut ſalutis ita & damni ſive cauſam, ſive occaſionem futurum; *in ruinam* εἰς πτῶσιν, id eſt *in caſum*. *Caſus* autem ibi ponitur pro *exitio*, quia is qui cecidit, facilè ab hoſte opprimitur & cenſetur perditus; ita *reſurrectio* pro *ſalute*, quòd qui erectus ſteterit, ſalvus videatur. Secundùm hunc ſenſum dicebat Apoſtolus, *qui ſtat videat ne cadat*. Occaſione Chriſti, ſive promulgatione Evangelii, alii ſtabunt, alii corruent. Iſaias dixerat fore ut Chriſtus eſſet petra ſcandali; cui nempe offenderent viri carnales, à quibus flocci fieret ob apparentem inopiam.

Futurum ergo erat ut Chriſtus aliis cauſa exitii eſſet, ſed culpa eorum, aliis ſalutis *Et in ſignum cui contradicetur*, id eſt veluti ſcopus, aut lapis ſignum, quò tela ſuarum contradictionum omnes collimient adverſarii; vel velut vexillum elevatum cui complures adverſabuntur, quocum litiga-

Digitized by Google

gabunt. In lingua Judæorum helleniſtarum ἀντιλεγόμενον eam ſignificationem habet; quia & calumnias ſignificat. Chriſtus vitæ ſanctimonia prodigioſis operibus ſuis, quaſi in ſublime erectus eſt, & factus toti mundo conſpicuus, ſed non paucis adverſus eum inſurrexerunt, ut queritur Pſalmiſta, Pſal. 2. *Quare fremuerunt gentes... adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.*

Deinceps orationem ſuam convertit Simeon ad Mariam, quam his verbis compellat. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Denuntiat illi animum ejus cruciandum acerbo dolore, quòd contradiceretur filio ejus, quaſi gladio cor tuum perfodietur dolore. Sic ſummos dolores Hebræi notant; ut cùm in Pſalmo 104. de Joſepho dicitur: *ferrum pertranſiit animam ejus*, dum autem hæc omnia fient, nempe contradicetur filio tuo, & ideo cruciaberis dolore, apparebunt qui verè ſint timentes Deum: cogitationes occultæ fient manifeſtæ. Particula *ut* non eſt eo in loco cauſalis; neque enim contradicetur Chriſto ut revelentur cogitationes, ſed quia contradicetur, hæc fient. Eodem ſenſu Paulus ſcribebat Corinthiis 1. ep. cap. 11. ℣. 19. *oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Verba illa Simeonis in Templo, ubi frequentes aderant Judæi, non à paucis audita ſunt; tunc ergo innotuit natum eſſe Dominum, de quo eadem hora loquebatur Anna propheteſſa, quæ hoc titulo non appellaretur niſi aut vaticiniis ſuis inclyta fuiſſet, aut perita in ſcripturis: niſi ſcilicet potuiſſet more prophetarum illas exponere, & de illis diſſerere diſertè.

36. *Et erat Anna propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.* Mulier plena Spiritu ſancto, quæ docere poterat, ut videtur, & ad pietatem juvenculas inſtituere; non ignota, cujus proſapia certa eſſet. Nominatur *Phanuel* pater ejus: quod nomen idem ſonat ac *apparuit Deus*, bonum ergo omen; tempus enim venerat ut impleretur myſterium, quod ſub hoc nomine latebat. Sic in *Anna* vocabulo *gratiæ*, in *Aſer*, ex qua tribu Anna, *beatitudinis* eſt ſignificatio. Tribus autem illa olim occupaverat partem Galilææ; ita aliquid boni poterat venire à Galilæa. *Hæc proceſſerat in diebus multis*, hoc eſt, provectæ ætatis erat, ætate & morum gravitate veneranda. *Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua*, id eſt ex quo virgo viro nupſerat. 37. *Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor*, ſcilicet pervenerat. Juxta hodiernum codicem Græcum, quaſi *annorum octoginta quatuor*, non repetitis nuptiis vidua permanſerat: magna laus mulieris, *quæ non diſcedebat de Templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Poterat Anna in deſtinato mulieribus loco, noctes dieſque commorari; ita ut verè non diſcederet à Templo. Id autem poteſt intelligi eo ſenſu quo Lucas c. 24. ℣. 53. dicit Apoſtolos fuiſſe ſemper in Templo, non tamen ita ut nunquam exirent, ſic vulgo Lucam interpretantur. Verùm nos ad literam ſumimus verba illa Lucæ, etenim in lib. de Templo oſtendimus non ſpernendis argumentis Spiritum ſanctum deſcendiſſe in Apoſtolos, cùm eſſent in cœnaculo Templi concluſi, à quo tunc temporis non diſcedebant. Lubentiùs ergo crederem quaſi accolam Templi fuiſſe Annam. Pars Iſraelitarum ſolita erat convenire ad Templum diſtributis temporibus, ut precibus & jejuniis vacarent, & intereſſent ſacrificiis. Qui his exercitiis intenti erant, dicebantur *viri ſtationis*, quia quaſi in ſtatione erant; unde originem habent *ſtationes Eccleſiæ Chriſtianæ*, per quas vacat orationibus & jejuniis. Frequentiùs & forſan ſemper harum ſtationum munera Anna obibat in Templo die ac nocte ſerviens, λατρεύουσα, quod verbum indicat ſtata & ordinata orationum & jejuniorum exercitia ad cultum Deo exhibendum. Sic memoratur in Exodo piarum mulierum exercitus, quæ quaſi Deo militarent, excubantes ad officium tabernaculi; ubi obſervandum quas mulieres dicit fons Hebræus הצבאת *hatzobeoth*, id eſt *militantes*, appellari ab interpretibus Græcis νηστεύσασαι, *jejunantes*; ut certum ſit orationem & jejunium fuiſſe perpetuum illarum exercitium, quod hic dicitur de Anna.

38. *Et hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Forſan ex loco ubi ſolebant mulieres ſedere, ſupervenerat ad ipſum locum quo puer Jeſus offerebatur ſacerdotibus, huc venerat vel orationis, vel ſacrificii causà, accedebant enim viri & mulieres ad ingreſſum atrii ſacerdotum, ut imponerent manus victimis ſuis. *Superveniens* ergo tunc *confitebatur Domino*, id eſt gratias agebat Deo, confitens illum miſericordem, bonum; vel potiùs laudabat Dominum Meſſiam: *confitens*, id eſt celebrans oratione labiis prolata ſummam ejus dignitatem. *Confitebatur Domino* ἀνθωμολογεῖτο: vulgatus neglexit particulam ἀντὶ, qua videtur ſignificatum Annam quaſi ſuccinuiſſe Simeoni in prædicando Meſſiæ adventu, vel palam & in omnium conſpectu præſentiam Chriſti annuntiaſſe. *Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael*; omnibus ſcilicet Chriſtum expectantibus, quorum mentes in illum converſæ erant. De Chriſto creber inter pios ſermo: in Chriſtum ſuſpiria eorum & vota erant.

39. *Et ut perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam.* Id compendiosè dictum cenſeri debet prætermiſſa mentione medii temporis quo in Ægyptum commigrarunt Maria & Joſeph, ut modò dicemus. Hæc omnia recolentem lectorem nonne commovent cæcitas & negligentia Judæorum

qui

Digitized by Google

qui poſt tot ſigna non ubique Jeſum ſectati ſunt. Vix ad illa ſigna mentem adjunxiſſe videntur; neque enim horum recordati ſunt, quando Jeſus ſe Meſſiam dixit, in nulla re eis deerat clemens Deus. Omni ſplendore veritas ortus Chriſti refulſit. Verùm cùm & tenebris ille involvendus eſſet; poſtquam Maria & Joſeph perfecerunt ea quæ legis erant, quaſi ex Judæorum oculis evanuerunt, etenim monitu Angeli fugerunt in Ægyptum. Sic in vita Chriſti lux & tenebræ ordinantur, pro ut poſtulabat œconomia, & congruebat ut innoteſceret, aut ignotus eſſet.

CAPUT XIII.

Joſeph fugit in Ægyptum cum puero & matre ejus, monitus ab Angelo declinare iram Herodis, qui ut tolleret Dominum, omnes recèns natos in Bethlehem occidi juſſit.

MATTHÆUS, Cap. 2. ℣. 13—18.

13.... † ECce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens : Sur- † *In Feſto SS. Innoc.*
ge & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum,
& eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat
puerum ad perdendum eum.
14 Qui conſurgens, accepit puerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in
Ægyptum:
15 & erat ibi uſque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum eſt
à Domino per Prophetam dicentem : † Ex Ægypto vocavi filium meum. † *Oſea 11.2.*
16 Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè,
& mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.
17 Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam di-
centem:
18 † Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus : Rachel † *Jerem. 31.15.*
plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. ¶

CORAM pluribus teſtibus Jeſum pro Chriſto Simeon & Anna agnoverant. Ergo fieri non potuit quin tantæ rei rumor ad Herodem perlatus ſit; quem Magi jam commovebant ad eum non revertentes. Ut illius furori ſubriperet puerum, Joſeph monitu Angeli in Ægyptum fugit ſtatim ac, ut puto, ipſe & Maria perfecerunt quæ lex jubebat perficienda. Matthæus adventum Magorum conjungit cum nativitate Domini, & protinus ſubjungit fugam in Ægyptum, prætermittens ſilentio, id quod modò protulimus ex Luca. Lucas verò de Magis ſilens, & de fuga in Ægyptum, ſcribit Mariam & Joſeph à Templo reverſos eſſe in urbem Nazareth. Sed ut videre eſt, Evangeliſtæ continua narratione conjungunt res diverſis temporibus peractas, quando placet illis non referre intermedias. Sic quiſquis Evangeliſta, inquit Auguſtinus, contexit narrationem ſuam, ut tanquam nihil prætermitteret, ſeries digeſta videatur,

Lamy, T. I.

13 *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens : ſurge & accipe puerum, & matrem ejus & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Ægyptus locus erat fugæ commodus, utpote Palæſtinæ vicinus, & in alterius principis ditione. Herodes apud ſe ſtatuerat vitam puero eripere, ne ſibi eriperetur regnum. Quæ ſtultitia hominis, ait Theophylactus, qui laborat ut divinam vincat voluntatem, nam ſi non eſt ex Deo, quid times? Sin ex Deo eſt, quomodo perdes puerum?

14. *Qui conſurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.* Statim explevit quod juſſus erat. Mirum non aliter conſuli vitæ Domini quàm fuga, ſed omnino puer, hoc eſt, imbellis, videri voluit. Fugit ergo, inquit Fulgentius, Serm. 5. non formidine humana, ſed diſpenſatione divina: non neceſſitate, ſed poteſtate. *Bellicoſus, quòd in bello fugis,* inquit Chryſologus.

D *artis*

artis eſt, non timoris. Olim Angelus primogenitos Ægypti interfecerat: alter innumeros exercitus Sennacherib occiſione deleverat. num ille cujus metu fugiebat Joſeph, par fuiſſet occidendo regi impio?

15. *Et erat ibi uſque ad obitum Herodis;* paucis menſibus uſque ad proximi paſchatis dies, juxta calculos noſtros. *Ut impleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem: ex Ægypto vocavi filium meum.* Verba illa leguntur apud prophetam Oſee, cap. 11. in fonte Hebræo; nam verſio Græca habet, ex Ægypto vocavi filios meos; unde concludit Hieronymus Matthæum allegare in hoc teſtimonio Hebraicam veritatem. Reponebant Hieronymo verſionis Græcæ defenſores, ſumptum hunc locum ex cap. 23. ℣. 22. Numerorum, ubi de Iſraele dicunt LXX. Græci interpretes: Θεὸς ὁ ἐξαγαγὼν αὐτὸν ἐξ αἰγύπτου. *Deus eduxit illum ex Ægypto.* Quidquid ſit de loco hujus teſtimonii, apertum ibi, ſive in Numeris, ſive in propheta Oſee, de tota Iſraelitarum gente mentionem fieri; ſed cùm nos doceat Apoſtolus omnia Iſraelitis in figuris contigiſſe, hæc verba jure tribuuntur Chriſto; cujus typus erat Iſrael ex Ægypto revocatus & eductus.

Circa illam formulam *ut impleretur*, advertendum dici optimo ſenſu illa impleri, quibus aliquid ſimile obtingit. Ex ſimilis inquam eventus occaſione, ſolent Judæi alluſiones captare; ut ipſi queri non poſſint detortas ab Evangeliſtis ſcripturas, cùm illas accommodant rebus ob ſimilitudinem, hic autem meram alluſionem fieri, dicit Janſenius in Concordia; ut ſi quis, inquit, verba faciens de patre aliquo mirè ſollicito pro filio diceret; vidiſſes amore, deſiderioque filii non poſſe conſiſtere, omnia negligere, omnia poſthabere, ut filium præſentem videret, ut impleretur in eo illud Maronis: *Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.* Quantò potiore jure Matthæus Chriſto attribuit, quod propheta de populo tantùm ſuo videbatur dixiſſe, qui populus imago fuit Chriſti. Quod enim Pharao Iſraeli, Herodes id ipſum fuit Chriſto. Verba ipſa quæ Moyſi Deus dixerat, Exod. cap. 4. ℣. 19. *vade & revertere in Ægyptum, mortui ſunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* Eadem inquam, verba capite ſequenti videbimus Angelum iterantem Joſepho: *vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Cædes puerorum Iſraelitarum ex edicto Pharaonis apprimè reſpondet Bethlemitarum infanticidio. Sicut Deus illuſerat Pharaoni per Moyſem, ſic Herodi per Magos. Herodes & Pharao fuere puericidæ. Pharao maſculos Hebræorum pueros in Ægypto occidit, Herodes autem in Bethlehem.

16. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè*, ſe deluſum ſentiens, quoniam non reverterentur. Timore ergo ne regno ſpoliaretur ſimul & correptus furore juſſit eos omnes occidi quorum in numero puer poſſet reperiri. *Et mittens occidit*, id eſt occidi juſſit *omnes pueros qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis.* Hoc edicto ſatagebat rex crudelis pluribus vitam eripere, ne unus ſubriperetur, quem ſolum petebat. Ideo tempus dilatabat & locum, complectens omnes pueros tum Bethlehem, tum confiniorum, *à bimatu & infrà*, id eſt qui bimuli eſſent, vel minores, ne qua poſſet elabi, quem unum cupiebat extinctum.

Veriſimile eſt ſtellam Magis apparuiſſe ante ortum Domini, ne cunabulis ejus intereſſe obſtaret longitudo itineris; & illum adorare poſſent adhuc in faſciis jacentem. Ita hæc ſtella, cujus apparitione Magi excitandi fuerant, potuit prælucere ante ortum Domini. Tempus ergo illud quo illi renuntiaverunt novam ſtellam ſibi viſam, edicto ſuo complexus Herodes non contraxit; imo ampliavit, ne ille excluderetur cujus machinabatur mortem; his enim utebatur motibus. *Timore pavidus erat*, inquit de illo Joſephus, lib. 9. de bello cap. 19. *& ad omnes ſuſpiciones excitabatur, multoſque innocentes, metu ne quem nocentium prætermitteret, in tormenta ducebat.*

Credendi locus eſt crudelem regem immiſiſſe milites qui ſcrutarentur domos, & ab uberibus matrum raptos pueros trucidarent. Cælabat enim peſſimum conſilium ſuum, ſciens non patienter perlaturos Judæos ut quem haberent pro Chriſto enecaret. Inde fieri potuit, ut cùm facinus viſum ſit veſanos milites auctores habere, inter tot alia prava facinora, quæ Herodes patravit, non ſit numeratum. Qui cæco impetu, ut dicimus, infanticidium à militibus perpetratum negant, ſed factum de more, quo à reis ſumebantur ſupplicia cum aliquibus regulis, dicant quam juris ſpeciem obtendiſſet Herodes. Quidquid ſit de modo hujus infanticidii, mentionem hujus Joſephus non facit, nec alius hujuſce ætatis ſcriptor. Etenim Macrobius vir Ethnicus qui de illo non tacuit; quatuor poſt ſæcula vixit Theodoſianis temporibus. multis aliis criminibus, quæ non minora fuere, obtinuit Herodes ut tanta crudelitas illi non exprobrata ſit.

17. *Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam dicentem:* 18. *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus.* Pro duobus illis nominibus quæ nos legimus, Græci codices habent tria θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς, id eſt lamentatio, ac ploratus, ac fletus. *Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Occaſione dictæ ſtragis allegat Matthæus locum Jeremiæ, cap. 31. ℣. 15. expreſſum hiſce verbis in fonte קול־ברמה *chol-berama.* Vox *rama* ſumi poteſt pro nomine loci, ut eam acceperunt LXX. interpretes, his illam literis expri-

Digitized by Google

primentes ῥαμᾶ. Græcos ſequutus eſt Matthæus. Vox autem eadem *rama* locum editum notat; unde Hieronimus cum Hebræis ſic reddebat *vox, in excelſo*, id eſt vox longè latèque diſperſa. Rama autem nomen eſt urbis in tribu Beniamin, ad quam uſque pervenire potuit luctus de quo agit Jeremias. Subjiciam locum integrum prophetæ ex vulgata verſione Latina: *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus & fletus, Rachel plorantis filios ſuos, & noluit conſolari ſuper eis, quia non ſunt.* Locum hunc ſic exponit Chaldæus paraphraſtes: *Vox in excelſo mundi audita eſt, vox domus Iſrael, flentis & gementis poſt Jeremiam prophetam, quando miſit eum Nabuzardan princeps Occidentium ex Ramah. Rachel lamentatur, & plorat ob amaritudinem Jeruſalem; plorat propter filios ſuos, & renuit conſolari ſuper filiis ſuis quia migraverunt.* Ibi domus Iſrael, vocatur Rachel, mater præcipua duodecim tribuum; quæ ideo inducitur lugens, quia ſepulcrum ejus non longè aberat à Bethlemicis agris, ut conſtat ex cap. 35. ℣. 19. Geneſeos *Mortua eſt ergo Rachel & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem.* Quod autem Jeremiæ temporibus contigerat, ut cætera alia typi erant. Potuit ergo Evangeliſta, quæ de alia clade dixerat propheta, accommodare huic ce ſtragi, qua perierunt 101 infantes pro Chriſto; & quam potuit Jeremias intueri; vates enim erat.

Rachel plorans filios ſuos, hoc eſt ager Bethlemicus, ſive accolæ agrorum Bethlemicorum plorabant. *Et noluit conſolari quia non ſunt*, id eſt ager ille noluit conſolationem admittere. *Conſolari* rariùs dicitur paſſivè, *quia non ſunt*, id eſt quia nulli infantes ſuperſtites, & omnes gladio occidiſſent. Mos ille loquendi *quia non ſunt*, pro *ſublati ſunt*, ſacris etiam ſcriptoribus familiaris eſt. Vide pſalmum 38. ℣. 14. & Jeremiam, cap. 49. ℣. 10. Tunc inquam Bethlemicis mulieribus, accidit quidpiam ſimile quod olim Benjamiticis, quarum originis Rachel princeps, quando ut ſcribit Jeremias, ab Aſſiriis, aut Chaldæis filii earum partim cæſi, partim in captivitatem abducti ſunt. Judæi reprobare non poſſunt has alluſiones, qua diſſerendi ratione nihil apud eos ſolemnius ſicut apud Græcos Latinoſque ſcriptores. Alluſiones inter decora orationis numerantur; ſed in his locis Evangelii meras fieri alluſiones vix credo; ratum enim fixumque mihi eſt, antiquos prophetas intuitos Chriſtum, & quæ evarrant, typos eſſe ita ut quæ de his rebus præſentibus dicunt, poſtea in aliis impleta ſint.

CAPUT XIV.

Poſt mortem Herodis, Maria & Joſeph cum puero revertuntur ab Ægypto, & habitant Nazareth.

MATTHÆUS, Cap. 2. ℣. 19—23.

19 † Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto, † *In Vigil. Epiph.*

20 dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.

21 Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Iſrael.

22 Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire & admonitus in ſomnis, ſeceſſit, in partes Galilææ.

23 Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur. ¶

19. DEFUNCTO *autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto*, hanc apparitionem factam eſſe Joſepho ſtatim ac mortuus eſt Herodes, indicat Aoriſtus τελευτήσαντος; nimirum ſignum temporis proximè præteriti. 20. *dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael*, nempe in eam terram ubi olim tribus Iſrael. Sic appellabatur terra illa quondam promiſſa Iſraelitis, cùm Ægypto egreſſi ſunt. *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*, id eſt vitam pueri,

pluralis & ſingularis interdum fit mutatio in ſcripturis; ut ibi ponatur *defuncti* pro *defunctus eſt;* vel ſic de Herode fit ſermo ob poteſtatem ejus, quæ complectebatur multos interfectores.

21. *Qui conſurgens, accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Iſrael*, in fines terræ Iſraelis, puta in ſortem tribus Dan, aut Simeonis. Auguſtinus dicit Joſephum putaſſe quòd tali puero extra urbem ſauctam non habitandum eſſet, ideo verſus hanc urbem primò iter direxiſſe. Ego crederem cùm inſtarent dies Paſchatis; paulò enim ante Paſcha diem ſuum obiiſſe Herodem adſtruit Joſephus hiſtoricus, quia inquam, tenebantur urbem ſacram hocce tempore adire, Maria & Joſeph in terra Iſraelis revertentes, ſtatuerant ire Hieroſolymam religionis ergo, ut in feſto Paſchatis apparerent coram Domino, ſicut lex præcipiebat. Verùm ubi in terram Iſrael ingreſſus eſt Joſeph, 22. *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire*, in Judæam, Hieroſolymam caput regni: *Et admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ*. Etenim ut videtur, ob præceptum legis de apparitione in Paſchate, anxius erat, qua religione fuit ſolvendus.

Statim ac mortuus eſt Herodes Archelao filio ejus ut regi à militibus acclamatum eſt, ut Joſephus hiſtoricus narrat. Attamen poſtea Archelaus non obtinuit ab Auguſto imperatore niſi ut Ethnarca Judæorum conſtitueretur. Ita reverſio Mariæ & Joſephi contigit ſtatim poſt obitum Herodis antequam Archelaus Romam peteret; ubi aliquandiu commoratus eſt: de hiſce diligenter in chronologia.

23. *Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth*, quæ ex Luca erat ejus civitas: *ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*. Maria & Joſeph repetentes Nazareth patriam ſuam, in illa urbe ſedem fixerunt; unde factum ut à nomine hujus urbis obſcuræ, Jeſus per contemptum dictus ſit Nazarenus, nempe effecit ille incolatus, ut quem Judæi non probabant pro Meſſia, eo tamen nomine vocaverint, quo ex prophetis appellandus erat. Matthæus non indicat quis ex prophetis hoc eſſet vaticinatus. *Dictum eſt*, inquit, *per prophetas*, pluraliter loquens oſtendit ſe verba non ſumpſiſſe de ſcripturis, ſed ſenſum; etenim id conceptis verbis alicubi ſcripturarum non reperitur. Alii ergo dicunt hoc dictum à prophetis licèt ſcriptum non fuerit, vel ſcriptum in aliquo libro, quo Deus eccleſiam privavit.

Juxta alios Matthæus non tam ad aliquem unum locum prophetarum reſpicit, quàm ad complura ſcripturarum veterum loca. Quæritur quæ illa ſint. Primùm obſervandum eſt *Nazareth* ſcribi potuiſſe Hebraicè, vel נצרת per צ *tſade*, vel נזרת per ז *zain*; juxta quas diverſas ſcripturas nomen *Nazareth* habet diverſas origines & diverſos ſignificatus, ſed & iſtæ literæ צ & ז ob viciniam ſoni facilè permutantur; ut idem nomen ad diverſas origines revocari poſſit & habere non unam & eamdem ſignificationem. ergo נצר *netſer*, unde *Nazareth* poteſt venire, idem ſonat ac *flos*, *ſurculus*, *germen*. Iſaias dixerat, cap. 11. ℣. 1. *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos* netſer *de radice ejus aſcendet*, ad quem locum hæc habet Chaldæus: *Et egredietur rex de filiis Jeſſe, & Chriſtus de filiis filiorum ejus ungetur*.

נזר *nezer*, Unde & nomen ſuum *Nazareth* poterat accepiſſe, idem eſt ac *ſeparatus* ab aliis devotione, religione, ſanctimonia, reverentia dignitate, etenim *nezer* etiam ſignificat coronam & ornamentum, ut liquet ex locis diverſis veteris fœderis, ubi ea vox uſurpatur, & redditur à LXX. interpretibus ἁγίασμα, ἁγνεία, ἁγιασμός, id eſt *ſantificatio*, ἅγιος *ſanctus*, ἀφόριϲμα *ſeparatio*, βαϲίλειον *inſigne regium*. Inde Joſephus appellatur Nazaræus inter fratres ſuos. Deut. cap. 38. ℣. 16. Hi qui religione & voto ſeparati erant a reliquo populo, & ſe Deo dicabant, Nazaræi dicebantur, reputabanturque ſancti, quod etymon ſi ſequamur, liquebit quomodo per prophetas dictum ſit Chriſtum appellandum Nazarenum. De Chriſto loquebatur Daniel, cap. 9. ℣. 24. *& ungatur Sanctus ſanctorum &c.* verus ergo habebatur Nazaræus, id eſt ſanctus, qui verus credebatur Meſſias. A quibus Jeſus agnoſcebatur Dominus & *ſanctus* Dei appellabatur. *Scio qui ſis, ſanctus Dei*: aiebat dæmoniacus apud Marcum, cap. 1. ℣. 24.

Quidquid ſit, cùm Judæi negarent eſſe verum Nazaræum, ſive verum Meſſiam, quaſi cavillando appellabant *Nazaræum*, non à dignitate qua illum eminere putarent, ſed à vili patria quæ huicce cavillationi locum dabat; ſi quidem conſtabat illis ex ea nihil boni venire poſſe. Cùm autem Chriſtus malitioſè Nazarenus diceretur per ludibrium, Evangeliſta rapit illud in meliorem partem, & dextrè interpretatum adeo non repudiat, ut aptet inſtituto ſuo. Deus enim feliciter abutitur pravè factis ac dictis hominum, ipſa convitia trahendo in argumentum veritatis. Nazarenum Jeſum vocabant, id eſt, vilem hominem, ut deſpiciendum non ſemel prædixerant prophetæ. Deus autem utebatur maledica lingua Judæorum ut vero ſuo nomine, vel ſi vis, compluribus ſuis titulis appellaretur. Jam innui incolatu urbis Nazareth factum ut Jeſus occultaretur carnalibus & ſuperbis Judæis; qui enim pro infimæ ſortis homine eum reputabant, haud ſatagebant inquirere in veram ejus originem, nullo modo anxii ſi in urbe Nazareth quam incolebat, aut alibi eſſet natus.

CAPUT XV.

J.C.D.N. annorum duodecim, cùm Jeroſolymum à parentibus ſuis ad dies feſtos Paſchatis deductus fuiſſet, illis abeuntibus remanſit in medio Doctorum cum illis diſſerens. Reverſus Nazareth ibi vixit ſubditus parentibus ſuis.

LUCAS, Cap. 2. ℣. 40—52.

40 PUer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo.

41 Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, † in die ſolemni Paſchæ. († *Exod. 23. 15 & 34. 17. Deut. 16. 1.*)

42 † Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, († *Dom. infra oct. Epiph.*)

43 conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus.

44 Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

45 Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum.

46 Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in Templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47 Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.

48 Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

49 Et ait ad illos: Quid eſt quòd me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?

50 Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.

51 Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.

52 Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. ¶

DEO hominem conjungi, & Deum homini, pariter admirabile eſt; utrumque magnis argumentis oportebat demonſtratum, ſcilicet Jeſum pariter Deum eſſe & hominem; ne ex operibus ejus, quæ divina erant, ita agnoſceretur Deus, ut negaretur homo. Ergo, ut ait Tertullianus in apologetico: *naſcitur homo Deo mixtus, caro ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit.* Et in libro de patientia: *patitur & expectat, natus adoleſcere ſuſtinet.* Per omnia inquam, ætatis incrementa ideo tranſit. 40. *Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo.* Qui verò Deus eſſet, ſive homo conjunctus Deo, obtui non poterat his ignorantiæ tenebris, in quibus naſcimur, non ergo Jeſus etiam quatenus homo, ſubjacebat ignorantiæ & inſipientiæ puerorum; ſed incrementa ætatis ejus ſic intelligenda ſunt, ut quantùm creſceret corpore, tantùm ſeſe exſererent virtus & robur ſpiritualium donorum in ejus animo latentium. *Et gratia Dei erat cum illo;* hoc eſt apparebat Deo gratiſſimus ex collatione donorum: Nimirum quos latebat tantum myſterium; nempe Jeſum verè Deum eſſe, ex iis tamen quæ in illo cernebantur dubitare non poterant, quin ſummus eſſet erga illum Dei favor. Evangeliſta ſignificat eo in loco quæ eſſet hominum opinio, & quod judicium de puero Jeſu.

41. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni paſchæ.* Tenebantur enim præcepto legis. Id quidem ſolis maſculis verba

legis

legis præcipiunt; ſed piæ mulieres huic legi non deerant. 42. *Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti.* nimirum ſtatim ac Jeſus attigit annum duodecimum, Jeroſolymam aſcendit ad dies feſtos cum patre & matre, quorum ductu jam tum ad noſtrum exemplum aſſueſcebat religioni. Eam ætatem obſervat Lucas, quia ante illam conſenſu omnium Judæorum non tenebantur pueri legibus. *Non erant*, ut inquiunt, *filii præcepti*, verbi cauſa non obligabantur aſcendere ad dies feſtos. Ita ubi tempus advenit, munia legis Moſaicæ exercere cœpit, quod Lucas obſervat, ut oſtendat irreprehenſibilem fuiſſe, ea ætate pueri laborem itineris ferre poſſunt. Jam verò Archelaus, quem Joſeph reformidans declinaverat Hieroſolymis, Viennam Allobrogum relegatus fuerat; etenim id contigerat anno decimo regni ſui, ſive à morte Herodis, quæ paulo poſt nativitatem Domini obtigit, itaque Maria & Joſeph non timebant filio ſuo, à crudeli rege. Ergo deduxerunt eum ad Templum ut Paſcha facerent juxta legem, quæ jubebat intereſſe huic feſto.

43. *Conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus.* Tranſactis diebus ſolemnibus feſti, & peractis quæ præſcripta erant à lege, Maria & Joſeph abierunt, at Jeſus remanſit in urbe, ſive ſubduxit ſe illis; ſic enim decebat his eſſe ſubditum, ut pareret Deo patri ſuo, cujus juſſa incipiebat faceſſere. Quì autem fieri potuit ut parentes ejus non id ſtatim adverterint? Judæi dicunt ſeorſim viros, ſeorſim feminas iter feciſſe dum ſanctam civitatem peterent, aut inde in proprias ædes reverterentur. Putabat ergo Maria puerum eſſe in comitatu virorum, ſimiliter Joſeph reputabat in comitatu forè eum eſſe feminarum; ita non deſiderarunt illico, quomodocumque id factum ſit, Deus permiſit fieri.

44. *Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.* Putabant adhæſiſſe comitem alicui ex cognatis & notis, ut de eo non fuerint ſolliciti, niſi cùm nocte adveniente non deprehenderunt in diverſorio. Turmatim aſcendebant Jeroſolymam Iſraelitæ, hæ turmæ vocantur *comitatus*, *συνοδία*. Advertendum autem vocem Hebræam יחש, quæ ſignificat genealogiam, familiam, cognationem, in verſione Græca Nehemiæ bis reddi *συνοδίας*; unde viri docti colligunt ibi *συνοδίαν*, ſive *comitatum* vulgatæ verſionis, accipiendum pro familia, ſeu cognatione; quod optimè convenit cum hiſce verbis *& requirebant eum inter cognatos*.

45. *Et non invenientes* in diverſorio, cùm in illud ſera nocte ſeſe recepiſſent, poſt iter unius diei *regreſſi ſunt Jeruſalem, requirentes eum*. Statuerunt remetiri iter, ut quem Jeroſolymis reliquerant, ibi reperirent morantem.

46. *Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in Templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem eos.* Invenerunt die tertio. Diem unum iter fecerant, altero remenſi erant idem iter; tertio demum quæſitum inveniunt in Templo, non quidem in ipſa ſacra æde, nec in atrio ſacerdotum, ſed in atriis quæ Iſraelitis non immundis patebant; etenim habitus unus de numero Iſraelitarum, ultra hæcce atria non penetrabat. Inventus eſt in aliqua *exhedra*; ſic Græci interpretes & Joſephus pleraque Templi conclavia vocant, quo nomine in Latinis Græciſque ſcriptoribus appellantur cellæ ubi ſcamna in quibus Philoſophi ſedentes diſputabant.

Jeſus ergo inventus in medio doctorum ſedens, nempe humi ad pedes doctorum, prò diſcipulorum more (ut Paulus dicit ſe literis imbutum fuiſſe ad pedes Gammalielis) audiebat illos & interrogabat. *Ex uno quippe doctrinæ fonte*, ait Origenes, *manat & interrogare & reſpondere ſapienter; & ejuſdem ſcientiæ eſt ſcire quid interroges, quidve reſpondeas.* Quin magis docebat Jeſus, dum interrogabat prudenter, puto enim admoviſſe aſtantium auribus & oculis loca ſcripturarum præcipua, ex quibus niſi mens eorum læva fuiſſet, intellexiſſent jam adeſſe tempus regni cælorum.

47. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.* Niſi puduiſſet ſenes ſuperbos ſe ſubdere puero, magiſtrum ſectati eſſent. Saltem eo tempore quo percrebuerat natum eſſe Dominum, nonne decuiſſet inveſtigare originem pueri, quem ejus interrogationes donis Dei eſſe cumulatum monſtrabant?

48. *Et videntes admirati ſunt parentes ejus* diſſerentem cùm doctoribus. Quamquam enim ſcirent eſſe Deum, non poterant non commoveri re tam inſolita, videbant ætatulam ejus, nulliſque magiſtris eum eſſe inſtructum. *Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic?* Cur nobis inſciis hìc remanebas? *ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, præ affectus teneritudine non attendentes ad ea quæ de hoc puero alioqui ignorare non poterant; videlicet in nullum poſſe improviſum periculum incurrere: anxii tamen de eo erant, videlicet de imbecillitate ætatis ejus, nam de ſapientia ſecuri.

49. *Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Non erat cur me quæreretis cum dolore, id eſt anxii; quaſi in loco vobis ignoto ſubſtitiſſem, an neſciebatis quia oportebat me eſſe in his quæ patris mei ſunt, nempe in Templo. Aliter vulgus interpretum huncce locum explicat, *in his quæ patris* ſic accipiunt ut ſubintelligant *negotia*: ſcilicet *in patris negotiis*. Verùm etiam ſi hæc locutio *eſſe in negotiis alicujus* non mala ſit: nuſquam tamen legitur eſſe *in his*, pro *in negotiis*. Contrà verò innumeris exem-

exemplis evincere poſſumus illud ; ἐν τοῖς τοῦ πατρός, *in his quæ patris ſunt*, ſignificare paternam domum, ſicut herilem, ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου, *in his quæ Domini ſunt*, ἐν τοῖς Ἀμὰν, *in domo Aman*, ut hanc locutionem interpretatur vulgatus interpres, capite 7. ℣. 9. Eſter & Syrachidis, capite 42. ℣. 10. ἐν τοῖς πατρικοῖς αὐτοῦ. *in paternis ejus*, ſubintellige ædibus, ſic ἐν τοῖς τοῦ Διὸς; apud Joſephum contra Apionem: *in his quæ Jovis ſunt*, id eſt in templo Jovis. Templum appellabatur *domus Dei*; Ita ipſe Jeſus illud appellat Joan. cap. 2. ℣. 16. Reſponſio Domini conveniebat querelis matris; cur alibi me quærebaris, quàm ubi me eſſe decebat, nimirum in Templo, domo patris mei; alibi enim non quærendus puer quàm in domo paterna. Quadrabat, inquam, reſponſio Chriſti verbis Mariæ, ut eleganter notat Theophylactus; cùm enim illa Joſeph nominaſſet patrem, ille dixit: non hic verus pater meus eſt; alioqui in domo ejus manſiſſem; ſed Deus eſt pater meus, & propterea in domo illius ſum: hoc eſt in Templo illius.

50. *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*: rem iſtam non intellexerunt; ſive non adverterunt jam muniis ſuis Jeſum præludere; etenim prædixerat Malachias: *Veniet in templum ſuum Dominus*. Tunc cœptum eſt impleri hocce vaticinium; quam rem parentes ejus non animadvertebant. Totum hunc locum B. Hieronymus trahens ad allegoriam in epiſtola ad Lætam de inſtitutione filiæ, aiebat: *Poſtquam grandiuſcula eſſe cœperit, & in exemplum ſponſi ſui creſcere ſapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines, pergat ad Templum veri patris cum parentibus ſuis, ſed cum illis non egrediatur è Templo. Quærant eam in itinere ſæculi, inter turbas & frequentiam propinquorum, & nuſquam alibi reperiant niſi in adito ſcripturarum, prophetas & Apoſtolos de ſpiritualibus nuptiis ſciſcitantem.*

51. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Quamquam Jeſus rebus divinis vacaret, non ideo minùs parentibus ſuis ſubditus erat; quod addit Evangeliſta, poſtquam dixit Jeſum ſe ſubripuiſſe parentibus, ne quis opinaretur non ſubjacuiſſe parentum dominio. *Quid inter nos aliud*, inquit Beda, *quàm quod à nobis agi vellet, ageret?* habitu ergo homo, parentibus paruit. *Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo*; hæc ſecum omnia cogitatione ſua verſabat.

Toto illo tempore, quod inde effluxit uſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum in parentum domo, vitam egit ignotam Judæis. Interea, ut ait Evangeliſta, 52. *Et Jeſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines*, dum creſcebat, exerebat ſe ſapientia ejus, ut hominum judicio ſapientiſſimus diceretur: non aſſumens ſapientiam, ut notat Theophylactus; quid enim perfectius eo, qui ab initio fuit perfectus, ſed paulatim illam denudabat. Si enim quando brevis fuit ſtaturæ, oſtendiſſet omnem ſapientiam, viſus fuiſſet prodigioſus, & eſſe phantaſma pueri, non verus puer. Ergo profectus ejus erat emicatio ſapientiæ ejus quæ priùs latebat. ἡλικία ſignificat ætatem & ſtaturam. Sic intelligendus eſt Evangeliſta: ut pro ut ætas, ſive ſtatura major fiebat, magis emicaret ſapientia ejus.

Sanctus Ambroſius vult hoc intelligendum de Chriſto ſecundùm carnem, id eſt quatenus homo fuit, ſed ea in ratione Chriſtus non poteſt cenſeri donatus ſapientia imperfecta, quæ ſcilicet creſcere poſſet. Illa ergo creſcebat tantùm judicio hominum. Si quis contentioſus vellet inde evincere non ſolùm coram hominibus ſed & coram Deo creviſſe ſapientiam Domini, advertat; hæc verba propriè olim dicta de Samuele, accommodari Chriſto. Dicitur 1. Reg. cap. 2. ℣. 26. *Puer autem Samuel proficiebat atque creſcebat, & placebat tam Deo quam hominibus*, non alius ſenſus eſſe videtur B. Lucæ, quàm hæc eadem dici potuiſſe de Jeſu ab his quibus innoteſcebat.

COM-

COMMENTARIUS IN HARMONIAM, SIVE CONCORDIAM QUATUOR EVANGELISTARUM.

LIBER SECUNDUS.

VITA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI, à præconio Joannis, ad primum Paſcha poſt ejus baptiſmum.

DISSERTATIO,

De ſignificatione vocis λόγος, quam Joannes exordiens Evangelium ſuum uſurpat ; & qua ab interprete Latino redditur Verbum.

§ I.

Voce illa *Verbum* Joannes uti non potuit niſi in ſignificatione uſitata, *Verbum Dei*, ὁ λόγος, antiquis ſcriptoribus eſt æterna ſapientia Dei.

ANTEQUAM *ineamus librum Harmoniæ noſtræ ſecundum, quem auſpicamur à primordio Evangelii ſecundùm Joannem, ſine, Erudite, Lector, ut te pauliſper in limine moremur. Inquire nobiſcum in ſignificationem vocis ὁ λόγος, quam uſurpat Evangeliſta exordiens, & à Latino interprete redditur* Verbum.

bum. Etenim exploratam perſpectamque habere vim ejus, aſſequi eſt totam doctrinam Joannis, ſive fidei orthodoxæ; quam fidem & adſtruimus vindicando in apertum certumque diem, quæ ineſt dictæ voci ſententia apud Joannem, ſive quæ inerat animis omnium dum illa uſus eſt, neque enim novam & inauditam doctrinam cudebat, ſicut nec novas & inſuetas voces; non alio ergo ſenſu verba ejus accipienda quàm quo ſumebantur in probata conſuetudine.

Modò conſtabit Filium Dei, qui ante omnem creaturam exiſtit, per quem Deus fecit omnia, dici ſapientiam ejus, *& τὸ λόγον αὐτοῦ,* Verbum ejus. *Verùm cùm Verbi divini oſores, ſcilicet miſeri Sociniani, qui Jeſum Chriſtum ea ſola ratione dicunt appellari* Verbum Dei, *quòd Deus ore illius verba ad nos fecerit: cùm inquam illi hæretici tanta de Jeſu Chriſto Joannem ſenſiſſe negent; & niſi coacti non fateantur tantæ ſignificationis eſſe vocem ὁ λόγος,* Verbum, *omnia argumenta quæ ad eos redarguendos nobis ſuppetunt, eruenda ex propriis locis, & depromenda apto ſermone. Ne autem commentarius nimiùm interpellaretur, viſum eſt ſeorſim hæc explicare.*

Qui cogitationes à corporibus paulò abducunt, ut interiora conſiderent mentis ſuæ, advertunt in ea lucem, quâ juſtum iniquo, verum falſo ſecernimus: quam ſequentes non fallimur; cui ſi aſſentiremus, non præliaremur opinionum diverſitate; ſed eadem pariter videntes, ſentiremus eadem, licèt diverſis locorum & temporum diſſiti intervallis. Lux enim illa non finitur locis, ubique eſt, & nullo tempore nova. Ita verè æterna eſt; neque enim fieri poteſt ut quod hodie verum & juſtum eſſe monſtrat, olim fuerit falſum & iniquum, vel evadat aliquando; ſcilicèt ab aliqua ſuperiori poteſtate mutatum. Pariter ergo æterna, infinita, potens & immutabilis eſt illa lux, quis ergo cogitet eſſe creatam? Hanc lucem ipſam eſſe Dei ſapientiam ſcriptura ſacra docet: ita lux illa Deus ipſe eſt; neque enim ſapientia Dei extra Deum eſt, quidquid autem in Deo eſt, Deus eſt. Sic Dei ſapientia de ſe ipſa loquitur in proverbiis Salomonis, cap. 8. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.

Verùm non hîc ſuſcipimus probare illam Dei ſapientiam, quod Salomon luculenter docet, per ſe ipſam lucere in animis noſtris, ſive lucem quæ omnem hominem illuminat eſſe ipſam ſapientiam increatam, nunc enim agitur de ſola ſignificatione vocis ὁ λόγος. Illa quidem ſermonem ſignificat ore ploratum, ſed & rationem *quæ Dei ſapientia ſit, per quam fecit omnia; nec id ſolum ſignificat in noſtris ſed & in ethnicorum ſcriptis.* Apud veſtros ſapientes, *Tertullianus alloquitur Ethnicos in apologetico ſuo, cap.* 21. ΛΟΓΟΝ, id eſt ſermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione formaverit. Eundem & fatum vocari, & Deum & animum Jovis, & neceſſitatem omnium rerum. Hæc Cleanthes in ſpiritum congerit, quem permeatorem univerſitatis affirmat. *Modò videbimus non prorſus latuiſſe veteres Judæos, Deum habere filium, qui ſapientia ejus eſſet, per quem condidiſſet omnia, & regeret condita, quique lux eſſet omnem mundum illuminans. Hanc Dei ſapientiam, ubi illi Græcè loqui cœperunt, τὸν λόγον Θεοῦ,* Verbum Dei *appellaverunt. Hanc prænotionem* divini Verbi *habuiſſe qui inter Judæos præſtabant, demonſtrare pretium operæ erit non mediocre; hæc enim lis quam nuper Antitrinitarii nobis intendunt, divinitur; ſiquidem ut jam dixi, non alio ſenſu quàm uſitato potuerit Evangeliſta*

λό-

λόγον nominare. Sed derident me iſta dicentem, qui nec animum volunt advertere ad illam lucem qua illuminantur; nec alia intelligunt, quàm quæ oculis carnis vident; niſi quos ratio non vincit, auctoritate retunderem.

§ II.

Primi Eccleſiæ ſcriptores ſapientiam Dei appellavere λόγον ejus, qui λόγος *Verbum*, Patriarchis antiquis apparuerit, & verſatus ſit cum illis.

Mihi collecta ſunt innumera teſtimonia in libris de Chriſto aliquando edendis, quibus comprobare poſſum certam doctrinam fuiſſe omnium qui Eccleſiam naſcentem ſcriptis ſuis illuſtrarunt, Dei λόγον *eſſe ſapientiam ejus, qua omnia creaverit quæ in omni homine lucet; & quæ olim licèt carnem non induta, ſub ſpecie tamen carnis apparuerit veteribus Hebræorum Patriarchis. Juſtinus Philoſophus & Martyr, id ſupponens, ſcilicet* λόγον, Verbum Dei *eſſe ipſam hominis lucem, probat antiquos ſapientes, etiam Græcos, à Verbo Dei illuminatos; & Gentilium errores ſemper ab illo reprehenſos, ab illo inquam* Verbo *qui homo factus eſt. Hæc occurrunt in cohortatione Juſtini ad Græcos, & in ſecunda pro Chriſtianis apologia, tum alibi; quæ indicare ſufficiat; neque enim vacat exſcribere loca integra.*

Clemens Alexandrinus in eo opere quod pædagogus *inſcripſit, totus eſt ut oſtendat ab exordio mundi Verbum Divinum fuiſſe hominum* pædagogum. *Plurium teſtimoniorum inſtar ſit illud ex libro primo dicti operis, cap. 9.* omnibus ergo viribus humanæ naturæ pædagogus, ὁ θεῖος ἡμῶν λόγος, divinum noſtrum Verbum: utens omnibus ſapientiæ machinis, infantes conſervare agreſſus eſt, admonens, reprehendens, increpans, arguens, minans, ſanans, promittens, gratificans, multis quibuſdam veluti frænis, ἀλόγοις humanæ naturæ appetitiones alligans. *Ratio itaque, ſive lux mentis, quæ nos docet, & criminis conſcios pungit, ipſum eſt Verbum divinum, hanc doctrinam ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus confirmavit, toties ſe dicens lucem mundi, viam & veritatem.*

Paſſim videre eſt in allegatis Patribus, & in cæteris, apud Irenæum, Tertullianum, Origenem & alios, Deum omnia creaſſe per Verbum ſuum, qui filius ejus eſt, & illi coæternus, quippe æterna ejus ſapientia, qua carere non potuit, qua oblectetur. Dicunt præterea huic ſapientiæ à rerum exordio delicias fuiſſe cum filiis hominum verſari; ita ut nec dum carnem verè induta, jam amaret cum hominibus colloqui. Omnes enim antiqui patres ſentiunt Dei Verbum familiariter cum Abraham collocutum, luctatum cum Jacob, viſum Moyſi; ut omnino non mirum ſit, ſi illud quod in uno quoque homine gerebat officium pædagogi, ſe hominibus in humana natura conſpicuum exhibuerit, & aures carnis eorum pulſaverit, à quibus interiùs loquens non audiebatur.

Vix dici poteſt quantum operæ pretium ſit hæc animadvertere; incredibilis inde lux affulget doctrinæ orthodoxæ de incarnatione divini Verbi; etenim mira quidem res eſt Deus factus homo; ſed Deus jam à rerum creatione cum quolibet homine conjunctus erat. Quid enim conjunctum eſt magis cum homine, quàm ipſa ratio? Deum ergo qui in humana ſpecie ſæpiùs cum Patriarchis ſermones miſcuerat, hominem fieri voluiſſe cur fidem omnem ſuperaret? Nunc iterum dicam in præſentiarum id unum ſatagere, ut conſtet quæ ſignificatio fuerit vocis

ὁ λό-

Digitized by Google

ὁ λόγος in ſcriptis veterum Patrum. Non ignoro ſcripta eorum aliquibus Theologis alioqui orthodoxis diſplicuiſſe, quaſi non quidem animo ſed ore tenus peccaverint in fidem ſanctiſſimæ Triadis; à tam iniqua cenſura purgabo mentem eorum & linguam in alio opere cui jam multùm inſudavi. Quidquid ergo de doctrina horum patrum cogitari poſſit, & de natura interioris lucis quæ nos illuminat, pondus non detrahetur argumentis noſtris, modò evincamus ſapientiam, qualiſcumque illa ſit, per quam Deus omnia fecit, per quam & reges regnant, à vetuſtis ſcriptoribus appellatam fuiſſe λόγον θεοῦ, Verbum Dei, quæ ſit & filius ejus; limes enim diſſertationis noſtræ eſt ſignificatio hujus vocis ὁ λόγος.

§. III.

Conſtat multis & liquidis teſtimoniis Philonis, veteres Judæos eandem notionem habuiſſe τοῦ λόγου θεοῦ, Verbi Divini, quæ notatur in ſcriptis Chriſtianorum.

Ne heterodoxi perfricatâ fronte dicant omnes antiquos Patres deceptos; & ſtatim cum ipſo Evangeliſta doctrinam ejus interiiſſe, quam poſt complura ſæcula excitaverint ab interitu, juvat demonſtrare, quam doctrinam fuiſſe Joannis ſancti patres crediderunt, eandem Judæis peritioribus probatam; ſcilicet rem quam ille dixit Verbum Dei in principio fuiſſe apud Deum, eſſe Dei ſobolem quæ condidit & illuminat omnem hominem. Primùm id proprium divinæ ſapientiæ, ut Dei proles ſit & creatrix, tribuit Salomon in loco Proverbiorum quem citavimus ſuprà; quem locum videbimus exſcriptum à Joanne in exordio Evangelii ſui. Salomoni autem ita conſentanea ſunt quæ Philo inculcat de Divino Verbo; ut nemo ſanus qui rem expendat, hæc Philonem ex Platone potiùs hauſiſſe dixerit. Perpendite, quæſo, illa teſtimonia quæ afferam ex hoc auctore. Philonem dico, qui ſcripſit ea ipſa ætate qua Evangeliſta vixit; ſed antequam ille ſcriberet Evangelium ſuum, Philo Judæus erat, & ideo alienam à Chriſtianis mentem gerens.

Jam dixi, vocem λόγος multa ſignificare, nam & Verbum eſt & ratio, & ſupputatio & cauſa unius cujuſque rei, per quam ſunt ſingula quæ ſubſiſtunt, ait Hieronymus. Antiquis ſcriptoribus λόγος dicitur de omni ſubſtantia intellectuali vel rationali; unde ſæpiùs apud Philonem Angeli Dei appellantur λόγοι ejus; ut apud Origenem, cui Angeli boni & mali pariter λόγοι dicuntur. Primi illi hæretici de quorum perverſis dogmatibus Irenæus diſſerit, numerabant diverſas cæleſtes ſubſtantias, quas λόγος & æones vocabant. His aſſignabant diverſas proprietates; ut nullus dubitandi locus ſit, quin nomen illud λόγος, apud antiquos ſcriptores rem aliam indicet quàm prolatitium ſermonem. Inter diverſos Dei λόγους ſive Angelos, videre eſt in Philonis ſcriptis θεῖον λόγον, Divinum Verbum, τὸν ὑπεράνω παντὸς λόγου λόγον, Verbum quod eſt omni Verbo ſublimius, ut loquitur Origenes ſcribens contra Celſum.

Philo cenſet hocce Divinum Verbum eſſe ipſam rationem, ſive ſapientiam Dei: ratio dicitur ab illo λόγος; ſic enim loquitur lib. de migratione Abraham pag. 408. lex nihil aliud eſt quàm λόγος θεῖος facienda præcipiens, vitanda prohibens. Libro de ſpecialibus legibus pag. 773. declarat quòd λόγος πατρὸς vim habeat mariti qui corrigit. Libro de profugis pag. 467. dicit animam non in deterius verti quandiu in illa eſt λόγος, nempe audit illum. Libro primo legis allegoriarum pag. 52. Deum appellat patrem ſapientiæ, quæ ſit ὁ θεοῦ λόγος. in libro de profugis pag. 464.

λόγος

λόγος θεοῦ & *dicitur fons ſapientiæ. Hanc ſapientiam prædicat antiquiorem mundo in libro* de charitate *pag. 699. Quin his, & aliis locis in quibus* τοῦ λόγου θεοῦ *mentionem facit, alludat ad Salomonis verba, dubitare non patitur id quod tam liquidò aſtruit mundi conditorem eſſe* θεῖον λόγον. *Dicit enim libro de mundi opificio, pag. 31. 32. Deum animam creando uſum* τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ; *& paulo poſt cùm hominem dixiſſet creatum ad exemplar Divini Verbi, eum eſſe rem pulcherrimam inde colligit.* Sequitur enim neceſſariò, *inquit*, omnibus modis pulchri exemplaris pulcherrimam eſſe imaginem. Nam Dei Verbum, etiam eam, quæ in natura eſt, pulchritudinem ſuperat, quippe non ornatum pulchritudine, ſed ipſum ornamentum illius.

Non decet autem mirari Philonem quem Chriſtiana fides non illuſtraverat, à veritate interdum aberrare; ſed ex ejus errore revinceretur qui ſentiret ſapientiam illam de qua loquitur Philo, non ſtatui à Deo patre diſtinctam. Libro ſecundo, allegoriarum, *pag. 79.* Deus, *inquit*, ἐκοσμοποίει, mundum creabat, *uſus Verbo ſuo tanquam organo. Eadem dicit libro* de cherubim, *pag. 129. & in libro* de profugis, *pag. 464. pariter in libro*, quis rerum divinarum hæres, *pag. 497. ubi clarè innuit Divinum Verbum habere pro patre Deum: quod & ab eo aſtruitur pluribus in locis in libro 2.* allegoriarum, *pag. 99. dicit Divinum Verbum fuiſſe genitum. Libro* de agricultura, *pag. 195. eſſe primogenitum Dei præfectum regendis creaturis. Similiter primogenitum Dei appellat lib.* de confuſione linguarum, *pag. 341. Nec quia genitum dicit, etiam ideo minus agnoſcit fuiſſe* æternæ naturæ ἀϊδίου φύσεως, *quod de illo docet lib. 2.* de vita Moſis.

Si hæc Philonis teſtimonia cum octavo capite proverbiorum Salomonis comparentur, doctrinam utriuſque non ex diverſo fonte manaſſe liquebit. Sed & idem ſcriptor Divino Verbo vindicat proprietates, quæ Chriſto congruiſſe nos docet Apoſtolus, eum vocans imaginem Dei, ſplendorem ejus & figuram; quibus ſimilia paſſim occurrunt in Philone, ut in libro de mundi opificio, *pag. 6. & in libro* de plantatione Noe, *pag. 217. & lib.* de confuſione linguarum, *pag. 334. in lib. 2.* allegoriarum legis, *pag. 79. Verbum appellat umbram Dei; in libro* de profugis, *pag. 466. vinculum quo Deus omnia conſtringit. Lib.* quis rerum divinarum hæres, *pag. 499. dicit hunc omnia ſecare, dividere, donec perveniat ad ea quæ individua ſunt. Solem vocat in lib.* de ſomniis, *pag. 578. in lib.* de mundi opificio, *pag. 33.* ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα, *ſigillum, ſive formam, ſive particulam, ſive ſplendorem Divinæ naturæ. Non ſemel dixit Verbum Divinum eſſe ſacerdotem ſummum, ut lib.* de migratione Abraham, *pag. 404. lib.* de profugis, *pag. 466. & lib.* de ſomniis, *pag. 597. quo in libro, pag. 575. ſtatuit hunc eſſe mediatorem quo hominibus auxiliatur Deus. In libro* de vita Moſis, *pag. 573. noſtrum appellat* παράκλητον, *advocatum apud Deum. Non prætermittam paſſim ab eo dictum* manna & panem, *ut lib. 2.* allegoriarum, *pag. 92. in libro* de profugis, *pag. 470. & alibi. Orientem nominat lib.* de confuſione linguarum, *pag. 329. Complerem multas paginas, ſi afferrem loca omnia in quibus oſtendit Divinum Verbum olim patriarchis viſum, & hos ab illo fuiſſe compellatos. Ita Salomonis, Philonis, Joannis Evangeliſtæ, cæterorumque Apoſtolorum & antiquorum Patrum una eademque eſt de Verbo Divino doctrina.*

Valeant ergo qui hæc à Philone dici ſentiunt, quia πλατωνίζει, *ſcilicet ſtudet Platonis doctrinam invehere in Judaiſmum. Quo id argumento probare poſſint? Scio id pleriſque dictum; ſed à nullo probatum eſt. Veriſimilius eſt, ut docet nos Juſtinus in apologia ſecunda, Platonem quidquid docuerit, ex Moſis,*

aliorum-

aliorumque prophetarum doctrina hauſiſſe. Hoc probat Clemens Alexandrinus ex ipſo Platone, qui non diffitetur ſe præſtantiſſima quæque in philoſophia à Barbaris mercatum eſſe. In hanc rem allegat teſtimonia Origenes, lib. I. contra Celſum. Fertur Hermippus in primo de legiſlatoribus prodidiſſe, Pythagoram ſuam philoſophiam à Judæis traduxiſſe in Græciam. Eſto ergo Plato dixerit nonnulla περὶ τοῦ λόγου, de ratione Dei, qua mundum in imagine formavit, priuſquam illum extra ſe produceret: an inde demonſtrari poteſt Philonem tantummodo πλατωνίζειν? an alicubi Plato ſcripſit Verbum Dei jam ab initio rerum verſatum in terris, & ſub viſibili forma Patriarchis apparuiſſe, ut adſtruit Philo in lib. 2. allegoriarum, pag. 93. & 101. ubi hunc Angelum qui ſobolem Abrahæ promiſerat, vocat divinum Verbum, quod Abraham appellat Dominum ſuum. Lib. quòd Deus ſit immutabilis, pag. 319. ſignificat hunc Angelum, qui obſtitit prophetæ Balaam, fuiſſe divinum Verbum. Libro de migratione Abrahæ. pag. 419. hunc Patriarcham ducem ſui itineris habuiſſe Verbum divinum. Lib. quis rerum divinarum hæres, pag. 509. vocat Archangelum, ut in lib. de ſomniis, pag. 588. ubi dicit Archangelum Dominum innixum fuiſſe ſcalæ, quæ viſa eſt Jacob dormienti. Lib. de vita Moſis, pag. 612. id quod huic apparuit in rubo, dicit haberi potuiſſe pro imagine Dei, appellatque Angelum.

§ IV.

Paraphraſes Chaldaicæ eadem dicunt de Verbo Dei, quæ leguntur apud Philonem.

Nova dogmata à Philone non inventa eſſe demonſtrant Chaldaicæ paraphraſes. Harum antiquitatem aſſerere non eſt de inſtituto noſtro, multis argumentis probari poſſet; ſed de illa convenit inter eruditos. Satis erit animadvertere nos illas accepiſſe à Judæis qui procul dubio non cuderunt libros ut nobis faveant: non, inquam, complevere dictas paraphraſes certis dogmatibus, ex quibus adverſus eos Chriſtiani depromerent argumenta. Hæc quæ habet Philo legimus in illis paraphraſibus, ut cenſeri debeant jam audita & credita antiquioribus & peritioribus. Quod Judæis Helleniſtis, ſive Græcè loquentibus erat ὁ λόγος, Verbum Latinis, Judæi Chaldaicè loquentes dicebant מימרא, memra, id eſt Verbum; cujus paſſim in veteris teſtamenti paraphraſibus Chaldaicis fit mentio; & exhibetur ut à Deo patre diſtinctum, quod & Deus ſit. Sæpiùs dicitur mediator inter Deum & homines, quod & à Philone adſtruitur. In Geneſi, cap. 9. ℣. 15. ubi legimus in textu: & recordabor fœderis mei vobiſcum &c. paraphraſis habet: & recordabor fœderis mei quod eſt inter memra meum & inter vos. Similiter capite 17. ℣. 20. compluribus in locis dicitur memra Dei eſſe in adjutorium, ſcilicet memra auxilium ſuppeditabat Iſraelitis, ductor eorum, & ubique præſentia ſua protegens eos. Jacob Geneſeos cap. 28. ℣. 22. cùm erexiſſet lapidem in titulum eo in loco quo ei apparuerat Deus: erit mihi, inquit, juxta Paraphraſtem, memra Dei in Deum. Laban, cap. 31. ℣. 24. vidit in ſomnis dicentem ſibi Dominum: cave ne quidquam aſpera loquaris contra Jacob, ibi Paraphraſtes: & venit, inquit, memra à facie Dei ad Laban Syrum in ſomno noctis, & dixit ei: cave &c. In eodem capite ℣. 50. Jacob dicit ad Laban ſtilo Paraphraſtis: memra Domini eſt teſtis inter me & inter te. Ubi in Scriptura legimus, ejuſdem Geneſeos, cap. 48. ℣. 21. & erit Deus vobiſcum, & reducet vos in terram patrum veſtrorum, Chaldæus habet: & erit memra Domini in adjutorium veſtrum, & reducet vos in terram patrum veſtrorum.

Ex plurimis locis paraphraſeos liquet, creditum quòd Verbum Domini præi-verit Iſraelitis in deſerto ; quem rebelles Iſraelita tentaſſe ibi dicuntur, quæ doctrina eſt Pauli Apoſtoli & omnium veterum Patrum. Pro eo quod in textu aſſeruntur Iſraelitæ rebellaſſe adverſus Deum, ubi Moyſes in Exodo, cap. 16. ℣. 8. eos alloquens dicit : murmur veſtrum non contra nos eſt, ſed contra Dominum; *addit Paraphraſtes :* contra memra Domini. *Conſtat Apoſtolum objeciſſe Judæis à patribus eorum tentatum Chriſtum in deſerto :* Neque tentemus Chriſtum ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt, *inquit Corinthiis ſcribens 1. Ep. cap. 10. ℣. 9.*

Eadem tot in locis occurrunt apud Paraphraſtas, ut non alia quàm Apoſtolus, doctrina imbuti videantur. Ipſi agnoſcunt Deum per Verbum ſuum Iſraelitas redemiſſe. In Exodo, cap. 2. ℣. 25. legimus in textu : Et reſpexit Dominus [*in fonte,* Jehova] filios Iſrael, & cognovit eos. *Paraphraſtes autem dicit :* & nota erat coram Jehova ſubjectio filiorum Iſrael, & dixit in memra [*in Verbo ſuo*] redimere eos Jehova. *Similiter in Deuteronomio, cap. 20. ℣.* Memra, *Verbum Iſraelitas ex Ægypto eduxiſſe apertè dicit, quod jam dixerat, cap. 4. ℣. 37.*

Scilicet ubique videre eſt in paraphraſi Chaldæa, memra Dei, *ſive Verbum interſuiſſe Judæorum rebus, & Moyſem ſæpiùs cum eo collocutum. Scriptura memorat Moyſem aſcendiſſe ad Dominum. Paraphraſtes ſic loquitur : aſcendit in conſpectu* memra. *In Levitico, cap. 26. ℣. 12. ubi Deus dicit : non abjiciet vos anima mea, Chaldæus habet :* non abjiciet vos memra meum. *Et ℣. 18.* & ſi in his non obediatis memra meo : *pro eo quod legimus in textu :* ſin autem nec ſic obedieritis mihi.

Multa alia loca probant ex opinione Paraphraſtis tentatum Verbum ab Iſraelitis. In Numeris, cap. 11. ℣. 20. legimus : eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio veſtri eſt ; *in paraphraſi autem :* eo quòd in faſtidium fuit memra Domini; cujus majeſtas habitat inter vos. *cap. 14. & cap. 20. Alibi, dicuntur Iſraelitæ à Paraphraſta,* in memra *rebelles ; qui eorum ductor eſſet ; etenim in Deuteronomio cap. 1. ℣. 30. Deus in textu appellatur ductor Iſraelitarum, in paraphraſi autem,* memra Domini Dei veſtri qui ductor eſt coram vobis ; *cui non credidiſtis, ſubjungit hujuſce paraphraſeos auctor, verſu 32.*

Non vacat omnia loca harum paraphraſeon colligere, collecta reperiuntur in notis quibus Stephanus Rittangelius illuſtravit librum jezirah *quem & Latinitate donavit. Quiſque poteſt paraphraſes Chaldaicas; quæ reperiuntur in Bibliis polyglottis, pervolvere, & ex illis plura & alia teſtimonia expromere, ſed properè occurrere decet dubitationibus quæ animum ſubeunt; quaſi abuteremur verbis Paraphraſtarum ; &* memra *Dei non illis aliud eſſet quàm lex ipſa, quæ quatenus voluntatem Dei explicat, ſermo ejus dici poteſt; ut* memra *ſit ſermo Dei prolatitius, ſive ipſamet ſcriptura ; cui tribuuntur quæ Dei ipſius ſunt.*

Hæc quæ de memra Dei *dicunt Paraphraſtæ, ideo de lege Dei interpretari non licet, quòd illud* memra *quodcumque ſit, multo ante datam legem tempore nominetur ; nec quæ dicuntur de illo, legi conveniant. Verbum Domini, inquit Moyſes apud Chaldæum, cap. 3. Deuteronomii ℣. 22.* memra Domini *pugnabit pro vobis. Appellat, cap. 4. ℣. 24. ignem conſumentem : capite 5. ſe ſtetiſſe inter memra Domini & inter Iſraelitas qui hujus memra vocem audiverant. Cap. 18. ubi de futuro Meſſia ſermo fit :* audies vocem memra Domini Dei mei, *ait Moyſes ore Paraphraſtis. Et cap. 33. ℣. 27.* in memra Dei factum ſæculum, *hoc eſt omnia facta : quod Apoſtolus non ſemel dixit, per Verbum Dei, id eſt per Jeſum Chri-*

ſtum

Digitized by Google

ſtum omnia aptata eſſe. *In Geneſi, cap.* 1. ℣. 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum. *Paraphraſtes Hieroſolymitanus ſic interpretatur:* Et creavit memra Dei hominem.

Memra Dei *ejuſdem eſſe ſignificationis ac nomen* דבר davar, *id eſt* ſermonem *ſive nihil aliud ſignificare quàm Dei, vel cujuſvis hominis ſermonem, vel loquelam qui contendunt, arguuntur erroris à dicto Rittangelio, qui probat falſum eſſe quòd ubi textus Hebræus habet* דבר davar, *poſuerint Chaldæi* מימרא memra. *Id nec uno loco factum fuiſſe oſtendit, imo exemplis probat, quoties de ſermone prolatitio agitur, & nomen Hebræum* davar, *reddendum erat Chaldaicè, Paraphraſtas non uti voce* memra *ſed* פתגמא pitegama; *quæ vox idem ſonat ac* davar. *Ideo allego Rittangelium, ne cogar eum exſcribere, & multas paginas implere teſtimoniis Hebraicis; fontes enim eſſent proferendi.*

Cùm Antitrinitarius quocum colloquium ſe babuiſſe narrat Rittangelius, inſtitiſſet, ubi textus Hebræus conjunxiſſet nomen davar *cum* Jehova, *& hoc redditum reperiri in paraphraſi* memra Jehovæ; *& ideo illam vocem* memra *non diverſum quid ſignificare à locutione Dei: cum hæc, inquam, oppoſuiſſet Antitrinitarius, reſpondet Rittangelius id falſum eſſe; nec uſpiam occurrere in paraphraſibus, ut ibi in textu Hebræo ſcriptura ſacra abſolutè de ſermone proprio ſummi Dei loquitur, redditum ſit* memra Jehovæ. *Si enim inquit in aliquo ſacræ ſcripturæ loco Chaldæus pro* דבר יהוה davar Jehova, *reddidiſſet* מימרא memra, *non alibi commodiùs fieri potuiſſet, quàm in ſubſequentibus locis; utpotè quæ clarè teſtantur prophetas non niſi impulſu Spiritus ſancti prophetaſſe & locutos fuiſſe. Indicat Numerorum capita illa* 22. ℣. 35. *&* ℣. 28. *cap.* 23. ℣. 5. *&* 16. *Quoties S. ſcriptura dicit Verbum* Jehova *factum eſſe ad hunc, vel illum prophetam, ſemper Paraphraſtes utitur voce* pitegama, *ut compluribus prolatis aliis teſtimoniis demonſtrat.*

Ad hoc autem quod adverſarius objecerat non ſolùm ubi Jehova, *ſed etiam ubi* os, cor, anima *&* vox Jehova *textus haberet, & ibi occurrere Chaldæum* memra: *reſpondet Rittangelius id quidem verum eſſe; ſed animadvertit nunquam de alio vel Moyſis, Aaronis, cæterorumque prophetarum niſi ſolummodo de ſummi Dei* ore, anima, corde, *&* voce *factum eſſe; nempe ubi*, os, cor, anima, vox *ſacratiſſimo nomini* Jehova *conjunctum reperitur. Lector præmonitus ad illa omnia loca animum advertet, dum Biblia polyglotta perluſtrando conjiciet oculos in paraphraſes Chaldaicas, in quibus ubique tàm in libris Pſalmorum & Prophetarum quàm in libris Moyſis* memra divini *fit mentio.*

§ V.

Falsò præconceptum eſt ignotam prorſus fuiſſe vetuſtis Hebræis Dei Trinitatem.

Nulla opinio magis temerè præconcepta eſt, quàm quæ occupatos video aliquos de Theologorum noſtrorum grege, priſcis Hebræis ignotam Dei Trinitatem. Sanctus Epiphanius hær. 5. *aſſerit in Monarchia Dei, id eſt in unitate, Trinitatem ſemper annunciatam & creditam fuiſſe à prophetis. Miror quomodo aliter ſentire poſſint, qui vel oculis attigerunt Evangelii codicem. Etenim ut in libro primo hujus Harmoniæ obſervatum eſt, cùm Angelus Gabriel Mariam virginem allocutus eſt, nonne de ſanctiſſima Trinitate ut de re nota ſermonem fecit,*

E 2 *nomi-*

nominans Spiritum ſanctum, & indicans filium Dei; nec ipſe, aut Evangeliſta, ſatagunt explicare quid ſit Spiritus ſanctus, quid ſit filius Dei, videlicet quia res comperta erat, ubique in Evangelio nominant Spiritum ſanctum, ut rem Judæis notiſſimam.

PocoKius, vir literarum Hebraicarum peritiſſimus, in notis ſuis ad Portam Moſis, evincit omnes antiquos interpretatos eſſe Pſalmum ſecundum de Meſſia, & hunc habitum verè filium Dei. Judæi peritiores non diffitentur; ſed inquiunt, accommodandum Davidi: ut reſpondeatur Chriſtianis. Sic Kimchius ad illa verba dicti Pſalmi, Dominus dixit ad me: filius meus es tu: ego hodie genui te. *Ad illa, inquam, verba Kimchius*: ſunt qui interpretantur pſalmum iſtum de *Gog & Magog*, eſtque Meſſiah *rex Meſſias*; atque ita expoſuerunt doctores noſtri felicis memoriæ; eſtque pſalmus hoc modo explicatus, perſpicuus, at verò propius eſt dixiſſe ipſum Davidem de ſe ipſo, ut à nobis expoſitum. *R. Salomon Iarchi liquidò loquitur:* Doctores noſtri expoſuerunt *hujus pſalmi* ſignificatum de rege Meſſiah, at pront ſonat & ut reſpondeatur minæis, ſeu hæreticis, expedit interpretari ipſum de ipſo Davide. *PocoKius loca aliquot, quæ in omnibus editionibus commentariorum Kimchii in prophetas poſteriores mutila habentur, ope codicum reſtituit, unde argumenta adverſus Judæos ſuppetunt.*

Frequenter occurrit in veteri teſtamento, & in libris Judæorum nomen Spiritus ſancti. *Sextuplam explicat* Spiritus *apud ſuos notitiam Maimonides. Primam* aeris, *ſecundam* venti, *tertiam* vitalis ſpiritus, *quartam ipſius animæ rationalis facit, quintam influentiæ intellectualis divinæ, quæ influit in prophetas quando prophetant, ſextam propoſiti ac voluntatis tam in homine, quàm in Deo. Vulgata erat apud Judæos opinio, à morte Eſdræ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, Spiritum ſanctum ab Iſraelitis ablatum. Eſto recentiores Judæi, & vetuſtiores, ſed qui vixerunt poſt Judaicam rempublicam everſam non intellexerint niſi donum Dei, illuſtrationem, prophetiam, conſtat tamen nomen* Spiritus ſancti *ſemper uſurpatum, etiamſi pariter non conſtet, tria φισάμρα, modo, ordine, ratione agendi diſtincta, tam apertè objecta fuiſſe menti, quàm poſtea contigit in Evangelio; cùm de cælo paterna vox audita eſt, & Spiritus ſanctus in Filium deſcendit; & ille Filius toties locutus eſt de Spiritu ſancto, ut de perſona diſtincta à ſe & à Patre ſuo. Evangelium quidem majorem cognitionem dedit Triadis; ſed ideo nullam antiquitùs fuiſſe non concederem.*

Animadverſione dignum eſt quòd Maimonides in more nevochim *obſervat, part. I. cap. 71. multa myſteria de rebus divinis periiſſe inter Judæos.* Scitè *inquit*, multas egregias ſcientias, quæ in gente noſtra olim fuerunt de veritate iſtarum rerum, partim longitudine temporis, partim infidelium & ſtultorum populorum in nos dominatione, partim etiam quòd non cuivis conceſſa erant, ſicut expoſuimus, periiſſe, & in oblivionem deveniſſe, (nihil enim permiſſum erat, niſi ea quæ in libros ſacros digeſta & relata erant) nam noſtri Talmud ipſum inter nos receptum, olim non fuiſſe in certum librum digeſtum, propter rationem illam, quæ tum paſſim obtinebat in gente noſtra; Verba, quæ dixi tibi ore, non licet tibi ſcripto divulgare. *Nonnullis interjectis ſic pergit loqui Maimonides.* Quòd ſi ergo circa legem oralem cautum eſt, ne illa publicè in libro conſcripta omnibus proſtaret, ne fortè corrumperetur, aut depravaretur: quantò magis debuit hoc fieri circa arcana iſta legis, & caveri ne divulgentur publicè, & ita margaritæ porcis objicerentur? ideo tradebantur illa tantùm quibuſdam ſingularibus, & ab his iterum aliis eximiis & extraordinariis

à Deo

Digitized by Google

à Deo inſtructis viris, ſicut declaravi tibi in eo, quod Rabbini noſtri dicunt: non tradunt arcana legis, niſi conſiliario & ſapienti, atque hæc vera cauſa eſt, propter quam ſolida illa fundamenta, eximiique religionis noſtræ articuli, inter nos perierunt, & nonniſi pauca admodum doctrinæ veteris illius veſtigia, & indicia comparent.

Non mirum ergo hæc quæ in Philone legimus & in Chaldaicis paraphraſibus, non occurrere in Judæorum ſcriptis. Talmud aliquibus poſt natam Eccleſiam Chriſtianam ſæculis conditum eſt, cùm jam memoria exciderant pleraque ſolida fundamenta religionis, ut queritur Maimonides. Qui illud collegerunt, circa ſolos Judaicos ritus occupabantur; præterquam infenſi Chriſtianis, potuerunt abradere ex ſuis libris multa quæ veterem doctrinam illuſtrarent. Itaque temerè ſtatueretur ex recentioribus ſcriptis Rabbinorum, ſanctiſſimam Trinitatem antiquis fuiſſe prorſus ignotam. Huic opinioni Philo, & Paraphraſtæ Chaldæi adverſantur: adverſantur ipſimet ſancti Evangeliſtæ; apud quos videre eſt, ut modò dicebam, antequam promulgaretur Evangelium, & cùm promulgari cœpit, fieri ſermonem de Deo Patre, de Filio ejus, & de Spiritu ſancto, ut de re nota. Verùm contigit ut per Chriſtum notior evaſerit ſanctiſſima Trinitas, ſicut & notiſſima fiet, cùm Deum videbimus ſicuti eſt.

§ VI.

Dei notioni non adverſantur, eum qui unus ſit in eſſentia, trinum eſſe in perſonis.

Qua ergo falſa opinione occupatus Socinus auſus fuit vim inferre ſcripturis, & eas detorquere, ne videantur prædicare ſanctiſſimam Trinitatem? Scilicet ſemel adduxerat animum ut cogitaret credita hactenus à Chriſtianis myſteria rationi adverſari, ſive unitati repugnare Trinitatem; non minùs malus Philoſophus quàm peſſimus Theologus. Etenim notio Dei in qua hanc pugnam videre ſibi viſus eſt, ipſa eſt Dei notio nobis innata; quam mundi conſpectus excitat; quæ quidem Deum exiſtere docet; & cogit agnoſcere hunc cujus opus perfectum & immenſum ſit, legibus ordinatis & perpetuis adminiſtratum: hunc, inquam, eſſe potentiſſimum, perfectum, immenſum, æternumque; unde liquet fieri non poſſe ut plures ſint natura diverſi Dii.

Sed non advertebat Socinus, aliud eſſe ſcire de aliqua re quòd exiſtat, & his & illis virtutibus prædita ſit; aliud perfectam ejus notionem animo complecti, ut non ſolùm quòd exiſtat, ſed quid ſit clarè & diſtinctè cognoſcatur. Itaque quam ſola natura, ſive res ſubjectæ ſenſibus nobis ingerunt, non ſufficit notio ut ſtatuamus quidquid de Deo credendum ſit: eum enim exiſtere docet, ſed non omnino quidquid ſit. Clarè, inquam, & diſtinctè in iſta ejus notione non videmus unitati fœcundæ adverſari proprietatum pluralitatem. Etenim reperimus in ipſa mente noſtra una & ſimplici plures & diſtinctas facultates; ut non obſtet fœcunditas unitati; mens enim magis una eſt quàm quodlibet ſimpliciſſimum corpus, fœcundior tamen ipſis corporibus. In illa voluntas non eſt intellectus, nec amor odium nec ſpes metus, innumeræ & diverſæ ſunt cogitationes noſtræ: innumeri & diverſi affectus; ex quibus aliquatenus intelligere eſt, quamquam Deus natura unus ſit, non ideo minùs trinum eſſe; ſive non contrarium eſſe rationi credere in Dei unitate pluralitatem, ſi auctoritas indubitata id præcipiat. Neque enim dicimus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum non aliter ſeſe habere ad invicem, quàm

Digitized by Google

mens, intellectus ejus, & voluntas ſeſe habent inter ſe. Sed in natura mentis habemus exemplum unitati diſtinctionem non obſtare; & Deum omni ente ſimpliciorem & fœcundiorem, poſſe eſſe unum & trinum, quod etiamſi ſola ingenita luce non videamus, credere tamen debemus, ſi id de ſe credendum proponat Deus.

Itaque ſine ulla adverſus perſonarum in Deo pluralitatem præconcepta opinione, admittere decet quam ſubjiciunt nobis doctrinam paginæ ſacræ. Rationi enim congruum eſt Deo de Deo credere; ſive illum concipere, qualem ſe concipiendum præbet in ſermone Evangeliſtarum; qui ipſi rationi adverſarentur, ſi contra omnes leges ſermonis, quas recta ratio probat, doctrinam propoſuiſſent, cui non conveniret quo utuntur ſermo. Nulli alteri niſi homini Deo, ſive qui utramque naturam habeat, convenire poſſunt quæ de Chriſto habet Evangelium. Sed non ſolùm Evangelicus ſermo obſcurus, & ſi dicere liceat, abſonus eſt, niſi Chriſtus ſit Deus homo & uterque verè; ſed & res ſive tota œconomia utriuſque fœderis abſona eſt. Chriſtus finis legis & omnium Dei operum, an dignus finis Dei eſſe poteſt, qui è numero creaturarum ipſe eſt? an gratia hominis tot tantaque in apparatum adventus ejus edita fuerint: præmiſſi tot typi, inſtitutus cultus religioſus, ut diverſis ritibus, cæremoniis, vita ejus & mors adumbrarentur? Quin aliquo ſenſu à Deo averſi dici potuiſſent Patriarchæ, Prophetæ, & omnes viri pii qui in Chriſtum quidem Dei, ſed non in Deum ipſum converſi fuiſſent. Sed non ea ſunt hujus loci.

§ VII.

Hæreſes adverſus quas Joannes ſcripſit, oſtendunt ab eo vocem λόγος, uſurpatam in ſenſu quem adſtruimus.

Conſtat cujuſque ſcriptoris mentem ex duobus potiſſimùm colligi debere: primùm ex propria & uſitata ſignificatione verborum quibus uſus eſt; neque enim poterat Joannes alio quàm uſitato ſermone loqui, & huic indere alias quàm conſuetas ſignificationes. Vidimus autem quo ſenſu nomen ὁ λόγος, Verbum, *ſumeretur ea ætate qua Evangeliſta ſcribebat. Tum maximè mens cujuſque ſcriptoris accipienda ex ſcopo quem intuitus eſt ſcribens; mentem ad ſcribendum Joannem appuliſſe ut oſtenderet Jeſum eſſe Dei ſapientiam æternam patris, per quam omnia facta ſunt, omnis antiquitas teſtatur. Luculentum eſt in hanc rem teſtimonium B. Hieronymi:* Noviſſimus omnium, *inquit Hieronymus, lib. de ſcript. eccleſ. c. 9.* ſcripſit Evangelium, *loquitur de Joanne,* rogatus ab eccleſiæ epiſcopis adverſus Cerinthum alioſque hæreticos, & maximè tum Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: unde & compulſus eſt divinam ejus naturam edicere. *Ergo ſi Ebionitarum, & Cerinthi dogmata conjuncta ſint cum Socini hæreſi, ex eo ſolo fine quem habuit Evangeliſta ſcribens, patet Socinum & Aſſeclas ejus quàm remotiſſimos eſſe à vero ſenſu ejus. Utrumque comprobare ingens operæ pretium eſt, & reipſa Joannem impetiviſſe Cerinthum & Ebionitas, & horum errores impetendo ſimul obtriviſſe hæreſim Socinianam.*

Quin Cerinthum, Ebionitas & alios hæreticos impugnandos ſuſceperit Joannes non ſinit dubitare Irenæus, qui ſe dicit cum Polycarpo familiariter verſatum; Polycarpus autem fuerat Apoſtolorum diſcipulus. Irenæus inquam ſcribit, lib. 3. cap. 3. ſæpiùs dixiſſe Polycarpum, quòd Joannes Domini diſcipulus ex balneo in quo reſciverat Cerinthum eſſe, exilierit non lotus; timens, inquiebat Joannes,

ne

ne balneum concideret, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Cerinthus ſentiebat Jeſum fuiſſe Joſephi & Mariæ filium ſimiliter ut reliqui omnes homines naſcuntur ex parentibus ſuis, & plus potuiſſe Juſtitia, & Prudentia, & Sapientia præ omnibus, & poſt baptiſmum deſcendiſſe in eum Chriſtum ab ea principalitate quæ eſt ſuper omnia. Eam fuiſſe ſententiam Cerinthi docet nos Irenæus, lib. 1. *cap.* 25. *quam & aliorum hæreticorum ſimilem doctrinam juvat verbis ejuſdem ſancti Patris explicare.*

Primi hæretici fingebant multas principalitates, multas virtutes, & quaſi Deos multos, Joannes autem; inquit Irenæus, lib. 3. *cap.* 11. volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat hominibus errorem, & multo priùs ab his qui dicuntur Nicolaitæ.... ut confunderet eos, & ſuaderet eos, quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum ſuum, & non quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem patrem Domini, & alium quidem fabricatoris filium, alterum verò de ſuperioribus Chriſtum, quem & impaſſibilem perſeveraſſe deſcendentem in Jeſum filium fabricatoris, & iterum revolaſſe in ſuum pleroma: & initium quidem eſſe monogeni; logon autem verum filium unigeniti: & eam conditionem quæ eſt ſecundùm nos, non à primo Deo factam, ſed à virtute aliqua valdè deorſum ſubjecta, & abſciſa ab eorum communicatione, quæ ſunt inviſibilia & innominabilia; omnia igitur talia circumſcribere volens diſcipulus Domini, & regulam veritatis conſtituere in eccleſia, quia eſt unus Deus omnipotens, qui per Verbum ſuum omnia fecit & viſibilia & inviſibilia: ſignificans quoque quoniam per Verbum per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & ſalutem his qui in conditione ſunt, præſtitit hominibus: ſic inchoavit in ea quæ eſt ſecundùm Evangelium doctrina: In principio erat Verbum, &c. Verbum erat apud Deum &c.

Fatendum quidem eſt Socinum non implicitum fuiſſe omnibus erroribus Cerinthi; ſed non ideo minùs Irenæus liquidò teſtatur Joannem Evangeliſtam ſcripſiſſe, ut adſtrueret Deum per Verbum ſuum omnia creaſſe. Unde ille concludit: In omnibus, ergo eſt, & quæ ſecundùm nos eſt conditio, *nempe nos omnes per Verbum conditi ſumus; & idem Verbum nobis præſtitit ſalutem. Itaque ſecundùm Irenæum, qui ubique dicit Verbum ipſum eſſe ſapientiam Dei Patris, viſum antiquis Patriarchis, & illud idem Verbum carnem noſtram induiſſe, Joannes Evangeliſta impugnavit errorem Socinianum.*

§ VIII.

Tot tantiſque auctoritatibus reſiſtere non poſſunt Sociniani. Fruſtrà & impiè dicunt Joannis primordium, aut Evangelio ejus aſſutum, aut obſcuro ſermone compoſitum.

Quid ad hæc Engedinus Socini diſcipulus? nemo eſt, *inquit*, qui ignoret, multas in veterum, quos patres vocant, ſcriptis legi narrationes, nec veras, nec veriſimiles. *Nullius ergo auctoritatis eſſent omnes illi antiqui Patres? horum tamen niſi ſcriptis innixus fuiſſet ipſe Socinus, non potuiſſet ut fecit, ſcripturarum ſtatuere veritatem. Quin ipſi Sociniani in ſua catecheſi quam Racovianam vocant, cap.* 2. *occaſione ſcripturarum, quarum certitudinem probant antiquorum conſenſu: in hæc, inquam, erumpunt verba:* adeo ut qui tam unanimi tot ætatum & hominum conſenſui repugnare vellet, hunc juſtiſſimam ejus

rei cauſam afferre oportet. *Age ergo, videamus quem ipſi cauſam afferant, aut afferre poſſint, cur diſſentiant à veteri doctrina. An quia ipſe Evangeliſta huicce doctrinæ quam deſerunt, adverſetur verbis ita claris, ut in contrarium ſenſum niſi machinis adhibitis contorqueri non poſſint?*

Imo ipſa oratio Evangeliſtæ adeo conſentanea eſt catholico dogmati, ut in alium rapta ſenſum prorſus inepta ſit; ſive potiùs inepta & violenta ſit interpretatio Socinianorum, qui Jeſum matri ſuæ præextitiſſe negantes, ne viderentur inſanire, Joannem ineptire volunt; liquidò enim dicunt eum uti ambigua & intricata oratione. Engedinus cavillatur eos qui ſentiunt Joannem ſublimi genere dicendi eſſe uſum. Certè, *loquitur ille Socinianus*, ſi obſcuritas conciſa, abrupta, minimè ſibi cohærens, & ex allegoriis conſtans oratio, ſublimitas dicenda eſt, fateor Joannem eſſe ſublimem. *Et paulo poſt ſtatuit principium Joannis eſſe obſcuriſſimum. Reipſa nullus alius ſermo ambiguus & intricatus magis cogitari poteſt, ſi huic verè ſubſit perverſum Socini dogma. Saltem non audeant dicere illi hæretici claritate ſermonis Evangelici adductos ut dėſererent caſtra noſtra.*

Eò prorupit horum hæreticorum veſania, ut cùm non poſſint adducere verba Joannis ad ſua placita, dicere audeant, aſſutum eſſe hujus Evangelio illud proœmium, quo tam luculenter confirmat Jeſum, quatenus Dei Verbum, ab æterno eſſe Deum. Auctoritate Alogorum nituntur, quorum mentio fit apud Epiphanium, hæreſi. 51. *Illos, inquit Epiphanius, quòd Joannis Evangelium abjiciunt* Αλόγυς, Alogos, *meritò nominamus, quoniam* λόγον, *hoc eſt Dei Verbum prædicatum à Joanne repudiant. Si quis verè tales ſe Alogos hodie profiteantur, advertant proſapiam ſuam, non ſolùm proœmium Joannis, ſed omnes libros ejus illi Alogi repudiabant. Negant, inquit Epiphanius, Evangelium eſſe Joannis, & Cerintho tribuunt, quaſi verò Cerinthus auctor eſſet ſcripti, quo confutatur.* Qui fieri poteſt, *ait Epiphanius*, ut hæc à Cerintho ſcripta ſint, quæ Cerintho potiſſimùm repugnent? Hic enim recentem ac nudum hominem eſſe Chriſtum aſſeruit: contrà Joannes perpetuò fuiſſe verbum, è cælo delapſum, & carnem eſſe factum pronuntiat.

Quis nominatus Chriſtianus depoſita fronte, audeat dicere cum Alogis, omnia ſcripta Joannis non eſſe digna quæ ab Eccleſia probentur. Idem cuique liceat dicere de cæteris Evangeliſtis; & ita omnes ſcripturas pro commento habere. Sed quo tandem fundamento Alogi ſtabiliebant hæreſim ſuam? Quærebantur à Joanne multa prætermiſſa, quæ contigiſſe conſtat ex aliis Evangeliſtis, quibuſcum inquiebant nec ubique conſentiret Joannes, quaſi verò non liceat ſcriptori prætermiſſis, quæ jam ſcripto mandata ſunt, immorari iis ſolis, quæ indicta ſunt, digna autem ſunt quæ proferantur in lucem. Eodem argumento fides trium primorum Evangeliſtarum convelleretur. Plura enim habent Matthæus & Lucas, quæ non occurrunt apud Marcum; ſicut Matthæus & habet quædam ſibi propria, pariter & Lucas. Quàm perfecta ſit quatuor Evangeliſtarum concordia toto hocce opere demonſtramus; hæc autem longiuſculè, ſed non inutiliter ut ſpero, præfati, accedamus jam ad proœmium Joannis, à quo initium ſumimus libri ſecundi Evangelicæ Harmoniæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Joannes exorditur Evangelium ſuum à teſtimonio, quod Joannes Præcurſor perhibuit Domino; ſed ſimul quam ab æterno Dominus, ut Verbum Dei, vitam habet, in hocce exordio declarat.

JOANNES, Cap. 1. ℣. 1—18.

1 † IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. † *In Nat. Dom. Miſſa 3.*
2 Hoc erat in principio apud Deum.
3 Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt,
4 in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:
5 & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprenderunt.
6 Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes.
7 Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut
omnes crederent per illum.
8 Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.
9 Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
10 In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.
11 In propria venit, & ſui eum non receperunt.
12 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,
his, qui credunt in nomine ejus:
13 qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate
viri ſed ex Deo nati ſunt.
14 Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam
ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. ¶
15 Joannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat dicens: Hic erat, quem
dixi: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat.
16 † Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. † *1 Tim. 6. 17.*
17 Quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.
18 † Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, † *1. Joan. 4. 12. 1. Tim. 6. 16.*
ipſe enarravit.

HACTENUS Jeſus filius Mariæ virginis delitescebat in urbe Nazareth, neutiquam ſe gerens pro Chriſto, qui Iſraelem redempturus eſſet. Ubi autem quaſi triginta annorum factus eſt, qua ætate ſuis muneribus exercendis erant idonei Levitæ, nu. c. 4. ℣. 47. ſe Chriſtum Dei oſtendit. Priùs verò quàm iniret curriculum munerum ſuorum, Joannes Zachariæ filius ante eum præcucurrit. In chronologicis diximus Joannem ſuo Præcurſoris officio fungi cœpiſſe circa feſtos dies Expiationis, in quibus lex indicebat ſolemne jejunium, & ea occaſione Judæos ad pœnitentiam hortatum eſſe juxta ripas Jordanis, quà fluvius ille tranſibatur euntibus ex Peræa Hieroſolymam, & inde redeuntibus. Cum autem omnes Judæi in hanc urbem confluerent; Expiatio enim feſtum erat unum ex tribus, in quibus illi tenebantur apparere in Templo, Joannes his qui hàc non pauci tranſirent, innotuit; & ſic factum eſt ut ſpargeretur rumor, proximos eſſe dies regni cœlorum; hoc eſt juxta ſermonem, qui Judæis uſitatus erat, inſtare adventum Meſſiæ; cujus ad vias parandas Joannes ſe dicebat miſſum.

Tunc non aliquibus, ut in nativitate Domini contigerat, ſed omnibus & palàm promulgari cœpit bonum illud nuntium regni cælorum. Ideo B. Marcus, qui cum cæteris Evangeliſtis ſuſceperat illud regnum explicandum, id eſt illam vitæ Domini actum, in quo docuit, & opus noſtræ ſalutis perfecit, non refugit dicere: *Initium Evangelii*

gelii Jeſu Chriſti Filii Dei &c. licèt tantùm à præconio Joannis exordiretur ſermonem ſuum. Nec Joannes Evangeliſta altiùs repetere videretur principium Evangelii ſui; protinus enim mentionem facit Præcurſoris: *fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes &c.* Nativitatem autem Domini & totum illud tempus, quod ab ortu ſuo egerat in domo Mariæ & Joſeph prætermittit. Non, inquam, vitæ D. N. J. C. principium videretur altiùs repetere, quàm à præconio Joannis; niſi præpoſuiſſet quam ab æterno habet vitam in ſinu Dei patris ſui; de qua alii Evangeliſtæ non fuerant locuti.

Scilicet Matthæus & Lucas, ut demonſtrarent Jeſum Nazarenum eſſe verum illum Meſſiam filium Davidis, proſapiam ejus, & quibus ſignis claruerat ortus ejus, declaraverant; neque enim tunc temporis quæſtio erat de Meſſiæ dignitate, de qua non ambigebatur; ſed an Jeſus Nazarenus ipſe eſſet Meſſias, quapropter, Matthæus, Marcus & Lucas, qui primi ſcripſerunt, ſatagebant tantùm ut oſtenderent, hunc, quem Judæi occiderant, fuiſſe virum approbatum à Deo, qui eum excitaviſſet à mortuis, nec plura probare enixus eſt Petrus prima illa concione, quam habuit ad Judæos. Act. cap. 2. ℣. 22. Hoc fundamentum ſubſtruendum erat; ubi enim perſuaſum habebant Judæi Jeſum eſſe verè Meſſiam, cætera ſequebantur.

Verùm quando contigit, ut, qui Jeſum pro Chriſto agnoſcerent, de illo tamen non digna ſentirent, neceſſe fuit, ut Joannes, qui poſtremus omnium Evangeliſtarum ſcribebat, doceret qualis quantuſque eſſet Dominus verus Filius Dei, qui erat apud Deum patrem antequam ulla creatura facta extaret. Itaque dicat aliquis me compellans, cùm vita illa æterna Domini præceſſerit ortum ejus ex Maria virgine, ordo quem ſequeris, præpoſterus eſt; ſi quidem non collocaveris in fronte Harmoniæ quæ de hac vita æterna Domini primùm præmittit Joannes. Verùm, ut non ſemel dixi, liquet Evangeliſtam à præconio Joannis Evangelii ſui initium ſumere, quamquam ſtatim cælo ſurgat; & compulſus ab hæreticis, indicet hunc, cujus vitam in terris actam deſcripturus ſit, eſſe æternum Dei Patris Verbum, qui in principio rerum apud Deum Patrem ſuum erat. Cælo quidem ſurgit Joannes, ſed his quæ præcedenti diſſertatione demonſtravimus, ſublevati, & Deo adjuvante ſequemur illum, etiam per aera volantem.

1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Satagit Evangeliſta in hocce exordio demonſtrare Jeſum eſſe ſapientiam illam Dei, quæ ab æterno fuit apud Deum, & in tempore carnem induit. Hanc deſcribit Salomon in Proverbiis capite octavo; quem locum à Joanne fuiſſe expreſſum antiquitas credidit; idcirco expendendus. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum*: ſic ſic ſapientiam loquentem inducit Salomon: *Antequam quidquam faceret, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes gravi mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat & flumina & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam.* Eadem de Verbo enunciat Joannes, ſed paucis verbis contrahens, quæ fuſiùs dixerat Salomon. Tum enim ad verba Salomonis alludens, tum ad primum caput Geneſeos, breviter ſignificat, quod in rerum initio quando Deus creavit cælum & terram, jam Verbum erat. Etenim illud Salomonis de ſapientia: *in initio viarum ſuarum*, non alium ſenſum habet, illa ſapientia apud Deum erat in principio ſuarum actionum, operationum nempe creationis mundi, in ſcripturis *via* & *actio* ſunt ejuſdem ſignificationis.

Quod verò Salomon dicit: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, interpretari decet juxta fontem, in quo Verbum Hebræum, quod redditum eſt *poſſedit*, ſignificat *acquirere*, vel *acquiſitum poſſideri*, vel pretio, vel jure creationis, vel jure paternitatis, ſive generationis, ut in Geneſi, cap. 4. ℣. 1. Ubi Eva poſtquam peperit Cain dicit: *poſſedi hominem per Deum.* hoc eſt *genui*. Similiter in Deuteronomio, cap. 32. ℣. 6. *Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te & fecit & creavit te.* Itaque illud *Dominus*, Jehova *poſſedit me*, idem ſonare cenſendum eſt, ac Jehova genuit me; quod conſtat ex iis, quæ de ſe dicit ſapientia, videlicet ſe à Deo genitam. Septuaginta interpretes vertere quidem hunc locum: *Dominus creavit me*; unde deducebat Arius, *Verbum Dei*, quod agnoſcebat pro ſapientia Dei, eſſe creaturam, quippe quod creatum eſſet. Verùm præterquam dubitari poteſt, an reipſa ſic olim ſcripſerint dicti interpretes (etenim fieri potuit imperitia, vel incuria librariorum, ut pro *ἐκτήσατο*, *poſſedit*, quod legitur in alia verſione Græca, cujus auctor Aquila, irrepſerit *ἔκτισε*, *creavit*, errore facili ob ſimilitudinem vocum) præter illud, inquam, quod jure dubitare poſſumus de lectione verſionis Græcæ LXX. etiam ſi huic faveat paraphraſis Chaldaica, ſtatuendum eſt de loci illius ſenſu ex ipſo textu originali, Verbum Hebræum קנה reddi poteſt *poſſedit* & *genuit*, nec aliter illud interpretati ſunt dicti interpretes apud Zachariam, cap. 13. ℣. 5. Etenim ubi in fonte legitur הקנני *hicnani* in verſione eorum reperitur, *ἐγέννησέ με*. creandi autem vox ampliſſimè ſumitur, idemque ſæpè eſt in ſcriptura quod *facere*, vel *gignere*, ſic & Latini dicunt, *creare* & *procreare liberos*, pro *gignere*.

Nec obſtare poteſt quominus Salomonis de ſapientia ſermonem vindicemus Jeſu Chriſto, quòd hæc

hæc ſapientia inducatur loquens veluti mulier. Etenim non ei quidquam tribuit Salomon quod mulierum proprium ſit; ſed quia חכמה *chochma*, nomen, quo Hebræi ſapientiam appellant, ſit fœminini generis, ideo eam ſororem ſuam appellat Salomon, nec ſervorum ejus, ſed puellarum meminit; ut Job, cap. 17. ℣. 14. *putridini dixi, Pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus*. David paſſim Deum vocat rupem ſuam, ipſe Dominus de illo qui fecerit voluntatem patris ſui ſic loquitur: Ipſe Dominus meus, frater, & ſoror, & mater eſt.

Chriſtus non ſemel appellatur in novo fœdere ſapientia Dei. Sapientia in Salomone ſe à Deo genitam dicit. Quoties ſe Dominus declaravit & probavit Filium Dei? Illa ſe dicit fuiſſe Dei delicias: *Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore*. Sive ut hunc locum LXX. interpretantur, *ego eram in qua lætabatur*, nempè intimè dilecta eram à quo genita ſum, exhibet ſe ſapientia oblectamentum Dei, ut puerulus oblectat patrem artificem dum operi ſuo incumbit. Ipſe Deus pater de cælo clamavit: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: quæ Jeſum ſpectant. Hoc autem quod Sapientia dicit: *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, nonne conveniunt Verbo divino, qui etiam ante aſſumptionem humanæ naturæ jam cum Abraham colloqui amabat, intereſſe populo ſuo, hunc deducere, hunc ſervare, poſt incarnationem dictus eſt peccatorum & publicanorum amicus.

Itaque Joannes de Verbo ut de ſapientia patris loquens ait: *In principio erat Verbum*; idem eſt ac ſi dixiſſet, in principio rerum, ſive ante principium rerum, priuſquam cælum & terram creaſſet Deus, Verbum erat. Illud: *In principio*, ἐν ἀρχῇ, occurrit in exordio Geneſeos: *In principio*, ἐν ἀρχῇ, *creavit Deus cælum & terram*. Hinc factum eſt ut vox illa *principii*, vel *initii* ſine ulla limitatione poſita, quoties agitur de tempore, ſignificet tempus illud quo Deus mundum formavit, ut videre eſt in pluribus locis, ſic Joan. cap. 8. ℣. 44. Ubi de diabolo ſermo fit: *ille homicida erat ab initio*. Apud Matthæum, cap. 19. *qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos*; &, *ab initio non fuit ſic*. Similiter ad Heb. cap. 1. ℣. 10. Et Joan. ep. 1. cap. 2. ℣. 13. & cap. 3. ℣. 8. Nec inde deduci poteſt *Verbum* cœpiſſe, ſive fuiſſe tempus quando non erat, cùm enim dicit Evangeliſta, Verbum fuiſſe quando Deus creavit cælum & terram, non negat jam antea fuiſſe. Illud *in principio erat*, ſive vox illa *erat*, quæ nullum diſcrimen temporis admittit, idonea eſt æternitati notandæ. *Quid eſt iſtud*, inquiebat Hilarius magnus, *In principio erat? tranſcenduntur tempora; tranſcenduntur ſæcula; tolluntur ætates*. Aliter vix poterat æternitatem divini Verbi declarare Evangeliſta; etenim æternitatem non concipiunt homines niſi antecedentem omnia quæ creata ſunt. Nec aliter Deus de ſua æternitate loquitur, Iſaiæ cap. 43. ℣. 13. *ab initio ego ipſe*, in fonte: *ex quo dies eſt, ego ſum*.

Id quod erat in principio, à Joanne appellatur *Verbum* ὁ λόγος. Vidimus non alia ſignificatione potuiſſe ab eo uſurpari hanc vocem, quàm quæ uſitata erat, eo quo ſcribebat tempore, nimirum pro ipſa ſapientia Dei, pro ratione ejus quæ Deo coæterna eſt, qua carere non potuit. Unde Tertullianus adverſus Praxeam ſic loquitur, cap. 5. *Ante omnia enim Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus & locus & omnia. Solus autem; quia nihil aliud extrinſecùs præter illum. Cæterùm, ne tunc quidem ſolus; habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo; rationem ſuam ſcilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipſo priùs; & ita ab ipſo omnia, quæ ratio ſenſus ipſius eſt. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam ſermonem appellamus*. Paucis interjectis addit Tertullianus: *Nam & ſi Deus nondum ſermonem ſuum miſerat, proinde eum cum ipſa & in ipſa ratione intra ſemetipſum habebat, tacitè cogitando & diſponendo ſecum, quæ per ſermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim ſua cogitans atque diſponens ſermonem eam efficiebat, quam ſermone tractabat*. Mirum videri non debet, ſi Joannes de re ſubſiſtente loquens, eam appellaverit cum cæteris Judæis λόγον, *Verbum*. Etenim quem latet nomen Hebræum דבר *davar*, ut *ſermonem*, ſic & *rem* ſonare, ut filius Dei, ſicut ſapientia patris, ita & *res* diceretur, nempe eximia. Non prætermittendum, cùm voci λόγος præponatur articulus ὁ, non de quovis accipi Verbo, ſed de certo quopiam, qui videlicet eſſet ſapientia Dei, notus omnibus, ut conſtat ex his quæ obſervata ſunt. Habet hanc vim articulus ὁ, quem Latinè utcumque reddimus adjecto pronomine *ille*, ut quidpiam inſigne ſignificet; veluti cùm καλὸν appellant Philoſophi, quod quovis modo pulchrum eſt, τὸ καλὸν, eximium illud ac verè pulchrum, ſive honeſtum, quod à virtute proficiſcitur.

Et Verbum erat apud Deum. Priuſquam diceret Evangeliſta Jeſum eſſe Verbum Dei, ſive rem illam eximiam, ſatagit notum facere quid ſit *Verbum Dei*. Poſtquam dixit æternum, declarat ubi eſſet antequam mundus extaret, & noſtram aſſumeret naturam. *Verbum*, inquit Joannes, *erat apud Deum*, id eſt cum Deo erat. Ipſa ſunt verba Sapientiæ apud Salomonem ſed contracta. *Quando præparabat Deus cælos, aderam; quando æthera firmabat; quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*. Eſſe apud aliquem idem eſt ac verſari cum aliquo; ut innumera ſcripturarum loca oſtendunt. *Sorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?* Matth. cap. 13. ℣. 56. *Quandiu apud*

vos ero? Marc. cap. 9. ℣. 18. Ubi eſſet ſapientia Dei quàm apud Deum? Innuitur autem clarè ſapientiam illam Dei, quod humanæ ſapientiæ non convenit, ſubſiſtere diſtinctam: alioqui non diceretur fuiſſe cum Deo, niſi eſſet alia perſona patris; quod de Sapientia ſentire ſignificat Onkelos Paraphraſtes Chaldæus, dum de Verbo divino loquitur; nam in Exodo, ubi in Hebræo eſt, *ne loquatur nobiſcum Deus*, ipſe vertit, *ne loquatur Dominus nobiſcum per verbum quod eſt coram Domino*. Sic in Proverbiis, cap. 8. ℣. 30. ubi Sapientia dicitur fuiſſe cum Deo, Chaldæus habet: *ad latus ejus*, agnoſcens inter Deum & ſapientiam ejus diſtinctionem.

Et Deus erat Verbum. Ad id quod tertiò quæri poterat, quæ eſſet natura Verbi, cùm jam dixiſſet Evangeliſta, 1. erat Verbum à principio, 2. erat apud Deum, addit 3. erat Deus; quæ tria cohærent. Quod etenim erat in principio, neceſſariò fuit cum Deo: quod cum Deo erat, cùm unus ſit Deus, & naturam Dei habebat, idcircò & Deus erat, non nomine tenus, ſi quidem re æternum dicatur. Harum ergo enunciationum connexio oſtendit diſtinctionem in Deo ſimul & unitatem naturæ, nam, ut inquit Theophylactus, quia Verbum erat apud Deum, manifeſtum quòd duæ perſonæ introducantur, etiamſi una natura ſit in duobus. Quod autem una natura ſit, audi: Et *Deus erat illud Verbum*. Vides quòd & Verbum erat Deus, & ita una natura Patris & Filii, quia & una divinitas. Confundantur igitur Arius & Sabellius. Arius quidem qui creaturam dicit filium & facturam. An ratio, ſive ſapientia Dei dici poteſt creatura, aut factura? Sabellius verò negans perſonarum Trinitatem, ſed aſſerens unitatem rejiciatur per hoc quod dicitur: *Et illud Verbum erat apud Deum*. Manifeſtè enim hoc loco alium eſſe Verbum & alium eſſe Patrem declarat Evangeliſta; etiamſi non ſit aliud, & *Alius* enim & *alius* de perſonis dicitur, *aliud* & *aliud* de naturis.

Inde autem diſcrepantia, aut inæqualitas argui non poteſt inter Deum patrem & Sapientiam filium ejus, quòd eo in loco, ubi dicitur, *& Deus erat Verbum*, nomen θεὸς careat articulo, qui ſoleat apponi cùm de verò & ſummo Deo ſit ſermo, præterquam enim paſſim *Deus* cum articulo, de falſo Deo uſurpatur, ut Amos, cap. 8. ℣. 14. *Vivit ὁ θεός σου*, & cap. 5. ℣. 26. τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, *aſtrum Dei veſtri*, contrà θεὸς abſque articulo, de Deo patre ponitur in hoc ipſo primo capite Joannis verſu duodecimo & ſequenti. Alibi autem Jeſum appellat Deum cum articulo in prima ſua epiſtola, cap. 5. ℣. 20. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός, *hic eſt verus Deus*, ergo eo loco Evangelii in quo ſumus, videtur Joannes reticuiſſe articulum, ut diſtinctionem innueret.

Jam videamus quibus machinis Sociniani detorquere conentur orationem Evangeliſtæ à ſenſu quem præfert. Prodeſſet quidem horum deliria neſcire; propalata enim nocent his quorum ſimile ingenium eſt; ſed non ſinendum, ut tacentibus Orthodoxis perſonet orbis clamoribus eorum; & videantur pollere doctrina, cùm tantùm audacia valeant; quod quis protinus diſcat ab una eorum interpretatione exordii Joannis.

Primùm non diffitentur obvium & naturalem ſenſum nobis favere; ſed, inquiunt, præſtat confugere ad coactas duraſque interpretationes, ſcilicet præconceptis opinionibus volunt accommodanda eſſe verba ſcripturarum, ſemel opinati ſunt repugnare prorſus rationi, ut Deus fiat homo; ideò etiam ſi crebrò & apertiſſimè hoc ſcriptum extaret, ſatius eſt, inquit Smalcius, modum aliquem dicendi comminiſci, quo iſta de Deo dici poſſint, quàm iſta ſimpliciter ita ut verba ſonant, intelligere. Ergo Lælius Socinus, quod ut agnoſcit Fauſtus Socinus, in alterius animum non inciderat, ſic paraphraſticè exponit prima verba Joannis. *In principio erat Verbum: hoc eſt Chriſtus Dei filius in principio Evangelii ſui, eo nimirum tempore, quo Joannes Baptiſta ad frugem Iſraeliticum populum revocare cœpit, & antequam ipſius Baptiſtæ prædicatione Judæis innotuiſſet, jam erat*. Cùm ſemel vox communis accommodata eſt alicui rei, niſi ſubſequatur exceptio, de illa re intelligi debet. Unde ergo illud *in principio*, quo ſignificari principium creationis evicimus, tribuitur Evangelio? Re ipſa Marcus præconium Baptiſtæ appellat initium Evangelii; ſed additum nomen Evangelii reſtringit ſignificationem vocis ἀρχὴ, *initium*, ut non univerſale principium rerum, ſed rei particularis, nempe Evangelii, ſignificet.

Sed, inquiunt, voces interpretandæ ſunt ex ſubjecta materia, quæ cùm Evangelium ſit, vocem *principii* non ad veterem mundi creationem, ſed ad Evangelii prædicationem, de qua quæſtio, referre decet. Generalis quidem materia eſt Evangelium, ſed alia proximior, de qua nempe ſpeciatim agitur & quæ ſpectanda eſt; alioqui cùm dicit Dominus de diabolo apud Joannem, cap. 8. ℣. 44. *Erat homicida ab initio*, quia ſubjicitur concio ejus, ſenſus erit ab eo tempore quo Dominus loqui cœperat, diabolus homicida erat; quamquam pateat alludere ad crimina, quæ diabolo impellente jam à primis temporibus commiſſa erant. Sic & illud Joannis 1. ep. cap. 1. *quod fuit ab initio &c.* quoniam ſubjecta materia generalis eſt Epiſtola, quam ſcribendam ſuſceperat Joannes, per illud *ab initio*, intelligebat initium ſuæ epiſtolæ. Evangeliſta dixit ſimpliciter *in principio*, non adjungit, quod facit Socinus, *Evangelii*, cujus varium principium aſſignatur ab ipſis Evangeliſtis. Matthæus illud repetit à Chriſti nativitate, Lucas à Joannis Baptiſtæ prædicatione, Petrus à die Pentecoſtes, Paulus à prædicatione Chriſti. Quin & Angeli

pri-

Digitized by Google

primi cenſeri poſſunt promulgaſſe Evangelium, quando paſtores allocuti ſunt. Multa ſcitu digniſſima, quæ Evangelium proximè ſpectabant, contigerant ante baptiſmum præcurſoris. Gabriel miſſus fuerat ad Zachariam & ad Mariam; Jeſus de Spiritu ſancto conceptus erat, natus, & adoratus à Magis, agnitus à Simeone. Jam munus prophetæ exercuerat, quamquam admodum puer ſedens inter doctores; ita ut baptiſmus Joannis pro Evangelii principio abſolutè accipi non potuiſſet à Chriſtianis; qui ægrè tuliſſent ab Evangeliſta tam obſcuris verbis ea ſibi proponi, quæ jam clarè noverant, nimirum jam extitiſſe Jeſum antequam inciperet præcurſor ejus fungi munere ſuo; Chriſti enim nativitatem compertam habebant ex Matthæo & Luca.

Singulas particulas interpretationis Socinianæ expendamus: hoc eſt perſequamur ineptias Socinianorum. Senſus eorum eſt: in principio Evangelii, licèt nondum Chriſtus innotuiſſet prædicatione Joannis, jam tum fuiſſe deſtinatum à Deo voluntati ejus patefaciendæ, & ideo dictum Verbum ejus. Cur ergo aptiùs non dixit Evangeliſta, Verbum fuit antequam concionaretur ad Judæos Baptiſta, aut jam erat; vox enim indefinita *erat*, convenit æternitati ſignificandæ? Sed cur noto nomine non uſus eſt, Jeſum dicens, jam tunc temporis fuiſſe; & potiùs ambiguum & ignotum uſurpavit? Non alibi in Evangelio Jeſus dicitur Verbum eo ſenſu quem propugnant. Deſignari quidem poterat diverſis nominibus, appellari magiſter, lux, via, veritas, vita, ſed hiſtoricum decet in principio ſermonis proprium perſonæ nomen anteponere figurato, uſitatum inuſitato, notum ignoto. Quin & ipſi poetæ, licèt res in exordio obſcurare ſtudeant, ut accendant deſiderium lectionis, attamen rem quam tractandam ſuſcipiunt, liquidò declarant. *Arma virumque cano Trojæ qui primus ab oris &c.* ſic orditur Virgilius. Quo igitur conſilio Joannes poſuiſſet offendiculum, ad quod omnes Chriſtiani corruerent in primo limine ſuæ ſcriptionis? ſtatim quidem concionans aiebat præcurſor: *Ego vox clamantis in deſerto*, ſed clarè intelligebatur eam eſſe vocem ejus clamantis, ut omnes excitarentur ad pœnitentiam.

Jeſus per metaphoram eſto appellari poſſit *Verbum*, quia ejus ore Verbum Dei promulgaretur, os Dei potiùs videbatur dicendus. Verùm eſto dici potuerit Verbum Dei, ſenſu Sociniano; nempe per metaphoram; ſed ut diſcimus à magiſtro rhetorum Quintiliano, uti non licèt metaphora, niſi aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantiùs, aut quia decentiùs, proprium ſuppetebat nomen, Jeſus Chriſtus, quod & ſignificantius erat; nec iſtud metaphoricum, ſcilicet Verbum ei conveniebat. Volebat enim hiſtoricus, juxta Socinianos, declarare hactenus Chriſtum latitaſſe nemini notum, donec prædicatione Joannis innotuit, itaque in eorum ſenſu dicebat Evangeliſta Chriſtum locutum fuiſſe quo tempore ſilebat.

Præterea nomen illud *Verbum* clarè in exordio Joannis indicat naturam & ſubſtantiam, nec translatum eſt, ſed proprium; tenet enim locum ſubjecti de quo quæritur, quando fuerit, quid fuerit, ad quas quæſtiones vidimus hæc tria reſponderi. 1. In principio, 2. apud Deum, 3. erat Deus. Inſuper adjungitur per illud omnia facta eſſe, carnem aſſumpſiſſe, habitaſſe in nobis, in propria veniſſe. Do metaphoras eſſe quandoque audaciores; at ſaltem priùs voce propria utendum erat, cujus locum poſtea metaphorica tenere poſſet. Quò autem audaciæ proceſſiſſet ſtilus Evangeliſtæ? neque enim unius nominis, ſed & integræ locutionis uſum invertiſſet, ſi recta ſentiunt Sociniani, hacce enim locutione, *& Verbum erat apud Deum*, aut ſimili unquam quis uſus eſt, ut id ſignificaret quod volunt: videlicet Jeſum quatenus Dei Verbum, antequam Baptiſtæ prædicatione pateſieret, ſoli Deo notum fuiſſe. Vidimus hanc locutionem, *eſſe apud aliquem*, quæ non rarò occurrit, idem ſonare ac *eſſe cum aliquo*. Adjungendum nec ſoli Deo tunc temporis, Jeſum notum fuiſſe, etiam quatenus Chriſtus erat; myſterium enim patefactum fuerat Mariæ matri, Joſepho, Eliſabeth, Zachariæ, Paſtoribus, Magis, Annæ & Simeoni, quin ipſe præcurſor licèt ſatie non agnoſceret, ſciebat in mundo Chriſtum eſſe.

Quod ſequitur in Evangelio, *Et Deus erat Verbum*, pariter metaphoricum, eſt juxta Socinum. Nimirum, cùm cœpit prædicare Joannes, jam Chriſtus erat ſoli Deo notus, & Deus ob eximias dotes appellandus. Verùm qua de cauſa Evangeliſta protinus eum iſta appellatione denominaret? Si Chriſtus Deus tantùm eſt dicendus ob munera, cur antequam illa iniret, ſtatim ſic appellat? Neque enim in errorem volebat impellere Chriſtianos, quod faceret tamen, ſubjungens per illum omnia creata, quod proprium eſt veri & ſummi Dei. In dogmate Sociniano Jeſus primùm fuit homo, deinde Deus. Omnem ergo ordinem perturbat Evangeliſta, primò Deum dicens, & ſecundo loco hominem; & cùm debuiſſet ſignificare hominem factum eſſe Deum, dicit Deum factum hominem; nam ℣. 14. ubi in Vulgata eſt; *Et Verbum caro factum eſt*, vox ἐγένετο legitur in fonte, quam ibi reddendam contendunt *fuit*; ſic enim exprimunt hunc locum: *Et Verbum caro fuit*. Ita cùm, ipſis non diffitentibus, ἐγένετο & reddi poſſit *factum eſt*; Evangeliſta volens dicere Jeſum verè fuiſſe tantùm hominem, uſurpavit vocem, quæ poteſt ſignificare factum eſſe hominem: & cùm diceret eum factum Deum, non uſus eſt voce ἐγένετο, ſed ἦν, *erat*, quæ ex ſe non dicit factum Deum. Quid hoc eſſet niſi abuti ſermone? Verùm ipſi Sociniani

niani

niani abutuntur patientia noſtra, pergamus orthodoxum ſenſum exponere.

Hoc erat in principio apud Deum. Quæ jam dixerat, reperit Joannes, volens Verbum ita intelligendum Deum, ut doceat, fuiſſe apud Deum, id eſt fuiſſe ab eo diſtinctum; etenim poterat Deus, ſic videri unus, ut trinus non ſit, ideo hæc diſtinctio aſtruenda erat. Iſta autem repetitio turpis eſt tautologia, ſi non turpiter fallitur Socinus; quod enim dixerat Joannes in principio Evangelii jam extitiſſe Chriſtum Deo notum iterat, *hoc erat in principio apud Deum*, id eſt in ſenſu Sociniano, deſtinatus erat Chriſtus patefaciendæ voluntati Dei, & huic notus erat, quando cœpit prædicare Joannes. Quaſi verò res difficilis eſſet creditu, licèt poſterior veniſſet Chriſtus, priorem fuiſſe dignitate; & eadem aſſertio iteranda fuiſſet verbis obſcuris; cùm infra id quod res erat, apertè dicatur. Loquens enim Evangeliſta de præcurſore dicit fuiſſe hominem miſſum à Deo, qui de Chriſto teſtimonium perhiberet; Chriſtum fuiſſe lucem, hunc verò veniſſe ut teſtaretur de luce. Magna quidem de Baptiſta in animis Iſraelitarum opinio erat, ſed non tanta, ut præponeretur huic, cujus ſe ſolummodo præconem declaraverat.

3. *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Hæc ſimpliciter credimus ut enuntiata ſunt. Sentimus omnia à Deo facta eſſe per Verbum ſuum. Sapientia, nimirum Verbum ipſum divinum, de ſe id dicit: *Quando*, inquit, *appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Hæc opinio de Verbo Dei creatore ἀεὶ τῷ λόγῳ κοσμοποιοῦντος, ut loquitur Philo, omnium animis indita erat antequam Joannes ſcriberet; ut ſi falſa eſſet, non eum decuiſſet hanc confirmare. Non ſemel à Paraphraſtis Chaldæis proponitur. Apud Iſaiam, cap. 45. ℣. 12. ubi in Hebræo legitur: *ego feci terram & hominem ſuper eam creavi*, in Chaldæo eſt, *ego in Verbo meo feci terram, & homines ſuper eam creavi.* & cap. 48. ℣. 13. in Hebræo legitur, *manus mea fundavit terram*, apud Chaldæum autem, *Verbo meo fundavi terram.* Quibus conſona ſunt innumera loca utriuſque fœderis. *Omnia in ſapientia feciſti*, exclamat Pſaltes regius Deum alloquens, pſal. 103. ℣. 24. quæ verba idem ſonant juxta phraſim Hebraicam, ac *feciſti omnia per ſapientiam tuam.*

An apertiùs Jeſus poterat ſignificari creator quàm illis Apoſtoli verbis, 1. Corinth. cap. 8. ℣. 6. *nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia & nos in illum, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum.* Et in Epiſt. ad Hebræos, cap. 1. ℣. 2. *Noviſſimè* Deus *diebus illis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula;* per ſæcula totus mundus intelligendus eſt, ut patet ex verſu tertio capitis undecimi: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei*, ad Coloſſ., cap. 1. ℣. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cælis & in terra viſibilia & inviſibilia.* Alia omitto; liquet autem id proprium eſſe ſolius Dei, ut ſit creator, *Ego ſum Dominus faciens omnia*, inquit Deus apud Iſaiam, cap. 44. ℣. 24. *extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Verbum Dei non extra Deum eſt, ipſe Deus eſt, *& ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Quia dixit Joannes quòd omnia Verbum fecerit, ne quis exiſtimet quòd & Spiritum ſanctum creaverit, apponit quòd omnia per ipſum facta ſint. Et quæ omnia? quæ facta ſunt: perinde ac ſi diceret. Quod ſi quid eſt ex natura condita, illud factum eſt à Verbo: Spiritus autem quia non eſt τῆς γενητῆς φύσεως, non factus eſt ab eo. Itaque ſine virtute Verbi nihil factum eſt quod factum eſt; id eſt quod eſt naturæ creatæ ac factæ. Hæc Theophylactus, qui accuſat Pneumatomachos particulam illam, *quod factum eſt*, puncto diſtinguere ab eo quod præcedit, & ad ſequentia referre; ita ut poſt illa verba: *& ſine ipſo factum eſt nihil*, puncto interpoſito nova ſequatur ſententia, *quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quoquomodo legatur, apertum eſt id unum confirmari ab Evangeliſta, nullam rem non eſſe à Verbo creatam; ita de Spiritu ſancto non ſermo eſt, niſi aliunde conſtet accenſendum eſſe numero rerum creatarum, quod abſurdum eſt cogitare de Spiritu Dei non minus ac de ſapientia ejus. Apertum, inquam, eſt id unum confirmari, nullam rem creatam extare cujus Verbum non ſit opifex; quod notandum adverſus hæreſes quæ adſcribebant neſcio cui fictitio Deo certarum rerum opificium, quas hæreſes conſtat ex allegato ſupra Irenæi teſtimonio Evangeliſtam ſuſcepiſſe confutandas.

Hæc ſic expoſita cohærent cum anterioribus & ſubſequentibus: Verbum enim Deus, creator eſt; & mundus proprium opus ejus, in quem ut in propria venerit. Non ita eſt de interpretatione Sociniana, juxta quam Joannes pergit loqui obſcura & pugnantia: vult enim Socinus non alio ſenſu per Verbum omnia eſſe creata, quàm eo quo reſtauravit homines, videlicet ſpiritali modo. Iſtam creationem ſpiritalem non negamus, quæ reali non adverſatur: imo conveniebat, ut qui fecerat homines, idem perditos reficeret. Si autem hæc propoſitio, *omnia per Verbum facta ſunt*, reſtringenda eſſet, quæ ſequuntur in Evangelio limitationem aliquam attuliſſent; qui enim cum judicio ſcribunt, cùm rem patentiorem quàm decebat exhibuerunt, deinde aliqua exceptione contrahunt. Tantum autem abeſt, ut Joannes innuat à ſe fieri ſermonem de certa illa creatione, qua in Chriſto ſimus nova creatura, quin omnem exceptionis amovet ſuſpicionem: *& ſine ipſo*, inquit, *factum eſt nihil*, ſi de ſpiritali creatione loquebatur, deſcribens Jeſum relatè ad illud

Digitized by Google

tempus quod indicabat ex placito Socini, nempe principium Evangelii, non debuit dicere: *omnia per ipſum facta ſunt*, aut *fiebant*, ſed *facienda erant*. Etenim eo tempore, quo Jeſus apud Deum erat, hoc eſt ut placet Socino, notus erat ſoli Deo, jam quidem erat deſtinatus muneri ſuo, ſed illud nondum implebat, omnia per ipſum fieri non contigit niſi poſtquam cœpit docere.

4. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*. In creationis mundi deſcriptione duo præclara Dei opera recenſentur, *vita & lux*, quibus vitam dedit omnibus viventibus & lucem mundo, ſolem lucere faciens. Omnia movet Deus; in ipſo vivimus, cùm ergo opificem mundi Verbum declaraverit Joannes, ſecum cohærens, dicit in eo fuiſſe vitam & lucem; unde cogitandum dabat, ab eo à quo vitam corporis accepiſſemus, & accipiendam vitam animæ, & lucem mentis ſicut & corporis; meritò igitur idem Evangeliſta in prima ſua epiſtola Jeſum appellat vitam æternam, & Petrus in Actis, cap. 3. ℣. 15. auctorem vitæ; quem ſe ipſe Jeſus probavit, ſuſcitans mortuos propria poteſtate, ut dicit Joannes, cap. 5. ℣. 26. *Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo*. Jeſus, inquam, ubique ſe dicit vitam & lucem, idem autem qui vita hominum erat, & lux eorum erat. Qua conjunctione vitæ & lucis videtur Evangeliſta arguere hæreticos illos qui falſam ſcientiam venditantes ſe Gnoſticos dici volebant. Illi diverſos, ut loquebantur Æonas fingebant, quos & λόγοι appellabant, inter quos alium *vitam*, alium *unigenitum*, alium *ſervatorem*, alium *mundi opificem*, alium *Chriſtum*, alium *Jeſum* eſſe ſtatuebant, ut videre eſt apud Irenæum. Hos ut confutaret Joannes, uni & eidem Jeſu congruere omnes iſtos titulos ſcribit; & tribuit quæ de ſe dicit ſapientia apud Salomonem: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*. Diximus Verbum divinum in omnium animis lucere; unde Clemens Alexandrinus Verbum vocat ſolem animæ, nullis, inquit, celatum eſt Verbum, lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus. Hoc eſt quod ipſe Jeſus docet nos in Evangelio toties ſe lucem mundi declarans, ſicut ipſe nomine ſapientiæ loquitur in Proverbiis Salomonis: *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia & fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam*. Hæc omnia uno verbo expreſſit Jeſus, cùm dixit, *Ego ſum lux mundi*.

Quid ad hæc Socinus? Jeſus tantùm erat vita & lux, quia vitam patefecit, nempe Evangelium, quo homines illuſtrati ſunt, ſed cùm hactenus neque ſe, neque doctrinam ſuam patefecerat Jeſus, ſi Joannes Socinianus erat, cur non potiùs dixiſſet, *vita erit & lux hominum*. Sed de præterito tempore loquebatur; unde cùm poſteà intuetur præſens tempus, illud nimirum quo ſcribebat, & quo querebatur quòd omnes homines Jeſum non agnoſcerent, mutat tempus: 5. *& lux*, inquit, *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. In interpretatione Sociniana omnes partes Evangelii ſunt veluti ſcopæ diſſolutæ; ad quid enim dum repræſentat Evangeliſta Jeſum muneri ſuo jam deſtinatum & jam exiſtentem ante conciones præcurſoris, ea epitheta applicat Chriſto, quæ ei non conveniebant, niſi poſtquam ipſe concionabatur? In ſiſtemate autem orthodoxo hæc arctè cohærent; nec decebat Evangeliſtam cùm loquebatur de Verbo antequam homo fieret, ſilere eum eſſe auctorem vitæ & lucis, qui homines poterat à mortis & peccati tenebris in vitam & lucem revocare. Ergo miratur quòd cùm luci ubi creata eſt, tenebræ olim ceſſerunt, ſtatim ac Jeſus, qui Verbum eſt Dei, illuxerit mundo verſanti in peccatorum caligine, non agnitus ſit. *Et lux*, inquit, *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, nimirum quorum cor obtenebratum erat, lucem non admiſerunt, ſic decet interpretari illud *non comprehenderunt*. Verbum Græcum καταλαμβάνειν quo ibi utitur Joannes, interdum ſignificat *fructum conſequi*, re ipſa mirum eſt cæcutiiſſe homines in ſole, & illis periode fuiſſe lumen & tenebras. Sunt qui ſic interpretantur Verbum κατέλαβεν, ut Joannes indicet tenebras non obruere potuiſſe & obſcurare lucem. Verbum Græcum poteſt pati hunc ſenſum. Jeſus non ignotus venit quem prædicaverit præcurſor.

6. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes*. Statim Evangeliſta ſermonem facit de præcurſore, à cujus præconio, ut diximus, ſumit initium Evangelii ſui: Chriſti & præcurſoris proponit diſcrimen; nudo & aperto ſermone denuntians Joannem Baptiſtam, à Deo quidem miſſum qui præcurreret filio ejus, ſed non fuiſſe illam lucem, qua tenebræ mundi fugandæ erant.

7. *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum*. 8. *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Explicat munus præcurſoris; ſcilicet perhibere teſtimonium Chriſto, ut omnes certò ſcirent Jeſum eſſe prophetam à quo docendi erant; ſed non ideò Joannes erat lux, hæc verba à ſua naturali ſignificatione non detorquent adverſarii, quia non adverſantur præjudicatis ſuis opinionibus. Non multum periculi erat ne Chriſtiani errarent circa Joannem; unde igitur loquitur de illo Evangeliſta liquidis verbis, Jeſum verò per ambages repræſentat, quibus ſolus Socinus, ut putat, non deceptus eſt.

9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Revertitur Evangeliſta ad Dei Verbum, quem iterum dicit eſſe veram lucem, id eſt ipſam lucem, quæ illuminat

minat omnem hominem ; lucem, inquam, interiorem, quæ ſapientia dicitur, qua falſum vero, juſtum iniquo ſecernimus, hac luce nullus homo veniens in mundum caruit : cujuſque enim hominis mens luce Verbi colluſtrata eſt. Hic autem ambiguitas eſt in textu Græco, ob neutrum genus nominis φῶς, participium enim ἐρχόμενον referri poteſt vel ad τὸ φῶς, & ſic reddi verſiculus ille : *quæ illuminat omnem hominem venient in mundum*, quando ſcilicet lumen illud oritur mundo. Vulgatus interpres retulit τὸ ἐρχόμενον ad τὸν ἄνθρωπον ſenſu clariori & ſine verborum trajectione, quam inducit alia interpretatio. In ſenſu autem Sociniano qui Vulgatum interpretem repudiat, debuiſſet dicere Joannes, lux quæ illuminatura erat omnem hominem, quando exoritura erat mundo; non adhibens vocem ἐρχόμενον *veniens*, ſed ἦλθεν, *cùm veniſſet*, præterquam totus ille verſiculus ſit additio inutilis ; nam ſi Jeſus tantùm homo eſt, non opus erat ut adderetur, venientem docuiſſe ; cùm id abſens præſtare non potuiſſet. Nec cùm venit, hoc eſt cùm natus eſt, omnem hominem illuminavit, ſiquidem non cœperit prædicare niſi triginta & ampliùs annos natus, ſive potiùs cùm abiit, tunc potiſſimùm mentes imbuit doctrina ; unde ipſe dicebat diſcipulis ſuis, *expedit vobis ut ego vadam*. Locutio illa, *veniens in mundum*, in Judæorum loquendi conſuetudine idem ſonat ac *naſci*, ut viri periti obſervant prolatis teſtimoniis. Ergo adſtruit Joannes Verbum verè lucere in animis omnium hominum quotquot naſcuntur.

10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*. In mundo erat nempe Verbum : illa lux jam ab initio præſens, eadem virtute qua mundum creaverat conſervans, ſolem lucere faciens, & ipſe in hominibus lucens. Quin etiam forma viſibili inter homines quandoque verſatus, ut ſupra dictum eſt, *mirum*, inquit Maldonatus, *quanto conſenſu veteres interpretes de Verbo antequam caro fieret, hunc locum intelligant*. Verba clariſſimi interpretis allego, ne quæ dicimus de Verbo divino quibuſdam videantur nova, repetit Evangeliſta mundum factum ab ipſo, exagerans vitium ingrati animi ejus qui non agnoverit factorem ſuum. Alii locum hunc de Verbo incarnato intelligunt, quem queritur Evangeliſta non ab hominibus exceptum, quando carnem induit. Quod vitium arguens, iterum addit : 11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, in mundum, ſuum opus, tanquam in domum ſuam, *εἰς τὰ ἴδια, in ſua* ; & homines proprii ipſius domeſtici, quos creaverat, non eum receperunt, mundum à Verbo factum dicit Socinus, quia per Chriſtum reformatus eſt, ſed eo tempore de quo hìc quæſtio eſt, nondum ille mundus ſpiritalis ſubſiſtebat : ergo Verbum non in alio mundo erat quàm viſibili, cujus ergo factor. Nec conſtaret ſibi Evangeliſta ſi hunc mundum viſibilem non intelligeret ; nam homines reformandi, ſcilicet mundus per Verbum factus agnovit Verbum ; ergo non contigit ut à mundo quem fecerat, non agnitum ſit Verbum. Et quoniam mundus ille non antè factus eſt, quàm ubi prædicavit Chriſtus, in propria non venit, ſed in ea quæ aliquando erat facturus ſua. In interpretatione Socini non poſſunt homines dici eſſe peculium Verbi, niſi quos doctrina ſua fecit eſſe diſcipulos ſuos ; ergo ita falſum eſt à ſuis non eſſe receptum ; niſi creator omnium ſtatuatur malorum æquè ac bonorum ; ut juſta cauſa ſit admirationis, homines non agnoviſſe Verbum auctorem vitæ ſuæ, cum bos cognoſcat poſſeſſorem ſuum.

Per *propria*, τὰ ἴδια, non intelligit Socinus *domum* ; ſed eam eſſe vim hujus vocis certum eſt ex multis locis ſacrorum codicum. Apud eundem Joannem legimus, cap. 16. ℣. 32. *venit hora ut diſpergamini unuſquiſque in propria, εἰς τὰ ἴδια*, nimirum quiſque in ſuam poſſeſſionem. Et in Actibus, cap. 21. ℣. 6. *illi autem redierunt in ſua ἴδια*, in ſuam poſſeſſionem : ut Chriſtus mundum ingrediens cenſeri non poſſit in propria veniſſe, niſi mundus ille viſibilis ſit proprium opus ſuum, aut propria hæreditas, in quam dicitur apud Matthæum, cap. 21. velut hæres veniſſe.

12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Attamen quamvis plerique Chriſtum non receperint, non fruſtrà venit ; à quibuſdam enim receptus eſt. Quotquot autem receperunt eum, ſive Judæi, ſive gentiles, dedit illis poteſtatem, ἐξουσίαν, *jus*, ut fierent filii, ſive potiùs, ut tanquam Filii Dei hæreditatem regni cælorum adipiſcerentur. Terra promiſſionis typus hujus regni, olim iis ſolis data eſt qui eſſent filii Abrahæ, Iſaac & Jacob ſecundùm carnem ; regnum autem cælorum cuicumque, cujuſcumque proſapiæ ſit, datur ; modò credat in nomine ejus (in Græco fonte, in nomen ejus) ſcilicet Jeſum pro Chriſto agnoſcat. Qui Chriſtum per Baptiſmum induimur, jus quidem habemus filios Dei fieri, ſed non omnino ſumus, donec gratia ejus veram Dei imaginem efformaverimus in nobis.

13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Periphraſis eſt naturalis generationis, quæ ex ſanguinibus utriuſque ſexus, eique adjuncta carnis concupiſcentia, quam Joannes voluntatem carnis appellat, ut plurimùm proficiſcitur. *Neque ex voluntate viri*, ex hominis concupiſcentia, qui impetu carnis & deſiderio corporeæ delectationis ad concubitum fertur. Nomen Græcum θέλημα, Latinum *voluntas*, reſpondent Hebræo חפץ *chephetz*, quod ſignificat *voluntatem*, *deſiderium*, *delectationem*, & alia. Alii per *voluntatem viri* intelligunt actum, quo aliquis alterius fieri poteſt filius adoptione, aut inſtitutione viri, qui filium qualem vult & hæredem inſtituit.

Sci-

Digitized by Google

ſcilicet neque generatio ex ſtirpe Judaica, neque adoptiones factæ per Judæos, efficiunt ut aliquis ſit hæres regni cæleſtis, ſed ipſe Deus. Quiſque etſi nec Judæus natus, nec proſelytus, hoc eſt nec Judæus ſactus, poteſt reputari filius Dei, modò credat. Hæc doctrina ubique ſtatuit in Evangelio; cui quiſque pater, adoptione filius Dei eſt.

14. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* Verbum, inquam, illud ab æterno apud Deum Deus, *caro factum eſt*, id eſt homo factus eſt; nam ſæpiùs in ſcripturis homo dicitur caro; quod nomen eo in loco aptum erat. Etenim Joannes ſignificatum volebat, Verbum Dei ſe conſpicuum præbuiſſe, caro autem hominis & non ejus mens oculis corporis conſpicua eſt. Vox *ἐγένετο* qua utitur, idonea quoque erat; nam cùm nemine refragante, reddi poſſit, *factum eſt*, eam notionem animis ingerit, ut id quod priùs Verbum erat; cœperit eſſe homo quod antea non erat; quo ſermonis genere confirmatur Verbum Dei eſſe rem ſubſiſtentem, & à Deo patre diſtinctam, quæ venerit in mundum & habitaverit inter nos.

Verbum autem cùm caro factum eſt, non deſiit eſſe quod erat; neque enim omnia quibus contigit ut nova fiant, prorſus deſinunt eſſe, quod accidit aquæ cùm vinum fit, quæ non ampliùs aqua cenſeri poteſt. Etenim res nova fieri poteſt, vel per converſionem naturæ, vel per conjunctionem cum altera re ſine permixtione & confuſione. Verbum caro factum eſt, ſicut animæ & corporis unione fit homo. Pariter ex eo quòd Verbum dicitur caro factum, non poterat Apollinaris concludere, Jeſum non habuiſſe animam, ſed tantùm carnem hominis; ſcriptura enim plerumque à parte totum nominat; ut cùm dicit: *omnis anima quæ non circumciditur, occidatur*. Geneſ. 18, Ecce pro eo quod eſt omnis homo, dicit partem, ſcilicet animam. Et iterùm à carne nominat totum, ut quando dicit: *& videbit omnis caro ſalutare Dei*. Convincitur autem & Neſtorius ex hoc dicto Joannis: *& Verbum caro factum eſt*; quod idem valet ac: *Verbum factum eſt homo*. Inſuper cùm non dicat Evangeliſta: *Verbum caro apparuit*, omnes hæretici, qui veritatem carnis, ſive naturæ humanæ negant in Chriſto, convincuntur. *Verbum autem factum eſt quod ſumus nos, uti nos perficeret eſſe quod eſt ipſe*, inquit Irenæus. Sive *Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus*, ut loquitur Clemens Alexandrinus.

Verba illa: *Et habitavit in nobis*, multam efficaciam habent, & conveniunt propoſito Joannis qui patefaciendum ſuſceperat, quòd Verbum apud Deum ſubſiſtens in terras veniſſet. De quo ergo ut de Deo præſente loquendum illi erat. Expendamus verba Græca *ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*. verbum Græcum idem ſono & ſignificatu eſt cum Hebræo שכן *ſchachan*. Chaldæis autem *majeſtas* Dei præſens dicitur שכינא *ſchecchina*, nimirum quotiès ſe præſentem Deus teſtabatur Iſraelitis, apparebat in nube quam ut tabernaculum inhabitare videbatur. *σκηνὴ* Græcis eſt *tabernaculum*. præſentia autem majeſtatis divinæ dicebatur *gloria Dei*. Sic in Exodo, cap. 24. ℣. 16. *Et habitavit gloria Dei ſuper Sinai tegens illum nube*, & cap. 40. ℣. 32. *Operuit nubes Tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud*. Cùm itaque caro, quam aſſumpſerat Verbum Dei, eſſet veluti Tabernaculum, aut Templum, etenim ajebat Jeſus, *ſolvite Templum hoc*, loquens de ſuo corpore, tunc verè dicere potuit Evangeliſta, *Et vidimus gloriam ejus*, quod fuit complementum antiquorum vaticiniorum; ſic enim Zacharias, cap. 2. ℣. 10. *Lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus*. *κατασκηνώσω ἐν μέσῳ σου*. Ubi Chaldæus habet, *Ecce enim revelabor, & collocabo majeſtatem meam in medio tui, dicit Dominus*.

Non prætermittam quod circa vocem *ſchachan* obſervat Maimonides *more nevochim*, cap. 25. primæ partis. *Attribuitur*, inquit *creatori, ad exprimendam ſcilicet habitationem, vel commorationem majeſtatis & providentiæ ipſius in loco aliquo. Ubicumque enim majeſtatis & præſentiæ ſuæ ſigna collocavit, aut ubicumque habitare facit providentiam ſuam, ibi dicitur habitare.* Tunc verè fuit nobiſcum Deus. Ideo Jeſus dicendus *Emmanuel* quippe verus Deus, ut filius unigenitus Dei. Inde argumentum petit Theophylactus adverſus Eutychem. Quoniam dixerat Evangeliſta *Verbum caro factum eſt*, inquit Theophylactus, ut ne quis ſuſpicetur, quòd una natura facta ſit Chriſtus, ideo ſubdit: & habitavit in nobis, ut oſtendat duas naturas, noſtram ſcilicet ac Verbi. Nam ſicut alterius naturæ eſt tabernaculum, & alterius is qui inhabitat in eo: ita & Verbum in nobis habitare dicitur, hoc eſt in noſtra natura, & alterius eſt naturæ quàm ſit noſtra. Ergo & ſi unus ſit Chriſtus ſecundùm hypoſtaſim, ſive ſecundùm perſonam, ſecundùm naturas tamen duo; Deus videlicet & homo, ſicut anima & caro unus eſt homo.

Porro quod dicit Joannes; *& vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à patre*, ſapientia Dei hoc ſibi proprium ſumit: nempe ſe genitam à Deo & dilectam Deo; quod utrumque ſignat vox *μονογενής*. Illa quidem particula *ὡς, quaſi*, movere poſſet difficultatem; ſed advertendum non ſolùm ſimilitudinem ſed & veritatem ſignificare, ut multis exemplis probare poſſumus, ſic Num. cap. 11. ℣. 11. *ortum eſt murmur populi quaſi dolentium*, id eſt verè dolentium. Eſd. lib. 2. cap. 7. ℣. 2. *ipſe enim quaſi vir verax & timens Deum*. Id eſt verè talis, particula Græca *ὡς* reſpondet Hebrææ litteræ *caph* ſervili, ut loquuntur Hebræi Grammatici,

matici, nempe ſervit loco particulæ, illa autem litera *caph* ſæpè affirmanter uſurpatur de re, de qua minimè dubitari debeat; ſæpiùs notat ſimilitudinem, ita eo in loco particula Græca ὡς vel dicit Jeſum fuiſſe verè Dei unigenitum, vel proportionem deſignat inter perſonam unigeniti Filii Dei, & gloriam ipſi convenientem: *δόξα ὡς μονογενοῦς gloria quaſi unigeniti*, id eſt talis gloria, qualis perſonæ Filii Dei unigeniti quadrat.

Addit *Evangeliſta* quod cum ſuperioribus cohæret: *plenum gratiæ & veritatis*, prout nunc Græca exemplaria habent. *plenum*, πλήρης, eſt in nominativo, & referendum eſt ad Verbum λόγος, ita ut parentheſi includatur illud: *& vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti à patre.* Quidquid ſit, ſignificat Joannes, omnes gratias Dei à Verbo ſcaturire. Gratia eſt Dei, hoc eſt pleniſſimum munus & promiſſionum ejus veritas, ſive implementum. Lex Moyſis umbra erat vacua: Jeſus plenitudo eſt ejus, ipſa gratia, ipſa veritas, phraſis autem illa *gratia & veritas* videtur reſpondere phraſi חסד ואמת *cheſed vemeth*, duo illa nomina ſæpiùs conjunguntur, etiam cùm de hominibus fit ſermo, nec tantùm Dei, ſed eorum ſumma beneficia exprimuntur, *emeth* eſt *veritas*, nomen verò *cheſed* ſignificat *miſericordiam*, ſed quandoque redditur *veritas*. Cùm Jacobus, à Joſepho, ut ſe mortuum in terra Canaam ſepeliret poſtulabat, *fac mecum*, inquiebat, *gratiam & veritatem*. Gen. 47. ℣. 29. ſic Jud. 2. ℣. 14. Exploratores dicunt meretrici Rachab, *faciemus tecum gratiam & veritatem*. ſic 2. Samuelis, cap. 2. ℣. 6. *faciat vobiſcum Deus gratiam & veritatem*. gratia denotat favorem, veritas fidem in præſtandis beneficiis promiſſis. Beneficia Chriſti ſæpiùs experti erant Apoſtoli; ideo jure dicebat Joannes, vidimus eum plenum gratia & veritate, id eſt ſummè beneficum. Lex Chriſti plena eſt miſericordia & veritate, cùm Lex Moyſis dura & aſpera eſſet, & tota in typis.

Aves, lector, ſcire quibus machinis tam efficacia verba pro dogmate orthodoxo, in ſua partes conentur adducere heterodoxi. Præcavens Joannes ne Verbum crederetur Deus natura, inquit Socinus, ſubjungit, *& Verbum caro fuit*, hoc eſt merus & humilis homo. Verùm ſi illam opinionem de Verbo amotam volebat Joannes, cur ambiguitate orationis illam priùs ingerebat? Cur perinde ac de Baptiſta non dixit fuiſſe hominem deſtinatum à Deo hominibus reformandis? Si ex homine Deus factus erat, cur priùs Deum exhibuit, deinde factum hominem? Cur dum hominem eſſe declarabat, adhibuit genus ſermonis quo poterat ſignificari, hunc quem dixerat Deum, deinde factum fuiſſe hominem; nam ἐγένετο, nullo Sociniano diffitente ſonat idem ac *fuit* & *factum eſt*; ita ut ex circumſtantiis loci interpretandum ſit. Ibi quidem malunt dicere, *Et Verbum caro fuit*, quàm *Et Verbum caro factum eſt*; Sed cùm ambigua ſit illa locutio, an ambiguitate putabat Joannes ambiguitatem tolli poſſe? Volens dicere Verbum fuiſſe natura hominem, utitur voce quæ ſignificare poteſt eum factum hominem; & cùm dicit eum factum Deum, ut volunt, non vocem ἐγένετο, uſurpavit ſed ἦν *erat*, quæ ex ſe non dicit, *factus eſt Deus*, niſi ſumpta in alieno ſenſu.

Omnia præpoſtera ſunt in Joanne, ſive potiùs Socinus homo fuit præpoſterus, & prorſus ineptus, nam quid ineptum magis quàm cogitare Joannem ibi docere Chriſtianos, ne altiora ſentiant de Chriſto, nec putent natura Deum, dum de illo loquitur, ut de Deo præſente. Ei tribuit quæ Prophetæ & Iſraelitæ omnes dicebant de Deo, quoties majeſtatis ſuæ præſentiam teſtabatur ſignis viſibilibus. Non vacat exagitare omnes Socini ineptias. Si Ieſus non extabat antequam naſceretur ex Maria matre; & homo tantùm natus eſt, quid opus erat addere habitaſſe in nobis? ubi habitaret homo quàm inter homines? Si, inquam Ieſus ea ſola ratione Verbum eſt Dei, quia per illum nos compellavit Deus, cur nomine abſtinens quod Chriſti ſubſtantiam denotaret, uſurpavit quod indicabat rem ei accidentem, nimirum dignitatem. Scriptor, qui Socinianus eſſet ſimul & ſanus, ſi id fieri poſſet, ſimpliciter ſcripſiſſet: Ieſus caro fuit.

Spernenda objectio iſta eſt quorumdam Socini diſcipulorum, fruſtrà ſubjunctum à Ioanne *Verbum carnem factum*, ſi ſignificatum volebat illum qui natura Deus eſſet, factum hominem, cùm jam dixiſſet illum *in propria veniſſe*. Etenim illa orationis particula notabat quidem illum qui erat in principio apud patrem, veniſſe in mundum; ſed modum quo venerat, non exprimit Evangeliſta niſi cùm dicit, *& Verbum caro factum eſt*: ſcilicet veniſſe aſſumendo naturam hominis.

Ineptus magis eſt Schlitingius dum interpretans quid ſit, *habitavit in nobis*, dicit Ioannem uſum fuiſſe verbo ἐσκήνωσεν, quod propriè habitationem in tabernaculo ſignificat, quæ deſultoria eſt, & peregrinabunda; ut exprimeret Verbi perpetuam cum ſuis diſcipulis ex uno loco in alium peregrinationem. Huic interpretationi ſi congrua locutus eſſet Evangeliſta, non ſubjeciſſet, *Et vidimus gloriam ejus*; ſed potiùs opprobria ejus.

15. *Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat dicens: Hic erat quem dixi: qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat.* Quaſi dicat Evangeliſta, ille cui teſtimonium perhibuit, præcurſor, Verbum eſt caro factum. Clamabat, inquam, præcurſor de illo qui caro factus eſt: hic erat quem venturum dixi; neque enim paucis diebus ante baptiſmum Chriſti cœperat Baptiſta munus ſuum exercere, ut diximus in chronologicis; ideo ante plures menſes, & etiam ante ſpatium annuum præcurrens Chriſto,

diu

diu antequam ille adventaret, ſignificaverat adventum ejus. Et ideo ubi vidit eum ad ſe venientem, dixit quæ Evangeliſta ſubjicit verſu trigeſimo ſequenti: *Hic eſt de quo dixi: poſt me venit vir qui ante me factus eſt;* quæ Evangeliſta nunc occupat, ut ſignificet eum virum cui præcurſor teſtimonium perhibuit, ipſum eſſe Dei Verbum. Illud, *ante me factus eſt*, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, reddi poteſt, *ante me genitus eſt*, vel *anteceſſit me;* vel *ante me fuit;* ita intelligi poteſt de prioritate temporis; Jeſus enim quatenus Verbum Dei ab æterno eſt, vel prioritate dignitatis; *quia prior me erat*, ὅτι πρῶτός μου ἦν. Superiora confirmantur, ſcilicet verè Jeſum præſtantiorem fuiſſe, ut apud Matthæum dicit idem præcurſor, *qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt.*

Ortus Joannis ſex menſes præceſſit ortum Jeſu ex Maria. Dicunt ergo Sociniani Jeſum præextitiſſe Joanni in decreto Dei. Verùm & tunc temporis quo præcurſor loquebatur, & Chriſtus illi præſtabat, ideo decuiſſet eum dicere non *prior me erat*, ſed in præſenti, *prior me eſt*. Præterea illud ἔμπροσθέν μου γέγονεν, juxta vulgatum, *ante me factus eſt*, rectius forſan redderetur, *ante me fuit.* ἔμπροσθεν, reſpondet Hebræo לפני *lipene*, quod prioritatem temporis ſignificat, non præcellentem dignitatem, ut videre eſt in verſione Græca. Jud. cap. 1. ℣. 25. 3. Reg. cap. 3. ℣. 12. Gen. cap. 48. ℣. 20. ubi occurrit vox Græca ἔμπροσθεν.

16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia.* Verba illa ſunt Evangeliſtæ, quamquam nonnulli hæc tribuant præcurſori. Omnia bona veniunt à ſapientia. *Venerunt omnia bona pariter cum illa.* Id ipſa de ſe adſtruit ſapientia: *mecum ſunt divitiæ, opes ſuperbæ.* De ipſa plenitudine Chriſti ſupereffluunt ad nos bona. Gnoſtici inter res divinas agnoſcebant πλήρωμα, *plenitudinem*, quam dicebant eſſe ſpatium aliquod ſupercæleſte. Verum uſum hujuſce vocis πλήρωμα, nos docet Joannes, *gratiam pro gratia*, χάριν ἀντὶ χάριτος dictum puto, pro χάριν ἐπὶ χάριτι, id eſt gratiam ſuper gratiam, nempe gratiam cumulatam, ſicut apud Sirachidem, cap. 26. ℣. 19. dicitur *gratia ſuper gratiam*, χάρις ἐπὶ χάριτι: *mulier ſancta & pudorata*, hoc eſt gratia gratiſſima.

Cauſam adjungit Joannes indicans longè Chriſtum Moyſi præſtare. 17. *Quia lex per Moyſem data eſt*, Moyſis ſcilicet miniſterio, *gratia, & veritas per Jeſum facta eſt*, Deus per manus Moyſis dedit legem figuris & typis ſignificantem quæ eſſent conferenda à Chriſto; qui ideo ipſe veritas eſt rerum, ſive res ipſa cujus lex Moyſis erat typus. De veteri Teſtamento, inquit Theophylactus, dicitur, datum eſt per Moyſem: miniſter enim & ſubditus ille erat. De novo autem Teſtamento non dixit Evangeliſta, datum eſt, ſed factum eſt; ut oſtendat à Domino noſtro Jeſu Chriſto, velut Domino non ſervo, factam & ad finem peractam gratiam & veritatem.

18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit.* Quantum hoc ſuum Evangelium diſtaret ab hæreticorum commentis oſtendit Joannes. Neque enim alia proponit, quàm quæ ſibi patefeciſſet ipſa ſapientia, quæ in ſinu patris eſt, nempe apud Deum eſt, ducta metaphora à conviviis, in quibus, qui ſecundus eſt, recubat in ſinu prioris. Moyſes quidem dicitur facie ad faciem cum Deo locutum eſſe, cap. 33. Exodi, ſed cùm ille dixiſſet: *oſtende mihi faciem tuam ut ſciam te*, reſpondit Deus: *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet.* Ludit autem lectores ſuos Evangeliſta, ſi nobis non illudere conetur Socinus; verba enim ejus eum ſenſum præferunt, à ſe ea referri, quæ enarraverit filius Dei viſa & nota, ſicut ipſe de operibus Chriſti dicit Ep. 1. cap. 1. ℣. 1. *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ &c. quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis.* Juxta verò Socinum ſenſus verborum Joannis eſt, neminem ante Chriſtum noviſſe tam gratioſam mentem Dei futuram in Evangelio, quàm cùm Chriſtus ut Deo dilectiſſimus & familiaris amicus, revelavit ſuis Evangeliſtis. Quid hoc eſt, niſi vim afferre Evangelio? Satius fuiſſet Socino erroris accuſare Evangeliſtam; quàm ſic verba ejus contorquere ne videatur ſibi adverſari. Omnes veteris fœderis paginæ adverſantur huicce violentæ interpretationi, ubique propoſitum Dei de gratiis in Evangelio largiendis declarantes: noverant, inquam, prophetæ gratioſam mentem Dei; ſed nemo novit Deum Patrem niſi Filius, & cui voluerit filius revelare, ut ipſe Dominus dicit; cujus ſententiæ ſenſus certus & apertus eſt, quando conſtat Jeſum verè à Deo Patre genitum, ſive verè Deum eſſe. Nam ut Apoſtolus dicit. 1. Corint. cap. 2. ℣. 11. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei.* Pariter enim dicere poſſumus niſi Verbum Dei, ſapientia & ratio ejus; ut meritò dixerit Evangeliſta ſolum illud Verbum enarrare potuiſſe ea quæ Dei ſunt.

Digitized by Google

CAPUT II.

Joannes Zachariæ fuit ille Angelus qui paraturus erat viam Domini. Quæ fuerit vita ejus, & quo tempore cœperit miniſterium ſuum implere.

LUCAS, Cap. 3. ℣. 1—6.

† *Sabbato quat. temp. & Dom. 4. Adv.*

1 * 1 † ANno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha.

† *Act. 4. 6.*

2 * 2 † Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium, in deſerto.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 3. ℣. 1-4.	MARC. Cap. 1. ℣ 1-4 & 6	LUCAS.
3 *Mc.* Initium Evangelii Jeſu Chriſti Filii, Dei.		1 Initium Evangelii Jeſu Chriſti, Filii Dei.	
4. *Mt.* In diebus autem illis venit Joannes Baptiſta *L* in omnem regionem Jordanis, *Mt. L* prædicans *Mt.* in deſerto Judææ *Mc. L* baptiſmū pœnitētiæ in remiſſionem peccatorum.	1 In diebus autem illis venit Joannes Baptiſta, prædicans in deſerto Judææ,	2 *Sicut ſcriptum eſt &c. infrà.* 4. Fuit Joannes in deſerto baptizans. & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.	3 Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.
5 *Mt.* Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.	2 Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.	5. *Et egrediebatur &c. infrà,* cap. 3.	
† *Malach. 3. 1.* 6 *Mc.* Sicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: † Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.	3 Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem:	2. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.	4. Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ:
† *Iſa. 40. 3. Joan. 1. 23.* 7 *Mt. L* † Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.	Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.	3 Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. 4. *Fuit Joannes, &c. ſuprà.*	Vox clamantis in deſerto: Parate viam Dominini, rectas facite ſemitas ejus.
8. *L* Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas:			5 Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.
9 Et videbit omnis caro ſalutare Dei.			6 Et videbit omnis caro ſalutare Dei. §
10 *Mt.* Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſilveſtre.	4 Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſilveſtre,	6. Et erat Joannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locuſtas & mel ſilveſtre edebat. *Et prædicabat &c. infra, cap. 4.*	

AN.

℣ * 1. ANNO *autem quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituraæ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha*. Lucas, more prophetarum, deſcribit tempus quo Evangelium primùm cœpit promulgari nominatis omnibus, qui tum ullam terræ promiſſæ, ſive Iſraelis partem ſuo, aut alieno nomine obtinebant. Natus erat Dominus ſub Imperatore Auguſto; à cujus morte ad tempus quod Evangeliſta deſcribit, Tiberius imperaverat quindecim annos. Poſt deturbatum regno Judææ Archelaum magni Herodis filium hæc regio fuerat in provinciam Romanam redacta. Scilicet non ampliùs ſuis juris erat, ſed facta ſub alieno principatu regebatur à procuratore Imperatoris. Pilatus ergo tunc procurabat Judæam, nempe res Tiberii Cæſaris agebat in Judæa, in Græco fonte eſt ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου, quod interpres vulgatus ibi reddit *procurante Pontio Pilato*; alibi verò ἡγέμονα interpretatur *præſidem*. Latè patet illa vox; generaliter enim ſignificat principem, ducem, gubernatorem. Propтereà, forſan Latinus interpres legit in codice ſuo ἐπιτροπεύοντος, *procurante*, quod legitur in Alexandrino. Cùm autem terra Iſrael non ſolis limitibus Judææ contineretur, recenſet Lucas cæteros principes, quibus hujus terræ partes tunc ſubjacebant, antea omnes ſubditæ magno Herodi. etenim regnum ejus diviſum fuerat in filios. Galilææ Tetrarcha factus fuerat Herodes Antipas, Philippus Ituraæ, & Trachonitidis, quæ regio ad radices montis Libani eſt, ubi Cæſaræa quæ dicitur Philippi, non longè aberat Abilina, ubi urbs Abile. Hujus regionis Tetrarchia erat penes Lyſaniam obſcuri nominis virum. De hiſce Tetrarchiis diligentiùs diſſerimus in deſcriptione Judææ.

2 * 2. *Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha: factum eſt Verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto.* Quamquam ſub alieno principatu facta Judæa, ſuis tamen utebatur legibus, potiſſimùm in iis quæ ſpectabant religionem, cujus omne miniſterium erat penes ſacerdotes; quorum ſummus non ergo prætermittendus. Tunc ut diſcimus à Joſepho, Joſephus qui cognominabatur Caiphas, ſummus ſacerdos conſtitutus fuerat; procul dubio Caiphas Lucæ. Verùm hic Evangeliſta non unum, ſed duos ſummos Pontifices nominat Annam & Caipham; duos tamen non ungebant Judæi in ſummos Pontifices; nec duos ſimul præfuiſſe alibi legimus. Quomodo ergo Annas appellari potuit princeps ſacerdotum? 1. Alii dicunt non eos ſolos dictos principes ſacerdotum, qui ſummo ſacerdotio fungerentur, ſed & qui eo olim defuncti poſteà deſtituti erant, & exauctorati. Joſephus autem inter ſummos ſacerdotes recenſet Ananum, quem ſuffecerat remoto Jozaro Cyrenius, ſub quo deſcripta eſt Judæa poſt Archelaum ejectum. Ananus ille non alter videtur ab Anna Lucæ. Ætas convenit; ſocer enim fuit Caiphæ. Verùm cùm plerique eſſent ſummi ſacerdotes exauctorati, cur Annas potiùs quàm quicumque alius recenſitus eſt ab Evangeliſta? 2. Certum eſt ἀρχιερέας, id eſt principes ſacerdotum dictos, qui viginti quatuor ſacerdotalibus familiis præerant; ita multi erant viri principes inter ſacerdotes. Tum Joſephus, tum Evangeliſtæ nominant plurimos ſacerdotum principes. Cur verò ex pluribus principibus ſacerdotum unus Anna nominetur? 3. Sunt qui conjiciant Annam fuiſſe *Sagan*, hoc eſt antiſtitem & vicarium Caiphæ. Apud Jeremiam, c. 52. ℣. 24. nominatur Saraia ſacerdos primarius, & Stephanias ſacerdos ſecundus. Etenim quando Pontifex labem aliquam contraxerat, neceſſe erat, ut aliquis obiret vices ejus, ſed non videtur hujus antiſtitis munus fuiſſe diuturnum. Narrat Joſephus quomodo in die Expiationis per unicum diem Joſephus Ellemi filius electus ſit, qui pro Matthia munus ſummi ſacerdotis obiret. 4. Volunt alii Annam fuiſſe *Naſchi*, ſive principem Synedrii magni, quem non inferiorem faciunt ſummo ſacerdoti; unde & præpoſitus eſt à Luca Caiphæ; nec iſta conjectura placet omnibus; quia hujus nominis nullus invenitur princeps Synedrii. 5. Denique ſunt qui conjiciant rebus Judaicis perturbatis, atque confuſis duos ſimul fuiſſe ſummos Pontifices. Ita dignitate pontificali Anna & Caiphas ſimul inſignes officio fungebantur alternis; unde Joannes Evangeliſta notat Caipham fuiſſe Pontificem anni illius quo Chriſtus mortuus eſt, nimirum alternis vicibus ſacra munia obibant. Denique etiam ſi Annas non eſſet Pontifex, eam auctoritatem potuerat conſecutus eſſe, ut omnia nutu ejus gererentur. Sic licet Joacimus filius Ieſu ſummus Pontifex eſſet, Eſdras, ut loquitur Joſephus, lib. 11. Antiq. c. 5. dicebatur πρῶτος ἱερεὺς τοῦ λαοῦ, *primus ſacerdos populi*. Lector dijudicet quid ſit illi ſtatuendum.

Tunc *factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto*. hoc eſt Joannes Domino jubente munus ſuum præcurſoris iniit, ſic loquuntur ſcripturæ: *Factum eſt verbum Domini ad*, ſive ſuper *Ieremiam*, id eſt ſpiritus movit Ieremiam ut ageret prophetam. Verbum autem factum eſt ſuper Ioannem in deſerto, id eſt, ut quidam volunt, in pago non incolis frequenti; quaſi in deſerto degere nihil aliud ſit, quàm vitam ruri agere extra urbes. Verum etiamſi nomen Hebræum מדבר *midbar*, quod *deſertum* & *eremus* redditur, accipi poſſit quandoque pro pago, certum eſt ibi *deſertum* ſumendum pro ſolitudine, ſive pro loco inhabitabili. Iſaias enim qui Ioannem intuens, dicebat, *vox clamantis in deſerto*, intelligebat locum verè deſertum, ut & ipſe Dominus cùm de Ioanne loquebatur: *quid exiiſtis*

in deſertum ? arundinem vento agitatam ? hæc conveniunt loco verè deſerto. Joannes ut veſtitu, ita habitationis loco referebat Eliam qui deſertum petiit & in eo vixit. 4. Reg. cap. 19.

3. * 1. *Mc. Initium Evangelii Jeſu Chriſti Filii Dei.* Non eſt titulus libri, ſicuti nonnulli opinati ſunt. Marcus repetit initium Evangelii à prædicatione Joannis Præcurſoris, ſtatim ac Jeſus natus eſt, Angeli jam quidem Evangelium, ſive bonum nuntium nati ſervatoris dederant paſtoribus; ſed Evangelium regni cælorum non promulgatum cenſetur, niſi cum præcurſor cœpit illud palàm prædicare. Tunc initium Evangelii Jeſu Chriſti, ſive nuntium propalatum eſt de Jeſu Chriſto, nempe eum eſſe tamdiu expectatum Meſſiam.

4 * 1. *Mt. in diebus autem illis venit Joannes Baptiſta L. in omnem regionem Jordanis prædicans Mt. in deſerto Judææ* (deſertum Judææ vicinum erat Jordani) *Mc. L. baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* His ergo temporibus cùm verſaretur Joannes in deſerto, ubi latitans hactenus vixerat, cœpit prædicare, & hortari Judæos, ut reſipiſcentes à peccatis pararent ſe Meſſiæ excipiendo. Matthæus eo in loco, quod & alii Evangeliſtæ faciunt, continua narratione conjungit res longo temporis intervallo diſſitas, prædicationem Joannis cum reverſione pueri Jeſu ab Ægypto. *In diebus autem illis*, inquit. Non intelligendi ergo dies reverſionis ab Ægypto; ſed modus eſt loquendi indefinitus. Venit itaque Joannes ad ripas Jordanis proximas deſerto, prædicans baptiſmum pœnitentiæ; ſcilicet hortans Judæos, ut pœnitentes abluerent ſe ſordibus peccatorum, ne ob illa ſuccenſeret eis Dominus, cùm adventaſſet; quemadmodum cùm Deus deſcendit in Montem Sinai daturus veterem legem Iſraelitis, illi moniti à Moyſe ſanctificati ſunt, laverunt veſtimenta ſua, & ſuis uxoribus non appropinquaverunt. Exod. cap. 19. Diximus in chronologicis præcurſorem nactum eſſe occaſionem dierum, quibus ſolemne jejunium agerent Judæi. Tempus ergo pœnitentiæ indicendæ aptum prædicabat eo in loco, quo Jordanes tranſibatur ab iis qui ex tranſjordanica regione Jeroſolymam confluebant, vel inde revertebantur, ut infrà adſtruemus claro Joannis Evangeliſtæ teſtimonio. Quapropter licèt in deſerto loco eſſet præcurſor, occurrebat multis Judæis per quos fama ejus huc illuc diſſeminata eſt; quapropter plurimi ſtatim concurrebant ad baptiſmum ejus; qui baptiſmus non remittebat peccata, ſed illo admonebantur Judæi ut baptizati id eſt ablutis corporis ſordibus, pariter ſordes mentis purgarent ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ut adventus Domini non illis eſſet infauſtus.

5 * 2. *Mt. Et dicens: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.* Reſipiſcite, mentem mutate; appropinquavit enim regnum cælorum; nimirùm proximum eſt tempus Chriſti, à quo adveniente conſtituendum regnum cæleſte, cultu Dei reſtaurato, ſic dies Meſſiæ appellabantur regnum Dei, vel cælorum. Dicunt autem Evangeliſtæ regnum *cælorum* non *cæli* quia hebraizant. cælum dicitur ab Hebræis *ſchamaim* plurale nomen. Veterem legem accepturi Judæi juſſi ſunt veſtimenta lavare, ut diximus; novam accepturi jubentur animas purgare.

6 * 2. *Mc. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum*, quæ verba ſunt Malachiæ; cap. 3. ✠. 1. ideo probanda magis videtur lectio fontis, in fonte *ἐν τοῖς προφήταις, in prophetis.* Teſtimonium enim Marcus pariter ſubjungit ex Iſaia. Syrus & Arabs legerunt cum vulgato *in Iſaia propheta*, nos autem, inquit Hieronymus, nomen Iſaiæ putamus additum ſcriptorum vitio, quod & in aliis locis probare poſſumus: aut certe de diverſis teſtimoniis ſcripturarum unum corpus effectum. Rem expendamus. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Intererat demonſtrare omnes de Chriſto venturo prophetias in Jeſu Nazareno completas fuiſſe. Vaticinium celebre erat Malachiæ & Iſaiæ mittendum à Deo qui pararet vias Chriſti; ideo Joannem Zachariæ filium fuiſſe hunc præmittendum Angelum, Evangeliſtæ declarant, ut teſtimonio quod perhibuerat, conſtaret Jeſum verè fuiſſe Chriſtum Dei. Verbis autem illis, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Malachias Deum ſummum loquentem inducit. Cùm igitur Joannes præparaverit vias Chriſti, Chriſtus ipſe verè ſummus Deus eſt qui Joannem miſerit ante faciem ſuam. Quæ ſequuntur in Malachia, Chriſtum certò reſpiciunt & probant ſummum eſſe Deum; neque enim alterius quàm ſummi Dei Templum Hieroſolimytanum erat. *Et ſtatim veniet ad Templum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis.* Terribilem adventum Meſſiæ ſignificat Malachias: *& quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.* Meritò ergo admonebat Judæos præcurſor, ut pœnitentiam agerent, quoniam appropinquaret regnum cælorum, id eſt Chriſtus.

7 * 3. *Mt. Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Mt. L. Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Hæc ſunt Iſaiæ, cap. 40. ✠. 3. ideò Matthæus & Lucas non alium nominant prophetam; verba autem ejus allegant juxta verſionem Græcam. In fonte, *parate viam Jehovæ* (ſummi Dei) *rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Ergo Chriſtus Deus noſter. Ille autem ſermo Iſaiæ proximè ſpectabat liberationem Babylonicæ ſervitutis, quæ typus erat illius, qua ſub peccato Judæi degentes liberandi erant per Chriſtum.

Sci-

Scilicet Joannes ille erat de quo Iſaias dixerat : *vox clamans*, vel vox alicujus clamantis *in deſerto audietur*, qui fungetur viri munitoris officio, qui præmittitur ad vias parandas. Verba illa rebus per typum ſignificatis magis congruunt, quàm ipſi typo. Nam in deſerto Joannes prædicavit verè adventurum Dominum & verè paravit ſemitas Dei; cùm ille qui liberationem Babylonicæ ſervitutis proximam nuntiaverat, paraſſet tantùm vias coram cœtu Dei, ut Chaldæi paraphraſtæ interpretantur Iſaiam.

8 ✻ 5. *L. Omnis vallis implebitur : & omnes mons, & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas.* Sic Iſaias deſcribit munitoris officium ſatagentis in adventu principis, ut itineri ejus nullum impedimentum obſtet, ut impleantur loca depreſſiora, foveæ, lacunæ, valles; complanentur exſtantia, quò planum ſit iter; & obliqua, ſive curva viarum fiant recta, & viæ aſperæ, ſenticoſæ, petricoſæ ſint planæ, quo in typo quidem ſignificat Iſaias Deum, per potentiam amoturum omnia impedimenta, & populo ſuo ſic paraturum viam, qua è Babylone in Judæam liber à ſervitute hoſtili redeat. Myſticè verò declarat animos hominum præparandos ut obſequantur regi Meſſiæ, antequam veniat ad liberandum populum Judaicum.

9 ✻ 6. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Lucas contrahit verba illa Iſaiæ : *Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro, pariter quod os Domini locutum eſt.* In verſione Græca, *Et videbit omnis caro*, id eſt omnis homo, *ſalutare Dei*, *σωτήριον*, id eſt ſalutem, *quia Dominus locutus eſt.* Hoc non contigiſſet ex vaticinio prophetæ, niſi Jeſus verè ſit Deus, cujus divinitas ſub carnis nube latebat; ideò, quod jam præmonitum eſt, cùm in terris natus eſt, verè revelata eſt gloria Dei, id eſt apparuit Deus. Sic de Deo loquebantur, quoties ſe præſentem teſtaretur : *Apparuit gloria Dei*, id eſt Deus apparuit. Quando venit Jeſus, tunc omnis homo vidit, quòd os Domini locutum fuerat; Chriſtum enim ſpectabant omnia, quæ in Moyſe & Prophetis ſcripta ſunt.

10 ✻ 4. *Mt. Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos : eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtre.* Vitam Joannis paucis deſcribunt Evangeliſtæ, ut quantùm fide dignos eſſet, oſtenderent; quippe qui vivendi genere auſtero antiquos prophetas referret. Habebat veſtimentum de pilis camelorum, pellem cameli pro veſtimento, ut putant qui Joannem exuvio cameli onerant. Potior eſt eorum ſententia, qui illum induunt panno è rudioribus pilis cameli, qualis eſt ſaccus qui in Apocalypſi, cap. 6. ℣. 12. dicitur cilicinus *τρίχινος*, hoc eſt *piloſus* : quale cilicium factum *ἀπὸ τριχῶν καμήλου*, *de pilis camelis*, quo apud Hebræos in luctu mos erat veſtiri. Nazaræi & Prophetæ hirta toga, ſive cilicio ſimiliter induebantur, cùm ad pœnitentiam populum vocarent. Elias 4. Reg. cap. 1. ℣. 8. appellatur *vir piloſus*, qui zona pellicea cinctus eſſet, quem ergo Joannes perfecta imagine referret, habebat enim, *Et zonam pelliceam circa lumbos ſuos*, nimirum ſaccus ejus qui laxior erat, neque multa arte corpori ejus adaptatum fuerat, zona pellicea ſubſtringebatur ne diffluerer.

Victus conveniebat veſtimento. *Eſca autem ejus locuſtæ*, *ἀκρίδες*, hanc vocem Græcam alii accipiunt pro arborum, vel herbarum ſummitatibus : alii pro herbæ genere. Strabo de Brachmanis ſcribit eos vitam in ſylvis aluiſſe, folia & fructus agreſtes comedentes. Plurimi volunt has locuſtas nec herbas, nec herbarum ſummitates fuiſſe, ſed veras locuſtas; neque enim omne locuſtarum, quæ animalia ſunt, genus Judæis interdicebatur, ut videre eſt in Levitico, cap. 11. ℣. 22. Talmudiſtæ diſtinguunt inter locuſtas, alias mundas, alias immundas. Orientalibus, & Lybiæ populis, inquit B. Hieronymus, lib. 2. cap. 6. in Jovin. quia per deſertum & eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Bochartus, lib. 4. de animalibus ſacris, cap. 7. rem multis teſtimoniis confirmat. Omnium inſtar ſint illa verba Plinii, lib. 6. cap. 30. pars quædam Æthiopum locuſtis tantùm vivit, fumo & ſale duratis in annua alimenta. Itaque quòd locuſtas edebat Joannes, novum non fuit, nec inauditum; ſed hoc in illo fuit ſingulare, quòd non niſi parabili & vili cibo uteretur, locuſtis fortè oblatis & melle agreſti; quod alii habent pro rore concreto qui ex arboribus defluit, non diſſimilis mannæ quæ vocatur *mel aereum*, apes autem mel etiam conficiunt in nudo ſolo, vel in cavis arborum, vel in fiſſuris rupium; quod in ſcriptura appellatur *mel è petra*; unde 1. Reg. cap. 14. ℣. 25. populus veniens in ſylvam dicitur reperiſſe mel in agri ſuperficie. Huc tendit deſcriptio Joannis eum uſum fuiſſe vili & parabili cibo, de quo timendi non erat locus ne communis eſſet, id eſt contaminatus. Ita exhiberetur ut perfectus Nazaræus, qui abſtineret omni re qua poſſet pollui. Non alienum erit ab hoc loco id quod ſcribit Joſephus in libro de vita ſua, de quodam Bano, quem in deſerto viventem ſectatus fuerat. *Cum audiſſem*, inquit, *quemdam Banum in ſolitudine vivere, amictum ſibi parantem ex arboribus, & ſponte provenientibus alimentis utentem, crebriſque nocte ac die lavacris frigidis ad caſtitatem tuendam, cœpi ejus inſtitutum imitari : exactiſque in ejus contubernio tribus annis, poſtquam concupitis ſatis potitus ſum, in urbem redii.* Viri ergo doctrina & virtute præſtantes quandoque ſolebant deſerta petere, quò puriores viverent; nec ideo minus fama ſua plures in ipſa deſerta adducebant ad ſe diſcipulos.

CAPUT III.

Omnis Jeroſolyma & omnis Judæa exeunt ad Joannem; ut ab eo baptizentur : confitentur peccata ſua ; ipſe verò quemque monitis inſtruit,

HARMONIA.	MATTH. Cap. 3. ℣. 5-10.	MARC. Cap. 1. ℣. 5.
1. *Mc.* ET egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi, *Mt.* & omnis regio circa Jordanem:	5. Tunc exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem:	5 Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi,
2. Et baptizabantur ab eo in Jordanem, *Mt.* confitentes peccata ſua.	6 Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua.	& baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata ſua. 6 *Et erat &c. ſuprà,* cap. 2.
		LUCAS. Cap. 3. ℣. 7-14.
3 *Mt.* Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum, venientes ad baptiſmum ſuum dixit eis : Progenies viperarum, quis demonſtravit *Mt. L* vobis fugere † à ventura ira?	7 Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum, venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira?	7 Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?
4 *Mt.* Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.	8 Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.	8 Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.
5 Et ne velitis dicere intra vos : *Mt. L* † Patrem habemus Abraham: *Mt. L* Dico enim vobis, *Mt.* quoniam *Mt. L* potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.	9 Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.	& ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.
6 Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, *Mt.* quæ non facit *Mt. L* fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.	10 Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.	9. Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

† Rom. 5. 9. 1. Theſ. 1. 10.

† Joan. 8. 39. Act. 13. 26.

LUCAS.

† Act. 2. 37.
† Iac. 2. 15. 1. Joan. 3. 17. & 4. 20.

7* 10 Et interrogabant eum turbæ, dicentes : † Quid ergo faciemus?

8* 11 Reſpondens autem dicebat illis : † Qui habet duas tunicas, det non habenti : & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.

9* 12 Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum : Magiſter, quid faciemus?

10* 13 At ille dixit ad eos : Nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.

11* 14 Interrogabant autem eum & milites, dicentes : Quid faciemus & nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis : & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.

1* 5. *Mc.* ET *egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ univerſi, Mt. Et omnis regio circa Iordanem.* Ubi Ioannis fama Iudæam pervaſit, omnes ad eum confluebant ex urbibus & vicis, præſertim ex regione quæ eſſet περίχωρος id eſt finitima Jordani, ubi primum vox

vox ejus perſonuerat. 2 * 6. *Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* Nimirum toto corpore in aquis Iordanis immerſos abluebat Ioannes, ore confitentes peccata ſua quorum conſcii erant, non ſolùm in genere, ſed ſpecialiter, ut intelligere eſt ex verbo Græco ἐξομολογούμενοι; quod uſurpatur in actis, cap. 19. ℣. 18. de Chriſtianis qui conſcios ſe agnoſcebant horum malorum actuum quos damnaverat Paulus. *Multique credentium veniebant ἐξομολογούμενοι confitentes & annuntiantes, πράξεις, actus ſuos.* Similia faciebant illi Iudæi qui adibant Ioannem; actus ſuos id eſt pravè facta confitebantur. Sed unde ſe aquis tingendos præbebant; & quod illud erat Baptiſtæ munus, & unde tantus ad Baptiſtam concurſus, cum peccatorum confeſſione quærere decet. Hebræis, præcipiebat lex, ut nullum pium & Sanctum opus aggrederentur niſi baptizati, ſive abluti à ſordibus ſuis. Proſelytum id eſt advenam non admittebant in conſortium religionis, quem non priùs abluiſſent, ut ex hoc baptiſmo, ſeu lavacro diſceret, omnes ſordes ab animo abſtergendas, Etiam neceſſe erat ut à peccatis reſipiſceret, & profiteretur novam vitam, novos promitteret mores. Iſta autem profeſſio & ſponſio fiebat ſub manu ejus qui baptizabat, ſemper dignior baptizato. De hiſce ritibus infrà iterum agemus; quos legere eſt in tractatu Maimonidis de proſelyto. Cùm igitur Ioannes magnam ſui opinionem excitaſſet, & conciliaviſſet ſibi fidem vitæ ſuæ auſteritate; qui eum prædicantem audiebant, ſive ab eo diſcebant inſtare regnum cælorum, ut huicce regno apti fierent, ſub manu ejus baptizabantur, & ſpondebant novos mores. Sine orali autem confeſſione peccata haud piari poſſe certò tenebant Iudæi, ut aſtruit Maimonides in tractatu Theſchubbah, ſive de pœnitentia, cap. 1. *præcepta legis* inquit, *ſive præceptiva, ſive prohibitiva, quicumque tranſgreſſus fuerit, ſive errans, ſive præſumens, cum pœnitentiam agit, ac à peccato ſuo revertitur, confeſſionem edere tenetur. Quicumque oblationem pro peccato attulerit, vel ex ignorantia commiſſo, vel ex præſumptione, expiatum per oblationem non habet peccatum, uſque dum oralem edas confeſſionem.* Videre eſt in ſacrificiis pro peccato, eum qui offerebat victimam, huic manus impoſuiſſe, ſimul & confeſſum peccata ſua, & in ſpecie illud, in cujus piaculum hoſtiam cædebat. Adibant ergo pii Iudęi Ioannem, ut ab eo baptizati, profiterentur novum vitę genus dignum regno cęlorum.

3 * 7. *Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtravit* Mt. L. *vobis fugere à ventura ira?* Noverat Ioannes quos pium conſilium ad ſe adduceret, quoſve religio ficta. Introſpiciebat animos Phariſęorum & Sadducęorum, qui ideò eum tantùm conveniebant, ne morum diſſimilitudine offenderent populos, hos ergo pro meritis excipit, vocans progeniem viperarum. Hoc ad omnes turbas dictum narrar Lucas; ſolis autem convenit Phariſeis & Sadducęis, quos ergo turbarum nomine Evangeliſta complectitur. Sępè ſępiùs de Phariſęis & Sadducęis mentio fiet in Evangelio. Hic autem paucis dicam, hereſes, ſive ſectas inter Iudęos ortas eſſe circa Macchabeorum tempora, quando florentibus Scribis (ſic viri literati appellabantur, quorum collegium fertur exordium ſumpſiſſe ab Eſdra) alii Scribarum hanc, alii alteram opinionem ſectati ſunt, & ſic diviſi in ſectas, hique Phariſęi, hi Sadducęi fuere dicti. Unde primi nomen acceperint, non convenit inter peritos, ſunt qui illud derivent à verbo פרש *paras*, hoc eſt *interpretari*, quaſi homines hujuſce ſectę, qui in interpretanda lege peritiores viderentur, Phariſęi dicti ſint. Legis interpretes Hebręi ſua lingua vocant *paruſchim*, ſive *peraſchim*. De Phariſęis ſcribens Ioſephus, lib. 1. de bello, cap. 4. dicit eos reliquis Iudęis ſanctiùs vixiſſe, & legem interpretatos accuratiùs. Alii ſic dictos volunt ab eodem verbo פרש ea ſignificatione, qua ſignificat *ſeparare, dividere.* Etenim proprio vitę inſtituto ſeparabantur à plebe. Pręter pręcepta legis, alia multa obſervabant; ideo videbantur ſanctiores; quippe ita addicti legi obſervandę, ut etiam quę non pręciperet, facerent ne deeſſent alicui pręcepto. Oppoſiti erant Phariſęis Sadducęi. Aſpernabantur Patrum traditiones, quarum tenaces erant Phariſęi, negabant reſurrectionem, nullum eſſe ſpiritum credebant, nulla pręmia bonis ſperanda poſt mortem, nec ſupplicia malis timenda. Ita ſpe mercedis temporaneę legibus Moſaicis parebant aut potiùs cultum hunc parùm Deo dignum reputantes, qui exhiberetur illi ſpe cujuſcumque pręmii, hęc ſecta nomen habuit à quodam Sadoc.

Phariſęos ergo & Sadducęos qui bona mente non veniebant ad baptiſmum, ſuo nomine Ioannes appellavit; *progeniem viperarum*, id eſt malorum Patrum malos filios. Forſan alludebat ad ſerpentem Geneſeos, hoc eſt ad diabolum, cujus ſe oſtendebant filios, dum ejus regnum ſtatuebant adverſus Deum, eodem ſenſu, quo dicebat ad eos Ieſus, *vos ex patre diabolo eſtis.* Aut eos dicit progenies viperarum propter dentes malignos; ſive propter letiferas criminationes. *Quis demonſtravit vobis*, id eſt vos ſubmonuit fugere à ventura ira, ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς, à futura, ſive imminenti ira, nempe Chriſti ad vos illicò adventuri, tum & Romanorum, per quos Ieruſalem delebitur.

4 * 8. *Mt. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Hos tamen Phariſęos & Sadducęos hortatus Baptiſta ut faciant fructum dignum pœnitentię, ſive ut Gręcus codex habet *fructus dignos.* Ibi genitivus caſus pro ablativo, *pœnitentiæ* pro *pœnitentia*, ſic interpres Latinus ſępiùs gręcizat;

La-

Latinè enim *dignus* jungitur cum ablativo caſu, ut *ἄξιος* cum genitivo. Dignus fructus pœnitentiæ ille eſt, qui convenit pœnitentiæ. Quaſi dicat Joannes ferte tales fructus pœnitentiæ, unde conſtare poſſit vos verè reſipiſcere. 5 * 9. *Et ne velitis dicere intra vos: Mt. L patrem habemus Abraham: dico enim vobis. Mt. potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Filios reputari diaboli malè habebant Phariſæi, qui ſe venditabant filios Abrahæ, & eo nomine credebant non poſſe à Deo repudiari. *Abraham,* inquiunt Judæi in Talmud, *ſedet juxta portans inferni, & non permittit ullum iniquum Iſraelitam deſcendere ad infernum.* Occupat eos præcurſor ſubjiciens, *μὴ δόξητε*, id eſt, ne videamini dicere, vel ne puretis vobis hoc eſſe dicendum: ſive ne ſitis hac opinione (hæc enim omnia ſignificat verbum Græcum) Iſraelitas rejici non poſſe, & ad vos pertinere regnum Chriſti, quaſi vos ſoli legitima proles, cui illud debeatur. Deus enim poteſt etiam *de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, *τῷ Ἀβραάμ*. articulus Græcus indicat *Abrahæ* dativi caſus eſſe. Senſus eſt: & ſi vos, qui ſecundùm carnem eſtis filii Abrahæ repellat Deus, non ideo Abrahæ deficiet hęres. Attendenda ſignificatio Verbi *ſuſcitare*. Qui mortui fratris ducebat viduam, dicebatur *ſuſcitare ſemen fratri*, cùm ſuſcipiebat ex illo conjugio prolem; illa enim cenſebatur ſemen, ſive hęres mortui. Reipſa ſuſcitavit Deus ſemen Abrahæ ex lapidibus, cùm gentes efferas, & cantibus ſimiles ſuffecit in locum Judæorum, ut eſſent veri filii Abrahæ, hęredes promiſſionum. Etenim, ut inquit Paulus Romanus ſcribens, cap. 9. ℣. 7. *neque qui ſunt Abrahæ omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Id eſt, non qui filii carnis, hi Filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Nimirùm ut Iſmael non fuit hæres Abrahæ quamquam de ſanguine ejus; ita nec pertinget hæreditas hujus Patriarchæ ad omnes qui ſunt de carne ejus. Ut, inquam, de nomine prioris mariti appellabatur proles, quæ huic à fratre ſuperſtite ſuſcitabatur, ſic filii Abrahæ reputari poteſt ſoboles illa quam Eccleſia ſuſcepit ex gentibus. Dum hæc Joannes diceret, volunt indicatas rupes vicinas, aut illos lapides, quos in alveo Jordanis poſuerat Joſue, eo enim in loco baptizabat ſicut Joſue in terram promiſſionis, ita in regnum cælorum deducens, Dici etiam poteſt alluſionem factam à Joanne ad effœtum corpus Abrahæ in ea ætate qua ſuſcepit Iſaac filium, quod apud Iſaiam lapidi comparatur, cap. 51. ℣. 1. *Attendite ad petram unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum.*

6 * 10. *Mt. 9. L Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis ergo arbor Mt. quæ non facit Mt. L fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* In fonte *excidítur* & *mittitur*. Hactenùs, inquit præcurſor, patientia Dei pertulit infœcundas arbores; nunc autem fructus eis faciendi, aut excidendæ. Hiſce enim diebus ſecuris poſita eſt ad radicem arborum. Quamdiù ſpes eſt remedii, ſtercoratione, aut putatione ſubvenitur arborum vitiis. Cæterùm ultimæ deſperationis indicium eſt, quoties ſecuris admovetur radici; quod contigit, cùm gens Judæorum exciſa eſt; ſcilicet illi diſſipati ſunt, everſis Hieroſolymis cum Templo.

7 * 10. *L Et interrogabant eum turbæ dicentes: quid ergo faciemus?* Similia dicebant Judæi quos Petrus in Actis, cap. 2. ℣. 37. arguebat damnaſſe iniqua morte Jeſum. *Compuncti ſunt corde; & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: quid faciemus viri fratres?* Nimirùm ut avertamus iram Dei.

8 * 11. *Reſpondens autem dicebat illis: qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Breviter reſpondet conſilium quærentibus, in primis exercendam eſſe charitatem, quam paucis verbis, ſed efficacibus deſcribit. Speciem autem unam charitatis ponit pro toto genere, id eſt pro omni officio, quo conſtat maximè Deum placari juxta illud Danielis, cap. 4. ℣. 24. ad Nabuchodonoſor: *peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Miſericordiæ autem hæc ſervatur menſura, ut non ſibi unuſquiſque totum eripiat, ſed quod habet pauperibus, partiatur *μεταδότω*, id eſt participem faciat. Id unum ſignificare videtur Joannes, benignos eſſe oportere in pauperes: duplex enim veſtimentum habuiſſe Petrum colligimus ex loco Actuum, cap. 12. ℣. 8. ſicut & Paulum ex 2. ep. ad Timoth. cap. 4. ℣. 13. ut qui unum habeat, ſecundum deponere non teneatur.

9 * 12. *Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus?* Publicani publica vectigalia redimebant, & cogebant: eo nomine infames Judæis, quòd complurium animos opinio invaſiſſet ſoli Deo vectigalia deberi, & illicitum eſſe illa pendere principi gentili, Romano ſcilicet.

10 * 13. *At ille dixit ad eos: nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.* *πράσσετε*, id eſt *exigatis*. Hanc ſignificationem habet verbum Græcum à quo *πράκτορες*, *exactores*. Græci dicunt, inquit Ageſlius, lib. 15. cap. 14. *ἐξεπράξατό με ἀργύριον*, *exegit me pecuniam*, ſed & ipſe vulgatus interpres *πράκτορα* reddidit *exactorem*. Luc. cap. 12. ℣. 58; ſimiliter, cap. 19. ℣. 23. Illud *σὺν τόκῳ ἔπραξα αὐτό*, interpretatur *cum uſuris utique exegiſſem illam*. Solent publicorum vectigalium redemptores extorquere à plebecula, non quantum princeps juſſerit, ſed quantum omninò poſſint. Multa illicitarum exactionum nomina inveniunt. *Honeſta planè publicanorum interrogatio, at ſancti Prophetæ juſta reſponſio.* Ait

B. Au-

B. Auguſtinus, Serm. 19. lib. de Verb. Dom. *illi enim ſollicitè interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo in peccatum incidant, aut ceſſantes publicam decipiant functionem. Hic autem moderatè præcipit, ut & iniquitas locum non habeat, & conſtitutum habeat vectigal effectum, non enim dixit, nihil exigatis, ſed nihil ampliùs exigatis, unde intelligimus, quòd apud Deum non tam exactio quàm exactio iniqua damnetur; dicit enim ipſe Dominus: reddite quæ Dei ſunt Deo, & quæ Cæſaris Cæſari. Igitur quod Cæſar præcipit, ferendum eſt, quod imperator indicit, tolerandum eſt, ſed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat.*

11 * 14. *Interrogabant autem eum & milites dicentes: quid faciemus, & nos? & ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Ut publicanis non interdixerat Joannes publicorum redemptionem, modò non ultra conſtitutum exigerent; nec milites avocat a militia, modò neminem concuterent, nempe ne terrore injecto, pecuniam, aut quid ſimile extorquerent; neque calumniam facerent; falſis accuſationibus, delationibuſque circumvenirent, vel potiùs vi illata quemque opprimerent. Verbo συκοφάντειν, quo ibi Evangeliſta utitur, reddunt ſæpiùs Græci interpretes verbum Hebræum עשק quod ſignificat vi aperta prædari, eripere, fraude abalienare, quod familiare eſt militibus. Hos, inquam, Joannes admonet contentos eſſe debere ὀψωνίοις, nempe cibariis & pecunia quæ pro ſtipendio illis dabatur. Milites illi vel Herodi, vel Philippo, vel etiam Romanis militabant; ſub his enim etiam Judæi ſtipendia merebant in præſidiis ſalva religione. Docet ergo præcurſor neminem à regno Dei excludi, cujuſve conditionis ſit, modò piè vivat. *Cunctis igitur officiis, ſacris literis præſcribitur norma vivendi.* Verba ſunt B. Auguſtini ex Sermone modo allegato: *Omnis ad benè vivendum provocatur ſexus, ætas & dignitas. Igitur nemo ſe excuſet publicis actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Chriſtianum prima honeſtatis debet eſſe militia.* Ibi Auguſtinus arguit eos qui peccata ſua conferunt in vitæ ſuæ conditionem. *Quid habebam facere, inquiunt, homo ſæcularis, aut miles? num quid monachum ſum profeſſus, aut clericum? Quaſi omni qui clericus non eſt, aut monachus poſſit licere quod non licet.*

Cui ignoti eſſent Phariſæorum mores, miraretur ſanè tam duris verbis perſtringi ab illo qui benignus erat erga milites & publicanos; illi enim non carebant vitiis, cùm Phariſæi viri eſſent religioſi. Nimirum intuebatur eos introrſum turpes, pelle decora ſpecioſos. Etenim Phariſæi Dei cultum promovebant, cùm inde ad illos rediret privata utilitas; verùm habebant hoſtium loco quotquot non obſequerentur eorum ſtudiis, hos fictis criminibus terrere, ſpargere in vulgus rumores ambiguos noverant, & exercere ſimultates dum videbantur ſervire Deo, piis ergo non aliud hominum genus magis infeſtum. Phariſæos urebat Joannes laudatus à bonis; quem cùm non vidiſſent ad pedes ſuos ſubditum diſcipulum, nec ſectatus eſſet eos, adverſarium putabant, aut ſaltem diſpendio ſuæ, famam ejus creſcere, igitur ſubdola pietate, non depoſituri ſordes ibant ad baptiſmum Joannis, ſed inquiſituri in vitam ejus; ſi fortè criminandi occaſionem nanciſcerentur; neque enim baptiſmo ejus baptizati ſunt, ut dicit Lucas, cap. 7. ℣. 30.

CAPUT IV.

Joannes declarat ſe Chriſtum non eſſe, ut exiſtimabat populus; ſed Chriſto multùm ſe inferiorem, quamquam ille poſt eum venturus eſſet.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 3. ℣. 11. & 12.	MARC. Cap. 1. ℣. ...7 & 8.	LUCAS Cap. 3. ℣. 15-20.	
1 *L* EXiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus:			15 Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus:	
2 Reſpondit Joannes, *Mc.* & prædicabat, *Mc. L* dicens *L* omnibus:		6 ..... & prædicabat, dicens;	16 Reſpondit Joannes, dicens omnibus:	
3 *Mt.* Ego quidem † baptizo vos in aqua in pœnitentiam:	11 Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui au-		Ego quidem aqua baptizo vos:	† *Joan.* 1, 26. *Act.* 1. 5. & 2. 4. & 11. 16. & 19. 4. *Iſa.* 44. 3. *Ioel.* 2, 28

qui

HARMONIA.	MATTH. Cap. 3. ỷ. 11. & 12.	MARC. Cap. 1. ỷ. . . 6 & 8.	LUCAS Cap. 3. ỷ. 15-20.
qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt,	tem poſt me venturus eſt, fortior me eſt,	7 Venit fortior me poſt me:	veniet autem fortior me,
4 *Mt. L* Cujus non ſum dignus *Mt.* calceamenta portare:	cujus non ſum dignus calceamenta portare:	cujus non ſum dignus	cujus non ſum dignus
Mc. procumbens *Mc. L* ſolvere corrigiam calceamentorũ ejus.		procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.	ſolvere corrigiam calceamentorum ejus:
5 *Mc.* Ego baptizavi vos aqua, ille verò *Mc. L* vos baptizabit in Spiritu ſancto, *Mt. L* & igni.	ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.	8 Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto.	ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.
6 Cujus ventilabrum in manu *Mt.* ſua: & permundabit *Mt. L* aream ſuam: & congregabit triticum *Mt.* ſuum *Mt. L* in horreũ *L* ſuũ; *Mt. L* paleas autẽ comburet igni inextinguibili.	12 Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam: & congregabit triticũ ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.		17 Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

L U C A S.

7 * 18 Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.

† Matth. 14. 4. Marc. 6. 17. 8 * 19 † Herodes autem Tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes,

9 * 20 Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcere.

Cum tantam vitæ ſanctimoniam in Joanne animadverterent Judæi, ſubiit animos eorum cogitatio num ipſe eſſet Chriſtus, quem expectabant.

1 * 15. *L Exiſtimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus*, προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ. Expectante autem populo rei eventum; quo ſcilicet evaſurus eſſet Joannes, an ſe tandem Meſſiam profiteretur; aut quid aliud de ipſo conſtituturus eſſet Deus. Videtur Latinus interpres legiſſe προσδοκοῦντος à προσδοκέω, *puto, cenſeo*, nam προσδοκῶντος venit a προσδοκάω, *expecto, ſpero*. Dum, inquam, in Joannem intuerentur Judæi, & reputarent quæ ab eo fierent, & dicerentur.

2 * 16. *Reſpondit Joannes Mc. & prædicabat Mc. L dicens L omnibus*. 3 * 11. *Mt. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, vos præparo abluens aqua, & admonens ut reſipiſcatis. Quod autem dicit Matthæus *in aqua*, idem eſt ac *aqua*. Præpoſitionem addit ex Hebræorum idiotiſmo, apud quos ſcilicet ב *beth* præpoſitio, cauſarum omne genus declarat. Ideò Lucas qui minus videtur hebraizare præpoſitionem omiſit. Nullus ergo in hac particula vim aliquam ſubeſſe putet; quod ii videntur ſibi perſuaſiſſe, qui pueros non putant ritè baptizatos etiam ſi aqua baptizentur, niſi baptizentur in aqua, hoc eſt niſi prorſus immergantur.

Qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt. Participium ἐρχόμενος anceps eſt; etenim poteſt reddi tum *venturus eſt*, tum *venit*, qui paulò poſt me munus ſuum auſpicabitur, inquit Joannes, *fortior me eſt*, ſive dignitate major eſt. Ex Iſaia Chriſtus appellandus erat Deus fortis. 4 * *Mt. L Cujus non ſum dignus Mt. calceamenta portare: Mc. procumbens Mt. L ſolvere corrigiam calceamentorum ejus*. Scilicet tantæ eſt ſupra me dignitatis, ut etiam illi vile miniſterium exhibere non ſim ἱκανός, *ſufficiens*, calceorum ejus curam gerere, mundare, reponere, mutare, eoque foras prodeunte portare, ſi jubeat illos ponere propter locum ſacrum, aliave cauſa. Matthæus de portatione calceorum loquitur; alii Evangeliſtæ de vinculis calceorum ſolvendis. *Non ſum dignus procumbens*, id eſt cernuus, qui habitus eſt famuli calceos domino detrahentis, *ſolvere corrigiam* calceamentorum ejus. Utrumque dici potuit à præcurſore; utrique autem ſermoni eadem ſubeſt ſententia. Vile miniſterium famuli, hoc exemplo Hebræi explicant, *ut ſolvat*, inquit Maimonides, *Trac. mechira* ſive *de emptione*, cap. 2. *Domino calceum ſuum, aut ligет, aut neceſſaria ei ad balneum portet*. Ita ſenſus eſt Joannis: veniet cujus nec eſſem dignus ſervus eſſe. Hebræorum calcei plantarum calces tantùm infimè tegebant; cætera propè nuda & teretibus habenis juncta erant; quales Romanorum *ſoleæ* & *gallicæ*, dictæ à Græcis κρηπῖδες, *crepidulæ*, corrigia calceorum non ſolùm pedes vinciebat, ſed & interdum ambiebat partem cruris, ut figura appoſita exhibet;



5 * 8. *Mc. Ego baptizavi vos aqua, ille verò Mc. L vos baptizabit in Spiritu ſancto Mt. L & igni.* Tantùm vos tinxi aquis, quæ ſolius corporis maculas abſtergere poſſunt; ille verò mentis ſordes abluet, & mundos perfectè faciet; igne enim quæcumque ſordes abſterguntur. Alludebat Joannes ad effuſionem Spiritus ſancti faciendam in die Pentecoſtes. Illud autem *in igne, vel*, Eraſmus dicit in nonnullis Græcorum exemplaribus abraſum eſſe: fortaſſis odio quorumdam hæreticorum qui pro lotione utebantur inuſtura. Certè Hieronimus legit, & plerique alii.

6 * 12. *Mt. 17. L Cujus ventilabrum in manu Mt. ſua, L & purgabit, Mt. & permundabit Mt. L aream ſuam, & congregabit triticum Mt. ſuum Mt. L in horreum L ſuum; Mt. L paleas autem comburet igni inextinguibili.* Cùm benignè populum compellaret Joannes, puto hæc quidem minacia dicta eſſe omnibus, ſed intenta in ſolos Phariſæos, & alios ſimiles, quos admoneret, fore ut ſicut triticum in area à palea ſeparatur ope ventilabri, & congregatur in horreum, paleæ verò comburuntur; Meſſias ſepararet bonos à malis, & ſuppliciis æternis addiceret. *Cujus ventilabrum*, id eſt, qui ſimilis eſt homini qui ventilabrum habet, eſt autem *ventilabrum*, πτύον, juxta aliquos, non *vannus* vernaculè *un van*, quam Græci λίκνον appellant, ſed *pala*, quam etiam Gallico nomine vocamus *une pele*; quo modo etiam hunc locum verterunt Tertullianus de fuga, Cyprianus epiſtola 51. Auguſtinus in pſalmum 92. ventilatores ſæpiùs ſola pala utuntur. πτύον ventilabrum in Theſauro Græco *pala lignea* eſt, qua ſemina ex acervo ſumentes ab una areæ extremitate in alteram contra ventum jactant, ut iſta ventilatione à pulvere & aceribus purgentur. Ad hunc locum alludens Tertullianus, lib. de preſcript. cap. 3. aiebat: *Avolent quantum volent paleæ levis fidei, quocumque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.* Hæc de ſe narrari Phariſæi intelligebant, unde liquet ab illis non mediocri odio concitatos ſynedrii judices adverſus Joannem.

7 * 18. *L Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.* Dum hæc diceret, adſtabant præſentes populi quos ad pœnitentiam utiliter hortabatur.

8 * 19. *Herodes autem Tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui & de omnibus malis quæ fecit Herodes*, 9 * 20. *Adjecit & hoc ſuper omnia & incluſit Ioannem in carcere.* Apertum eſt, hæc ſuo loco non enarrari à Luca. Placuit illi indicare hunc qui ſic hortabatur populum & nuntium afferebat proximæ ſalutis, ipſum eſſe qui & poſtea Herodem arguit nuptiarum illicitarum cum Herodiade uxore fratris ſui; de quibus nuptiis ſuo loco diſſeremus.

Lucas Herodem, à quo Joannes vinctus, appellat Tetrarcham, ut eum diſtingueret ab Herode magno rege Judææ. Loquitur de iſto ſolo Joannis carcere, cujus auctor Herodes Tetrarcha, nec alterius mentionem facit: non ideo tamen ſequitur nullo alio carcere Joannem incluſum fuiſſe; etenim vitam omnem ejus & ſingula quæ ei acciderunt, non hìc proponit Evangeliſta, ſed deſignat eum re, quæ huicce loco affinis erat, nempe eum eadem libertate, qua tunc baptizans utebatur, liberè Herodem & Herodiadem arguendò incurriſſe in odium eorum, & carcere concluſum fuiſſe.

CA-

CAPUT V.

Joannes baptizat Jeſum, ſupra quem Spiritus ſanctus corporali ſpecie deſcendit; dum è cœlo vox Dei Patris iſta auditur; Hic eſt filius meus.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 3. ℣. 13-17.	MARC. Cap. 1. ℣. 9-11.	LUCAS Cap. 3. ℣. 21-23.
1 *Mc.* ET factum eſt: in diebus illis *L* cùm baptizaretur omnis populus,		9 Et factum eſt: in diebus illis.	21 Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus,
Mc. venit Jeſus à Nazareth Galilææ *Mt.* in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo:	13 Tunc venit Jeſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.	venit Jeſus à Nazareth Galilææ:	
2 Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?	14 Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?		
3 Reſpondens autem Jeſus dixit ei: Sine modò; ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc dimiſit eum;	15 Reſpondens autem Jeſus, dixit: Sine modò; ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc dimiſit eum.		
Mc. & baptizatus eſt à Joanne in Jordane.		& baptizatus eſt à Joanne in Jordane:	
† *Joan.* 1. 33. 4 *Mt.* † Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce *L* Jeſu baptizato & orante *Mt.* aperti ſunt ei cœli.	16 Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli:	10 Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cœlos apertos,	& Jeſu baptizato, & orante apertum eſt cœlum:
† *Joan.* 1. 33. 5 Et vidit † Spiritum Dei deſcendentem *L* corporali ſpecie *Mt.* ſicut columbam, & venientem ſuper ſe, *Mc.* & manentem in ipſo.	& vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.	& Spiritum tanquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.	22 Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum:
† *Iſa.* 42. 1. *Pſal.* 2. 7. *Luc.* 9. 34. 2. *Pet.* 1. 17. *Col.* 1. 13. 6 Et vox facta eſt de cœlis *Mt.* dicens: *Mc. L* † Tu es *Mt. L* filius meus dilectus, *Mc. L* in te complacui *L* mihi.	17 Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.	11 Et vox facta eſt in cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.	& vox de cœlo facta eſt: Tu es filium meus dilectus, in te complacui mihi.

LUCAS.

7 * 23 Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, *qui fuit Heli, ſuprà*, lib. 1. cap. 7.

1 * 9. *Mc.* ET *factum eſt in diebus illis*, 21. *L cùm baptizaretur omnis populus*, *Mc. venit Ieſus à Nazareth Galilææ* 3. *Mt. In Iordanem ad Ioannem ut baptizaretur ab eo.* Vidimus in chronologicis, non eodem tempore factum fuiſſe verbum Domini ſuper Joannem, & Jeſum baptizatum; neceſſe enim erat ut præcurſor famam ſibi compararet, & auctoritatem. Tunc certè quando ad eum acceſſit Jeſus, jam habebat diſcipulos, qui ejus doctrinæ ſe erudiendos tradiderant, ſive autem ſtatim eos Joannes baptizaret, ſive priùs doctrina imbueret, veriſimile eſt non ab eo fuiſſe baptiſma collatum turbis populorum, niſi ubi nomen ejus percrebuit. Tunc autem cùm omnes ad eum confluerent, Jeſus qui hactenus in urbe patria Nazareth delituerat, expectans dies oſtenſionis ſuæ, venit ad Jordanem, ut & ipſe à Joanne baptizaretur: cur? ſanè magnas ob cauſas, quas novit ſapien-

ſapientia ejus. Natus enim Judæus, legibus Judæorum ſubdebatur, tametſi ergo ſanctus noluit obire munus ſuum niſi aquis ablutus, & declaratus mundus à viro probato, nulla res momenti, ut dixi, poterat fieri à viro Judæo, niſi præviis lavacris, non ſacris operam dabant ſacerdotes niſi loti. Prætereà permixtus turbæ Dominus cùm baptizatus eſt, accepit teſtimonium à præcurſore ſuo, ſimulque emicuit & latuit, quod œconomiæ incarnationis congruebat. Etenim accepit illud teſtimonium cùm populi adeſſent frequentiores; unus autem è multis videbatur, qui ſimul cum peccatoribus baptizaretur. Adjungamus decuiſſe eum exemplo eorum quotquot religioſiores erant, concurrere ad baptiſmum Joannis, ut ab eo admitteretur in conſortium bonorum.

2.* 14. *Joannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Non ſolebat conferri baptiſmus niſi ab eo qui eſſet dignior & auctoritate polleret. Nam baptiſmum conferens obibat mediatoris munus inter Deum & homines, admittens in cœtum piorum quos baptizabat. Hactenus Joannes non viderat Dominum, quem etſi in terris verſari tunc non ignoraret, attamen de facie eum non noverat, à cunis ſuis ductus in deſertum. Neſciebat itaque Jeſum priuſquam videret ſpiritum deſcendentem ſuper eum, ſed quæ in Domini fronte ſedebat majeſtas, ſatis docebat non eum eſſe dé numero populorum. Ideò volebat Joannes ab eo baptizari tanquam à digniori. *Ego à te debeo baptizari*, ſive ut habet fons Græcus, opus habeo ut à te baptizer, potuit Joannes hoc in momento Jeſum agnoſcere interna revelatione, ut Samuel Davidem, de quo dixit Spiritus Dei interior, *Surge, unge eum, Ipſe eſt enim*. Revelationem internam confirmavit exterior deſcenſus Spiritus Dei, de quo infrà.

3.* 15. *Reſpondens autem Jeſus dixit ei: ſine modò*, deſiſte nunc prohibere manu & oratione quominus ad te baptizandus accedam. *Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam*, id eſt quemque noſtrùm fungi officio ſuo & partibus ſuis. Nimirum cùm omnes Judæi baptizarentur, ut appropinquante regno cælorum mundiores fierent; decebat enim ſingulos huic regno ſeſe parare miniſterio Joannis qui ad hoc miſſus fuerat, ut, inquam, Jeſus qui unus erat è Judæis, judicio omnium inculpatus eſſet, debuit omnes juſtitias legis implere, hoc eſt omnibus modis quos leges Moſaicæ & piorum conſuetudo probabant ſe oſtendere mundum. Ibi *juſtitia* latiſſimè ſumitur pro eo omni quo ſervato aliquis juſtior & ſanctior evadere poteſt. Implere ergo omnem juſtitiam, eſt illud omne ſanctitatis genus ſervare, quale illud erat, quo Judæi à Joanne abluti juſtiores, id eſt ſanctiores fiebant. *Tunc dimiſit eum Joannes*. Omiſit prohibere; *Mc. Et baptizatus eſt à Joanne in Jordane.*

4.* 16. *Mt. Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua.* Deſcenderat enim in alveum fluminis, ut toto ablueretur corpore. Illud autem *confeſtim* referendum ad ea quæ ſequuntur: *Et ecce L. Jeſu baptizato & orante Mt. aperti ſunt ei cæli.* Id eſt & ubi aſcendit de aqua, vel vix dum de aqua aſcenderat, cùm oraret, & ideò in cælum intenderet more precantium, & ecce ei apertum eſt cælum. Nempè verſus eum ignes emicuere ſciſſo cælo, ſive diſruptis nubibus, quæ ſæpè appellantur *cælum*. Vidit Jeſus cælos apertos, id eſt ſciſſos, ut habet Marcus. E nubibus exiit fulgor qualis ſolet præcedere tonitru; quo fulgore omnium oculi perſtricti ſunt, & arrectæ eorum mentes ut attenderent ad Jeſum, & ad ea quæ illi obtingebant.

5.* *Et Vidit Spiritum Dei deſcendentem* 22. *L. corporali ſpecie, Mt. ſicut columbam & venientem ſuper ſe Mc. & manentem in ipſo.* Sermo Græcus non clarè definit, utrum Joannes viderit Spiritum an Chriſtus. Quæque ſit ſententia Evangeliſtæ, vidit Præcurſor ſpiritum deſcendentem; id enim ei traditum fuerat in ſignum: *ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem &c.* à Marco innuitur Jeſus nominativus verbi *vidit*. Et *ſtatim aſcendens de aqua vidit cælos apertos*. Verùm qui contendunt præcurſorem eſſe nominativum *vidit*, opinantur ibi *aſcendens* poni pro *aſcendente*; rectum caſum pro obliquo, id eſt aſcendente Jeſu, vidit Joannes. Pro eo autem quod Matthæi Latinus interpres habet, *venientem ſuper ſe*, in fonte Græco eſt *ἐπ' αὐτὸν ſuper eum*. Sed hæc parvi momenti ſunt. Ieſus & Ioannes videre ſpiritum. Expedit magis rem ipſam expendere.

Lucas dicit Spiritum Dei deſcendiſſe ſuper Ieſum corporali ſpecie, amovens opinionem eorum qui vellent dicere ſpiritum non in columbæ ſpecie viſum, ſed tantùm more columbæ delapſum, quia Matthæus dicit *ὡσεὶ περιστερὰν, tanquam columbam*, ſine hac ſpecie non conſpicuus fuiſſet ſpiritus, quem forſan ſolus Dominus & Ioannes advertebant, cùm populus oculis ſuis columbam tantùm cerneret. Quæ eſſet hujus ſpeciei natura non quæro, neque enim id ſciri poteſt; ita inquiſitio irrita & nullius pretii. Tertullianus & ſanctus Auguſtinus diſputantes in eos qui Chriſti corpus tam imaginatium fuiſſe volebant, quàm fuit illa columba, ſtatuerunt Deum verum corpus columbæ figuraſſe ne falleret oculos; ſed veritas corporis Chriſti non pendet ex illa, ſive vera, ſive apparenti columba. Quin ex Tertulliano & Auguſtino & aliis loca, plurima allegantur, quibus apertum eſt hos Sanctos Patres habuiſſe illam columbam pro ſpecie corporea columbæ. Bochartus illa collegit in Ierozoico, lib. 1. cap. 6. T. 2.

Cur autem ſub illa ſpecie potiùs quàm ſub altera viſus ſit Spiritus ſanctus, ratio reddi poteſt. Etenim Spiritus eſt amor Dei Patris & Filii; colum-

Digitized by Google

lumba verò ſymbolum eſt amoris. Unde ſponſus in cantico canticorum ſuam ſponſam ſic compellat: *veni columba mea*. Hebræi in canticis, cap. 2. ℣. 12. *Turturis* nomine, quæ avis eſt columbini generis Spiritum ſanctum intelligunt. Unde eſt quod verba ſacri textus: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra* ſic paraphraſticè explicat Chaldæus: *& vocem Spiritus ſancti, id eſt liberationem, quam Abrahamo patri veſtro prædixi*, Gen. 15. ℣. 14. *jam audiviſtis*. Olim columba deferens ramum olivæ ſignificaverat Patriarchæ Noe aquas diluvii decreſcere, hoc eſt, Deum jam iram ponere. Tempus quo Deus proximè conciliandus erat hominibus, Deum indicabat pariter hæc cæleſtis columba. Tunc verè ſuper Chriſtum *requievit Spiritus Dei*, ut prædixerat Iſaïas. Columba illa advolans, & ſuper eum manens, quaſi ſuper finem volatus, clarè demonſtrabat ad eum dirigi hanc vocem quæ de cælo tunc audita eſt.

6 * 11. *Et vox facta eſt de cælo dicens: Mc. L Tu es L filius meus dilectus, Mc. L in te complacui Mc. mihi*. Articulos omiſit vulgatus interpres, qui tamen otioſi non ſunt. Tu es ὁ υἱὸς nimirùm ille filius meus quem promiſi daturum terris, tu Meſſias expectatus, ὁ ἀγαπητὸς, ille dilectus, in quo complacui mihi, id eſt in quo me oblecto. *Dilectus* ibi ſonare poteſt *unigenitus*; vox enim יחיד *jachid*, id eſt *unicus filius*, ſæpiùs redditur à LXX. ἀγαπητός. Deus ipſe Pater compellabat filium ſuum, ſapientiam ſuam à ſe genitam, qua illum oblectati ipſa ſapientia declarat apud Salomonem, cap. 8. ℣. 30. ut vidimus.

Locus ille in quo verſamur, oſtendit in Deo Trinitatem, nempe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum numero diſtinctos. Pater de cælo Jeſum appellat filium, ad quem allabitur Spiritus. Hæc ingerunt animis Trinitatis in Deo fidem. Etenim illuſiſſet Deus Joanni & cæteris Judæis, ſi Spiritus Dei eſſet tantùm virtutis nomen, non perſona, quemadmodum ipſe ſuper quem deſcendebat, vera erat perſona. Ubique in Evangelio adnumeratur Spiritus ſanctus duabus perſonis Patris & Filii, nempe Dei Patris & Jeſu Chriſti Filii Dei Patris. De Spiritu, inquam, ubique dicuntur quæ perſonæ conveniunt: quòd veniet, quòd mittetur, quòd docebit, quòd ſuggeret & alia. Jam animadvertimus Evangeliſtas neutiquam de Spiritu Dei, ut de re ignota loqui. Etiam an Spiritus Dei eſſet ignorabant Samaritani; ſed ut vera religione non imbuti erant, ita nec doctrina. Quamquam autem non liqueret omninò, an à vetuſta traditione claram de ſanctiſſima Trinitate cognitionem Judæi accepiſſent; jam non licèt huic qui Evangelio paret, dubitare quin Spiritus Dei à Deo Patre diſtinctus ſit, quam diſtinctionem qui admittit, tenetur doctrinæ catholicæ aſſentire; neque enim pluralitas Deorum credi poteſt ſalva auctoritate utriuſque codicis; juxta quam & in Deo pluralitas ſit, neceſſe eſt; ſed quam debemus numerare non in naturis, ſed in perſonis. Unitas autem naturæ facilè concipitur cui non adverſetur pluralitas; neque enim Deus ideò minus unus, quia in eo ſapientia, & Spiritus. Facultatum & affectuum numerus mentem noſtram non conſtituit multiplicem. Mirum autem non eſt ſi hæc quæ menti noſtræ accidunt, vim habeant in Deo, ut ſubſiſtant ac re diſtinguantur, quamquam unius ejuſdem naturæ proprietates.

Aſſerunt Talmudici & priſci Rabbini vocem cæleſtem ſive divinitus emiſſam quam appellant בת קול *bat kol*, interdum auditam, quæ voluntatem Dei tunc cœpit patefacere cùm defecere prophetæ, per quos olim Deus Patres eorum compellabat. *Pro traditione habent, poſt mortem prophetarum ultimorum Aggæi, Zachariæ, Malachiæ diſceſſiſſe Spiritum ſanctum ab Iſraele, verum tamen eos exinde uſos bat kol*, id eſt *filia vocis*. Exempla deprompta è Talmude leguntur apud Ligfootum, apud Buxtorfium in Lexico magno Talmudico & alibi. *Quadam vice miniſtrantibus ipſis in cænaculo domus Oſoriæ*, verba ſunt Buxtorfii, *edita fuit ipſis filia vocis è cælo, quæ dicebat, Homo quidam inter vos eſt, qui dignus eſt, ut majeſtas divina ſuper ipſo requieſcat, ſed ſæculum ejus eſt indignum. Proinde convertebant oculos ſuos ad Hillelem ſenem &c.* hocce genere prophetiæ, ſi tale reipſa extitit, teſtatum eſſe voluit Deus Jeſum verè eſſe filium ejus dilectum; ut niſi culpabili ignorantia ignorare non potuerint Judæi hunc verè fuiſſe Chriſtum Dei.

7 * 23. *L Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta ut putabatur filius Ioſeph*. Locum illum excuſſimus in chronologicis. Obſervatum eſt particulam *quaſi* ideò eſſe ambiguam, quia in ſcripturis veritatem modò minuit, modo confirmat; quare jure ſuo utuntur chronologi cùm verba illa ſuis calculis accommodant ſtatuentes, alii Jeſum verè habuiſſe triginta annos, alii proximum fuiſſe huic ætati, alii & paulò ſuperaſſe, pro ut hæc vel illa ætas ſuis, ut dixi, quadrat calculis. Videtur Evangeliſta id unum indicare voluiſſe tunc Jeſum baptizatum & auſpicatum munus, cùm ei idonea ætas erat; neque enim ante trigeſimum annum obibant munia ſua Levitæ, Num. cap. 4. ℣. 20. & 47. & 1. Paralip. cap. 23. ℣. 2. & 3. ſenſus ergo hujus loci eſt. *Et ipſe Ieſus erat quaſi annorum triginta incipiens*, nempe obire munus ſuum. Non ergo Evangeliſta dicit incepiſſe eſſe triginta annorum, quæ locutio durior eſſet, ſed cùm circiter eſſet triginta annorum, nam ὡσεὶ eam ſignificationem habet, tunc palàm cœpiſſe exercere munus ſuum Meſſiæ, αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, quaſi triginta annorum erat, dum inciperet. Joſephus qui typus fuit Chriſti, triginta annis natus præfuit Ægypto, hoc eſt, munus ſervatoris Ægypti exercere cœpit, Gen. cap. 41. ℣. 46.

Po-

Poſt tam apertum cœli teſtimonium, quòd Ieſus eſſet verè Filius Dei, ſubjungit Lucas: *Ut putabatur filius Ioſeph*, ὢν ὡς ἐνομίζετο) υἱὸς Ἰωσὴφ, id eſt ipſe, qui ſic declaratus erat Filius Dei, Filius Ioſeph habebatur opinione & judicio vulgi, cui myſterium virginei partus nondum reſeratum erat; hac autem occaſione refert B. Lucas genealogiam Ioſeph, ut oſtenderet jura illius attinere ad Ieſum, qui ejus putabatur filius. In primo libro protulimus hanc genealogiam ob rationes eo loco dictas.

CAPUT VI.

Baptizatus Dominus ſtatim ducitur à Spiritu in deſertum, ubi cùm jejunaſſet quadraginta diebus & noctibus, tentatur à diabolo, quo recedente accedunt Angeli, & miniſtrant ei.

HARMONIA:	MAT. Cap. 4. ℣. 1-11.	MARC. Cap. 1. ℣. 12. & 13.	LUCAS Cap. 4. ℣. 1-13.	
1 *L* Jeſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Jordane.	† 1 Tunc Jeſus		1 Jeſus autem plenus Spiritus ſancto regreſſus eſt à. Jordane: & agebatur à Spiritu in deſertum.	† *Dom. prima qu-drag.*
2 *Mt.* Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum, *Mc.* ut tentaretur à diabolo.	ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.	12 Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.		
3 *Mc.* Erat in deſerto † quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana; eratque cum beſtiis, *L* & nihil manducavit in diebus illis.		13 Et erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana; eratque cum beſtiis.	2 Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis:	† *Exod.* 34. 28. 3. *Reg.* 19. 8.
4 *Mt.* Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.	2 Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.		& conſummatis illis, eſuriit.	
5 Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.	3 Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.		3 Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.	
6 Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: † *Mt. L* Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, *Mc.* quod procedit de ore *Mt. L* Dei.	4 Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.		4 Et reſpondit ad illum Jeſus: Scriptum eſt: Quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei. 5 *Et duxit &c. infrà.*	† *Deut.* 3.
7 *Mt.* Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.	5 Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi:		9 Et duxit illum in Jeruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi,	
8 Et dixit ei: *Mt. L* Si filius Dei es, mitte te *L* hinc *Mt. L* deorſum.	6 Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum.		& dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorſum.	
9 Scriptum eſt enim: † *Mt.* Quia *Mt. L* Angelis ſuis mandavit de te, *L* ut conſervent te.	Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandavit de te.		10 Scriptum eſt enim: Quod Angelis ſuis mandavit de te, ut conſervent te.	† *Pſal.* 90.1
10 Et quia *Mt. L* in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.	& in manibus tollent te, ne fortè offendat ad lapidem pedem tuum.		11 Et quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.	

HARMONIAM.

11 *L* Et reſpondens Jeſus, ait illi : *Mt.* Rurſum ſcriptum eſt : † *Mt. L* Non tentabis Dominum Deum tuum. († *Deut. 6. 16.*)

12 *Mt.* Iterùm aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè : & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, *L* in momento temporis.

13 Et ait illi : *Mt.* Hæc omnia tibi dabo : *L* tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum : quia mihi tradita ſunt ; & cui volo, do illa.

14 Tu ergo *Mt.* ſi cadens adoraveris me, *L* erunt tua omnia.

15 *Mt.* Tunc dicit ei Jeſus : Vade Satana : Scriptum eſt enim : † *Mt. L* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. († *Deut. 6. 13. 10. 20. 1. Reg. 7. 3.*)

16 Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſque ad tempus.

17 *Mt.* Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

MATTHÆUS.

7 Ait illi Jeſus : Rurſum ſcriptum eſt : Non tentabis Dominum Deum tuum.

8 Iterùm aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè : & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.

9. Et duxit &c. ſuprà.

13 Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo,

ſi cadens adoraveris me,

10 Tunc dicit ei Jeſus : Vade Satana : Scriptum eſt enim : Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies.

11 Tunc reliquit eum diabolus ;

& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. §

LUCAS.

12 Et reſpondens Jeſus ait illi : Dictum eſt ; Non tentabis Dominum Deum tuum.

13 Et conſummata &c. infrà.

5 Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis.

6 Et ait illi : Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum ; quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.

7 Tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8 Et reſpondens Jeſus dixit illi : Scriptum eſt ; Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſque ad tempus.

MARCUS.

& Angeli miniſtrabant ei.

---

1 * 1. *L* JESUS *autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Jordane.* Spiritu qui requieverat ſuper eum impellente ferebatur, quocumque ferebatur, illa enim verba. *tunc Jeſus ductus eſt, ſpiritus expulit eum, agebatur à ſpiritu in deſertum*, ſignificant Jeſum movente Spiritu ſancto, abiiſſe in deſertum, ut ſolebant magni viri moveri, & huc ferri à Spiritu ſancto, ſic enim de Sanſone dicitur Judic. cap. 14. ℣. 6. *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon*, ſic Samuel Saulem alloquitur 1. Reg. cap. 10. ℣. 6. *& inſiliet Spiritus Domini & prophetabis.* Voluere ſignificatum Evangeliſtæ magnis & multis de cauſis Jeſum receſſiſſe in deſertum ſtatim poſt baptiſmum, in quo declaratus eſt Filius Dei. Etenim mirum videri poterat, cur munia ſua protinus non exercuiſſet, & vix conſpicuus, ſe ſubtraxiſſet omnium conſpectui. Dixi autem, & iterum ſæpiùs dicam, decuiſſe Meſſiam ex parte eſſe ignotum, quem oporteret pati. Cùm ergo jam non poſſent Judæi cauſari haud ſatis declaratum cui teſtimonium perhibuiſſet Joannes, tum & ipſe Deus Pater edita voce de cœlo inter ignes micantes ; quam vocem ne quis à Jeſu in alium transferret, Spiritus in ſpecie columbæ de cœlo advolans ſuper eum requieverat. Tunc, inquam, quia decebat & Jeſum ignotum eſſe, Spiritu movente abiit in deſertum. Judæi verò qui vix advertebant ad virum pauperem, qualis Jeſus videbatur, forſam nec commoti ſunt tantis ſignis, & illa citò animis eorum exciderunt.

Itaque ductus eſt Jeſus in deſertum, *ut tentaretur à diabolo.* Particula *ut* non ſemper cauſam denotat, ſed tantùm id quod conſecutum eſt. Quaſi dicat Evangeliſta, cum Jeſus abiiſſet in deſertum, ibi tentatus eſt à diabolo. διάβολος propriè eſt *delator, calumniator, criminator*, qui inſidias ſtruit, ideo Græci ſic reddiderunt vocem Hebræam *ſatanas*, quæ idem ſonat ac *adverſarius*. Utrumque nomen διάβολος & *ſatanas* convenit huic adverſario, qui Adæ primo parenti inſidiatus eſt delitеſcens ſub forma ſerpentis, malus erat Angelus, cujus naturam & ſociorum ejus compertam quidem non habemus, ut poſſimus pluribus verbis de ea diſſerere; ſed tamen conſtat ex multis & innumeris ſcripturarum locis ante paſſionem Domini penes eos fuiſſe ſummam poteſtatem rerum, quæ ſub cælo ſunt. Olim durum exercebant mali Angeli imperium in homines, quos peccatum fecerat ſibi ſervos. Sciebant autem hoc ſuo imperio deturbādos in adventu Chriſti; nec eorum principem latebat, quæ modò dicta & facta erant ad ripas Jordanis. Verùm Jeſus ex omnium oculis evaneſcens ſapientia ſua ſefellerat hunc principem; qui ideò incertius erat quis eſſet Chriſtus, & quid obtigiſſet illi viro, quem Joannes prædicaverat. Igitur quando deprehendit Jeſum in deſerto, ignorabat

quis

juris eſſet: neque enim cogitandum eſt omnia nota eſſe huic malo Angelo, licèt Græci eum appellent δαίμονα, *dæmonem*, hoc eſt *peritum* ſive *ſcientem*. Fallebat, ut dixi, ſapientia Chriſti artem ejus, ne ab eo cognoſceretur.

3 * 13. *Mc. Et erat in deſerto* Jeſus *quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à ſatana, eratque cum beſtiis.* Deſertiſſima erat ſolitudo in qua erant feræ μετὰ τῶν θηρίων, erat Jeſus cum leonibus, pardis, urſis; Græca enim vox denotat feras & belluas. Toto commorationis tempore à diabolo tentatum fuiſſe Jeſum, ſcilicet per intervalla videntur dicere Marcus & Lucas; niſi plenior hiſtoria à Matthæo diſcenda ſit, qui rem ab ipſo ore Domini audire potuerat. *Et nihil manducavit in diebus illis*. 4 * 2 *Mt. Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit*, quippe verus homo; tum etiam ut hominem ſe monſtrans diabolum falleret. Perpetuum fuit ejus jejunium, quod indicavit Matthæus diem & noctem nominans. Neque enim in jejuniis per multos dies continuatis Judæi omnes cibo & potu abſtinebant per noctis tempus. *Si quis animum induxit, & in ſe recepit*, ait Maimonides tractatu de Jejunio, cap. 1. num. 10. *Jejunium ſervare per tres quatuorve dies continuos, quamvis nocte quoque cibum capiat, jejunium tamen non ſolvit.* Quadragenarius autem numerus non myſterio caret. Moyſes quadraginta dies apud Dominum bis pro lege recipienda abſque cibo manſit, quadraginta annis peregrinatus eſt Iſrael in deſerto. Elias quadraginta dies ambulavit uſque ad montem Dei Oreb. quadraginta diebus dormivit Ezechiel in viſione ſuper latus dextrum, aſſumpta iniquitate Juda, poſt totidem dies evertendam Ninivem prædicabat Jonas. Ratio vitæ Domini plena eſt ſapientiæ, ideò actuum ejus non una cauſa eſt. Perſeveravit jejunans per quadraginta dies, antequam novam ſuam legem promulgaret, quod fecerat Moyſes ante promulgationem veteris legis, ut præiret nobis ſuo exemplo, docens obeundis magnis muneribus ſeſe idoneum quemque reddere debere jejunio & oratione procul à turba hominum.

5 * 3. *Et accedens tentator dixit ei: ſi filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Ubi diabolus vidit hominem quadraginta dies noctesque jejunantem ſuſpicio illi incidit, num is eſſet de quo dubitabat an eſſet Filius Dei, id eſt Meſſias. Statuit ergo rem explorare, hic mirari decet, quòd cùm olim diabolus tentando Evam victor evaſiſſet, Dominus qui reſtauraturus venerat caſum Evæ, vincit eum, & cogit cum pudore retrocedere; donec pleniori victoria prorſus eum peſſumdaret, & ſuo imperio ſpoliaret. Igitur acceſſit *tentator*, hoc eſt diabolus qui tentat, qui explorat πειράζων; etenim explorabat num is, qui tot diebus jejunium pertulerat, nihil guſtans in deſerto, ubi copia victus non erat, verè eſſet Filius Dei, id eſt Chriſtus. Nactus, inquam, diabolus è re occaſionem, quia videbat eum eſurientem, puta fame pallidum, accedens ad eum ſub viſibili aliqua forma boni Angeli, vel alterius, ut ſuſpicionem doli mali à ſe amoveret dixit ei; ſi Filius Dei es, cur inedia tabeſcis, qui valeas quemvis lapidem in panem mutare? ſciebat enim diabolus ſummam eſſe poteſtatem filii Dei à quo omnia facta erant.

6 * 4. *Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Mt. L. non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Mt. quod procedit de ore Mt. L. Dei.* Id eſt, eo omni quod Deus conſtituerit, & decreverit eſſe cibum. *Exire* enim ponitur in ſcriptura pro *decernere*. Sapientia Domini miris modis hic elucet. Ludit tentatorem, ſimul confutans & reſpondens, nec ullo modo patefaciens quod ſcire ille avebat. Neque enim Jeſus dicit ſe tali poteſtate præditum (quod tamen non negat) ut poſſit ex lapidibus panem facere, ſed ineptè hæc à tentatore proponi ſignificat, cùm non ſolo pane quiſquis vivat; vivere enim poteſt ex omni verbo, id eſt quacumque re qua Deus eum alere voluerit; nam fuit manna loco panis; ad quod manna alludebat Chriſtus. Moyſes enim compellans Iudæos dixit Deuteron. cap. 8. ℣. 3. *afflixit te penuria* Deus, *& dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui; ut oſtenderet tibi quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Nihil eſt quod non poſſit eſſe panis loco ubi Deus voluerit.

7 * 5. *Mt. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi.* Non eodem ordine tentationes referunt Matthæus & Lucas. Sequimur Matthæum qui Dominum ab initio ſectatus hauſit de fonte, cujus tantùm rivos Lucas potavit. *Tunc*, id eſt ſecundo loco; cùm hac prima via non ſucceſſiſſet ſibi, alia aggreſſus eſt Dominum diabolus. Statuit ſupra pinnaculum Templi. Pinnaculum eſt lorica, qua ex lege Dei Deuteron. cap. 22. ℣. 8. coronabantur tecta, ne quis ex illis imprudens decideret; quæ lorica erat his tectis veluti alæ avibus. Vox autem τοῦ ἱεροῦ, quam interpres vulgatus reddit *Templi*, oſtendit Ieſum non poſitum ſupra pinnaculum τοῦ ναοῦ, id eſt *ædis ſacræ*, ſed eorum tectorum quibus atria Templi cingebantur. In libris de Templo demonſtramus τὸ ἱερὸν eſſe loca ſacra qualia erant atria, quorum in meditullio ædes ſacra ναός. Ioſephus autem ſcribit extremas porticus meridionales τοῦ ἔξω atrii, ita altas fuiſſe, ut nemo ex illis ſine vertigine poſſet deſpicere ſubjectas valles. Locus ergo ille aptus erat conſilio diaboli. Sancta illa civitas eſt Ieruſalem. Hocce titulo deſignatur apud prophetas. Iſa. cap. 48. ℣. 2. & 1. Paralip. cap. 9. ℣. 17. Inde eſt quod in antiquis Iudæorum nummis occurrit inſculptus titulus ille, *Ieruſalem ſancta*. Philo etiam in Flaccum vocat eam ἱερόπολιν, *Hieropolim*, id eſt *urbem ſanctam*.

Ubi igitur in hoc, vel alio ſublimi loco Dominum ſtatuit. 8 * 6. *Et dixit ei, Mt. L ſi Filius Dei es, mitte te L hinc Mt. L deorſum.* 9 * *Mt.* 10. *L Scriptum eſt enim* Pſal. 90. ℣. 11. *Mt. quia Mt. Angelis ſuis mandavit de te*, ſcilicet præcepit Angelis quos appoſuit cuſtodiæ tuæ *L ut conſervent te.* 10. * 11. *& quia Mt. & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Ex tam alto caſu ſi incolumis evaſiſſet quem tentabat, inde ſperabat dæmonium poſſe agnoſcere hunc verè eſſe Filium Dei. Sed eadem ſua ſapientia eluſit artes dæmonis. Ad verba enim ſcripturæ quæ tentator allegaverat, alia repoſuit. 11. * 12. *L Et reſpondens Ieſus ait illi: Mt. rurſum*, id eſt è diverſo, *ſcriptum eſt* Deuteron. cap. 6. ℣. 16. *Mt. L non tentabis Dominum Deum tuum.* Apparet ex hoc loco tentare Deum, idem eſſe ac dubitando explorare quid poſſit Deus, quaſi incerta eſſet ejus potentia, aut providentia, quod pluribus fieri poteſt: exempli cauſa rerum ordinem invertendo & ſeſe præcipitem dando ad explorandum, ſi fortè Deus impedire poſſit ne caſus noceat; & revera ſuccurrat ſuis, ut pſaltes aſſeruit. 12 * 8. *Mt. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum 9. L in momento temporis.* Eluſus diabolus tam ſapientibus reſponſis hanc opinionem, ut puto, amoverat ab animo ſuo, eum quem tentabat eſſe Filium Dei; ſed & videbat è re ſua eſſe in partes ſuas illum adducere, ſtuduit ergo conciliari ſibi promiſſis alliciens. Ad hoc plurimas regiones, ſive verè, ſive in imagine, in *momento* in puncto temporis conſpicuas obtulit. 13 * 6. *Et ait illi: 9. Mt. hæc omnia tibi dabo: L tibi dabo poteſtatem hanc*, id eſt imperium hoc, ſic ſumitur ἐξουσία, *& gloriam illorum; quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.* Pollicetur aliena, & præmium petit ſoli Deo congruens. 14 * 7. *Tu ergo Mt. ſi cadens adoraveris me L erunt tua omnia.* modò cadens adoraveris me, hoc eſt incurvans te, & proſtratus in mei honorem, pro Deo me colas; ſibi enim honores divinos tunc temporis dæmon arrogabat.

15 * 10. *Mt. Tunc dicit ei Ieſus, Vade ſatana*, ὕπαγε, id eſt retrò abi, ſatana. Locutio eſt averſantis blaſphemiam divinæ contrarium majeſtati. *Scriptum eſt enim: Mt. L Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Confutatus itaque & victus diabolus receſſit. 16 * 13. *L Et conſummata omni tentatione*, id eſt exhauſtis fruſtrà artibus, *receſſit ab illo uſque ad tempus*, nempè non ſine deſiderio reverſionis, ſi poſſet ſolertiùs eum tentare.

17 * 11. *Mt. Et ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Nempè cibum eſurienti, ſicut olim populo Iſraelitico in deſerto cibus ſuppeditatus fuit è cœlo. Dum obſervant Evangeliſtæ Chriſto victori ſerviiſse Angelos, docent Deum eſse, cui adſtant miniſtri Angeli. Hominem autem oſtendebat fames, qua eum preſſum fuiſse dicunt. Utrumque pariter ſatagebant probare, nempe Deum eſse & hominem adverſus omnes hæreſes orituras, quarum aliæ hoc, aliud negaverunt.

CAPUT VII.

Joannes his quos ad eum miſerant Judæi, reſpondet ſe Chriſti Præcurſorem eſſe, non ipſum Chriſtum, quem ſignificat, licèt ipſi neſcirent, inter eos verſari.

JOANNES, Cap. 1. ℣. 19—28.

† *Dominica 3. adventus.* 19 ET hoc eſt teſtimonium Joannis, quando † miſerunt † Judæi ab Jeroſo-
† *Joan. 5.33.* lymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?
† *Joan. 3.28.* 20 Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt: Quia † non ſum ego
Chriſtus.
21 Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum.
Propheta es tu? Et reſpondit; Non.
22 Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos?
Quid dicis de te ipſo?
† *Iſa. 40.3.* 23 Ait: † Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, ſicut
dixit Iſaias propheta.

24 Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.
25 Et interrogaverunt eum & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non
es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?
26 Reſpondit eis Joannes dicens: † Ego baptizo in aqua; medius autem ve-
ſtrùm ſtetit quem vos neſcitis. † *Matth.* 3. 11. *Marc.* 1. 7.
27 Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus ego *Luc.* 3. 16.
non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. *Act.* 1. 5. & 11
28 Hæc in Bethania facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.¶ 16. & 19. 4.

OLIM in concinnanda Harmonia Evangeliorum præpoſueram legationem iſtam jejunio quadraginta dierum. Tunc movebant me difficultates, quibus jam expeditus ſententiam lubentiùs mutavi, quia nulla interpoſita mora quam vix patiuntur verba illa Evangeliſtarum, *Tunc, ſtatim, ductus eſt Jeſus &c.* nulla, inquam, interpoſita mora, ſtatim Jeſus poſt baptiſma ſuum in deſertum ductus ſit. Ergo jam in ea ſententia ſum quòd cùm quadraginta dies per quos Jeſus omni cibo abſtinuerat, abirent, miſſi ſint à Synedrio magno legati ad præcurſorem. Omnes enim viri periti intelligunt, hos legatos miſſos fuiſſe ab iis penes quos erat ſumma auctoritas, nempe à viris Synedrii magni; quem conſeſſum conſtitiſſe Phariſæis & Sadducæis oſtendunt illa Actuum cap. 23. ỳ. 6. *Sciens autem Paulus, quia una pars eſſet Sadducæorum & altera Phariſæorum, exclamavit in concilio, ἐν τῷ συνεδρίῳ.*

Majores autem cauſæ ad Synedrium magnum referebantur. *Si difficile*, ait Dominus Deuteron. cap. 17. ỳ. 8. *& ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris &c.... Surge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.* Jeroſolymam elegerat Deus, in qua ſanctuarium ſuum collocaret. Ibi ergo, ut loquuntur Hebræi, in domo judicii majores cauſæ agitandæ erant; de quarum numero iſta; an quis verus, vel falſus propheta habendus eſſet. *Tribus, pſeudopropheta; ſacerdos magnus, non niſi à LXXI. judicum conſenſu judicantur*, id eſt à Synedrio. Verba illa leguntur in codice Sanhedrim, cap. 1. num. 5. Præerant ſacerdotes in illo conſeſſu juxta ſcripturam loco ſupra allegato: *Veniesque ad ſacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore.* Sacerdotes, ut Joſephus ſcribit lib. 2. *contra Apion.* erant omnium rerum ἐπίσκοποι, *inſpectores*, δικασταί, *judices* contentionum, & punitores culpabilium, κολασταὶ τῶν κατηγορουμένων. Certè ad Synedrium ſpectabat de lege reſpondere, de doctrina cognoſcere, de propheta ſtatuere, in eum finem ne in cultum patrium, & religionis avitæ ſtatum ſubintroduceretur novitas, aut altercatio.

Igitur fieri non poterat, quin cùm Joannes Baptiſta magnificeret à populis & fama ejus in dies creſceret, de eo non quærerent Synedrii proceres quis eſſet. Phariſæos & Sadducæos, quibus, ut dixi, conſtabat Synedrium magnum, Joannes pro meritis exceperat; quem ergo procul omni dubio ægrè ferebant tanti fieri. Itaque miſit Synedrium ſacerdotes & Levitas, id eſt viros primarios à ſe deputatos qui in Joannem inquirerent, ſi fortè poſſent reum arguere, quippe qui arrogaret ſibi munus Baptiſtæ ſupra dignitatem. Mirum eſſet tandiu diſtuliſſe, niſi hortati ad pœnitentiam populos, & aquis abluere qui ſe immundos peccatores fatebantur, non omnino inſolitum eſſet. Itaque veriſimile eſt ſacerdotes de interpellando Joanne non cogitaſſe, niſi poſtquam illis exoſus factus eſt, hoc eſt poſtquam Phariſæos & Sadducæos verbis acerbis inſectatus eſt, & creſcente Joannis fama jam de ſua imminuenda periculum eſſe Sadducæi & Phariſæi intellexerunt.

19. *Et hoc eſt teſtimonium Joannis*, quod ſcilicet Joannes reddidit, *quandò miſerunt Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum; Tu quis es?* Judæi illi ſunt Synedrii proceres, qui ex ſuo conſeſſu viros primarios, nempè ſacerdotes & Levitas miſerunt qui de perſona Joannis quærerent, & poſtularent quo jure baptiſma conferret.

20. *Et confeſſus eſt & non negavit, & confeſſus eſt: quia non ſum ego Chriſtus.* Non ſum ille Meſſias, quem nos Judæi expectamus.

21. *Et interrogaverunt eum: Quid ergo?* ſi non ipſe ſis Chriſtus, quem alium te facis. *Elias es tu? Et dixit: Non ſum.* Ex hoc loco, & ex capite 17. ỳ. 10. Matthæi, certum eſt legis doctores in ea fuiſſe opinione quòd Elias antecederet Meſſiæ adventum in terras reverſus non ſolùm ſpiritu, ſed & corpore. Sic Kimhi ad Malachiæ cap. 4. ỳ. 5. *redire faciet Deus animam Eliæ, quæ aſcendit in cælum, in aliud corpus creatum ſimile corpori ejus priori. Nam corpus ejus prius rediit ad terram ſuam, cùm aſcenderet ipſe, videlicet omne elementum ad elementum ſuum. Poſtquam verò revixerit in corpore illo, mittet eum Deus ad Iſraelem ante diem judicii.* Eo igitur ſenſu quo interrogabatur Joannes, potuit reſpondere, non ſum Elias, ſpiritu enim tantùm & virtute alter Elias; quem intendebat Malachias cùm diceret: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam &c.* Urgent legati: *Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* In fonte articulus eſt demonſtrativus ὁ, quem omiſit interpres

Latinus. Signanter interrogant an ille eſſet eximius propheta, quem Deus promiſerat Moyſi in Deuteronom. cap. 18. ỳ. 18. *prophetam ſuſcitabo eis &c.* Non itaque Joannes contradicit Zachariæ qui de eo dixerat: *Tu puer propheta;* nec Chriſto qui eum vocat pluſquam prophetam, ſcilicet propheta erat Joannes, ſed non ille de quo interrogabatur.

22. *Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo?* Qualem ergo te geris, ut reſpondeamus Synedrio magno, cujus auctoritati ſubes. 23. *Ait: Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta.* Nempe is ſum de quo hæc Iſaias ſcribit: *Vox clamantis in deſerto &c.* id eſt vox clamabit. Non poterat verbis clarioribus ſe declarare Chriſti Domini præcurſorem.

24. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.* Ex ſacerdotibus enim alii Phariſæi erant, alii Sadducæi, quos, ut vidimus, perſtrinxerat Joannes; non mirum ergo ſi utantur ſermone acerbiori, objurgantes, quòd ſibi arrogaret munus baptizandi. 25. *Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Verborum illius quem oderant, non ſenſum quærunt, ſed criminandi arripiunt occaſionem. Si enim intelligere voluiſſent Joannem eſſe Angelum ad parandas vias Chriſti mittendum, agnoviſſent jus illi fuiſſe baptizandi populos, ut parata eſſet plebs Domino, id eſt, ut puri & ſancti exciperent Chriſtum advenientem. Sufficit iniquis inquiſitoribus Joannem fateri ſe non eſſe Chriſtum, nec Eliam, nec Prophetam, quibus jus baptizandi competebat. Mentem non advertunt ad præcurſoris munus, qui baptiſmo paratutus erat plebem ad Chriſtum excipiendum.

26. *Reſpondit eis Joannes dicens: Ego baptizo in aqua; medius autem veſtrùm ſtetit, quem vos neſcitis.* Quaſi dicat, non meo nomine, ſed venturi Meſſiæ baptizo. Ille jam inter vos versatur, & unus è multis vobis viſus *ſtetit;* plebi enim permixtus Jeſus baptizatus fuerat. Dignoſcere poterant utrùm Joannes miſſus eſſet à Deo, ſignis quibus inclaruerant cunæ ejus; illa verò ſigna, forſan exciderant animo eorum. Sed quærere poterant clariorem expoſitionem horum verborum *medius veſtrùm ſtetit, quem vos neſcitis:* ad quem ſcilicet mentem non advertitis. Procul dubio Joannes notum feciſſet quod ſibi contigerat cùm Jeſũ Baptizavit. Legatis autem qui veritatem ſincera mente non quærebant, ſed occaſionem criminandi, ſatis erat, ſcire neque prophetam, neque Eliam eſſe, ut damnare poſſent, tanquam contra leges arrogantem ſibi munus Baptiſtæ.

27. *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* Venturum Chriſtum denuntiat Joannes; baptizatus autem, & jam tranſactis quadraginta diebus in deſerto, non ampliùs dici poterat venturus. Ita olim ſentiebam; & ideò opinabar dictam legationem præponendam baptiſmo Chriſti, & jejunio ejus. Verùm non advertebam id unum intendiſſe præcurſorem, reſpondendo iis quos ad eum miſerant Judæi, ut ſignificaret ſe Chriſti præcurſorem, & hoc ſolo nomine baptiſmum conferre ut plebs Chriſto excipiendo perfecta, ſive parata inveniretur. Interrogabant: *Tu quis es?* reſponſio erat: ego ille quem dixit Malachias mittendum ante faciem Chriſti, qui venturus eſt. Si plura de Chriſto ſcire voluiſſent legati, non reticuiſſet Baptiſta jam à ſe baptizatum, & ea qua eum baptizarat hora, apertos cælos & voce cæleſti declaratum Filium Dei. Dixerat in medio eorum ſtare; cùm ergo dicebat venturum, loquebatur de publico munere quod nondum inierat.

28. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Illa lectio antiqua eſt, ut apparet ex ſanctis Cyrillo, Epiphanio, Chryſoſtomo & aliis. Monet tamen Chryſoſtomus emendatiora quæque exemplaria legere. *Bethabara.* Etenim *Bethania*, neque ultra Jordanem eſt, neque in deſerto Judææ, ſed vicina Hieroſolymis. Addo, neque ad aquas ſita, ut commoda ibi baptizandi opportunitas haberetur. Melius ergo *Bethabara*, quæ vox Hebræa eſt; בית-עברא idem ſonans ac *domus tranſitus.* Nimirum vox illa indicat locum in quo Jordanes fluvius tranſiretur; ſive celebre erat vadum Jordanis, forſan non remotum ab eo loco quo olim Joſue Iſraelitas introduxerat in terram Iſrael typum regni cæleſtis. Ibi ad introitum hujus terræ baptizabat Joannes deducendos in regnum Evangelii, quotquot ſuorum pravè factorum pœniteret. Non diſſimulandum autem particula *πέραν*, quam interpres Latinus, reddit *trans*, non omnino definiri Joannem ultra Jordanem reſpectu Hieroſolymorum baptizaſſe. Reſpondet particulæ Hebraicæ עבר *heber*, quæ & *latus* ſignificat, & adverbialiter ſumpta non minus declarat citerius latus quàm ulterius. Idcirco ſeptuaginta interpretes quandoque hanc particulam עבר reddiderunt *παρὰ*, *apud*. In ipſo Evangelio videbimus infrà, ſic *πέραν* neceſſariò ſumendum. Ita Evangeliſta intelligendus eſt dicere, hæc quæ enarrat facta fuiſſe ſecus Jordanem. Lubentiùs credo cœpiſſe Joannem prædicare & baptizare cis Jordanem reſpectu urbis Sanctæ, videlicet in ipſa Judæa propriæ dicta.

CAPUT VIII.

Altera die poſt dictam legationem Jeſus ad Joannem, venit à quo declaratus eſt Agnus Dei; quod & ſequenti die idem teſtimonium ei perhibuit. Hoc teſtimonium audito Petrus & Andreas Joannis diſcipuli dominum ſequuntur.

JOANNES, Cap. 1. ℣. 29—42.

29 ALtera die † vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. † *In Octava Epiphaniæ.*
30 Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.
31 Et ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.
32 Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.
33 Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.
34 Et ego vidi: & teſtimonium perhibui quia hic eſt Filius Dei. ¶
35 Altera die iterum † ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo. † *In Vigil. S. Andreæ.*
36 Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.
37 Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.
38 Converſus autem Jeſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas?
39 Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret; & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima.
40 Erat autem Andreas frater Simoni Petri unus ex duobus, qui audierant à Joanne & ſecuti fuerant eum.
41 Invenit hic primùm fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam: (quod eſt interpretatum Chriſtus.)
42 Et adduxit eum ad Jeſum. Intuitus autem eum Jeſus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus.
43 *In craſtinum &c. infrà, cap. 9.*

FAXIT Deus, ut quoties declinantem à veritate me ſenſero, ſtatim revocem me, nec malo pudore, ut lateat error meus, pergam aberrare. Quia miſſos à Judæis ad Joannem ſacerdotes ante baptiſma Chriſti credebam, hæc quæ ſubjicit Joannes, in propria ſua ſignificatione non accipiebam quod facere decet niſi res ipſa claſè admoneat laxiorem eſſe verborum Evangelicorum ſignificationem. Melius conſultus jam intelligo ſequenti die poſt dictam legationem contigiſſe quod Joannes enarrat eo in loco. 22. *Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Olim ut dixi, laxiùs interpretabar illud *altera die*, τῇ ἐπαύριον; ſed re diligentiùs perpenſa, agnoſco non ſine cauſa in eodem capite eadem phraſi τῇ ἐπαύριον, ter uſum eſſe Evangeliſtam. Voluit tempus magis ſignificanter notare; quod tandem deprehendi comparans hoc caput Joannis cum decimo capite Actuum: ubi idem τῇ ἐπαύριον reperitur, & explicatur. Etenim

enim cùm initio hujus capitis actum eſſet de apparitione Angeli ad Cornelium centurionem; verſu nono narratur, quomodò τῇ ἐπαύριον, poſtera die viſio facta ſit Petro, qui τῇ ἐπαύριον, altera die, ut dicitur verſu 23. profectus eſt Joppe ubi commorabatur, Cæſaream, ad quam pervenit τῇ ἐπαύριον altera die, & ingreſſus eſt domum Cornelii quarta die poſt viſionem ejus, ut ipſe Cornelius ſignificat ℣. 30. *Et Cornelius ait: a nudiusquarta die, uſque ad hanc horam &c.* Ita non dubitare licet quin tribus hiſce in locis τῇ ἐπαύριον, ſumatur in ſua propria ſignificatione. Idem ſtatuendum de tribus locis Joannis Evangeliſtæ, qui ter & proximè uſurpat eandem vocem.

Ergo cùm finitis quadraginta diebus jejunii ſui Jeſus ad Jordanem reverſus eſſet, altera die, ſive ſequenti die poſt miſſos ad Joannem ſacerdotes, tunc ei teſtimonium Joannes perhibuit. Jam eum de facie noverat; & ex delapſu Spiritus ſancti in viſibili ſpecie ſciebat eſſe Chriſtum. Igitur ſtatim ac vidit ad ſe venientem, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Multa paucis ſignificat, Jeſum ſcilicet eum eſſe qui ſacrificio corporis ſui aufferret peccata hominum; quod ſacrificium cùm multis typis, tum præſertim adumbratum erat ſacrificio quotidiano agni immaculati, & ſacrificio annuo paſcharis: *Agnus Dei*, ὁ ἀμνός, hoc eſt: ille eſt eximius & ſingularis agnus; rebus enim eximiis & ſingularibus addebatur nomen Dei. *Ecce:* Joannes enim Jeſum digito demonſtrabat.

Ut vis verbi hujus qui *tollit*, perſpecta habeatur, recordari decet, à quo offerretur victima, hujus capiti manus impoſita, & rationem victimæ ritus fuiſſe, ut peccata ſua, & reatum transferret; quaſi in victimam, quæ ſic peccatum portabat. Ibi ergo *tollit*, αἴρων, reſpondet verbo Hebræo נשא *naſcha*, quo ſignificabatur victimam ſuſcipere, & portare peccata hujus à quo, aut cujus cauſa mactabatur. Jeſus dicitur peccata noſtra tuliſſe in corpore ſuo ſuper lignum 1. Petr. 2. 24. Et à Deo pro nobis factum fuiſſe peccatum 2. Corint. 5. 21. Id eſt ſacrificium quod vocabatur *pro peccato*. Ergo *qui tollit* idem eſt ac qui in ſe ſuſcipit & portat, ſicut illud ἆρον τὸν σταυρόν *tollas crucem*, id eſt *portes*. Neque ſolius Judææ, ſed totius mundi Jeſus tollit peccatum; ſiquidem pro omnibus mortuus. Dicitur in ſingulari *peccatum mundi*, quia maximè Jeſus morte ſua peccatum originis, ob quod mundus Deo exoſus erat portavit. Poteſt intelligi omne in genere peccatum; neque enim alia quapiam re ablui peccatum poterat, quale vel quantumcunque ſit, magnum vel parvum, niſi Chriſti ſanguine. Joannes itaque Jeſum digito demonſtrans declarat eum eſſe agnum, quem prænuntiaverant prophetæ; de quo dixerat Iſaias, cap. 53. *ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet.*

30. *Hic eſt de quo dixi: poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.* Quaſi dicat de viro eximio locutus ſum, quem dixi mihi præexiſtere, licèt ante eum præcurrerem. Certè enim præſtantior, & huic ego multùm inferior. Vir autem ille eximius, ipſe eſt in quem nunc digitum intendo, ſic oculos adſtantium Joannes in Jeſum convertens, ut in eo nemo decipi poſſet.

31. *Et ego neſciebam eum*, vel non noveram eum, ut ſonant verba Græca, ſed baptizando agnovi, *ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans.* Sic ordinanda verba illa; propterea veni aqua baptizans, ut Iſraeli manifeſtus fieret voce de cælo & deſcenſu Spiritus ſancti in eum; quod ſe vidiſſe Joannes teſtatur.

32. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.* Quod ſignum ſibi datum ſignificat, quo Chriſtum agnoſceret. 33. *Et ego neſciebam eum:* vel non noveram eum; Græcus enim fons ſic exprimi poteſt. Hoc iterat ne cognationi, familiaritati, aut gratiæ datum videretur hoc teſtimonium. Aufert, inquit, B. Chryſoſtomus, omnem teſtimonio ſuſpicionem, cùm non humanæ familiaritatis gratia, ſed divina revelatione id ſe perhibere oſtendat. Non noverat facie Jeſum; qui enim in deſerto extra paternam domum à puero verſatus erat, non mirum ſi Chriſtum neſciebat. Quin etiam Lucas Brugenſis non obſcurus interpres cenſet, nec Joannem certò noviſſe natum eſſe Chriſtum; nam quòd infans exultavit in utero ad ipſius præſentiam, miraculi fuit, non naturæ; ergo arguenda pictorum licentia, qui toties Jeſum & puerum à pueritia conjungunt conſortio. *Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Nimirum qui baptizaturus eſt in Spiritu ſancto verè abluens peccata, & ſordes mentis; cùm baptiſmus Joannis attingeret ſolum corpus. 34. *Et ego vidi: & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei;* hoc itaque ſigno edoctus teſtimonium perhibui, quia hic ille verus eſt Meſſias, quem omnes ſciunt eſſe Filium Dei. Veriſimile eſt ea ipſa hora qua columba advolans cœlo requievit ſuper Jeſum manens, id eſt non ſtatim avolans, tum Joannem his qui aderant ſignificaſſe, eum quem modò baptizaſſet, eſſe verè Meſſiam, quapropter hic dicit: *& teſtimonium perhibui.*

35. *Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis ejus duo.* Trino teſtimonio Jeſum à Joanne confirmatum Meſſiam, ſive digito monſtratum pro Meſſia, & id tribus diſtinctis diebus, quod majus pondus habet, Evangeliſta declarat. 1. In die baptiſmi, ut veriſimile eſt, quoniam tunc agnovit eum 2. altera die de qua modò locuti ſumus. 3. Iſta iterum altera die τῇ ἐπαύριον,

neu-

nempe ſequenti. Tunc verò ſtabat Joannes loco conſueto, muneri ſuo intentus, baptizans & docens. 36. *Et reſpiciens Jeſum ambulantem* ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ, inſpiciens in Jeſum, oculos nimirum in eum defigens, *dicit: Ecce Agnus Dei.* Iterum adſtruit Jeſum eſſe agnum à prophetis prænuntiatum, cujus nempe ſanguine Deus eſſet placandus, ut ſtatim ac Jeſum dixerit Chriſtum eſſe, ſimul & mortem ejus annuntiaverit.

37. *Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.* Joannes ut diximus antequam ad eum Jeſus acceſſiſſet, plurimos baptizaverat & docuerat; ideo tunc habuiſſe diſcipulos dicitur; neque enim diſcipuli cenſentur qui hac & illa die audiunt, ſed qui à multis diebus magiſtrum ſectantur. Hi autem diſcipuli Joannis excitati ſunt ad ſequendum Jeſum teſtimonio, quod ei Joannes exhibuerat.

38. *Converſus autem Jeſus & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis?* Quid me vultis? *Qui dixerunt ei; Rabbi, (quod dicitur interpretatum magiſter) ubi habitas?* Scilicet *Rabbi* cognomen erat doctorum Judæorum, hos autem docuerat præcurſor à Jeſu miniſtro haurienda eſſe regni cæleſtis myſteria. Quærunt ubi ille habitaret, πῦ μένεις; ubi hoſpitaris? ut te poſtridie inviſamus, & tecum colloquamur, adveſperaſcebat enim. 39. *Dicit eis: Venite & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret; & apud eum manſerunt die illo:* Quod reliquum erat diei; vel eo die inde non receſſerunt, forſan & ibidem pernoctarunt, quia jam ſerum erat, *hora autem erat decima*, ſcilicet ab ortu ſolis, ac proinde parum diei reſtabat. 40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Joanne*, quod perhibuerat Jeſu teſtimonium, & ſecuti fuerant eum.

41. *Invenit hic primùm fratrem ſuum Simonem*, ἀ[illegible] πρῶτος, id eſt primus, ſive prior altero ſuo comite invenit Simonem, quem fortaſſe ambo quærebant. *Et dicit ei: Invenimus Meſſiam*, ut Judæi loquuntur promiſſum & expectatum, *quod eſt interpretatum Chriſtus.* Verba illa ſunt Evangeliſtæ vocem Meſſiæ interpretantis. Hebræis idem ſonat quod χριστὸς Græcis, *unctus* Latinis.

42. *Et adduxit eum ad Jeſum: intuitus autem eum Jeſus dixit: Tu es Simon filius Jona*, Ex nomine & ex genere eum vocat; quem antea non vidiſſet, ita Jeſus ſtatim ſe Deum patefacit. Alibi Simon appellatur filius Joannis, ut *Jona*, idem ſit quod Ἰωνᾶ, vel Ἰωάννου, יוחנא jochana, id eſt Joannes. Sed & nomen יונה jonah, apud Talmudicos frequens eſt. *Tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus.* Mutat ejus nomen, vocans Cephas quæ vox Chaldaicè & Syriacè ſignificat *petram*. Ita Deus cùm vocavit Abraham, conſtituturus eum patrem gentis numeroſæ, mutaverat nomen ejus. Nomina, ea maximè quæ Dei juſſu imponebantur, congruebant rebus quas Deus operari vellet. Cùm itaque in principalem petram ſuæ eccleſiæ deſtinaret Simonem, voluit ut deinceps appellaretur *Cephas*; quod nomen à Judæis Græcè loquentibus reddebatur πέτρος. Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fundamentum, quorum princeps Petrus. Ille tanti ædificii princeps lapis fuit.

CAPUT IX.

Cùm Dominus à deſerto reverſus audiiſſet Joannem traditum eſſe, receſſit in Galileam, vocatis priùs Philippo & Nathanaele.

MATTHÆUS, Cap. 4. ℣. 12.

1 * 12 CUm autem audiſſet Jeſus, quòd Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.

MARC. Cap. 1. ℣. 14.

14 Poſtquam autem traditus eſt Joannes, venit Jeſus in Galilæam, *prædicans* &c. *infra*, cap. 11.

LUCAS, Cap. 4. ℣. 14.

14. Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam, *& fama*; &c. *infrà* cap. 11.

JOANNES, Cap. 1. ℣. 43—51.

2 * 43 In craſtinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jeſu: ſequere me.

3 * 44 Erat autem Philippus à Bethſaida, civitate Andreæ & Petri.

4 * 45 Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit † Moyſes in lege, & † Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth.

5 * 46 Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

† *Gen.* 49. 10. *Deuter.* 18. 18. † *Iſa.* 40. 10. & 45. 8. *Jerem.* 23. 5. *Ezech.* 34. 23. & 37. 24. *Dan.* 9. 24. 25.

6 * 47.

6*47 Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè
Iſraelita, in quo dolus non eſt.
7*48 Dicit ei Nathanael; Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei:
Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.
8*49 Reſpondit ei Nathanael: & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es
Rex Iſrael.
9*50 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis:
majus his videbis.
10*51 Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, &
Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis. ¶

1*12 *Mt.* CUM *autem audiſſet Jeſus quòd Joannes traditus eſſet*, nempe in cuſtodiam; uſurpatur enim hoc vocabulum cum ellipſi, quæ pro ratione ejus de quo agitur ſupplenda. Non alter locus eſt, quem qui texuerunt Harmonias Evangelicas diligentiùs excutere debuiſſent; & quem oſcitantiùs & infeliciùs magis tractaverunt. Omnes ad unum interpretes quorum ad nos pervenere ſcripta, putarunt de alio carcere hìc haud fieri ſermonem quàm de Herodiano. Nec cujuſquam animum ſubiit Joannem à proceribus Synedrii Hieroſolymitani; quorum in ſe odium concitaverat, potuiſſe in carcerem tradi. Cùm ergo hácce in Galilæam ſeceſſione poſt Joannem traditum, Matthæus, Marcus & Lucas ſignificent tunc Jeſum in Galilæa innotuiſſe ſuis miraculis & doctrina prædicantem Evangelium regni Dei, ut adſtruit Marcus. Statuere, inquam, omnes ferè interpretes non cœptum prædicari Evangelium ante incarceratum ab Herode præcurſorem. *Igitur Matthæus* verba ſunt Cornelii à lapide, *orditur hic prædicationem Chriſti à carcere Joannis Baptiſtæ. Ante enim ejus incarcerationem Chriſtus eidem munus prædicandi commiſit, ut ipſe ſibi viam ſterneret, Joanne verò incarcerato, Chriſtus ei in prædicatione quaſi ſol lucifero ſuo ſucceſſit, tuncque publicè & ſolemniter evangelizare cœpit, ut hic enarrat Matthæus.* Alphonſus Toſtatus dicit Chriſtum noluiſſe munus doctoris publici occupare ante occaſum ſui prodromi, ne prædicatio Joannis vileſceret, ne redderetur ſuperflua, ne locus eſſet invidiæ & ſimultati, ne multitudo credentium ſcinderetur.

Vanas & futiles eſſe has omnes rationes liquet, ſi quidem dum adhuc ſuperſtes eſſet Joannes, nondum in carcerem miſſus, ut de eo loquitur Joannes Evangeliſta, tunc Ieſus habebat multos diſcipulos qui baptizarent. Initium muneris à ſuo baptiſmate repetendum eſſe comprobat Actuum Apoſtolorum locus ille, cap. 1. ℣. 22. *Incipiens à baptiſmate Joannis uſque in diem qua aſſumptus eſt &c.* Statim à deſerto ubi delituit per quadraginta dies, cœpiſſe prædicare Evangelium poſteà evincemus multis argumentis; quæ nec interpretes latuere. Quid ergo illi? Reſpondent voluiſſe Spiritum ſanctum diverſo ordine multa ab Evangeliſtis narrari, & προλήψεις ac ὑστερώσεις crebras paſſim reperiri; ne illi ex compacto ſcripſiſſe viderentur; etiam cauſa exercendæ & ſubigendæ fidei noſtræ. Quid hoc eſt niſi fateri, quod non pauci apertè dicunt à Matthæo & Marco, qui poſt quadraginta dies deſerti de vinculis Joannis loquuntur, omnia tempora eſſe permutata. Sed quæ cauſa impellere utrumque potuiſſet, ut extra proprium locum & tempus agerent de carcere Herodiano; quod inter Evangeliſtas parit diſcordiam; & dicta factaque Domini miris modis perturbat, ut in tractatu de duobus vinculis Joannis oſtendimus.

Non minus impediuntur interpretes in reddenda ratione ſeceſſionis Domini in Galilæam, quam Matthæus & Marcus clarè innuunt à Domino ſuſceptam, quia traditus eſſet Joannes. Conſentiunt plerique Jeſum ſibi fuga conſuluiſſe, ne à quibus Joannes traditus eſſet, ipſe traderetur. Si autem hujus carceris auctor fuiſſet Herodes princeps Galilææ, an Dominus in Galilæam revertens ſe commiſiſſet periculo quod fugiebat? An, inquam, parem ſortem fugiens, reverſus eſſet in ditionem Herodis, cujus ira ſibi erat declinanda? Scio à quodam auctore ſcriptum, Dominum Joanne tradito accurriſſe in Galilæam ad colligendos & animandos diſcipulos periculo Joannis dejectos; Verùm hæc parum conveniunt tempori de quo loquimur. Tunc enim Dominus ſolitus erat fugere principes ſibi adverſarios. Fugit in Ægyptum ob iram Herodis magni. Hoc mortuo cùm audiſſent parentes ejus Archelaum filium Herodis regnare in Judæa, nec per eam tranſire voluerunt redeuntes ex Ægypto. An itaque in ipſam Galilæam ingreſſus eſſet Dominus, cedens ex Judæa, ubi nulla poteſtas Herodi Galilææ principi, ut declinaret Herodem? Quin ipſe Matthæus ſcribit cap. 14. cùm Dominus accepiſſet Joannem ab Herode trucidatum, fugiſſe in locum deſertum. Hæc pluribus in dicto tractatu de duobus vinculis Joannis.

Cùm igitur Jeſus audiiſſet, Joannem traditum fuiſſe;

fuiſſe; ſive cùm altera die poſtquam è deſerto reverſus fuerat, tertia à legatione, Joannes traditus eſſet; nimirum ea ipſa nocte à miniſtris Synedrii alligatus fuiſſet Joannes. Jeſus, inquam, die ſequenti quæ quarta fuit ab illa legatione, Judæam reliquit.

2 * 43. *In craſtinum, τῇ ἐπαύριον, voluit exire in Galilæam.* Rem propiùs intuenti mihi apparet Evangeliſtam ſic notaſſe ſignificanter tempus numerando dies exactos ex quo legati Judæorum præcurſorem convenerant, ut indicaret illam legationem cauſam præextitiſſe, qua tam ſubitò Jeſus voluit ſecedere in Galilæam. Etenim qui Judæis promiſſus fuerat, & cujus plurimi typi Hieroſolymis editi erant, ibi pariter videbatur debuiſſe ſedem incolatus ſui ponere. Sed obſtitit invidia Phariſæorum, quos ut declinaret ſæpiùs Hieroſolymis, & ipſa Judæa cedere compulſus eſt. Igitur Dominus in craſtinum voluit, id eſt ſtatuit, quia ſic oportebat ob traditum Joannem, exire *in Galilæam, & invenit Philippum, dicemus in* præſenti tempore. *Et dicit ei Jeſus: ſequere me.* Ubi Dominus invenit Philippum ſcire non poſſumus; utrùm in ipſa Judæa, an in ipſa Galilæa dum in eam ſecederet.

3 * 44. *Erat autem Philippus à Bethſaida, civitate Andreæ & Petri.* Oppidulum eſt ſic dictum ob piſcatores à quibus incolebatur. *Bethſaida* idem eſt ac *domus piſcationis.* Jeſum ergo ſecutus eſt Philippus, forſan adductus à ſuis popularibus Petro & Andræa; & alios diſcipulos adducere ſatagens.

4 * 45. *Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth.* Scilicet nec piſcatores latebat totam legem Moyſis ſpectare Chriſtum, & huic prænuntiando fuiſſe prophetas omnes intentos. Totum vetus Teſtamentum ſic dividebant Judæi, ut quinque libri Moyſis, dicerentur lex, cæteri verò diſtinctionis cauſa prophetæ. Itaque verborum Philippi ſenſus eſt: quem tota ſcriptura prædicat, vel de quo ſcripſere Moyſes & Prophetæ, invenimus. Dum ſe inveniſſe Chriſtum Philippus dicit, quòd quæreret eum oſtendit, ut notat Theophylactus.

5 * 46. *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* an vel ullus propheta poſſet ex loco tam obſcuro prodire? Nathanael utpote in lege peritior, cognoſcebat ex ſcripturis quòd oportebat à Bethlehem venire Chriſtum. Dominus patriæ obſcuræ tenebris ſplendorem ortus ſui obſcurabat, quo pœnas darent ſuæ negligentiæ, qui veras ejus cunas, quod facere oportebat eos, non ſcrutabantur. *Dicit ei Philippus: Veni & vide.* Experire quid viri ſit, & quæ ejus virtus. 6 * 47. *Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Iſte dignus eſt filius Abrahæ, Iſaac & Jacob; neque enim ut aiebat Paulus, Omnes filii Abrahæ ii ſunt filii Abrahæ, hæc quæ de ſe dicta à Domino Nathanael audierat, dedere locum illi ut ſubjiceret quomodo de viro ignoto hæc aſſereret. 7 * 48. *Dicit ei Nathanael: Unde me noſti?* Cui nihil unquam commercii mecum fuit. Ut Nathanaelem verè ſibi notum oſtenderet Dominus, & ſimul ſe Deum probaret, cui omnia patent, rem arcanam & recentem allegat, quam Nathanael ſciebat huic inconſpicuam fuiſſe. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu,* unde eum Philippus ſolus nemine conſcio avocaverat, *vidi te.*

8 * 49. *Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Iſrael.* Id eſt verè tu ille es Meſſias, quem expectamus. Utrumque conſtabat omnibus Judæis de Meſſia; & regem futurum & verè Filium Dei eſſe; nec in tanta divinæ Trinitatis ignorantia verſabantur, quantam plerique illam ſupponunt. 9 * 50. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei: quia dixi tibi: vidi te ſub ficu, credis: majus his videbis.* Alia & majora argumenta habiturus es fidei tuæ. 10 * 51. *Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Hæc reduplicatio, *Amen amen,* denotat rem veriſſimam eſſe, quòd ſcilicet viſuri eſſent apertum cœlum puta in die aſcenſionis, ſenſus eſſe poteſt ita ſibi patere cælum, ut liberum commercium cum Angelis haberet, alludere potuit ad Scalam in qua Jacob videbat aſcendentes & deſcendentes Angelos, nempe miniſtrantes Deo. Ergo vult dicere conſuetudine & miniſterio Angelorum ſe uſurum; quaſi dicat nunc ad me de cœlo, nunc à me ad cœlum Angeli reverterentur, quod non ſemel contigit ut in Paſſione, in Reſurrectione & in Aſcenſione. Verba illa de Angelis *deſcendere & aſcendere*, ordinarium miniſterium indicant ſicut illa *egredi & ingredi*, ubi de hominibus agitur; ut cùm Dominus de domeſtico homine ait apud Joannem, cap. 10. ℣. 9. Et *ingredietur & egredietur.* Quæ locutio frequens eſt in ſcripturis. *Super filium hominis*, id eſt ſuper me ipſum, *filius enim hominis*, loco pronominis non rarò uſurpatur.

CA-

CAPUT X.

Dominus vocatus ad nuptias in Cana urbe Galilææ, mutavit aquam in vinum; quod initium fuit ſignorum ejus.

JOANNES, Cap. 2. ♆. 1—11.

† Dom. 2. poſt Epiph.

1 ET die tertia † nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater
Jeſu ibi.
2 Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus, ad nuptias.
3 Et deficiente vino, dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.
4 Et dicit ei Jeſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.
5 Dicit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.
6 Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.
7 Dicit ei Jeſus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum.
8 Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.
9 Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus.
10 Et dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.
11 Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli ejus. ¶

1 ET *die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Jeſu ibi*. Alii illam diem tertiam numerant à Judæorum ad Joannem legatione, alii à vocato Simone, alii à profectione in Galilæam, alii denique ab adventu Domini vel in hanc regionem, vel in urbem Cana; omnes magnis impediuntur difficultatibus. Legatio enim Judæorum tribus, aut quatuor diebus antecedit profectionem Domini in Galilæam, à Jordane uſque in urbem Cana intra duos dies tantum itineris confici non potuit. Cætera omnia incerta ſunt, quo tempore & loco, an eodem die, vel diverſis diebus Philippum & Nathanaelem vocaverit Dominus; utrum denique in Galilæam profectus, priùs Nazareth venerit, unde petierit Cana. Veriſimile autem non eſt, ſi Evangeliſta voluiſſet notare certum temporis intervallum, non deſignaviſſe terminum unde horum trium dierum numerum iniret. Ni ergo mea me fallat conjectura, puto non de alicujus temporis, ſive profectionis, aut itineris intervallo, ſed feſtivitatis nuptialis loqui Evangeliſtam, ita ut horum verborum *καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο*, ſenſus ſit *& die tertia qua fiebant nuptiæ*, vel; *& die tertia qua continuabatur epulum nuptiale &c.* quod ut liqueat, animadvertendum eſt non uno die, ſed pluribus olim apud Hebræos peracta fuiſſe nuptiarum ſolemnia. *Sapientes conſtituerunt*, verba ſunt Maimonidis tractatu de connubiis, cap. 10. numer. 12. ut *qui virginem ducat uxorem, is ſeptem dies perpetuos hilares cum ea ſumat, neque ſua ſe exerceat arte, neque apud ſervum negotiis contrahendis ſeſe implicet; ſed ad veſcendum, potandum, atque ad oblectandum ſe paret totum & dedat: nec in eo differat à novo marito viduus. Et qui ducit uxorem jam mulierem, is non minus triduò ſe faciat hilarem. Etenim fœminis Iudæi à ſapientibus id decretum eſt, ut qui mulierem ducit uxorem ſeu novus maritus, ſeu viduus, cum ea ſe triduum oblectet.*

Igitur tertia dies erat nuptiarum, ad quas Jeſus vocatus erat, & quæ fiebant in urbe Cana. Hæc dicitur Galilææ ad diſtinctionem ab altera Cana, vel à Cana Sidoniorum, vel à Cana Samariæ in

tribu

Tribu Ephraim. Cana autem Galilææ vicina erat Nazareth, unde Maria & Joſeph potuere in hac urbe cognatos habere. Ideò non mirum quod addit Evangeliſta: *Et erat mater Jeſu ibi.* Quia verò non memoratur Joſeph, jam diem ſuum obiiſſe inde interpretes colligunt.

2. *Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.* Ad iſtas nuptias invitatus fuerat Jeſus cum diſcipulis ſuis, quos non paucos jam potuerat collegiſſe; neque enim ut dictum eſt intelligendus eſt Evangeliſta quaſi poſt tres dies à profectione ſua in Galilæam, aut ab ejus adventu in eam regionem, celebratæ ſint hæ nuptiæ. Jam aliquot dies forſan abierant; unde creverat numerus diſcipulorum Jeſu; quapropter cum pluribus ad dictas nuptias advenit.

3. *Et deficiente vino, dicit mater Jeſus ad eum: vinum non habent.* Non id mirum eſt, jam enim à tribus diebus potabatur, & adveniente Jeſu cum plurimis diſcipulis numerus convivarum ultra expectatum fuerat auctus; ideò Maria Jeſum, cujus comitatus alioquin oneraſſet novum ſponſum, admonet poteſtatis ſuæ, quaſi dicat: deficit vinum: tu ergo illud procura; etenim potes huic inopiæ ſuccurrere, hæc non poſtulaſſet Maria à filio niſi quem verè ſciviſſet Deum.

4. *Et dicit ei Jeſus: quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* τί ἐμοὶ καὶ σοί. Græcè hæc reddita ſunt; nam Latine dicendum erat. *Quid mihi tecum*, ut vult Eraſmus. Tam perſpicuum eſt illa verba, inquit Maldonatus, ſpeciem habere reprehenſionis, ut prudenter negari non poſſit. Cettè reprehendentis formulam hanc apud Hæbreos eſſe docent illa Davidis. 2. Reg. cap. 16. ℣. 10. *Quid mihi & vobis eſt filii Sarviæ?* Et illa Jephtes ad regem Ammonitarum, Jud. cap. 11. ℣. 12. *Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me; ut vaſtares terram meam?* Inquiebat enim Jeſus: *nondum venit hora mea*; haud intelligens, ut plurimi opinantur, munera ſua exercendi, etenim à baptiſmo ſuo inchoaverat curſum munerum ſuorum; ſed patefaciendi gloriam ſuam hora non advenerat, ſcilicet in terras advenerat ut pateretur, non éxaltandus ante opprobria crucis ſuæ, ideò quaſi ab invito extorquebantur, quæ patrare miracula rogabatur; & ne vulgarentur, ſedulò præcipiebat, tantùm in pervigilio paſſionis ſuæ à patre ſuo claritatem poſtulavit, poſt diem tertium excitandus è ſepulcro. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum &c.* Joan. cap. 17. ℣. 1. his ergo in nuptiis, quia nondum venerat tempus ut inclareſceret, reprehendit matrem, quæ rogabat ut faceret miraculum, quod facit tamen ejus rogatu, ſicut & alia omnia ſua miracula victus precibus eorum, qui ejus auxilio indigerent.

5. *Dicit mater ejus miniſtris: quodcumque dixerit vobis, facite.* Quippe contraria erat nihil precibus ſuis denegari à filio ſuo, & ideò ab eo procurandum eſſe vinum.

6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex, poſitæ ſecundùm purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.* Vult ſignificare Evangeliſta vim miraculi, ſcilicet Jeſum non parum aquæ mutaſſe in vinum. Erant inquit, vaſa capacia aquæ recipiendæ deſtinata, ut nomen indicat ὑδρίαι ab ὕδωρ, *aqua*, nimirùm & hoc faciebat ad miraculi fidem, quod earum hydriarum ſolemnis eſſet uſus; nec alium liquorem inquam accepiſſent, præterquam aquæ. Ad rei clariorem intelligentiam neceſſe eſt mentem advertere ad capacitatem & formam, deinde ad uſum harum hydriarum. De capacitate non omnino conſtat; etenim menſurarum ejuſdem nominis non ſemper eadem eſt capacitas etiam in ejuſdem regionis oppidulis. Ex Plutarcho in vita Solonis, hydria continebat ſex congios, ſic metretæ Atticæ quæ duodecim congiorum capax fuit, dimidia pars. Singulæ verò hydriæ de quibus ſermo fit in Evangelio, capiebant aliæ duas, aliæ etiam trinas metretas. Metreta ſtatuitur æqualis duodecim congiis Romanis. Congius Romanus pondere Pariſienſi erat centum undecim unciarum cum tribus quadrantibus unciæ. Ita metreta erat 1341. unciarum Pariſinarum. Cùm ergo pinta Pariſina pendeat triginta duabus unciis, aqua cujus capax erat metretes, erat circiter æqualis quadraginta duabus pintis. Ita hydriæ binarum metretarum continebant ſingulæ octoginta quatuor pintas, quæ erant trium metretarum, continebant centum viginti ſex pintas.

Itaque vaſa illa non erant portatilia; lapidea enim erant ex Evangeliſta, & aquæ cujus capacia erant, pondus erat ducentarum & quinquaginta librarum Pariſinarum. Vaſa ergo erant è lapide, ſeu ſaxo exciſa, qualia illa ſunt quas vernaculè dicimus *des auges de pierre*. Unde in Evangelio dicitur quòd illæ Hydriæ erant κείμεναι, hoc eſt *ſitæ, poſitæ*, ſeu locatæ; nempè non mobiles erant, ſed fixæ, unde videre eſt quid ſit ſentiendum de illis vaſis, quæ integra, aut quorum fragmenta oſtentantur inter aliquarum Eccleſiarum cimelia pretioſa & ſacra, quaſi inſervierint miraculo de quo nunc agitur.

Erant poſitæ illæ hydriæ κατὰ καθαριſμὸν, ſecundùm purificationem Judæorum. Vulgo putant interpretes præpoſitionem κατὰ ibi poſitam eſſe pro εἰς in ſeu *ad* purificationem Judæorum. Veram mentem Evangeliſtæ, explicare decet ex certis Judæorum conſuetudinibus & ritibus. Qui erant immundi, non poterant lavari niſi in loco idoneo, ubi ſcilicet congregabantur quadraginta ſata aquæ, ut docet Maimonides in tractatu *mikvooth*. Habebant ergo Judæi balnea, cuppas capaciores, quales illæ hydriæ Joannis, quæ continerent certam menſuram aquæ neceſſariæ,

ſecun-

ſecundùm purificationem Iudæorum, id eſt juxta ritus quibus in certa copia aquæ Iudæi immundi ſeſe abluere tenebantur. Cùm Palæſtina, inquit Chryſoſtomus, inopia aquæ laboret; rari enim fontes illic ſcaturiunt, hydriæ illæ aqua plenæ ſervabantur, ne ſi quando immundi fierent, longiùs flumina petenda eſſent, ſed propè purgarentur.

7. *Dicit eis Ieſus: implete hydrias aqua.* Non dicit, deferte ad fontem, aut ad puteum hydrias; ſed quoniam, ut dixi, fixæ erant & immobiles, *implete*. Res agebatur coram omnium oculis; nam ibi poſitæ erant hydriæ; & cùm vaſa eſſent aperta & capacia, nulla fraus poterat ſubeſſe. *Et impleverunt eas uſque ad ſummum.* Ita non parva copia aquæ mutata in vinum. 8. *Et dicit ei Ieſus*: haurite nunc *ἀντλήσατε*, id eſt ex illis hydriis capacibus haurite utentes minoribus vaſis. *Et ferte architriclino & tulerunt.* Intelligitur curator, vel magiſter convivii; qui nunc huc, nunc illuc diſcurreret perguſtans cibos ac vina. Vox illa propriè ſignificat virum qui ſit princeps lectorum, in quibus convivæ accumebant. Nomen illud ex his tribus formatum eſt *ἀρχὴ*, *principatus*, *κλίνη*, *lectus*, & *τρεῖς*, *tres*, non plures quàm tres lecti erant in cænaculo, unde facta vox *triclinium*. Sunt igitur quibus videtur ille architriclinus fuiſſe *ſympoſiarcha*, quales erant in cœnis Græcorum & Romanorum, *reges convivii*. Non diſplicet conjectura eorum qui rem explicant ex conſuetudinibus Hebræorum, qui non epotant vinum, quin qui dignior ſit, recitaverit ſuper poculum benedictiones, ideo dictus *architriclinus*.

9. *Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam*, ſcilicet aquam, quæ in vinum mutata fuerat, *& non ſciebat unde eſſet*, nempe vinum illud factum ex aqua; *miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam* ex ipſis hydriis, *vocat ſponſum architriclinus*. 10. *Et dicit ei: omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt*, hoc eſt, cùm largiùs adbiberint convivæ, & ſitim expleverint, apponit vinum quod minus bonum eſt. Idioma linguæ Hebraicæ eſt, inquit Hieronymus, ut ebrietatem pro ſatietate ponat. *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc*, uſque ad illam tertiam diem nuptiarum. Sic exiſtimabat architriclinus donec conſentiente miniſtrorum teſtimonio patefactum eſt miraculum, dum quiſque vini ſapore excitatus ſciſcitaretur unde eſſet, quin cùm in propatulo res fieret, hydriæ patulæ omnium adſtantium oculis ſubjacerent, miraculum conſpicuum fuit; ſimul & abundè ſuffecit reliquis diebus nuptiarum; quamquam plurima turba eſſet.

11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilaa; & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Hoc fuit initium ſignorum, ſive miraculorum quibus deitatem ſuam manifeſtam fecit, quam & præſentem oſtendit eo ſenſu, quo ſuprà Joannes dixit: *& vidimus gloriam ejus.* Ideò quia venerat ad ſubeunda opprobria, niſi compulſus matris precibus non edidit hoc ſignum, quo confirmati ſunt ejus diſcipuli & crediderunt verum Deum. In chronologicis ſtatuimus has nuptias celebratas die ſexta Ianuarii, qua die memoria illarum recolitur in eccleſia. Tempus illud deſtinatū videtur nuptiis ineundis; etenim *genialis hiems*, ut canit poeta.

CAPUT XI.

Jeſus relicta Nazareth civitate ſua, habitat in urbe Capharnaum. Incipit prædicare Evangelium regni cœlorum.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 1. ℣. 13-17.	JOAN. Cap. 2. ℣. 12.
1 *Mt.* ET, relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim,	13 Et, relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim.	12 Poſt hæc deſcendit Capharnaum
2 *J* Ipſe, & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus: & ibi manſerunt non multis diebus.		Ipſe, & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus; & ibi manſerunt non multis diebus.

MATTHÆUS.

3 * 14 Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam:
† *Iſa.* 9. 1. 4 * 15 † Terra Zabulon & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium.
5 * 16. Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.

6. *Mt.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCO, Cap. 1. ℣. 14. & 15.
6 *Mt.* Exinde cœpit Jeſus prædicare *Mc.* Evangelium regni Dei, *Mt.* & di-cere;	17 Exinde cœpit Jeſus prædicare & dicere;	14 . . . prædicans Evangelium regni Dei.
7 *Mc.* Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: *Mt.* pœnitentiam agite, *Mc.* & credite Evangelio: *Mt.* appropinquavit enim regnum cælorum.	pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.	15 Et dicens; Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei; pœnitemini, & credite Evangelio.

L U C A S, Cap. 4. ℣. 14—15.

8 * 14. Et fama exiit per univerſam regionem de illo.
9 * 15. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

1 * 13. ET, *relicta civitate Nazareth venit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim.* Critici ſcribunt Nephtali; hæc enim tribus in fonte appellatur נפתלי. Jeſus, relicta Nazareth civitate ſua, quia nemo eſt propheta in patria ſua, ſedem fixit Capharnaum, quæ urbs eſt maritima, nempe vicina lacui Geneſareth, quem Hebræi pro more ſuo appellabant mare. Cùm ergo Capharnaum emporium eſſet multis frequentatum tum Judæis tum gentilibus; fama ſui adventus latiùs poterat propagari. Sic Capharnaum incolam eum habuit, ut Bethleem genuerat, educaverat Nazareth. Ideò, inquam, Capharnaum in qua frequentius diverſabatur, dicitur in Evangelio urbs ejus; ob hoc apta promulgando ſuo Evangelio, quod in diverſas civitates regioneſque poterat navibus momento huc illuc ferri. Plinius, lib. 5. cap. 15. obſervat lacum Geneſaram amœnis fuiſſe circumſeptum oppidis; nec ingratum operæ pretium erit huc afferre locum Joſephi, lib. 3. *de bello*, cap. 18. ubi deſcribit regionem illam, quam potiſſimùm Dominus incoluit hiſce annis quibus promulgavit Evangelium ſuum. *Ad Geneſar verò lacum ejuſdem nominis terra prætenditur, natura ſimul & pulchritudine admirabilis. Nullum enim ipſa præ ubertate ſoli ſui negat arbuſtum, totamque plantis conſevere cultores; Cæli verò temperies etiam diverſis aptiſſima eſt. Nuces enim, quæ arborũ maximè frigoribus gaudent, infinitè floreſcunt: ubi etiam palmæ, quas nutrit calor æſtivus. Has juxta ficus & oleæ, quibus aura mollior deſtinata eſt. Ut naturæ magnificentiam hanc eſſe quis dixerit vim adhibentis, ut in unum conveniant inter ſe repugnantia, annique temporum contentionem bonam veluti ſingula peculiari ſtudio terræ faverent. Non enim ſolùm nutrit præter opinionem poma varia, ſed etiam ſervat, egregia quidem & quodammodo regalia. Uvas ſanè & caricas ſine intermiſſione decem menſibus ſuggerit, cæteros verò fructus anni ſpatio ſeneſcentes. Nam præter aeris lenitatem, & fonte quoque irrigatur uberrimo qui Capernaum ab indigenis appellatur.* Hinc urbs Capharnaum dicta. Nomen illud interpretatur vel *vicum jucunditatis*, vel *vicum conſolationis.*

Elegit Dominus hanc urbem & regionem ob populorum frequentiam; quando non ſinerent inſidiæ Phariſæorum, ut commoraretur in Judæa, multa ſuadent fuiſſe ſubditam Herodi Antipæ Tetrarchæ Galilææ. 1. Sita erat cis lacum Geneſareth, qui mare Galilææ appellabatur, quia de Galilæa eſſet; ita Capharnaum pars erat hujus regionis, ſive ditionis Antipæ. 2. Non longè erat Capharnaum à Tiberiade, quam in honorem Tiberii ab Herode Antipa ædificatam ſcribit Joſephus. 3. Philippus, cui plerique ſubdunt hoc emporium, Itureæ quidem & Traconitidis & aliarum regionum dicitur tetrarcha, neutiquam verò Galilææ. Multos autem deceperunt vulgatæ tabulæ Geographicæ, in quibus Bethſaida, quæ parebat Philippo ponitur in vicinia Capharnaum, in eodem citeriori littore lacus Geneſareth. Verùm infrà evincemus in oppoſito littore fuiſſe in Gaulonitide quæ erat de Tetrarchia Philippi. 4. Incola fuit Dominus urbis Capharnaum: ob incolatum autem ſuum de imperio Herodis eſſe cenſebatur; cùm ergo ratione domicilii quiſque huic, vel alteri principi ſubjicitur, certum eſt Capharnaum paruiſſe Herodi; quam itaque urbem non elegiſſet Dominus ad habitandum cùm fugit poſt traditum Joannem; ſi ab ipſo Herode Antipa Joannes in vincula traditus fuiſſet.

2 * 12. *I. Ipſe & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus.* Nimirum poſtquam in Cana edidiſſet miraculum relicta civitate Nazareth Jeſus cum matre, cognatis, & diſcipulis deſcendit Capharnaum, ubi ſuum domicilium poneret. Hiſce apertum eſt profectionem illam, quam Ioannes dicit Ieſum ſuſcepiſſe in Galilæam poſt baptiſmum ſuum, non aliam eſſe ab ea, quam Matthæus & Marcus ſcribunt non ſuſceptam, niſi poſtquam traditus eſt Ioannes præcurſor. Vicina Cana ubi Evangeliſta dicit aquam factam vinum ſatis admonet Ieſum veniſſe Nazareth, quam reliquit

ex

ex Matthæo ut incoleret Capharnaum; quod ſatis clarè innuit Ioannes, nimirum à Nazareth migraſſe Capharnaum, ut ibi ſedem poneret, cùm dicit in hanc urbem deſcendiſse cum matre cum fratribus & diſcipulis; id eſt totam tranſtuliſse familiam. De eadem, inquam, profectione utrumque Evangeliſtam loqui confirmant quæ ſequuntur. Tunc enim Ieſum cœpiſse innoteſcere, habuiſse diſcipulos, Evangelium prædicaſse, conſentiens eſt omnium Evangeliſtarum ſcriptio. Aquæ in vinum mutatio fuit initium ſignorum ejus. Quia verò id contigit fieri in Galilæa, in eo ſcilicet tractu terræ Iſrael, ubi quondam tribus Zabulon & Nephtali, ideò Matthæus his quæ tum fierent à Domino, accommodat ſequens vaticinium Iſaiæ; quod neutiquam conveniret, ſi ille Evangeliſta non de prima profectione in Galilæam, cùm cœpit miracula edere & docere loqueretur, ſed de altera quam non ſuſcepiſset niſi poſt conjectum Baptiſtam in vincula Herodiana; hoc eſt multo tempore poſtquam jam cœptum eſset prædicari Evangelium.

Subjungit quidem Ioannes: *& ibi manſerunt non multis diebus*; quia, inquit, *prope erat Paſcha Iudæorum*, ad quod celebrandum Dominus aſcendit Hieroſolymam. Verùm non ideò minus multa dicta factaque ſunt ab illo ante illud Paſcha. Videbimus ubique in hiſtoria vitæ Domini res præcipiti curſu fluere; ideò etiam ſi baptizatus eſset die ſexta Iannuarii; nam vetus traditio docuit, nos, ut in chronologicis obſervatum eſt, baptizatum fuiſse initio Novembris, attamen tempus quod effluxit à baptiſmo ejus ad proximum Paſcha, ſufficeret gerendis rebus quas hic ſecundus liber Harmoniæ noſtræ complectitur. In eo enim ſunt multi ſermones, quibus pronuntiandis aliquas tantùm horas Dominus potuit impendere; & miracula enarrantur quæ paucis diebus fieri potuere. Quapropter Ioannes breve tempus dixit de quo volebat contrahere ſermonem, alia relaturus quæ ab aliis Evangeliſtis non fuerant literis exarata.

3 * 14. *Mt. Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam*. Hoc eſt cùm in Galilæa primùm cœperit Dominus docere, & miracula edere, contigit ut impleretur quod à propheta dictum erat in typo, tribus Zabulon & Nephtali primas percepturas beneficia Chriſti. 4 * 15. *Terra Zabulon & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem & Galilæa gentium*. Hæc deſumpta ſunt ex capite 9. Iſaiæ, ubi videtur ille directè agere de liberatione aliqua, quæ circa propiora tempora contigerit, typus alterius liberationis in noviſſimis temporibus. Prophetæ ſæpè ſæpiùs Chriſtum intuebantur, ut dum de præſentibus loquerentur, futura etiam tempora ob oculos haberent. Hoc autem ſit veteris vaticinii applicatio, ſive alluſio Evangeliſtæ nova veteribus comparantis ob analogiam, talis eſt oratio Iſaiæ in codice Hebræo, à quo multum abeſt verſio Græca. Matthæus autem, quædam tranſiliit ad inſtitutum properans; videtur enim locum adducere maximè propter illa verba: *populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. En locus integer, *& ecce tribulatio, & tenebræ, & diſſolutio, & anguſtia, & caligo perſequens, & non poteris avolare de anguſtia ſua*. Sic caput octavum Iſaiæ concluditur, deinde incipit nonum. *Primo tempore alleviata eſt*, ſuperiora non allegavit Matthæus. *Terra Zabulon & terra Nephtali*, nec illa quæ parenthesi includo (& noviſſimo aggravata eſt) *via maris trans Iordanem Galilæa gentium, populus qui ſedebat in tenebris &c.* ſuprà obſervavimus Hebræorum עבר & *πέραν* Helleniſtarum ſignificare tractum omnem conterminum fluvio, ſive citeriorem, ſive ulteriorem, quod ex hocce loco in quo verſamur, apertum eſt. Etenim neque Zabulon, neque Nephtali ſunt trans Iordanem; nec etiam Galilæa gentium, ſive ſuperior ubi maritimæ urbes habitatæ gentibus, id eſt Græcis. Hæc etiam ſic dicebatur gentium, quia eſset populoſa, aut quod non unius nationis homines eam habitarent. Illud autem via maris in ſexto caſu eſt; in fonte Græco eſt *ὁδὸν θαλάσσης*. Supplendum vel *κατὰ* vel *παρὰ*, ut ſenſus ſit *juxta mare*, nimirum juxta lacum Geneſareth.

Non hujus eſt loci ſcrutari vaticinium Iſaiæ, alii alio modo illud explicant. Certum eſt in dictis tribubus Zabulon & Nephtali primam cladem incubuiſse, cùm decem tribus captivæ abductæ ſunt ab Aſsyriis. Iſaias autem videtur conſolari pios contra illas calamitates partim ab illarum ceſsatione, partim ac præcipuè ab exortu novæ lucis, nempe ſalutis per Chriſtum & Evangelium communicandæ. Quidquid ſit, hæc Matthæus applicat ad argumentum de quo agebat. Quaſi dicat cùm Chriſtus venit & incoluit Capharnaùm in finibus Zabulon & Nephtali, impletum eſt vaticinium quod aſtruebat illius regionis populum viſurum lucem magnam, quæ revera ei oborta eſt adveniente Meſſia. Ut enim illæ tribus Zabulon & Nephtali olim expertæ erant magnas tenebras, id eſt magnam afflictionem obnoxiæ primis Aſſyriorum incurſibus; contra tempore Meſſiæ primæ ſenſerunt beneficia ejus; & luce ejus fuerunt colluſtratæ. Etenim Nazareth ubi educatus Dominus, in tribu Zabulonis ſita eſt; Capharnaum verò quam incoluit, in tribu Nephtali.

5 * 16. *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. In Græco codice *in regione & umbra mortis*; ſed Latinus interpres preſſiùs expreſſit codicem Hebræum Iſaiæ. Ille autem propheta prædicit eis qui ſederant in tenebris, hoc eſt in afflictione, & in regione umbræ mortis, hoc eſt in tenebris mortis, vel in periculo mortis, auroram libertatis ac lucis Evangelicæ illis orituram,

Digitized by Google

turam, quod contigit ſub Chriſto, ut ad hunc locum Iſaiæ adſtruit Hieronymus, hocce argumento, quòd initium ſignorum ſuorum fecerit Dominus in Cana Galilææ. Tam liquidò id declarat Matthæus, ut huic adverſetur qui negare audeat. 6 * 17. *Exinde cœpit Jeſus prædicare Mc. Evangelium regni Dei; Mt. & dicere,* 7 * 15. *Mc. Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei.* Jam impleta ſunt tempora quibus oriturus erat Chriſtus; & regnaturus Deus cultu ejus per Chriſtum reſtaurato; ergo *Mt. pœnitentiam agite.* Regnum enim illud poſtulat ſubditos quos pœniteat admiſſorum antea criminum, *& credite Evangelio.* Vobis affertur bonum nuntium adventus Meſſiæ; nolite huic nuntio fidem abrogare. *Mt. appropinquavit enim regnum cælorum,* reſeratur cælum iis qui prompto & alacri animo viam ad illud inibunt.

Quem hæc non ſuadent Jeſum cœpiſſe prædicare ſuum Evangelium, ante Herodiana vincula, animum advertat ad illa Petri in Actibus, cap. 10. ℣. 37. quibus liquidò declarat Jeſum curſum ſuum ſtatim à baptiſmo inchoaſſe in Galilæa. *Incipiens enim à Galilæa poſt baptiſmum quod prædicavit Joannes &c.* Cùm ergo traditus eſſet Joannes, antequam inciperet Dominus prædicare, alia ſint neceſſe eſt illa Joannis vincula quàm Herodiana.

8 * 14. *L. Et fama exiit per univerſam regionem de illo.* Nemo dicat nonniſi poſt Herodianum carcerem inclaruiſſe Dominum; etenim fama ſua jam eam auctoritatem ſibi conciliaverat, ut in Paſchate quod præceſſit hunc carcerem, potuerit cum imperio expellere Templo, quotquot in eo mercaturam de ſacerdotum conſenſu faciebant, ut videbimus.

9 * 15. *Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.* Quoniam de iſtis ſynagogis ſæpiùs ſermo fiet, adverto hìc fuiſſe ædes publicas, in quibus congregabantur Judæi ad orandum & ad lectionem ſcripturarum. Exercitiis autem, quæ in hiſce locis fierent, ſoli ſacerdotes, aut Levitæ non præerant. Etenim ſine diſcrimine pariter omnes Iſraelitæ admittebantur ad legendum, tum etiam ad interpretandum ſcripturas; modò ad id idonei viderentur; ideò J. C. D. N. quamquam non ex Levitica tribu toties docuit in ſynagogis. Vocabantur à Judæis Græcè loquentibus *προσευχαὶ*, unde nomen Latinum *proſeucha*, pro *ſynagoga*; quaſi dicas domos orationis, ſive oratoria, has frequentabant potiſſimùm ſabbatis Judæi cauſa diſcendi quæ patriam religionem ſpectarent, ſeu ut loquitur Philo libro de legatione ad Cajum, ut publicitùs exercerent in patria philoſophiam. Ideò ille ſynagogas appellat *διδασκαλεῖα*, *ſcholas*. *Septimo quoque die*, ait idem ſcriptor libro de ſeptenario; *innumeræ per totam urbem prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, juſtitiæ aliarumque virtutum ſcholæ panduntur.* Etenim in unaquaque urbe complures ſynagogæ erant. Hebræi narrant ultimis temporibus in una Hieroſolyma fuiſſe 480. ſynagogas. Pergit loqui Philo. *In quibus alii modeſtè conſident, quietè & placidè arrectis auribus, cum attentione exacta, eo quòd orationum ſuaviſſimarum ſiti correpti ſint. Mox verò exurgens quidam è peritiſſimis, εἷς τῶν ἐμπειροτάτων.* Non eum dicit ſacerdotem, aut Levitam, ſed qui peritior ſit, *enarrat optima & profutura, quibus omnis vitæ curſus ad quod melius eſt, provehatur*, honos deferebatur ab Archiſynagogo, id eſt ab eo qui præerat ſynagogæ, viris gravibus & non ineruditis. Ita Paulus & Barnabas cùm ſynagogam ingreſſi eſſent die ſabbatorum, *poſt lectionem autem legis & prophetarum, miſerunt principes ſynagogæ ad eos dicentes, viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite.* Act. cap. 13. ℣. 15. hæc obſervare non erat extra operam, ut pateat quomodo Jeſus doceret in ſynagogis.

CAPUT XII.

Petrus & Andreas copioſam multitudinem piſcium concludunt, laxantes rete in verbo Domini, quem relictis retibus unà ſequuntur filii Zebedæi, Jacobus & Joannes.

HARMONIA.

1 *Mt.* AMbulans autem Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete *Mc.* in mare: (erant enim piſcatores.)

MATTH. Cap. 4. ℣. 18-22.

18 ✠ Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare; (erant enim piſcatores) 19 *Et ait &c. infrà.*

MARCUS, Cap. 1. ℣. 16-20.

16 Et præteriens ſecus mare Galilææ, vidit Simonem,

& Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare; (erant enim piſcatores.) 17 *Et dixit &c. infrà.*

✠ *In feſto S. Andreæ.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
2 *Mt.* Et procedens inde *Mc.* puſillum, *Mt.* vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua.	21 Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua. *& vocavit, &c. infrà.*	19 Et progreſſus inde puſillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipſos componentes retia in navi.

LUCAS, Cap. 5. ℣. 1—11.

† *Dom. 4. poſt Pent.* 3 * 1 Factum eſt autem † cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.

4 * 2 Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia.

5 * 3 Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas.

† *Joan. 21. 5.* 6 * 4 Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: † Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

7 * 5 Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

8 * 6 Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam; rumpebatur autem rete eorum.

9 * 7 Et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.

10 * 8 Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine:

11 * 9 Stupor enim circumdederat eum & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant.

12 * 10 Similiter autem Jacobum & Joannem, filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis. Et ait ad Simonem Jeſus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.	MARCUS.
13 *Mt.* Et ait illis: (*Simoni & Andreæ*) *Mt.* Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.	19 Et ait illis Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.		17 Et dixit eis Jeſus, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.
14 *Mt.* At illi continuò *Mt.* relictis relibus, ſecuti ſunt eum.	20 At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum.		18 Et protinus relictis retibus, ſecuti ſunt eum.
15 *Mc.* Et ſtatim vocavit illos, (*alios duos fratres Jacobum & Joannem*) & relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis.	21 *Et procedens &c. ſuprà.* & vocavit eos. 22 Illi autem ſtatim relictis retibus & patre,		19 *Et progreſſus &c. ſuprà.* 20 Et ſtatim vocavit illos. Et relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis.
16 *L* Et ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus, *Mt. L* ſecuti ſunt eum.	ſecuti ſunt eum. §	11 Et ſubductis ad terrâ navibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum. ¶	ſecuti ſunt eum.

1 * 18. *Mt.* AMBULANS *autem Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare: (erant enim piſcatores)* Jam habebat diſcipulos Dominus, cùm vocatus eſt ad nuptias; Petrum verò & Andream ab illa die qua à Joanne Baptiſta proclamatus fuerat Agnus Dei; ſed poterant Petrus & Andreas, cæterive alii primis his temporibus non eum perpetuò ſectari, & interdum redire ad ſolita ſua opera. Ideo, ut opinor Evangeliſtæ ad huncce diem referunt vocationem utriuſque, quia ab hac tantùm die, relictis reti-

retibus ſecuti ſunt Dominum. Theophylactus dicit Petrum & Andream, cùm viderunt Joannem Baptiſtam vinctum mœſtos rediiſſe ad artem ſuam. Miror autem Theophylacto & aliis interpretibus, qui non ab alio quàm ab Herode vinctum præcurſorem opinabantur, non ſuboluiſſe, ex iſta opinione id incommodum ſequi quòd ii Apoſtoli qui columnæ ſunt, & quaſi fundamentum Eccleſiæ, ſeriùs aliis vocati eſſent. Nam præcurſor non conjectus eſt in carcerem niſi aliquot menſibus poſt primum à baptiſmo Paſcha, cùm jam plurimos diſcipulos Dominus numeraret. In noſtro ſyſtemate & hac hypotheſi quòd apud Matthæum omnia digeſta ſunt ſecundùm tempus quo illa fieri contigit, ſtatim ac Jeſus cœpit Evangelium ſuum promulgare, hos Apoſtolos primarios ad ſe adduxit, tum & cæteros; qui teſtes fuere omnium quæ dixerat & fecerat ſtatim à baptiſmate Joannis & non ſolùm ab eo tempore, quo vinculis Herodianis alligatus eſt Joannes; juxta illa Actuum, cap. 1. ℣. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Ieſus 22. incipiens à baptiſmate Ioannis uſque in diem quâ aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex illis.* Nullus diffiteatur id magis congruiſſe ut protinus J. C. D. N. ſtatueret collegium Apoſtolicum, id eſt jaceret fundamenta ædificii quod illi ſuperſtruendum erat exiguo illo temporis intervallo quo poſtea vixit.

Cùm ergo concurſu populorum quos fama ejus excitabat, obrueretur Dominus, domo ſua, ipſa etiam urbe cedere compulſus eſt. Ambulans autem juxta mare, id eſt juxta lacum Geneſareth, cui urbs Capharnaum vicina eſt, vidit Petrum & Andream priſtinam artem exercentes. Matthæus dicit Dominum illico hos vocaſſe qui ſtatim relictis retibus obſecuti ſint. Nimirum Evangeliſta ille, ſicut & Marcus rem contrahunt prætermittentes hanc circunſtantiam quam Lucas narrat, quòd cùm nocte præcedenti fruſtrà miſiſſent retia in mare, juſſu Domini iterum laxantes retia, ceperint multitudinem copioſam piſcium. Hoc enim miraculo adducti ſunt, ut relictis retibus, & ipſa arte piſcatoria relicta Chriſtum ſequerentur jam piſcaturi homines. Ergo duos verſiculos ſequentes decimum nonum & vigeſimum Matthæi tranſtulimus in locum qui illis proprius videbatur.

a * 21. *Mt. Et procedens inde 19. Mc. puſillum, Mt. vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum reficientes retia.* Andreas & Petrus, quando eos vidit Dominus, retia mittebant in mare, illi verò Jacobus & Joannes retia ſua reſarciebant.

3 * 1. *L. Factum eſt autem, cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.* Hoc autem tempore cùm ad eum confluerent populi; quos nec littus capiebat, premebatur turbis quæ avebant eum loquentem audire. 4 * 2. *Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum; piſcatores autem deſcenderant & lavabant retia.* Hanc hiſtoriam non ſuo loco Lucam narrare, vel ex ipſo Luca patet. Dixerat enim quarto capite Dominum ingreſſum in domum Simonis, quod Marcus dicit factum comitantibus Dominum Simone, Andrea, Jacobo & Joanne; quæ non niſi poſt illorum vocationem quam ſubjicit capite quinto contigere. Eandem autem hiſtoriam in hocce capite quinto attingit Lucas, de qua Matthæus & Marcus loquuntur. Verùm ut illi piſcationem miraculoſam prætermittunt, ſic & ille quædam neglexit. Petrus enim & Andræas, ut dictum eſt, mittebant retia in mare, Jacobus verò & Joannes retia ſua reficiebant, & ideò illa lavabant ad terram appulſi. Hæc ſimul conjungit Lucas non diſtinguens quæ fierent à duarum diverſarum navium viris.

5 * 3. *Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis*, ne opprimeretur à turba, *rogavit eum à terra reducere*, ſubducere, & ſubmovere navim *puſillum, & ſedens docebat de navicula turbas*; quæ ſic non illi incumbebant, nec proturbabant. 6 * 4. *Ut ceſſavit autem loqui*, finito ſermone *dixit ad Simonem, duc in altum*: provehe navigium tuum à terra in altum mare ad profundiorem ſtagni locum, *& laxate retia veſtra in capturam* piſcium.

7 * 5. *Et reſpondens Simon dixit illi: Præceptor* ἐπιστάτα, præfectus, antiſtes. Vocem illam ſolus Lucas uſurpat, *per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo*, ſcilicet confuſus verbis tuis, vel te jubente *laxabo rete* 8 * 6. *Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam* reti ſuo, *rumpebatur autem rete eorum*, ob illam multitudinem. 9 * 7. *Et annuerunt* ſigno, quia vox forſan pertingere non poterat, *ſociis qui erant in alia navi, ut venirent & adjuvarent eos.* Socii illi erant Jacobus & Joannes. *Et venerunt & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur* præ onere.

10 * 8. *Quod cùm videret Petrus*, intelligens rem illam divinitus fieri, quoniam piſcationi tempus non idoneum eſſe tota nocte expertus eſſet, *procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum domine.* Phraſis ſimilis illi Job. cap. 7. ℣. 16. apud LXX. interpretes, ἄποςα ἀπ' ἐμοῦ. κενὸς γὸ ἐμοῦ βίος. Diſcede à me, quia inanis eſt vita mea. Vox eſt hominis, qui agnita tenuitate ſua, deique ſumma majeſtate, veretur ne tanquam ab igne conſumatur Deo præſente. Sic Manue dicebat ad uxorem Judic. capit. 13. ℣. 22. *morte moriemur, quia vidimus Deum.* Ita Petrus qui jam ſciebat Jeſum eſſe Meſſiam Filium Dei & iſta copioſa multitudine piſcium confirmabatur

confirmabatur, timuit ne moreretur majeſtate ejus, quem navi exceperat, oppreſſus. 11 * 9. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium quam ceperant.*

12 * 10. *Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis*, ſed in altera navi, ſtupor circumdederat. *Et ait ad Simonem Jeſus: noli timere*; quod enim factum eſt miraculum, portendit rem futuram. Nimirum *ex hoc*, ſive ex tunc, ab hoc tempore *jam homines eris capiens*. Ne mireris captos à te tot piſces. Leve hoc eſt; jam homines capies, ſed hoc diſcrimine, ut qui piſces ad mortem capere ſolebas, homines rapias ad vitam ἔσῃ ζωγρῶν, id eſt vivos capies, ut ſerves, Ea vis eſt verbi Græci. In bello alii occiduntur, alii capiuntur vivi. *Benè Apoſtolica inſtrumenta piſcandi retia ſunt*, ait Ambroſius, *quæ non captos perimunt, ſed reſervant, & de profundo ad lumen trahunt, fluctuantes ad ſuperna traducunt.* Hæc piſcatio vaticinium erat Apoſtolos non ſuaptè induſtria, ſed Chriſti imperio ac virtute expanſis Evangelii retibus tantam facturos capturam, ut opus habituri eſſent ſubſidiaria multorum Evangeliſtarum opera, atque ita impletum iri non unam navim, Judæorum ſcilicet, ſed & alteram, nempe gentium; quarum navium futura ſit arcta, atque indivulſa ſocietas. Piſce nullum eſt animal fœcundius: in immenſum ſoboleſcunt piſces. Undè cùm Jacob benediceret filiis Joſeph aiebat in fonte Hebræo, Gen. 48. ℣. 16. & tanquam piſces maris multiplicentur in terra, copioſa ergo illa multitudo piſcium aptum ſymbolum fuit, ſive vaticinium complurium populorum qui Eccleſiam aliquando augerent. Advertendum autem quomodo Deus quemque congruenter ad ſe alliciat. Magos id eſt viros aſtronomiæ deditos ſtella, piſcatores piſcibus ad ſe adduxit.

13 * 19. *Mt. Et ait illis, venite poſt me & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Homines capietis, qui priùs tantùm piſces. 14. * 20. *Mt. At illi continuò Mc. relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Non ſolùm relicta arte, ſed 15 * 20. *Mc. Et ſtatim vocavit illos: & relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis*, cui quæſtuoſa erat ipſorum opera, quando & conductis miniſteriis utebatur. 16 * 11. *L. Et ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus*, piſcibus, retibus, adeoque arte piſcatoria, *ſecuti ſunt eum*, poſteà indivulſi diſcipuli.

CAPUT XIII.

Jeſus ſabbato ingreſſus ſynagogam in urbe Capharnaum, ſpiritum immundum expellit; & ibi, & in aliis locis docet, & ſanat languores.

HARMONIA.	MARC. Cap. 1. ℣. 21-28.	LUCAS, Cap. 4. ℣. 31-37.
† *Mat. 4. 13.* 1 *Mc.* † ET ingrediuntur Capharnaũ: & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos.	21 Et ingrediuntur Capharnaum; & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos.	31 Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis.
† *Mat. 7. 28.* 2 † Et ſtupebant ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.	22 Et ſtupebant ſuper doctrina ejus; erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.	32 Et ſtupebant in doctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.
3 Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo: *Mc. L* & exclamavit *L* voce magna.	23 Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamavit,	33 Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna.
† *Mat. 8. 29.* 4 Dicens: Sine, *Mc. L* † quid nobis, & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? *L* Scio te qui ſis, *Mc. L* Sanctus Dei.	24 Dicens: Quid nobis, & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? Scio qui ſis, Sanctus Dei.	34 Dicens; Sine, quid nobis, & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? Scio te qui ſis, Sanctus Dei.
5 *L* Et increpavit illum, *Mc.* & comminatus eſt ei Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi de homine.	25 Et comminatus eſt ei Jeſus, dicens; Obmuteſce, & exi de homine.	35 Et increpavit illum Jeſus, dicens; Obmuteſce, & exi ab eo.
6 Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna, *L* & cùm projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.	26 Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo.	Et cùm projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

HAR-

HARMONIA.	MARCUS.	LUCAS.
7 Et factus eſt pavor in omnibus, *Mc.* & mirati ſunt, *L* & colloquebantur ad invicem *Mc.* omnes, ita ut conquirerent inter ſe, dicentes : Quidnam eſt hoc? *L* Quod eſt hoc verbum? *Mc.*	27 Et mirati ſunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe dicentes; Quidnam eſt hoc?	36 Et factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes; Quod eſt hoc verbum?
8. Quænam doctrina hæc nova? *Mc. L* quia in poteſtate, *L* & virtute *Mc.* etiam ſpiritibus immundis, imperat, & obediunt ei, *L* & exeunt?	Quænam doctrina hæc nova? quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.	quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?
9 *Mc.* Et proceſſit rumor ejus ſtatim.	28 Et proceſſit rumor ejus ſtatim.	
10 *L* Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis *Mc.* Galilææ.	in omnem regionem Galilææ.	37 Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

MATTHÆUS, Cap. 4. ℣. 23—25.

11 * 23 † Et circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni : ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. † *Mat.* 9. 35.

12 * 24 Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.

13 * 25 Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Jeroſolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

5 * 21. *Mc.* ET *ingrediuntur Capharnaum; & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam docebat eos.* Diebus ſabbatorum omnes Judæi quieſcebant non inerti otio; ſed ſtudio legis & orationi vacabant in ſynagogis. Hoc de more Dominus, quem modò vidimus ambulantem juxta litus maris, ubi inſtitit ſabbatum reverſus eſt Capharnaum ex qua urbe egreſſus erat; quia verò tunc primùm Lucas facit mentionem adventus Domini in hanc urbem, utitur his verbis, & *deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ*, quia reſpectu urbis Nazareth unde profectum Dominum concipit, depreſſior erat Capharnaum. In ſingulis ſabbatis, ut ex Philone ſupra declaratum eſt, quod & teſtatur Joſephus contra Apionem ſcribens, congregabantur Judæi ad legem audiendam. Voces prophetarum per omne ſabbatum legebantur, ut ait Paulus in Act. cap. 13. ℣. 27. & Petrus, Act. cap. 15. ℣. 21. *Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.* Ergo ingreſſus Dominus in ſynagogam occaſione ſcripturarum, quæ tunc temporis legebantur, docebat populos, quæ ad regnum ſuum attinerent, quæ de eo in illis erant faciens clariora.

2 * 22. *Et ſtupebant ſuper doctrina ejus : erat enim docens eos quaſi*, id eſt tanquam, & verè *poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.* Etenim ut auctor & legiſlator, non ut interpres legis nitens aliena authoritate, ſicut ſcribæ id eſt legis periti, qui erant deſtituti efficacia miraculorum, quibus ſuam doctrinam confirmabat Chriſtus; nec aliud, quàm doctrinam humanæ inſtitutionis præ ſe ferebant, laudantes ſententiarum ſuarum auctores, ut Grotius dicit, alii Sameam, alii Hillelem, alii alios. Chriſtus verò loquebatur in demonſtratione potentiæ & ſpiritus, ut ait Paulus; aperiens ſcripturas, quas etiam legis periti ſæpiùs faterentur ſibi occluſas. Aliquot enim à ſæculis, prophetia, certè illa quæ erat ordinaria & quaſi publica, deſierat; unde Judæi de Eſdræ tempore dicunt *hactenus prophetæ, deinceps viri eruditi*. Hi verò eruditi ſi quid erat difficilioris controverſiæ, id indefinitum relinquebant, *donec propheta ſurrexerit*. Quem morem loquendi deprehendimus in Machabaicis, lib. 1. cap. 4. ℣. 46. cap. 9. ℣. 27. & cap. 14. ℣. 41. Jeſus ergo tam intrepidè docens ſine acceptione perſonarum, tanta etiam dicendi majeſtate & perſpicuitate, tanta verborum ſimplicitate & gravitate, tanta denique ſpiritus efficacia, ut dicta in hominum pectoribus imprimeret, verus ille videbatur propheta à quo referanda quæ hactenus clauſa erant in ſcripturis; & ad hoc vera inſtructus poteſtate.

3 * 23. *Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo:* obnoxius immũdo ſpiritui, ſive habens dæmonium immundum, ut loquitur Lucas. Sic

dicitur malus ſpiritus oppoſitè ad Spiritum ſanctum. Alibi dicitur ſpiritus impurus, quod idem eſt. Per peccatum mali ſpiritus, ſive diaboli homo ſervus factus erat. Ergo nonnullos vexabat, quorum corpus ut arcem propriam occupabat. *Mt. L. Et exclamavit L. voce magna*; exterebat enim ſe virtus illa Domini, qua diabolum deturbavit imperio ſuo; & quam ille ſentiens, metu etiam ne pelleretur, exclamavit. 4 * 34. *Dicens: ſine*, *λέγων ἔα*. Illa vox Græca videtur animi motum ſignificare & reſpondere Latinorum *ah*, Hebræorum חח & אהה, unde creditur factum *ἔα*. Interpres Latinus *ἔα* pro verbo accepit ab *ἐᾶν ſinere*, quaſi dixerit dæmonium, *dimitte nos*. Addidit *Mc. L. Quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene, veniſti perdere nos*. Verba ſunt reprehendentis. Quid tibi nobiſcum, ſcilicet ret, aut cauſæ eſt? cur nos torques? non te vexamus, ſed peccatores, qui noſtri juris ſunt, & immundi ut nos. Populari nomine eum appellat à loco educationis, forſitan ne putaretur Meſſias quem ſciebant omnes Bethlehemi naſciturum. *Veniſti perdere nos?* id eſt an veniſti ut nos abigas?

L. Scio te qui ſis. Mc. L. ſanctus Dei. οἶδά σε τίς εἶ. novi te qui ſis, Helleniſmus pro *novi qui tu ſis*. Mentiebatur ut opinor, diabolus, conjectabat enim tantùm ex ſermone Jeſu eum eſſe Chriſtum, qui ſanctus Dei dicendus erat, *ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ*. articulus *ὁ hic*, otioſè non additur. Nec enim ſimpliciter *ſanctus*, ſed *ὁ ἅγιος*, ut certum & inſignem intelligamus, videlicet illum verè ſanctum & omnis humanæ ſanctimoniæ fontem; proinde dilucidius erat, ut dicit Eraſmus: *novi te qui ſis, nempe ſanctus ille Dei*: ille procul dubio cujus Daniel tempus præfiniverat, non aliud quàm hoc quo hæc fierent quæ narrantur; quo inquam: ut vaticinatur propheta, cap. 9. ℣. 24. ſtatutum erat, *ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna & impleatur viſio & prophetia & ungatur Sanctus Sanctorum*. An hæc convenirent in Jeſum, explorabat ſpiritus malus.

5 * 35. *L. Et increpavit illum* 25. *Mc. & comminatus eſt ei Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi de homine*. Sic Jeſus retundit diabolum, ut in eodem dubitationis luto hæreat; neque enim ſe Sanctum Dei fatetur, neque negat; ſi quidem decebat eum latere, ſed ita tamen, ut virtus ejus non prorſus ignoraretur, quæ tunc patuit. 6 * 26. *Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna L. & cùm projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo*; id eſt exiit cum ejulatu magno. Permittebat Jeſus torqueri hominem, quaſi eſſet lacerandus & diſcerpendus, ut liqueret verè eſſe obſeſſum, quem liberavit; neque enim re ipſa diſcerpſit, ſi quidem addit Evangeliſta: *nihilque illum nocuit, μηδὲν βλάψαν αὐτόν*. Græciſat Latinus interpres, ſed & Plautus jungit verbum *noceo* cum accuſativo.

7 * 36. *Et factus eſt pavor in omnibus*, 27. *Mc. & mirati ſunt*. Ad rem tam inſolitam attoniti ſunt de illa varios ſermones miſcentes. *L. & colloquebantur ad invicem Mc. omnes, ita ut conquirerent inter ſe*, mutuò ſeſe interrogarent & interpellarent. *dicentes quidnam eſt hoc? L. quod eſt hoc verbum*, id eſt quid iſta res eſt? 8. * *Mc. Quænam doctrina hæc nova?* tam efficax ſcilicet docendi modus tanto confirmatus miraculo? *Mc. L. quia in poteſtate L. & virtute, Mc. etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei, L. & exeunt*. Simplici juſſu expellit dæmonas. Solebant quidem Judæi exorciſtæ invocatione quadam divini nominis fugare dæmones; ſed nemo ante hoc tempus id fecerat pro imperio ut Chriſtus.

9 * 28. *Et proceſſit rumor ejus ſtatim*. 10 * 37. *L. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis Mc. Galilææ*. Brevi tempore pervaſit fama ejus omnes urbes Galilææ. 11 * 23. *Mt. Et circuibat Jeſus totam Galilæam docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni*. Aperiebat ſenſum ſcripturarum, quæ in ſynagogis legebantur, & quæ in iis ſpectabant Meſſiam, hactenus clauſa reſerans. *Et in confirmationem doctrinæ ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo*. 12 * 24. *Et abiit opinio ejus in totam Syriam. ἀκοή*, reſpondet Hebræo nomini שמועה *ſchemuah*, proprie *auditus* ſed & famam ſignificat. Itaque ſenſus eſt, pervenit fama ejus uſque in Syriam, quæ erat conterminа Galilææ. Sic innotuit etiam gentilibus qui incolebant Syriam. *Et obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus & tormentis comprehenſos*, preſſos dolorum cruciatibus, *& qui dæmonia habebant*, quorum corpora dæmon occupabat, *& lunaticos*, quorum morbi augeſcebant, vel decreſcebant pro lunæ inclinatione. Species epilepſiæ erat, quæ credebatur divinitus immitti, unde & priſcis medicis dictus ſacer morbus; cui morbo ſeſe interdum diabolus admiſcebat. *Et paralyticos*, qui membrorum patiuntur diſſolutionem. Eos morbos hìc memorat Evangelium, qui medicorum artem ſuperant, ut Chriſti virtutem humana majorem probaret dicens, *& curavit eos*.

Igitur ad Jeſum undique confluebant populi. 13 * 25. *Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*, de Galilæa & Decapoli, ubi urbes Græcanici inſtituti, quippe habitatæ à Græcis gentilibus, ut diximus in Judææ deſcriptione. *Et de Jeroſolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem*. Protinus fama Jeſu Jeroſolymam, totam Judæam & Peræam pervaſit. Ita Jeſus cœpit Evangelium ſuum prædicare magna cum omnium opinione; quod ut perſonaret in tota terra Iſraelis, non opus fuit multis diebus, Apertum eſt, Evangeliſtas deſcribere tempus illud quo Evangeliū cœperit innoteſcere.

CA-

CAPUT XIV.

Dominus à turba ſecedit, aſcendens in montem ut oraret, & cùm pernoctaſſet in oratione, quos voluit ex ſuis Diſcipulis, elegit in Apoſtolos.

HARMONIA.	MAR. Cap. 3. ℣. 13-19.	MAT. Cap. 5. ℣. 1.	LUCAS. Cap. 6. ℣. 12-19.
1 *L* FActum eſt autem in illis diebus, *Mt.* videns Jeſus turbas aſcendit in montem *L* orare; & erat pernoctans in oratione Dei. 2 Et cùm dies factus eſſet, vocavit *Mc.* ad ſe quos voluit ipſe *L* Diſcipulos ſuos.	13 Et aſcendens in montem vocavit ad ſe quos voluit ipſe:	1 ✠ Videns autem Jeſus turbas, aſcendit in montem,	12 Factum eſt autem in illis diebus. ✠ exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. 13 Et cùm dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos:
3 *Mt.* cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus.	& venerunt ad eum.	& cùm ſediſſet, acceſſerũt ad eũ diſcipuli ejus. 2 *Et aperiens infrà, &c. cap. ſequenti.*	
4 *L* Et elegit, *Mc.* & fecit ut eſſent *L* ex ipſis *Mc.* duodecim cum illo, *L* quos & Apoſtolos nominavit; *Mc.* & ut mitteret eos prædicare.	14 Et fecit ut eſſent duodecim cum illo; & ut mitteret eos prædicare.		& elegit duodecim ex ipſis, (quos & Apoſtolos nominavit)
5. Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia. 6 Et impoſuit Simoni nomen Petrus.	15 Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia. 16 Et impoſuit Simoni nomen Petrus.		
7 Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui.	17 Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, Filii tonitrui.		14 Simonem: quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Joannem.
8 Et Andream; & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, *Mc. L* & Simonem *Mt.* Cananæũ *L* qui vocatur Zelotes.	18. Et Andream, & Philippum, & Bartholomæũ, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum, Alphæi & Thaddæum, & Simonem Cananæum.		Philippum, & Bartholomæum, 15 Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes,
9 Et Judam Jacobi, (*Mc. Thaddæum*) & Judam Iſcariotem, qui fuit proditor, *Mc.* qui & tradidit illum.	19 Et Judam Iſcariotem, qui & tradidit illum.		16 Et Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem, qui fuit proditor.

✠ † *In feſto omnium Sanctorum.*
✠ † *In feſt. S. Barthol. ad verſum 19.*

LUCAS.

10 * 17. † Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba Diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis: † *Commune Plur. Martyr.*

11 * 18. Qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.

12 * 19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. ¶

20 *Et ipſe, &c. infrà, cap. 15.*

1.* 12. L. FACTUM *eſt autem in diebus illis.* Lector, gradum hic ſiſte; & mecum anceps perpende quam viam ineas; multæ enim ſimul occurrunt. Vero verius eſt tres Evangeliſtas inter ſe non conſentire quo ad ordinem rerum Chriſti, ſive ut ſaniùs loquar, illas non referunt eodem ordine etſi non diſſentiant. Neque enim hiſtorici ſic temporibus aſtringuntur, ut data occaſione, vel pro ut memoriæ occurrunt, non poſſint ſcriptis mandare ea, quæ audierunt, vel etiam viderunt. Igitur eo loco ad quem pervenimus via ut ita dicam ſcindit ſe in multas vias, quas non poſſumus omnes ſimul ingredi.

Ergo Matthæi veſtigia prementes ſubjunximus magnum illum ſermonem, quem Dominus habuit in monte ad quem aſcendit, videns turbas quæ ad eum confluebant. Electionem verò duodecim Apoſtolorum, Lucas dicit factam ante illum ſermonem; poſt quem Matthæus vocatus eſt, ut ipſe ſcribit. Dubius animus ibi diu fluctuavit. Hæc electio poterat poſtponi vocationi Matthæi, & accomodari huicce loco, ubi ille in decimo ſuo capite dicit Jeſum convocatis duodecim diſcipulis dediſſe poteſtatem ſpirituum immundorum, cùm jam ſe vocatum ſignificaſſet. Attamen quia Lucas clarè ſubjicit dictum ſermonem huic Apoſtolorum electioni; ſermo autem ille non poſſit differri, ſi pergamus Matthæum ſequi ducem; placuit non differre dictam electionem. Nec Lucas cum Matthæo pugnat; Matthæus enim videtur reticuiſſe electionem Apoſtolorum; illam enim ſupponit cùm loquitur in capite decimo de congregatis duodecim diſcipulis. Lucas autem cùm duodecim Apoſtolos nominat ante ſermonem montis, & ideo ante vocatum Matthæum, conſeri poteſt, id feciſſe per anticipationem & data occaſione. Duabus autem, aut tribus hebdomadibus elapſis à ſermone montis vocatus eſt Matthæus, ut poſteà liquebit.

Mt. Videns Jeſus turbas aſcendit in montem L. orare. Statim ac rumor pervaſit vicinas civitates Jeſum à Nazareth ipſum eſſe qui tantis deſideriis Meſſias expectabatur, factus eſt ad eum concurſus. Cùm ergo vellet ex iis qui hactenus eum ſuerant ſectati, aliquos eligere in Apoſtolos, coactus eſt ſecedere à turba & ideò montem aſcendere. Sollicitus autem de Eccleſia ſua, electurus paſtores, & in concione, quam modò ſubjiciemus, doctrinæ ſuæ expoſiturus ſummam, orando noctem duxit. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ θεοῦ. Vox προσευχὴ ambigua eſt. Significat enim orationem, & locum in qua Deus oratur, id eſt ſynagogam; quæ & Latinè dicitur *proſeucha*, ut diximus. Sic Juvenalis loquens de viro qui Judæorum religioni deditus erat, *in qua*, inquit *te quæro proſeucha.* Certum quidem eſt Jeſum in oratione noctem duxiſſe; ſed cùm inuſitatè dicatur *in oratione Dei*, pro ad Deum, poſſumus cogitare quòd Jeſus pernoctaverit in aliqua proſeucha. Synagogas ædificatas fuiſſe in agris diſcimus ex illis verbis Pauli in Act. cap. 16. ℣. 13. *Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portam, juxta flumen ubi videbatur oratio eſſe.* In fonte προσευχὴ. ſic & ℣. 16. *Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem*, εἰς τὴν προσευχὴν, ad proſeucham, *puellam quandam habentem ſpiritum Pithonis obviare nobis.* Itaque intelligi poteſt Jeſum totam noctem tranſegiſſe quidem orando, ſed in proſeucha quæ Dei erat, id eſt domus Dei quia in illa orabatur.

2.* 13. *Et cùm dies factus eſſet, vocavit.* 13. *Mc. ad ſe quos voluit ipſe L diſcipulos ſuos.* Nempè aliquos elegit ex diſcipulorum numero, non qui volebant, ſed quos volebat ipſe. Unde ad illos poſteà dicebat, *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* 3.* *Mt. cùm ſediſſet*, tanquam Dominus, *acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus.* Vocati venerunt. 4.* *L. Et elegit*, 14. *Mc. & fecit ut eſſent L. ex ipſis Mc. duodecim cum illo*, qui eum ſemper ſectarentur teſtes gloriæ ipſius, operum, & doctrinæ. Quod autem Marcus & Lucas hic dicunt tunc duodecim fuiſſe electos Apoſtolos, credo dictum ex occaſione & per anticipationem quoad Matthæum. Etenim ſi jam huic numero ille adſcriptus fuiſſet, non huicce tempori ſubjeciſſet ſuam vocationem. Ideò eo in loco, non facit mentionem duodenarii numeri Apoſtolorum. Non tamen negat tunc ex diſcipulis aſſumptos in Apoſtolos, quos voluit Jeſus: etenim poſt vocationem ſuam cùm ſcribit ab illo convocatos duodecim Apoſtolos, non ibi dicit recèns electos, ſic innuens factam antea fuiſſe electionem.

Quoquo tempore facta, ſive completa ſit duodecim Apoſtolorum electio, duodenarii numeri cauſa poſſunt eſſe duodecim phylarchæ, ſive duodecim principes tribuum Iſraeliticarum, quæ typus erant Eccleſiæ, cujus Apoſtoli facti principes, hos autem quos elegit Jeſus ſic dici voluit. *L. quos & Apoſtolos nominavit*, quaſi dicat miſſos, ſive legatos (ut hujus vocis origo Græca indicat) qui gerendi negotii cauſa mittuntur, nimirum ad prædicandum, *Mc. & ut mitteret eos prædicare.* Apud Judæos nomen שלוח *miſſus*, non nudè nuntium ſonat, ſed nuntium vices mittentis gerentem. Unde illud Talmudis Tract. *Berac: Apoſtolus cujus vis eſt, ſicut ipſe à quo deputatur.* Moyſes & Aaron à Chaldæo paraphraſte appellantur *Apoſtoli* שלוחי Jerem. cap. 15. ℣. 1.

5.* *Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia*; ut ſigna ſequerentur verba eorum. 6.* 16. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus.* Suo tempori id non aſſignant Marcus & Lucas; jam enim illud factum erat, antequam Jeſus deſcendiſſet Capharnaum, paucis poſt jejunium diebus.

7.* 17. *Et Jacobum Zebedæi*, id eſt filium Zebedæi;

dæi ſic loquuntur Græci: Alexander Philippi pro Alexander filius Philippi. *Et Joannem fratrem Jacobi*, id eſt fecit Simonem, Jacobum, Joannem Apoſtolos, qui tres primi numerantur; & in eo prælati cæteris videntur; quòd teſtes fuerint adhibiti à Domino rerum ſecretiorum; eos ſecū duxerit in montem cùm transfiguratus eſt, & in hortum ubi in Agonia oravit, *& impoſuit eis nomina*. Simonem appellavit Petrum, hos verò, Jacobum & Joannem, *Boanerges*, quod eſt *filii tonitrui*. Solebat Deus nova imponendo prænuntiare quæ aliquando fierent. *Abram* vocavit *Abraham*, quia reipſa poſiturus eſſet eum patrem populi numeroſi. Simonem dixit Petrum, quia ſuper illum tanquam firmam petram ædificandi erat Chriſtiani. Hos dixit filios tonitrui reſpiciens, ut videtur ad vaticinium Aggæi, cap. 2. ℣. 7. *Et ego commovebo cælum & terram, mare & aridam. Et movebo omnes gentes; & veniet deſideratus gentibus.* Nam רעש unde *boanerges*, ſignificat magnam commotionem, quo verbo utitur Aggæus. Sunt qui ſcriptum velint *benerges*. Sed Judæi ſæpiùs *ſcevā* ſuum, id eſt *e* breve per *oa* enuntiant; ut Hebræum nomen reddi poſſit boanerges; illud autem derivari poteſt, vel à בכירעש, vel à בכירגש, nomen רגש ſonat *tumultus*, רעש *commotio*; רעם *tonitru*, à quibus dictum nomen originem habeat, dijudicet lector.

8.* *Et Andream, & Philippum*, ſupple fecit Apoſtolos, *& Bartholomæum, & Matthæum.* Ille poſtea adſcriptus eſt. *Et Thomam & Jacobum Alphæi*, qui alius eſt à Jacobo Zebedæi. *Et Simonem Mc. Cananæum L qui vocatur Zelotes.* Sono non ſenſu diſcrepant illa duo nomina; *Cananæus* enim vox eſt Hebræis ſonans idem quod *Zelotes*.

9 * 16. *Et Judam Jacobi*, id eſt filium Jacobi. Hunc Marcus appellat Thaddæum. Sæpè Judæi erant binomines. Solebant autem corrumpere, ſive mutare ea nomina, quæ aliquam ſoni affinitatem haberent cum ineffabili Dei nomine *Jehova*. Ita qui *Judas* erat frequentiùs dicebatur *Thaddæus*; poſito ט *thet*. pro י *jod*. Sic ubi exprimunt quindenarium numerum, loco יה notæ numeralis ſcribunt טו. *Et Judam Iſcariotem*. Statim notatur quis ille fuerit qui fuit proditor, *Mc. qui & tradidit illum*, ne quis ob ſimilitudinem nominis poſtea crederet à Juda Thaddæo Dominum proditum.

10 * 17. *L Et deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa & Jeruſalem & maritima & Tyri & Sidonis.* Caſus nominum Græcorum exprimit Latinus interpres, ἀπὸ Τύρου ϗ Σιδῶνος, quod Latinè reddi debet & à Tyro & à Sidone. 11 * 18. *Qui venerant ut audirent eum & ſanarentur à languoribus ſuis.* Etenim non fama inanis ferebatur; ſi quidem *& qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.* 12 * 19. *Et omnis turba quærebat eum tangere*; vel attingere fimbriam veſtimentorum ejus; *quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Scilicet vel attactus ejus poterat morbos ſanare.

CAPUT XV.

Reverſus ad turbam Dominus & ſtans in loco campeſtri ſummam doctrinæ ſuæ exponit, exordiens ab eo quod vitæ bonæ fundamentum eſt, qui ſcilicet beati, quive miſeri cenſendi ſint.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 5. ℣. 2-12.	LUCAS, Cap. 6. ℣. 20-26.
1 L ET ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos.		20 Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos.
2 *Mt.* Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens:	2 Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens:	dicebat:

MATTHÆUS.

3 * 3 Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.	Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.	
4 * 4 † Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.		† *Iſa.* 6. 1. 2.
5 * 5 † Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.		† *Pſal.* 37. 11.
6 * 6 † Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.	21 Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati, qui nunc fletis; quia ridebitis.	† *Iſa.* 55. 1.

7 * 7

MATTHÆUS.

† Marc. 11. 25. 7 * 7 † Beati miſericordes : quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
Iac. 2. 13. 8 * 8 † Beati mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt.
† Pſal. 24. 4. 9 * 9 Beati pacifici : quoniam Filii Dei vocabuntur.
Hebr. 12. 14.
† 1. Pet. 2. 14. 10 * 10 † Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam : quoniam
3. Tim. 2. 12. ipſorum eſt regnum cœlorum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.
† 1. Pet. 4. 14. 11 *L* † Beati eritis cùm vos oderint homines, *Mt.* cùm maledixerint vobis, *L* & cùm ſeparaverint vos, & exprobaverint, & ejecerint nomen veſtrum tamquam malum, propter Filium hominis.	11 Beati eſtis ... cùm maledixerint vobis,	22 Beati eritis cùm vos oderint homines. & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tamquam malum, propter Filium hominis.
12 *Mt.* Et perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me.	& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me.	
† Iac. 1. 2. Act. 7. 52. 13 *L* Gaudete in illa die, & exultate : ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. *Mt.* Sic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos, *L* patres eorum.	12 Gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. ¶ ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.	23 Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo; ¶ ſecundùm hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

LUCAS.

† Amos 6. 1. Eccl. 31. 8. 14 * 24 Veruntamen † væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.
† Iſai. 65. 13. Iac. 4. 9. & 5. 1. 15 * 25 † Væ vobis, qui ſaturati eſtis : quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc : quia lugebitis & flebitis.
16 * 26 Væ cùm benedixerint vobis homines : ſecundùm hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

VULGO Harmoniarum concinnatores, hunc ſermonem ſeriùs à Domino pronunciatum volunt. Verùm qui novam legem prolaturus venerat, ſtatim ac plures diſcipulos collegit & miraculis ſuis obtinuit ut crederetur, cur illam legem non protuliſſet, optima doctrina imbuens diſcipulos, & plebem quæ eum ſequebatur ? Ubi Moyſes cum populo Hebræo mare tranſiit, & ad montem Sinai pervenit, menſe tertio ab exitu Ægypti veterem legem à Deo accepit. Sed quanto à nova diſcrimine, ipſa natura legis, quæ tunc data eſt, & ratione qua data eſt ! Inter tonitrua & fulgura Moyſem, quem ſolum admiſerat in monte Sinai, compellavit Deus, cæteris Iſraelitis pœna mortis interdicens ne quis montem tangeret. Verùm Jeſus ex monte deſcendens, cum diſcipulis ſtetit in loco campeſtri, ubi erat copioſa multitudo plebis, nec fulguribus & tonitru, ſed *aperiens os ſuum docebat eos*. Continet autem ille ſermo ſummam doctrinæ Domini quam poſteà explicatiùs verbis & exemplo docuit. Adeò ut promulgatio novæ legis poſſit cenſeri facta in hoc monte, in quo nunc verſatus Dominus. In illo, inquam, ſermone qui fundamentum eſt Evangelicæ doctrinæ, animadvertere eſt novæ & veteris legis diſcrimen : olim duritiei cordis Hebræorum plurima data eſſe; & Evangelium verè omnia ad initium revocare, ſcilicet ad illum rectitudinis ſtatum, in quo primitus homo fuerat conditus ; attemperat tamen ſe Chriſtus noſtræ conditioni, tum ut ſanet nos vitiis quibus obnoxii naſcimur, tum ut virtutem amplectamur, cui ſectandæ peccatum imbelles fecerat. Decor doctrinæ ejus potiſſimùm lucet in hoc ſermone, quem ut faciliùs elucidarem, in plures particulas diſſecui.

1 * 20. *L. Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos.*
2 * 2 *Mt. Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens*,

diſci-

diſcipulis ſuis; ſermonis enim prima pars quam in hocce capite proponimus, videtur eos ſolos ſpectare. Id apertum eſt ex verbis Evangeliſtarum. *Cùm ſediſſet*, inquit Matthæus, *acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos.* Lucas autem ſcribit, elevatis oculis in diſcipulos, exorſum eſſe ſermonem, illum ſcilicet ad eos dirigens. Certè diſcipulis magis convenit; quamquam nemini non utilis ſit; & plebs omnis quæ aderat, illum auribus ſuis exceperit.

3 * 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Fundamentum vitæ bonæ eſt ſcire quo gaudeas, quove doleas. Cognitis rerum finibus inventa via vitæ eſt, confirmatioque officiorum, inquit Cicero. Ita Chriſtus protinus docet quæ ſit vera beatitudo, ſive potiùs quæ ſit via ad beatitudinem; extra quam viam quiſquis errat, licèt videatur beatus, re miſer eſt. Quapropter etiam, ut aiebat Torquatus, partes Epicureorum apud Ciceronem agens, *eos & juſto odio digniſſimos ducimus, qui blanditiis præſentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores, & quas moleſtias excepturi ſint, obcæcati cupiditate non provident.* Utens autem verbis magni Auguſtini adhuc elegantioribus *de morib. Eccl.* cap. 3. ſubjungam. *Beatus autem quantum exiſtimo, neque ille dici poteſt, qui non habet quod amat, qualecumque ſit: neque qui habet quod amat, ſi noxium ſit: neque qui non amat quod habet etiamſi optimum ſit. Nam & qui appetit, quod adipiſci non poteſt, cruciatur: & qui adeptus eſt quod appetendum non eſt, fallitur: & qui non appetit quod adipiſcendum eſſet, ægrotat.*

Sola Dei poſſeſſione poſſumus eſſe felices. Cùm enim nos ad ſe fecerit, irrequietum eſt cor noſtrum donec in illo requieſcat. Quis ergo in hac vita felix cenſeri poteſt, cui legitima ſpes poſſeſſionis divinæ non eſt? qua ſpe fruſtrà ſe paſcunt qui non ſunt recti. Quæ autem vulgus inter mala numerat, docet Chriſtus veram eſſe beatitudinem, quatenus ſpem ſpondeant vitæ verè beatæ. Falſa opinione beatitudinis deluſi ſolos beatos prædicabant Judæi, quos noverant divites, cæteros quos premeret paupertas, putabant miſeros. Hanc opinionem Chriſtus protinus amovet dicens beatos pauperes; adjunxit *ſpiritu*, ut ſignificaret non quoſcumque pauperes à ſe beatos prædicari: ſed eos ſolos qui *ſpiritu*, id eſt ultro pauperes eſſent contenti ſua conditione. Plerique *pauperes ſpiritu* intelligunt eos qui carent animi tumore; ſed de penuria ſermonem à Chriſto fieri conſtare debet ex eo quòd iſta additio non reperiatur in Luca, & ea ſubſequantur in ſermone Chriſti, quæ cum vera paupertate conjuncta ſunt, nempè, luctus, eſuries, ſitis, opprobria, injuriæ.

Pauperes ergo ſpiritu ſunt, qui ſorte ſua tenui contenti ſunt, qui regum opes æquant animo, aut ſaltem paupertatem ſuam æquanimiter ferunt, nec invident divitibus. Etenim non eos intelligo vicatim mendicantes, qui inedia malunt tabeſcere quàm labore cibum comparare. Ratio autem hujuſce doctrinæ non occulta eſt. In hoc quo naſcimur ſtatu, propenſi ſumus in res corporeas, quibus dum fruimur, majoris felicitatis obliviſcimur. *Quis juſtus propter pecuniam?* ait B. Ambroſius in Pſal. 1. *quis humilis in poteſtatibus? quis miſericors propter nobilitatem? quis caſtus propter decorem?* Prodeſt itaque nobis vitam præſentem experiri amaram, ut alterius & melioris deſiderium in nobis exardeſcat. Multò facilius eſt carere divitiis, quàm illis benè uti. Sed fatiſceret animus omni fraudatus delectatione, ſi ſpe ſortis jucundioris non recrearetur; ideò adjungit Dominus: *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Significat, inquam, ad pauperes pertinere promiſſiones factas de regno quo Meſſias regnaturus eſt cum ſuis, quaſi dicat qui pauperes ſunt in terris, cælum ingredientur divites.

4 * 4. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* πραεῖς, quos Hebræi appellant ענוים, *anavim*, id eſt afflictos, oppreſſos, mites, manſuetos, humiles, modeſtos. Id enim omne ſignificat vox Hebræa ענו *anau*, quæ ſæpiùs ab interpretibus Græcis bibliorum redditur πραεῖς. Qui divitiis pollent, ſuperbi, elati ſunt, & hominum opinione beati, cùm Dei judicio miſeri ſint. *Diſcite à me*, ait Dominus, *quia mitis ſum & humilis corde;* quod ſic intelligo quaſi dixiſſet: vos ò Judæi, qui Chriſtum potentem, ſuperbum expectatis, diſcite à me, Chriſtum afflictum, pauperem, & ſpretum eſſe oportere. Sed qui nunc afflicti ſunt, & veluti hominum opprobrium, quales fuere Apoſtoli; & quæ ſæpiùs ſors eſt optimorum Chriſtianorum, ipſi ſunt qui jure hæreditario aliquando poſſidebunt terram αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν, ut habet fons; quod promiſerat Deus, Pſalmo 37. ỳ. 11. οἱ δὲ πραεῖς κληρονομήσουσι γῆν, Sic LXX. exprimunt vocem ענוים quo confirmatur noſtra interpretatio. Alluſio autem fit ad terram promiſſam quæ cæleſtis hæreditatis typus eſt. *Poſſidebunt terram ..... Non terram Judæ*, verba ſunt Hieronymi, *nec terram iſtius mundi, non terram maledictam, ſpinas & tribulos afferentem, quam crudeliſſimus quiſque & bellator magis poſſidet, ſed terram, quam pſalmiſta deſiderat, dicens: credo videre bona Domini in terra viventium ..... nemo enim terram iſtam per manſuetudinem, ſed per ſuperbiam poſſidet.* Nihilominus verum eſt manſuetudine quam vulgò afflictio parit, homines conciliari; & qui ultro ſe aliis ſubdunt, faciliùs aliis imperare.

5 * 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* In codice Græco præponitur verſiculus ille ſuperiori. Quoniam tela prævisa minus feriunt, de conditione ſua dura admonendi erant Apoſtoli; declarat autem illis Dominus non debere ſe reputare infelices, ſi in terris degentes

lu-

Digitized by Google

lugeant, quoniam conſolationem accepturi ſint; & luctus in gaudium vertendus ſit. *Beati qui nunc fletis, quoniam videbitis*, ut habet Lucas. Vicibus enim res eſt diſpoſita, ut ait Tertullianus. Qui nunc in luctu ſunt, aliquando in gaudio erunt. De hoc ſæpè præmonuit ſuos Apoſtolos Dominus: *mundus*, inquit alibi, *gaudebit, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Intereà gaudio perfunditur animus piorum, ut etiam in ipſo luctu gaudeant.

6 * 6. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Decebat diſcipulos Chriſti patientes eſſe injuriarum, ut ſtatim animo non deſponderent, experturi omnia adverſantia. Qui alios premunt, ſe putant feliciores; ſed ex ſententia veriori, *beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, id eſt qui vindicari de adverſariis fruſtrà poſtulant ardenter. Verba illa *eſuriunt & ſitiunt*, notant intenſam cupiditatem. Qui autem denegata omni juſtitia oppreſſi ardenter expectant, ut Deus eos vindicet, tandem gaudebunt: *quoniam ſaturabuntur*, id eſt explebuntur deſideria eorum. Vindicabit enim Deus ſanguinem Sanctorum ſuorum; ut ſæpius adſtruitur in ſcripturis.

7 * 7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Neceſſe eſt ut paſtorum viſcera alienis commoveantur malis, & condolere poſſint noſtris infirmitatibus. Ibi videtur Dominus taxare inclementiam Phariſæorum, qui deſpiciebant peccatores. Etenim ea doctrina, & iis moribus Chriſtus videtur imbuere diſcipulos ſuos, ut aliter ſentirent & viverent quàm Phariſæi, qui avari, ambitioſi & ſuperbi erant.

8 * 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, hoc eſt qui ſincero ſunt animo, non intus pleni rapina, ut Phariſæi, ſpecioſa tantùm decori pelle. Deus qui corda novit, averſatur hypocriſim. Nemo ergo fruetur beato illius conſpectu niſi qui ſincero eſt animo. Totam munditiem in abſtergendis corporis ſordibus ſitam putabant Judæi carnales, interiorem Deus poſtulat. *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. Hebr. cap. 12. ℣. 14. nempe ſine interiori & vera ſanctimonia.

9 * 9. *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur*. Sæpè ſuis præcepit Dominus, ut ſeſe invicem diligerent. Omnes Chriſtianos admonet Paulus ne ſint inter eos ſchiſmata; ut autem foveatur concordia, & omnium cor unum ſit, neceſſe eſt ut ipſi paſtores ſint pacifici εἰρηνοποιοί, id eſt pacis ſtudioſi, pacem conciliantes; qua re cognoſcitur verè eos eſſe Filios Dei, hoc eſt verè à Deo miſſos: ſicut è contra qui diſcordias ſerunt, filii Belial jure reputantur.

10 * 10. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Nondum liquidò denuntiat ſuis diſcipulis Chriſtus, quanta deberent pro ejus nomine pati, ſed ferendis perſecutionibus præparat docens eos beatos, qui eo quòd ſectentur juſtitiam, ab injuſtis mala ferunt. Patientibus tanquam pugnantibus regnum ipſum pro quo pugnant, pollicetur. Tritum eſt ore omnium, Eccleſiam non viciſſe niſi perferendo. Verè Chriſtiani nunquam rebellaverunt adverſus imperatores; unde reſcribebat Ambroſius, lib. 5. cap. 33. de tradendis baſilicis. *Reſpondi, ſi à me peteret Imperator, quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argentum meum, jus hujuſmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum; verùm ea quæ divina, imperatoriæ poteſtati non ſubjecta. Si patrimonium petitur invadite, ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans; ſed pro altaribus & ſpiritualibus ad ipſa pertinentibus immolabor*.

11 * 22. *L. Beati eritis, cùm vos oderint homines*, 11. *Mt. cùm maledixerint vobis, L. & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis*. Dominus clarè convertit orationem ſuam in diſcipulos, ut hæc ad ſe pertinere intelligerent. Separati, exprobrati, ejecti ſunt, ſive excommunicati ſunt à Judæis; apud quos primus excommunicationis gradus erat נדוי *nidui*, id eſt *remotio*, aut *ſeparatio*, qua per triginta dies ad diſtantiam quatuor paſſuum arcebantur à civili, domeſtico, & ſacro aliorum conſortio, qui ſic excommunicabantur. Alter gradus dicebatur חרם *erem*; cui ſubjecti expellebantur cum probris & maledictis, quæ a Moyſe denuntiantur adverſus homines ſceleratiſſimos. Videbimus conſpirantes Judæos, ut ſi quis Jeſum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret. Prædicit ergo quid eis aliquando contingeret *propter filium hominis*, id eſt quando eum confiterentur eſſe Chriſtum. Noſter interpres legit ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρόν, *nomen veſtrum tanquam malum*. Syrus verò & Arabs legerunt ὡς πονηρῶν, *tanquam malorum*.

12. * *Mt. Et perſecuti vos fuerint & dixerint omne malum*, id eſt quodcumque malum, *adverſum vos, mentientes, propter me*, quia mei eſtis diſcipuli. Vulgatus videtur ſolum legiſſe πᾶν πονηρὸν, Græcus codex addit ῥῆμα, quo caret Chryſoſtomus; illud autem ῥῆμα, *verbum*, pro re ſumitur. Idem ſenſus: nempe beati vos, quidquid dixerint & commenti fuerint adverſus vos. Vanæ quidem criminationes non timendæ; ſed non ſolùm locus criminationibus non dandus eſt, ſed nec ſuſpicionibus. *Caveto*, ſcribebat Hieronymus ad Nepotianum, *omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur antè devita*.

12 * 23. *L. Gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo*. Ideò, ut videre eſt in Actis, Apoſtoli ibant à conſpectu concilii gaudentes pro nomine JeſuChriſti contume-

liam

Digitized by Google

liam pari. Merces autem non percipitur niſi in cælo; nam ut ait B. Hieronymus, ſtadium eſt hæc vita mortalibus: hìc contendimus ut alibi coronemur. Quæ ſequuntur, demonſtrant hunc ſermonem Domini ſpectare diſcipulos ejus, nempe eos, quos ut olim prophetas, mitteret ad populum duræ cervicis. 12. *Mt. Sic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos L patres eorum.* Vos igitur beati eſtis, quibus ſimilis merces parata eſt. Etenim qui ſemel certum iter beatitudinis ingreſſus eſt, quæcumque ſint hujus itineris difficultates, miſer dici non debet. Præterquam, non ſolùm ſpe, ſed & lætitia perfunduntur pii. Cruces eorum apparent, conſolationes eorum latent; imò etiam reputandos felices Salvianus evincit lib. 1. *Nemo enim aliorum ſenſu miſer eſt*, inquit, *ſed ſuo; & ideò non poſſunt cujuſquam falſo judicio eſſe miſeri, qui ſunt verè ſua conſcientia beati. Nulli enim ut opinor, beatiores ſunt, quàm qui ex ſententia ſua, atque ex voto agunt. Humiles ſunt religioſi, hoc volunt, pauperes ſunt, paupertie delectantur, ſine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt, inhonori ſunt, honorem fugiunt, lugent, lugere geſtiunt.* Quæ ſubjicit Evangeliſta, demonſtrant ad literam accipiendas ſupradictas beatitudines, videlicet inopes, afflictos, lugentes, expulſos, ſpretos divitibus beatiores habendos eſſe.

14 * 24. *Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.* Superioribus benedictionibus ſubjicit Lucas maledictiones in eos quos hominum vulgus beatos putat, qui ſcilicet opibus pollent, ſaturantur, rident, laudibus cumulantur: ſors ordinaria in terris pſeudoprophetarum; veri enim prophetæ odio habiti, & variis criminationibus impetiti ſunt. Væ ergo iis qui in opibus fiduciam, amorem, felicitatem collocatis; neque enim alia vobis expectanda felicitas.

15 * 25. *Væ vobis quia ſaturati eſtis, quia eſurietis* in altero ſæculo, omnis veri boni, reique deſideratæ egeſtatem patientes. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis,* noviſſima gaudii veſtri occupabit luctus.

16 * 26. *Væ cùm benedixerint vobis homines; ſecundùm hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum,* cùm illis placentia loquerentur; mundus enim non probat niſi quod diligit; ideòque vix bona eſſe poſſunt, quæ pleriſque placent.

CAPUT XVI.

Dominus admonet ſuos diſcipulos, ut præluceant moribus bonis ſanctioribuſque, quàm quibus viverent Phariſæi.

MATTHÆUS, Cap. 5. ℣. 13—26.

13 † VOs eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihi- † *Comment. Doctor.*
lum valet ultrà, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.
14 Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.
15 Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.
16 † Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, † *1. Pet. 2. 12.*
& glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.
17 Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.
18 Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.
19 † Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic ho- † *Iac. 2. 16.*
mines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. ¶
20 Dico enim vobis, quia † niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scri- † *Dom. 5. poſt Pent.*
barum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.
21 Audiſtis quia dictum eſt antiquis: † Non occides: qui autem occiderit, † *Exod. 20. 13. Deut. 5. 17.*
reus erit judicio.

22 Ego

Digitized by Google

22 Ego autem dico vobis : quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo , reus erit
judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca : reus erit concilio. Qui autem
dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis.
23 Si ergo offers munus tum ad altare , & ibi recordatus fueris quia fra-
ter tuus habet aliquid adverſum te :
24 Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri
tuo : & tunc veniens offeres munus tuum.
25 Eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum eo : ne fortè
tradat te adverſarius judici, & Judex tradat te miniſtro : & in carcerem mit-
taris.
26 Amen dico tibi, non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem.

PERGIT Dominus ſuos diſcipulos inſtruere monitis quæ & adſtanti turbæ utilia erant ; neque enim paſtor virtutem præfert , niſi quam imitentur populi. 13. *Vos eſtis ſal terræ*, id eſt electi ut tales ſitis inter homines, quod ſal eſt inter cibaria. Sal ſymbolum eſt ſapientiæ, ſine qua quidquid fit, non minus animo ingratum eſt, quàm palato cibus ſale non conditus. Ex ſalis autem natura, ſive ex comparatione naturæ ſalis, oſtendit Dominus graviora eſſe peccata eorum qui præſunt. *Quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Nempe ſi contingeret ut infatuaretur, *μωρανθῇ, deſipuerit*, & ita virtus omnis ejus evanuerit, hoc eſt amiſerit saporem ſuum ; quo corrigeretur inſipientia ejus, ſive qua re fieret ut ſapidum redderetur. *Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Jam nullius virtutis eſt aut uſus : nec condire rem ullam, nec condiri ab ulla alia re poteſt. Ita ut ejiciendus ſit in viam conculcandus à tranſeuntibus. Similiter qui præeſt moribus emendandis, ſi vitioſus fiat, à quibus emendabitur?

14. *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Electi eſtis, ut præluceatis bonæ vitæ exemplo, ut ſitis tanquam luminaria cœli, quæ latere non poſſunt, ſicut nec civitas in monte poſita. Scilicet qui urbem ædificat in vertice montis, non poteſt velle, ut ea occulta ſit. Similiter in hocce dignitatis culmine vos conſtituens, paſtores & principes populis præponens, volo ut ſitis in oculis omnium tanquam exemplaria quædam in excelſo atque edito loco collocata , quæ omnes intueantur. Igitur putate omnium oculos in vos conjectos ; neque enim elegi vos ut lateatis, ſicut nemo accendit lucernam, ut ponat eam ſub modio, quo abſcondatur. 15. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Modium hic ponitur pro quocumque vaſe, quod inverſum lucernam abſcondere poteſt. Lucernarum flamma alebatur oleo, candelabris autem altis imponebantur, aut appendebantur lucernæ.

16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Id eſt ut homines videntes veſtra opera glorificent Deum, ex ea re agnoſcentes veram eſſe religionem Chriſtianam. Ergo ſatagite ut bonis operibus præluceatis, non famam aucupandi cauſa, ſed ut homines veſtris bonis operibus excitentur ad debitum cultum exhibendum Deo. Exſcribam elegantem locum B. Auguſtini ex lib. 2. de ſerm. Dom. in monte. *Si quidem non rectè vivere, pernicioſum eſt : rectè autem vivere & nolle laudari quid eſt aliud quàm inimicum eſſe rebus humanis, quæ utique tantò ſunt miſeriores, quantò minus placet recta vita hominum? Si ergo inter quos vivis, te rectè viventem non laudaverint, illi in errore ſunt : ſi autem laudaverint, tu in periculo : niſi tam ſimplex cor habueris & mundum, ut ea quæ rectè facis, non propter hominem facias ; magiſque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum eſt placet, quàm tibi ipſi ; quia rectè viveres, etiam ſi nemo laudaret.*

Ne autem qui ex iis qui adſtabant ſermonem Domini audiens, crederet jam quocumque jugo ſe liberandum, & nullis poſteà legibus alligandum abrogata omnino veteri lege, quo nomine Judæi exoſam habent religionem Chriſtianam, quaſi adverſetur legi Moyſis, cujus Deus auctor eſt : ut, inquam, opinionem illam malam à ſe removeret Dominus, protinus ſubjungit. 17. *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas : non veni ſolvere, ſed adimplere.* Fundamentum legis Judaicæ putant Judæi, quòd illa finem non habitura ſit. Huic opinioni nec adverſatur Doimnus. Non veni, inquit, ut evertam legem, imo ut perficiam. In lege Moyſis duo erant. 1. Quædam tralatitia ex jure naturali, quæ Evangelium non abolevit, imo hujuſce juris legibus magis conſtringit chriſtianos, quod ex modò dicendis liquebit. 2. Lex Moyſis habebat cæremonias, quibus Chriſtus adumbrabatur; quæ ergo complendæ per Chriſtum, quando ab eo fierent, quibus prænuntiandis fuerant ordinatæ ; quas & abrogaſſe nec cenſendus eſt ; neque enim pictor incohatam imaginem abolet, cùm primis lineis quas duxerat, novos ſuperinducit colores ; licet poſteà primæ lineæ non appareant : non magis, inquam, pars, illa legum

Moſaj-

Digitized by Google

Moſaicarum lædebatur à Chriſto, quàm ſi pictæ imagini regis rex ipſe ſuccedens, omnium in ſe oculos deflecteret. Evangelium plenior eſt explicatio Moſaicæ legis, ideò verè complementum ejus, etiam eo ſenſu quo Judæi gloſſas ſuas, ſive expoſitiones in Talmude vocant *gemara*, id eſt complementum à verbo גמר *perfecit, complevit, abſolvit*. Jam obſervatum eſt quinque libros Moyſis dici legem à Judæis; & per prophetas intelligi cæterorum librorum ſacrorum auctores. Omnia autem quæ in Moſe & prophetis ſunt, delineabant Jeſum venturum. Vaticinia erant de illo ſuis temporibus implenda, quod adſtruit Dominus. Præterea monitis ſuis, & præceptis cavebat Dominus ne lex violaretur. *Qui enim non iraſcitur, ut Chriſtus præcipit, multò remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non iraſcamur, non ſolvit legem ne occidamus, ſed implet potiùs, ut & ſerit dum non occidimus, & in corde dum non iraſcimur, innocentiam cuſtodiamus.* Hæc Auguſtinus, lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. *Plus lex quam amiſit, invenit*; aiebat Tertullianus.

18. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Id eſt: priùs tranſeat; ſive, ut ait Lucas, cap. 16. ỷ. 17. facilius eſt cælum & terram præterire, hoc eſt deſinere eſſe id quod ſunt, quàm ut minima particula vaticiniorum quæ in ſcripturis de me ſunt, non impleantur. Dicunt Hebræi in lege non eſſe vel unam literam à qua non montes magni dependeant; unde circa voces & literas tam ſedulum Maſoretharum ſtudium, quod non inane & ſupervacaneum eſſe inde conantur probare, ut videre eſt in Tiberiade Buxtorfii. Quo autem legem prorſus implendam eſſe ſignificet, Dominus, *iota*, inquit, *unum, aut unus apex non præteribit*, id eſt non literula, qualis eſt apud Hebræos litera *jod* י quæ omnium minima eſt, & ab Irenæo appellatur *dimidiata litera*. Apex verò κεραία, eſt pars literæ, ſeu cornu quoddam exiguum, ita Græca vox ſignificat cornu quo diſtinguitur v. c. litera ד *daleth*, à litera ר *reſch*, quod cornu ob exiguitatem fallit oculos eorum qui Hebraicè neſciunt. Ludovicus *de Dieu*, reconditæ doctrinæ vir, obſervat κεραία, etiam ſignificare *lineam*, unde & hac voce lexica nominant Antennam navis, nempe lignum in ſuperiori navis parte tranſverſùm collocatum, ex quo velum pendet. Linea ergo & antenna, quæ lineam imitatur, κεραία dicuntur, quia duobus cornibus & extremitatibus abſolvuntur. *Sic dicit Dominus quia nec una linea peribit.* Lineam dixit Dominus, quæ literarum pars tantùm eſt & initium, (literæ enim apud Hebræos linearum ductibus abſolvuntur) ut innueret, nec integram literam etſi minimam, nec partem ejus, adeoque nihil prorſus legis interiturum, donec omnia finem & complementum inveniant.

19. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, id eſt quæ pro minimis habentur, *& docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Ad intelligentiam hujus verſiculi advertendum eſt, magiſtros, doctores, præceptores ab Hebræis appellari רבים *rabbim*, à voce רב, quæ idem ſonat quod *multus, magnus*, altiſſimus, dignitate major. Puto ergo hic à Domino alluſionem fieri ad Judæorum doctores; quos ſubſequens verſiculus clarè denotat; qui detorquebant ſcripturas à vero ſenſu, quem ſi aliquando ſequerentur docenda, malè vivendo deſerebant. Senſus itaque eſt: ille ſolus meretur nomen *magni*, ſive rabbi, ſive magiſtri & doctoris, qui facit & docet. Actionem Dominus præponit doctrinæ, è contra qui ſolvit unum de mandatis legis, quod vel minimum videtur, indignus eſt nomine rabbi, doctoris in hoc novo regno Evangelii. Imò oppoſito titulo dedecorandus eſt; non rabbi, ſive magnus, ſed minimus vocandus. Præmonet ergo ſuos diſcipulos Dominus ne ſimiles ſint magiſtris Judæorum, qui ſolvebant legem Dei, irrita facientes ejus mandata. Regnum cælorum quo hic ſignificatum putamus Evangelium, alii interpretantur ſedem beatorum in quam minimè intrabunt qui aliter fecerint quàm docuerint.

20. *Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Nolite imitari Judæorum doctores, Scribas & Phariſæos; quaſi id ſatis vobis eſſet ne diſſimiles eſſetis hiſce viris, qui tunc temporis ſuſpiciebantur. Niſi, inquit Dominus, major fuerit obedientia veſtra legi, eam faciendo & docendo; (ibi enim obedientia legi deſignatur hoc nomine *juſtitia*, quia re ipſa juſtus eſt qui legi obedit) non digni eritis Apoſtoli in prædicando meo regno, ſive Evangelio meo; nec adſcribemini numero beatorum. Hactenus quæ decerent doctorem Evangelicæ doctrinæ propoſuerat Dominus: jam ipſam doctrinam Evangelicam, quæ non aliter à Moſaica differt quàm puer imbecillus à viro, in quem, progreſſu temporis & grandeſcendo evaſit. Ita Moſaica lex facta eſt Chriſtiana, id eſt alia quàm erat, ut alia fit arbor, cùm foliis & fructibus ejus immaturis ſuccedit fructus maturus.

21. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.* Illud *antiquis*, in dativo caſu poſitum denotat eos ad quos verba Dei olim facta erant; hoc eſt populos veteris teſtamenti. 22. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* In vulgato codice Græco legimus *ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ*; ſed illud εἰκῇ *ſine cauſa*, videtur additamentum. *In quibuſdam codicibus*, inquit B. Hieronymus, *additur ſine cauſa. Cæterùm in veris definita ſententia eſt, &*

ira

Digitized by Google

ira penitus tollitur .... radendum eſt ergo ſine cauſa. Sententia autem Domini eſt : tantum abeſt ut laxem legem, quin arctiùs ſtringo. Hactenus huic videbatur feciſſe ſatis qui neminem occiderat, nunc audite quantum ego adjiciam. Pari crimine ac ſi occidiſſet, reum habeo, qui iraſcitur fratri ſuo; damnabo iiſdem pœnis. *Qui docet ut non iraſcamur*, inquit Auguſtinus, *non ſolvit legem ne occidamus*, *ſed implet potiùs*. Etſi autem neget Hieronymus, εἰκῆ, *ſine cauſa*, reperiri in vetuſtis & bonæ fidei exemplaribus, duas illas voces Auguſtinus vult eſſe ſubaudiendas, & meritò; nam ira bona eſt, ſicuti nullus affectus per ſe malus eſt, ſi ſciamus uti.

Præcipit Dominus diſcipulis ut ea quæ præcipua ſunt in lege, nimirum ea quæ ad jus naturale pertinent, & quibus boni efficimur, majori ſervent cautione, declarans majorem à ſuis expetere juſtitiam, quàm quæ eſſet Phariſæorum, qui graviora legis negligerent, ritualia quædam obſervantes cum religione. Vera pietas ſita eſt in magna erga Deum reverentia, & mutua inter homines charitate; quam charitatem ſic præcipit Chriſtus, ut vel minora in illam peccata extremis ſuppliciis punienda velit. Alludit autem ad duplex Judæorum tribunal. Primum dicebatur judicium κρίσει, cujus primi conſeſſus erat dijudicare minores cauſas. Tales conſeſſus in omnibus civitatibus conſtituendos præcipit Deus in Deuteronomio, cap. 16. ℣. 18. Alterum dicebatur συνέδριον, quod nomen Latinus interpres reddit *concilium*. Illud eſt Synedrium magnum de quo jam locuti ſumus. Ad hunc conſeſſum majores cauſæ referebantur; ad urbem ſcilicet ſanctam, ubi ſedes Synedrii in Templo.

Jam excutiamus ſingula verba loci in quo verſamur. Indicat Dominus Legem ſumma tantùm crimina vetuiſſe: ſcilicet quia nondum idonei homines ſanctioribus legibus. Lex, inquit, ſolos eos qui occidiſſent, adducebat ad id tribunal quod dicebatur *judicium*; ego verò eadem pœna qua primus conſeſſus plectit homicidas, puniam vel eum qui adverſus fratrem ſuum ita fuerit commotus. Primus ad homicidium gradus eſt iraſci. Hic autem, & infra radicitùs Chriſtus avellit peccatum, & omnes peccati cauſas præcidi jubet; ut qui verè Chriſtianus ſit, pari diligentia occaſionem peccati ac peccatum ipſum fugere debeat.

Adjungit: *qui autem dixerit fratri ſuo raca*, *reus erit concilio*. Id eſt qui non ſolùm iratus fuerit corde, ſed iram promens faſtidiens fratrem, & per deſpectum appellans *raca*, quaſi dicat *inanem*, iiſdem pœnis me judice reus eſt, ac ſi ſcelus admiſiſſet propter quod coram Synedrio ſiſtendus. Vox autem *raca*, Syriaca eſt qua uſos eſſe Judæos diſcimus ex Talmude ad ſignificandum deſpectum B. Auguſtinus dicit ſe audiviſſe à quodam Hebræo *raca*, vocem eſſe non ſignificantem aliquid, ſed indignantis animi motum exprimentem: quales ſunt interjectiones quæ commoti animi affectum ſignificant; velut cùm dicitur à dolente *heu*, velut ab iraſcente, *hem*; & vernacule *fy*. Ita *raca*, vox eſt quæ actionem indignantis & proximum deſpicientis innuit.

Qui autem dixerit, *fatue*: *reus erit gehennæ ignis*. Nempe mea ſententia non levioribus ſuppliciis addicendus erit, iis quæ olim exercebantur in gehenna, hoc eſt in valle Hennon, ubi in honorem Dei Moloch fiebant vivicomburia. Juxta R. Kimchi gehenna locus erat prope Jeruſalem contemptiſſimus, in quem projiciebant ſordes, & cadavera; ibique perpetuò ignis erat ad comburendum ſordes & oſſa. Quapropter locus ubi cruciantur impii, metaphoricè gehenna vocabatur. Ergo ibi gehenna eſt quaſi tertium tribunal, ſive potiùs locus in quo cruciabantur homines variis pœnarum generibus, quem Judæi opponunt loco beatitudinis quem *Eden* appellant. Gehenna, inquam, locus erat ſuppliciorum, in quem ſupremum Dei judicium mittebat homines, quos damnabat reos.

23. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te*: 24. *relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Quantam charitatem præcipit Dominus, quam etiam præponit cultui divino: etenim & ipſum altare vult deſerendum, aut ad illud non decere accedere niſi compoſita pace cum fratre quem intellexeris habere de te quod queratur. Hæc autem non ſic accipienda ſunt, ut docet B. Auguſtinus, quaſi ſit de abſente, & quod fieri poteſt etiam trans mare conſtituto veniat in mentem aliquid adverſus nos habere, relinquendum eſſet munus ante altare, quod poſt terras & maria pererrata offeretur Deo. Hæc credere abſurdum dicit Auguſtinus. Dominus tantùm docet ſanam debere eſſe offerentis intentionem, nimirum pronam vel condonandæ injuriæ quam acceperit, vel quam intulerit, reſarciendæ.

25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum eo*. Comparatio illa ſumpta eſt à rebus forenſibus, ibi enim *adverſarius*, dicitur in fonte Græco ἀντίδικος, id eſt actor qui litem, puta nomine debiti movet, & in jus trahit ad magiſtratum, vel ad principem ἐπ' ἄρχοντα, ut habet Lucas, cap. 12. ℣. 58. Nam cui lis intendebatur, actorem ſequi & apparere coram judice tenebatur. *Si dicat mutuo dans debitori eamus, ut de cauſa noſtra judicetur à Synedrio ſummo, debitorem cogunt illuc cum eo aſcendere. Pari modo ſi incuſet quis alterum de aliqua re ab eo ablata, vel de damno aliquo illato, velit qui accuſat; ut à ſuperiori Synedrio de ipſorum lite dijudicetur, debitorem cum*

illo

Digitized by Google

ille illuc aſcendere cogunt. Atque ita fit in rebus aliis omnibus iſtiuſmodi. Hæc Maimonides in Tract. Sanhedrim, cap. 6. Ergo Dominus utens hac comparatione forenſi, dicit; cùm adhuc tecum adverſarius eſt in via, eſto conſentiens cum eo, id eſt occupa ipſam ſententiam judicis, compone cum eo. *Ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.* Id eſt ne damnatus tradaris miniſtro τῷ ὑπηρέτῃ. Sic exactor, qui ſententiam judicis executioni mandaret, appellatur à Joſepho, lib. 2. de bello, cap. 21.

26. *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Quadrans erat æs minutiſſimum, quarta pars vilis aſſis, quadrans enim numus erat Romanus. *Dum it quadrante lavatum.* Cave, inquit Dominus, ne contingat tibi, quod ei qui litigat, qui cùm in jus vocatur niſi antequam ad judicis tribunal pervenerit, qua poteſt ratione componat cum adverſario controverſiam, in ipſa via dans operam liberari ab ipſo debito, poſteà totum debitum ſolvet, ut ne vilis numus deſit. Pariter non expectanda Dei ſententia adverſus perſecutores fratrum ſuorum, illi priùs placandi, ut faciliùs poſtea placetur Deus. Quorſum hæc omnia? ſcilicet ut foveatur concordia inter fratres, nec uſque ad mortem inimicitiæ alantur; & ſiquem facto, vel dicto læſerimus, per nos non ſtet, ne cum eo ſtatim in gratiam redeamus, memores aureorum verborum quibus B. Auguſtinus ſuadet junioribus, lib. 2. de ordine, ut inimicitias vitent cautiſſimè, ferant æquiſſimè, finiant citiſſimè. Ex poſtremis autem verbis illis Domini *quia frater tuus habet aliquid adverſum te*, diſcere licet potiſſimùm denotari eos quorum preces ſupremus judex audit; quos & vindicaturus de perſecutoribus iniquis.

CAPUT XVII.

Pergit Dominus demonſtrare legem Evangelii ſtrictiorem eſſe legibus antiquis; quæ & occaſionem mali præcidat.

MATTHÆUS, Cap. 5. ℣. 27—48.

1 * 27 Audiſtis quia dictum eſt antiquis: † Non mœchaberis. † *Exod.* 20. 14. *Deut.* 5. 18.
2 * 28 Ego autem dico vobis: quia † omnis qui viderit mulierem † *Iob* 31. 1.
ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.
3 * 29 Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te:
expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus
tuum mittatur in gehennam.
4 * 30 Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te:
expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus
tuum eat in gehennam.
5 * 31 Dictum eſt autem: † Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libel- † *Deut.* 24. 1. 1. *Cor.* 7. 10.
lum repudii.
6 * 32 Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta
fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.
7 * 33 Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis: † Non perjurabis: reddes au- † *Levit.* 19. 12. *Exod.* 20. 7. *Deut.* 5. 11.
tem Domino juramenta tua.
8 * 34 Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia
thronus Dei eſt:
9 * 35 Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni regis:
10 * 36 Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.
11 * 37 † Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abun- † *Iac.* 5. 12.
dantius eſt, à malo eſt.
12 * 38 Audiſtis quia dictum eſt: † Oculum pro oculo, & dentem pro dente. † *Exod.* 21. 24. *Deut.* 19. 21. *Levit.* 24. 20.

HARMONIA.

13 *Mt.* Ego autem dico vobis non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

14 Et ei, qui vult tecum judicio
† 1. *Cor.* 6. 7. contendere, † & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

15 Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.

† *Deut.* 15. 8. 16 † Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne avertaris, *L* & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.

17 Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

18 *Mt.* Audiſtis quia dictum eſt: †
† *Fer.* 6. *poſt cin.* Diliges proximum tuum, & odio ha-
† *Levit.* 19. 18 bebis inimicum tuum.

19 Ego autem dico vobis *L* qui auditis: *Mt. L* Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

† *Act.* 7. 60. 20 *L* Benedicite maledicentibus vo-
Rom. 12. 2?. bis, *Mt. L* & orate † *Mt.* pro perſequentibus, & *Mt. L* calumniantibus vos.

21 *Mt.* Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.

22 Si enim *Mt. L* diligitis eos, qui vos diligunt, *Mt.* quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? *L* nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

23 Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

24 Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

25 *Mt.* Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?

26 *L* Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces

MATTHÆUS.

39 Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

40 Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

41 Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.

42 Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne avertaris.

43 † Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum.

44 Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos:

& orate pro perſequẽtibus, & calumniantibus vos.

45 Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.

46 Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

47 Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?

LUCAS, Cap. 6. ℣. 27 36.

27 *Sed dico &c. infrà.*

29 Et qui te percuſſerit in maxillam, præbe & alteram.

Et ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30 Omni autem petenti te, tribue:
& qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.

31 Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

32 *Et ſi diligitis &c. infrà.*

27 Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

28 Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

29 *Et qui te percuſſerit &c. ſuprà.*

32 Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia?

nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

33 Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

34 Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

35 Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit mer-

ve-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.
veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.		ces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.
27 Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.		36 ✠ Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. 37 *Nolite &c. infrà*, cap. 18. ✠ *Dom. I. poſt Pent.*
28 *Mt.* Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.	48 Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Attendite &c.* cap. 18.	

PERGIT Dominus demonſtrare Legem à ſe non ſolvi, imò novis ſuis legibus confirmari; quippe qui omnem occaſionem prætergreſſionis ejus præcidat. Scilicet ſapientis eſt legiſlatoris, ut medici corporis valetudini remedia accommodare, ſic & leges ſuas morbis animorum. Nondum homines ferre potuerant ſtrictas & ſanctas leges in ea condiſione, cui peccatum eos fecerat obnoxios; neque enim Chriſtus advenerat, qui ſolus poteſt ſanare. Ideò lex data per Moyſem ſumma tantùm crimina vetabat, quæ omnem ſocietatem divellerent, neutiquam præcipiens, quæ nos perfecto amore devincire poſſunt, & ſanctiores religioſioreſque reddere. Quod faciunt leges quas Chriſtus modò promulgat.

1 * 27. *Mt. Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis.* Præceptum eſt Decalogi, cap. 20. ℣. 14. quod Hebræi explicant de concubitu cum fœmina nupta, de quo malo facinore agitur in Deuteronomio, cap. 22. ℣. 22. ubi adulter & adultera morte puniuntur. Non ideò minus in Judaico populo fornicatio ſemper fuiſſe vetita dici poteſt, ſi quidem puellæ Iſraelitidi vitam meretriciam agere non permittebatur, & qui innuptam ſtupraverat, ducere eam, aut ſi parentes nollent, dotare cogebatur. Puellæ, inquam, Iſraelitides, licèt tantùm deſponſatæ alteri quàm ſponſo copiam corpori ſui facientes, & polluto corpore deprehenſæ nubere, lapidabantur, ut videre eſt in Deuteronomio, cap. 22. Verumtamen fornicatio omnis diſertis verbis in Decalogo non prohibebatur; neque enim omnia delicta, etiam quæ lege civili puniuntur, Decalogus præcipiebat caſtiganda, ſed ea ſola dumtaxat, ut jam dixi, quæ in uno quoque genere ſummam habent atrocitatem. Sed eſto fornicatio legibus Moyſis puniretur; quantùm ſanctior, & cautior lex Chriſti!

2 * 28. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem.* γυναῖκα, id eſt fœminam viro conjunctam, *ad concupiſcendum eam*: qui attentè, curioſè & cum voluptate contemplatur, unde naſcitur malum deſiderium; oculi enim ſunt in amore duces, & primi in corpore corrumpuntur: jam mœchatus eſt eam in corde ſuo, cenſeo jam illum adulterum, & ideò reum. Admiſit jam in animo quod concupivit, adeo & *ſine effectu cogitatus cordis eſt actus*, ut loquitur Tertullianus. His verbis admonet Dominus omnes libidinis defugiendas eſſe occaſiones, *non enim vidiſſe crimen eſt*, ſed ut ait B. Ambroſius lib. de pœnit. cap. 13. *cavendum ne origo ſit criminis.* Unde Tertullianus lib. de cultu fœminarum admonet eas, ut alteri non ſint periculo. *Periit enim ille ſimul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi, ut etſi à culpa vaces, ab invidia non libereris.* Ideò ut paulo pòſt idem ſubjicit. *Etſi accuſandus decor non eſt, ut felicitas corporis; ut divinæ plaſticæ acceſſio, ut animæ aliqua veſtis bona, timendus eſt tamen propter injuriam & violentiam ſectatorum.* Ideò, inquam, ut ejuſdem Tertulliani verbis loquar lib. de Virginibus velandis, *vera & tota & pura virginitas, nihil magis timet quàm ſemetipſam... confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clipeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorum.*

Huc ſpectat doctrina Chriſti, ut quæ cauſa lapſus eſſe poſſunt ſedulò vitentur. Tutius eſt fugere, cùm tentatio adoritur, quàm pugnare; quod eleganter dicit D. Hieronymus Epiſtola adverſus Vigilantium. *Aut ſcuto, aut pedibus mors vitanda eſt. Tu qui pugnas & ſuperari potes, & vincere. Ego cùm fugero, non vincar in eo quod fugio: ſed ideò fugio ne vincar. Nulla ſecuritas vicino ſerpente dormire. Poteſt fieri ut non me mordeat, tamen poteſt fieri, ut me mordeat.* Præſumptio periculoſa. *Nam qui præſumit, minus jam veretur: qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt.* Verba ſunt Tertulliani, lib. 2. de cultu fœminarum: quæ viſum eſt afferre, ut attentiùs legantur verba Domini.

3 * 29. *Quòd ſi oculus tuus dexter*, id eſt etiam dexter, vel ut ait B. Auguſtinus, quidquid illud eſt. quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, *ſcandalizat te*, facit ut pecces, *erue eum & projice abs te.* Contemne illius jacturam. Projice quæcumque cor tuum laniant, ajebat Seneca, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendũ erat. Summa eſt præcepti, vitanda eſſe pravarum

cupiditatum alimenta. Intueri non licet, quod non licet concupiſcere, dicit Gregorius magnus. Eruitur autem oculus & projicitur, cùm detorquetur ab aſpectu formoſæ mulieris (qui aſpectus fomentum eſt voluptatis) & quaſi excæcatur. Huc faciunt illa Philonis verba. *Mallent vel mediocriter inſtituti extæcari, quàm quæ non decet aſpicere; ſurdos fieri, quàm pernicioſos ſermones audire; linguas ſuas exſcindi, quàm quæ non dicenda erant eloqui.* Præcepti illius, quod durum videtur, cauſam reddit Dominus. *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Minus enim malum præ majore eligendum, in corpore ſi quid ejuſmodi eſt, quod corpori reliquo noceat, utor verbis Ciceronis, uri ſecarique patimur, ut membrum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat, nulli parcas, ut ſoli parcas animæ, ait B. Hieronymus ſcribens Ruſtico monacho.

4 * 30. *Et ſi dextra manus*, etiamſi dextra *tua ſcandalizat te, abſcinde eam & projice abs te:* potiùs abſcinde manum, quàm illam extendas ad rem vetitam, cujus ſtatim concupiſcentia in te exardeſcat, *expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Abjicere à nobis, vel potiùs eruere propinquitates chariſſimorum hominum admonemur, inquit B. Hilarius, ne in conſortium criminis eorum de familiaritate veniamus; rectiùs utilibus & maximè neceſſariis, tanquam oculi & pedes, membris carentes, quàm uſque in ſocietatem gehennæ, vitioſæ propinquitatis teneamur affectu. Similiter & S. Auguſtinus: quidquid illud eſt, quod ita diligis ut pro dextro oculo habeas, ſi ſcandalizat te, id eſt, ſi tibi impedimento eſt ad veram pietatem, & beatitudinem, erue illud & projice abs te.

5 * 31. *Dictum eſt autem: quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii.* Omnia revocat ad primum initium Dominus, id eſt ſtatuit prima jura naturalia. Ergo juxta leges naturales conjugii præcipit, ut ſemel initum non poſſit diſſolvi. Homo enim & mulier conjunguntur vinculo naturali, ut ex horum mutua conjunctione naſcatur proles, cujus educationi providetur indiſſolubili nexu patris & matris. Cùm autem ob duritiem cordis Judæis conceſſum eſſet repudiare uxores ſuas, ne id impetu fieret, & ſaltem quædam juris formula interpoſita illam licentiam frænaret, Moyſes juſſerat ut uxoribus repudiandis daretur libellus repudii, ſive jus ad alias nuptias. Hebræi appellant librum & libellum quamcumque ſchedam & cartam, ut diximus. Igitur qui dimittebat, ſive repudiabat uxorem ſuam, tenebatur ei dare ſchedam; qua declarabatur ſoluta vinculo conjugii, & libera cui vellet nubere.

6 * 32. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa,* id eſt quæ non ſit adultera; nam maritus non conſtringendus cum fornicaria muliere, *facit eam mœchari*, id eſt facit eam fornicariam, ſive quia jugo ſoluta permittitur ſuæ libidini, ſive quia nubendo alteri, etiam fit adultera; neque enim libellus repudii ſolvere poteſt matrimonium natura ſua indiſſolubile; quod novis ſuis legibus iterum confirmat Dominus. Hac exceptione quidem fornicationis πορνείας, quo nomine & adulterium comprehenditur, excluduntur cauſæ quæ leviores ſunt quàm adulterium, ſed ita tamen, ut ſi qua ſint crimina adulterio paria, aut etiam graviora, hæc eadem exceptione comprehendi intelligantur; ut docent qui de matrimonio ſpeciatim differunt.

Et qui dimiſſam duxerit, adulterat. Etenim ſi ſola morte diſſolvatur conjugium, uxor quamdiu ille cui conjuncta fuit, vivit, quamquam dimiſſa, non poteſt alterum inire matrimonium. Sunt qui hęc verba Domini ſic accipiant, ut ſi quis chriſtianus mulierem, quam ſciret à chriſtiano conjuge ſine legitima cauſa dimiſſam, ac proinde quæ ſemper uxor eſt ejus qui dimiſit, ducat uxorem, is & mœchari cenſendus ſit: quo crimine vacaret ſi illa cui nubit, fuiſſet legitimè dimiſſa. Verùm interpretes orthodoxi præſertim Latini ſentiunt ex præcepto tum naturali, tum Evangelico perpetuum eſſe conjugii vinculum. Mulierem quæ à viro diceſſerit vult Apoſtolus innuptam manere. Non eſt hujus loci doctrinam illam pluribus adſtruere: Tertullianus, lib. de Monogam. illam confirmat, oſtendens hominem ab Evangelio in primam rectitudinem reſtitui. *In Chriſto omnia revocantur ad initium, ut & fides reverſa ſit à circumciſione ad integritatem carnis illius, ſicut ab initio fuit, & libertas ciborum, & ſanguinis ſolius abſtinentia ſicut ab initio fuit, & matrimonii individuitas, ſicut ab initio fuit, & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit; & poſtremò totus homo in paradiſum revocatur, ubi ab initio fuit.*

7 * 33. *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua.* Non pejerabis, ſive non jurabis falſum, mentiens in juramento tuo; ſed quæ jurando per nomen Dei promiſeris, ſive ipſi Deo, ſive proximo reddes, id eſt perſolves. Etenim qui homini aliquid promittit jurando per nomen Dei, Deum teſtem invocat, & ultorem perfidiæ, ſi ſciens fallat; ita ſimul Deo ſe obligat. Judæi autem qui ea tantùm crimina ſubſugiebant, quibus lex irrogabat ſupplicia, per cœlum, per terram, per ſanctam Jeruſalem, per caput ſuum crebrò & temerè etiam cum mendacio conſueverant jurare, tantummodo religioſè utentes hocce juramento: *Vivit Deus*, à quo pronuntiando, quantum poterant abſtinentes, potiùs tellurem, cœlum, ſolem, mundum jurando nominabant. *Si rei neceſſitas religionem juramenti poſtulat*, inquit Philo libro de ſpecialibus legibus, *magis decet jurare per patris, aut matris*

triis

tris ſanitatem & ſenectutem proſperam ſi vivunt, aut ſi defuncti ſunt, per eorum beatam memoriam. Et paulò poſt laudat eos qui omnino refugientes Deum nominare jurando, ubi hoc ſolum protulerint νὴ †, ἢ μὰ †, id eſt *per*, nihil addunt amplius, nec abſolvunt formulam. *Poteſt autem ſuppleri, ſi libeat*, inquit Philo, *non ſtatim addendo altiſſimum aut ſummum conditorem; ſed tellurem*, ſolem, cælum, mundumve; nempe licet jurare per has creaturas.

Iſta opinio prava mentes Judæorum invaſerat, quòd hiſce ſimilibus juramentis non conſtringerentur. Id nos docet Maimonides ex traditione Hebræorum in tractatu *shebvosh*, ſive de juramentis, cap. 12. nu. 3. & 4. *ſi quis*, inquit, *juraverit per cælum, & terram, & ſolem, & ſimilia, tametſi cogitaverit tantùm de eo, qui ea creavit, juramentum nihilominus non eſt.* Videlicet non eſt verum juramentum. Addit. *Cæterum licet hæc non ſint juramenta, quibus fides habenda, monere tamen ſolebant populum, ut nec hiſce temerè uteretur, cùm etiam ipſis juramenta videantur.* Hoc non latebat Romanos, ut clarum eſt ex Martiale qui ſic Verbum, hoc eſt Judæum compellat negantem pravum facinus, de quo eum accuſabat.

Ecce negas, juraſque mihi; per templa tonantis.
Non credo. Jura Verpe, per Anchialum.

nempe tu credis pejerare poſſe, dum juras per cælum; jura ergo ut tibi credam per Anchialum. Sic efferr juramentum חי אלה *chi allah*, id eſt *vivit Deus*, vel אין חי עליון *an chi alon*. Id eſt. *Non vivit altiſſimus*. Jusjurandum hominis inficiantis crimen cujus accuſabatur.

Stultam illam opinionem Judæorum impugnat Dominus, & ut radicitus conſuetudinem pravam avelleret, ſic præcipit. 8 * 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Illud *omnino* interpretari decet ex his moribus Judæorum, quos notavimus, præcipit Dominus omnino non pejerandum eſſe, ſive per Dei nomen, ſive per cælum juramentum fiat. Etenim jurare actus eſt religionis; unde non licitum erat jurare per nomen falſorum Deorum. Juramento non abſtinuit Apoſtolus, ut S. Auguſtinus demonſtrat adverſus eos qui omne juramentum etiam in juſtitia, & ſanctitate malum putabant. Si qui Patres ea in opinione verſari videantur, benigna interpretatione ſic accipiendi ſunt, ut ſolam nimiam jurandi licentiam coerceant juxta illud monitum Lactantii. *Non pejerabit, ne Deum ludibrio habeat, ſed ne jurabit quidem, ne quando vel neceſſitate, vel conſuetudine in perjurium cadat.* Itaque dictum eſt, ne juremus, ait B. Hilarius, *non quia verum jurare peccatum eſt: ſed quia pejerare immane peccatum eſt, à quo nos longè eſſe voluit, qui omnino ne juremus, admonuit.* Etenim falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio periculoſa eſt, nulla juratio ſecura eſt.

Pergamus expendere ſingula verba Domini. Vobis, inquam, dico non jurare omnino: *neque per cælum, quia thronus Dei eſt*: ut dicit Iſaias, cap. 66. ꝟ. 1. *Cælum ſedes mea*; ita fruſtrà nulla in hiſce juramentis vos religione conſtringi putatis, cùm in his omnibus jurandi modis tacitè Deus contineatur. 9 * 35. *Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus*, quod ibidem dicit Iſaias, ita nec ab illa jurandi formula aberat Deus. Eandem ob cauſam nolite, inquit, Dominus jurare; *neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni regis*, nempe Dei, quam elegerat ad inhabitandum, in qua & Templum, domum ſuam collocaverat. 10 * 36. *Neque per caput tuum juraveris; quia non potes unum capillum album facere aut nigrum.* Caput non minus quàm cæteræ res, in Dei poteſtate eſt: homo ergo cùm capitis ſui dominus non ſit, per illud jurans, huic deprecatur malum à Deo immittendum, ſi pejeret; quapropter per Deum cenſendus eſt jurare qui jurat per caput ſuum. Invocat eum teſtem, ſimul & ultorem perfidiæ, ſi fallat; in quo ſita eſt natura juramenti.

11. * 37. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Id eſt ſimplex affirmatio, vel negatio loco eſſe debet juramenti. Sit ſermo *ναὶ ναί*, Græcis eſt adverbium affirmandi; id eſt *certè certè. οὒ οὔ non non*. Inter proverbia Arabum illud numeratur: *ſit ſermo tuus etiam, aut non, ut ſis verax apud omnes homines.* Id eſt ne multùm, nec temerè jurato; ejuſmodi enim hominibus fides haberi non ſolet. Verax habeberis ſi ſermo tuus fuerit ſimplex, affirmans, vel negans. Certum eſt quòd ſic omne delictum quod jurando committi poteſt, nimirum vana juramenta & perjuria vitentur, cùm ſine juramento res eſſe dicimus quod ſunt, aut negamus, quod certò credimus non eſſe. Quod adjungitur ultra ſimplicem affirmationem, vel negationem venit *ἐκ τοῦ πονηροῦ*. à diabolo, vel à mente corrupta, à prava conſuetudine, qua factum eſt ut juramenti actus ex ſe religioſus, evaſerit malus. Qui enim invocat Deum, ut diximus, agnoſcit mentis cognitorem & perfidiæ vindicem; quare pro Deo habet, cujus nomen ſic invocat; ſed quia conſuetudine magis quàm religione reverendum Dei nomen plerique ſumunt in rebus non neceſſariis, imò ſupervacuis, ſine ulla formidine vindictæ Dei, aut deſiderio gloriæ ejus, ideò chriſtiani prohibentur jurare omnino, niſi juſſu judicis, aut alia gravi neceſſitate adacti. Concludamus tandem illum longiuſculum ſermonem de juramento, hiſce verbis Hieronymi ad Cælantiam. *Mentiri verò, atque jurare lingua tua prorſus ignoret, tantuſque in te ſit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes.*

12. * 38. *Audiſtis quia dictum eſt: oculum pro oculo, & dentem pro dente.* Defectivam orationem commodè ſupplebis, ſi addas, reddet qui in-

juſtam fecit; *nam*, inquit Tertullianus, *olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum male fœnerabant*. Ut huic erueretur oculus qui oculum eruerit lege talionis, quæ non exigebatur niſi judicis decreto. Lex enim iſta non fomes ſed limes furoris erat, ut loquitur Auguſtinus; ne quis ſcilicet ampliorem vindictam expeteret quàm jure deberetur. Poterat tamen proximus agnatus viri occiſi apud Hebræos manu privata homicidium vindicare, quod conſtaret malo dolo patratum fuiſſe. Sed in delictis quæ infra homicidium ſunt, nihil ultra conceſſum læſis, quàm adire judicem, & ab eo ultionem tanquam jure ſuo, expoſcere. Licebat illis, ut Grotius obſervat, exigere ut adverſario vulnus infligeretur. Poſteà tamen factum eſt, ut pro membro pecunia ſolveretur. Iſtam legem talionis citat Dominus, ut ex antitheſi clarior eluceat charitas & condonatio chriſtiana.

13 * 39. *Ego autem dico vobis*, ait Dominus, *non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram* στρέψον, *verte, obverte* illi alteram. In multis Latinis codicibus non fuiſſe *dextram*, teſtis eſt Auguſtinus; fuiſſe autem in exemplaribus Græcis, quibus major fides adhibenda ſit: ſicut hodiè & à Latinis & Syris & Græcis concorditer legitur. Notanda chriſtiana & elegans antitheſis, qua legi talionis opponitur patientiæ, ut ita dicam, talio. S. Chryſoſtomus intelligit non reſiſtendum malo, hoc eſt injuria, ſive verſutia, ſed patientia; non enim, inquit, ignis igne extinguitur, ſed aqua. Illud τῷ πονηρῷ, de homine interpretor. Hebræi dicerent לָרָשָׁע, ut loquitur Moyſes in Exodo, cap. 2. ℣. 13. quod LXX. vertunt τῷ ἀδικοῦντι, id eſt ei qui injuriem fecit. Revocat ergo Dominus ſuos diſcipulos à vindicta, ab exigenda lege talionis; eo ſenſu quo Paulus dicit Rom. 12. ℣. 17. *Nulli malum pro malo reddentes... non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim: mihi vindicta; & ego retribuam*. Sic ergo chriſtianos inſtituit Chriſtus μὴ ἀντιδικεῖν, hoc eſt lege & judicio non contendere, ut judex pœnas irroget adverſario. Mutua enim inter nos charitas tam arcta eſſe debet, ut non poſſit quacumque injuria abrumpi, quemadmodum in corpore humano nulla ſe divellitur membrorum amicitia; manus manui non ſuccenſet, ſi fortè hæc ab altera læſa ſit.

Quod autem videtur Dominus præcipere, ut percutienti in maxillam, præbeatur & altera maxilla percutienda, ſic accipiendum cum Auguſtino, ut animo parati ſimus & alteram injuriam, etiam plures injurias ferre potiùs, quàm, ſicut dictum eſt, malo, id eſt huic à quo injuria afficimur reſiſtere, quamvis legitimè ac judicialiter id facere liceat. Illa ergo præcepta magis pertinere ad præparationem cordis quæ intus eſt, quàm ad opus quod in aperto fit, Auguſtinus docet. Verbis efficacibus uſus eſt Dominus, ut deterreret ab omni jurgio.

14 * 40. *Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Id eſt in jus vocatus ſtatim cede. Si contendat tuam tunicam eſſe ſuam, dimitte ei illam etiam cum pallio tuo; quod aliis verbis dicit Lucas, quibus tamen alia non ſubeſt ſententia: *& ab eo qui aufert veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere*. Da veſtem & interiorem & exteriorem, plura largiens quàm quæ ſibi arroget adverſarius. Nimirum chriſtianum ſic animo affectum eſſe decet, ut potiùs pallium addat, quàm vi, & per judices obſiſtendo ad reddendum cogat, χιτὼν, tunica veſtis eſt interior, ἱμάτιον, exterior, quæ Romanis eſt *toga*, Græcis *pallium*. Niſi quod ἱμάτιον, apud Græcos interdum pro quovis genere ponitur. Unde rectè monet Auguſtinus hunc eſſe ſenſum: ſi quis tollat unam aliquam veſtem; concede illi potiùs ſi quid aliud habes veſtium genus, quàm contendas. Aloquin præpoſterus eſſet ſermo. Pallium enim quæ ſumma veſtis eſt (juxta illud Plautinum, *tunica pallio propior eſt*) primum detrahitur, deinde tunica, ut obſervat Eraſmus. Charitatem inter homines mutuam Dominus ſancit hiſce omnibus; quæ ergo interpretanda ſunt ex regulis charitatis; ut cedere & injurias ferre non teneamur niſi quando lex charitatis id exigit.

15 * 41. *Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*. Hoc eſt, ſi coegeris (ea eſt verbi *angariare* ſignificatio) per unum milliarium, ut habet fons, ire, vade cum illo & alia duo, nempe milliaria. Regum Perſarum curſores dicebantur angari: iis fas cujuſvis equos, aut ipſos etiam homines rapere ad curſum. Unde factum ut *angariare* accipiatur, pro adigere ad currendum, vel ad ferendum aliquid.

16 * 42. *Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne avertaris*. Hoc eſt qui petit, ut illi quod tuum eſt, commodes, annue votis ejus. *Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas*. In hiſce omnibus, ut jam innui, non tam verba quàm ſententiam Domini intueri debemus. Etenim neque juſtitia, neque ipſa charitas ſemper id exigunt, ut percutientibus ultro præbeamus maxillam, furibus permittamus opes, & omnium obſequamur ſtudiis, niſi cùm decet. Sermo ergo ille Dominicus figuratus eſt, non proprius. Hoc eſt non accipiendus pro ut ſonat litera, ſed interpretandus ex ſententia loquentis quam aperit, dum concludit.

17 * 31. *Et prout vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis ſimiliter*. Legem illam Domini appellat Hieronymus ad Celantiam ſcribens totius juſtitiæ breviatium. In ea enim lege fundantur leges omnes, quæ de charitate præſcribi poſſunt. Æquis conditionibus vivere debent homines, qui ejuſdem naturæ participes ſunt.

ſunt, pariter facti ut unum Deum colant. Ideò omnibus hæc juris innata eſt notio, nulli homini ſive Judæo, ſive gentili ignota: *quod tibi fieri non vis, alteri ne facias.* Hac regula dignoſcitur quod cuique ſit charitatis exhibendum officium. Pro ut ergo vultis ut faciant vobis homines; id eſt quod velletis vobis fieri ſi in ſtatu eſſetis in quo nunc ſunt mali, ut ex abundantia charitatis non imputarent vobis maleficium, ſed patienter ferrent veſtras injurias, & ſi quando opis eorum indigeretis, præcedentium obliti neceſſitates veſtras ſublevarent, & vos facite nunc his qui mali ſunt.

18 * 43. *Mt. Audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* πλησίον reſpondet Hebræorum רע *rea*, quam vocem LXX. reddunt φίλος, *amicus*, & ſæpiùs πλησίος, *proximus*. Quæritur an hoc in lege ſit, vel tantùm ex majorum traditione acceptum. Conſtat imperatum à Deo Iſraelitis, ut certas gentes odio proſequerentur, & exſcinderent, quales erant Amorræi. *Memento quæ tibi fecerit Amalec*... inquit Deus in Deuteron. cap. 25.... *delebis nomen ejus ſub cælo. Cave ne obliviſcaris.* Scilicet nondum diligere poterant à quibus afficiebantur injuria. Præterea præcavebat Deus ne dilectione conjuncti cum Gentibus diſcerent malos mores. Mentem ergo Dei non aſſequentes, etiam Deo obtemperare putabant Hebræi dum internecioni dabant quos odio proſequebantur. Communis erat opinio quam magiſtri inſtillabant diſcipulis; unde Chriſtus dicit *audiſtis quia &c.* Hanc doctrinam explicat Maimonides in tractatu de occiſione. *Hæretici Iſraelitici, id eſt qui idola colunt ex Iſraele, aut qui tranſgrediuntur ut irritent; itemque Epicurei, id eſt Iſraelitæ, qui negant leges & prophetas, ex præcepto ſunt occidendi, ſi poteſt quis eos occidere, idque palàm; ſi autem non apertè, clam & aſtutè machineris eis mortem.* Et paulo pòſt. *Gentilibus verò, quibus nobiſcum non eſt bellum, itemque paſtoribus pecorum minutiorum, aliiſque iſtiuſmodi non mortem quidem ita machinantur: at prohibitum tamen eſt eos à morte liberare, ſi de morte periclitantur. Exempli gratia, videt Judæus quemquam eorum lapſum in mare, nullomodo eum inde tollat, nam ſcriptum eſt, non inſurget in ſanguine proximi tui: at hic non eſt proximus.* Idem Maimonides ſic loquitur libro de idololatria, cap. 10. num. 1. agens de idololatris. *Nec eorum miſereri licit: quia dicitur, Deuter. cap. 7. nec miſereberis eorum. Idcircò ſi quis viderit Gentilem pereuntem, vel aquis demerſum, ne opem ferat. Si eum morti proximum viderit, ne eripiat morti.* Hæc quæ ſequuntur, reſpiciunt Judæos, qui alieni ſubditi imperio præcavent in ſe concitare odium acerbum. *Attamen manu ſua eum perdere, præcipitem in puteum dare, vel ſi quid huic ſimile, nefas eſt, quia nobiſcum bellum non gerit.* Animadverſione dignum quod paucis interjectis ſubjicit Maimonides. *Hinc diſcere eſt prohibitum quoque eſſe, ne medicinam idololatris faciamus, utcumque mercedem reciperemus. Cæterum ſi quis ſibi ab iis metuat, ac ſe propterea fore credat exoſum: mercede ſanabit, gratis verò non licet.*

Quantum diſcrepat lex Domini! 19 * 44. *Ego autem dico vobis, L qui auditis Mt. L diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* A natura facti ſumus, ut veluti membra conjungamur amoris vinculo. Docet Chriſtus delicto alterius non tolli naturam, & propterea benevolentiam in neminem debere claudi; quod ſola chriſtiana charitas facit. *Amicos diligere, omnium eſt*, inquit Tertullianus libro ad Scapulam, *inimicos ſolorum chriſtianorum.* Sed amorem re & non ſolis verbis exhibendum eſſe ſignificat ſummus magiſter, adjungens. *Benefacite his qui oderunt vos.* 20 * 28. *L Benedicite maledicentibus vobis, Mt. L & orate Mt. pro perſequentibus, & Mt. L calumniantibus vos.* His charitatis monitis inſtruendi erant Apoſtoli paſſuri odia, convicia, vexationes. Quæ omnia cùm aliis inferre turpius, & miſerius ſit, ille cui inferuntur, inferentium ſortem debet miſerari, & exemplo Domini Deum orare, ut ignoſcat neſcientibus, nempe non reputantibus, quantum ſibi ipſi noceant, dum aliis volunt nocere.

21 * 45. *Mt. Ut ſitis filii patris veſtri, qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Id eſt qui bona confert etiam hominibus, qui in eum peccant: irrigat imbre ſuo agros piorum & impiorum, ſuo exemplo nos provocans, ut amore & beneficiis complectamur omnes homines. Ergo ſi fieri poteſt, omnibus prodeſſe, obeſſe nemini debemus; nulli, inquam, nocere, prodeſſe velle omnibus; poſſe enim ſolius eſt Dei. Utor verbis D. Ambroſii. Tertullianus loquens de patientia qua verè filii Dei nominamur & ſumus, exclamat: *vides quem nobis patrem patientia acquirat!*

Addam à Chriſto ſolo potuiſſe homines reſtitui in primum naturæ ſtatum, in quo vero ſe amore proſequerentur. Vera autem dilectio non eſt quæ utilitatis cauſa fit, ut cùm amamus amantes nos, & benefacimus benefacientibus nobis; quod Dominus declarat. 22 * 46. *Si enim Mt. L diligitis eos, qui vos diligunt Mt. quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? L nam & peccatores diligentes ſe diligunt*, ſui cauſa, ſed non ut Dei charitatem erga homines imitentur: non tam amorem, quam negotiationem exercent. 23 * 33. *Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia?* idem eſt, ac quam mercedem habebitis, *ſi quidem & peccatores hoc faciant?* veſtris commodis ſervitis; nec plus præſtatis quàm peccatores quos jure faſtiditis; ita cauſam gloriandi non habetis. 24 * 34. *Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia vobis?* quam

ex tali facto à Deo poteſtis gratiam expectare? *nam & peccatores peccatoribus fœnerantur*, id eſt commodant, ea ſcilicet lege, *ut recipiant æqualia*, parem mutui vicem, ubi opus habuerint, vel fœnus ſorti congruum; vel potiùs ipſam ſortem, ſive tantumdem quantum datum.

Verbum *δανείζειν*, modò redditur *fœnerantur*, modò, *mutuum dant.* ancipitis eſt ſignificationis; nam & qui citra uſuram dat mutuum, *δανείζει*, & qui ad uſuram dat, *δανείζει*. Verùm hic perpetuò vertendum erat *dare mutuum;* etenim non loquitur Evangeliſta de quæſtu fœneratorum, ſed de mutuis officiis amicorum inter ipſos. At inter impios quoque reperias, qui amico credant pecuniam mutuam. Idem ergo ſi faciunt diſcipuli Chriſti, nihil magni faciunt. Extenuat enim Chriſtus vulgatia officia, ut pote communia cum Ethnicis, ac malis, ut ad illa provocet, quæ peculiaria ſunt chriſtianorum, & in quibus antecellere debent. Verùm eò redierunt mores, loquor verbis Eraſmi, ut ſi titulum, ſi cæremonias ſubduxeris, hac nota vix poſſis chriſtianum ab Ethnico, dignoſcere. De vulgo chriſtianorum loquor, non de omnibus.

25. * 47. *Mt. Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm*, oſculo, complexu & blanda compellatione, quæ officia Judæi ſolis Judæis præſtabant, cæteros indignos habentes, qui ab eis ſalutarentur, *quid amplius*, quid eximium, aut quid ſupra cæteros *facitis? nonne & Ethnici faciunt*, fratres ſuos & amicos ſalutantes.

26. * 35. *L. Verumtamen diligite inimicos veſtros.* Huc tendit omnis oratio Chriſti; qui enim verè diligit eum à quo afficitur injuria, non irritat ægrum animum ejus, ſed ſanare conatur, & novis beneficiis placare eodem affectu quo optaret moveri, ſi ipſe illum laceſſiviſſet, fortè abreptus malo iracundiæ æſtu. *Benefacite*, cumulate beneficiis inimicos: ut membris ægris plus impenditur curæ. *Et mutuum date nihil inde ſperantes*, *μηδὲν ἀπελπίζοντες*, id eſt nihil omninò ſperantes ex præſtito beneficio: ſive tùm nulla ſpes eſt compenſationis, imò ne mutui quidem recipiendi. Alii ſic reddunt hunc locum. Omnibus petentibus date mutuum, neminem fruſtrantes ſpe ea quam de veſtra beneficentia concepit. In hac ſignificatione verbum *ἀπελπίζειν*, reperitur in theſauro Græco; & illam adſtruit Ludovicus *de Dieu* multis exemplis. In ſignificatione autem quam ſecutus eſt vulgatus, alibi non occurrit. Sic etiam quidam hunc locum explicant: mutuum date non diffidentes, ita ut diffidentia, ſive metus inopiæ vos revocet à liberalitate.

His ergo verbis Domini prohibetur fœnus, ſive uſura, nempe lucrum iniquum ex pecunia commodata, ſiquidem doceat ſortem etiam remittendam eſſe huic qui indigeat. Nam & inter Ethnicos reperti ſunt qui abſtinuerint fœnore, ut re turpi. Lex Moyſis illud prohibebat erga fratres; quam ergo legem non perficeret Chriſtus, ſi & ipſam ſortem pauperi remittendam non præciperet? *Et erit merces veſtra multa*, cùm commodaveritis pecuniam veſtram cujus recuperandæ nullam ſpem habeatis. Tunc enim verum eſt beneficium, quod non peribit coram Deo. *Ab omni officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omnino; nam ſi ab homine expectes, jam non humanitas erit illa, ſed beneficii fœneratio.* Hæc Lactantius.

Et eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. Id eſt verè imitatores eritis Dei; filii enim mores patrum referunt. Deus benignus eſt, id eſt confert beneficia in omnes bonos pariter & malos. Deum proponit Chriſtus in charitatis exemplum, & neceſſarium, quoniam religionis ſumma ſit, ut ait Auguſtinus, imitari quem colas. 27 * 36. *Eſtote ergo miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Hic eſt finis novæ legis; etenim Chriſtus venit, ut renovaret hanc imaginem Dei, quam peccatum deleverat. Factus erat homo ad imaginem Dei; nimirum ut moribus ſuis, virtutibus, juſtitia, ſapientia, charitate eſſet ſimilis Deo. Cùm ergo homo per peccatum factus eſſet jumentum; ut ejuſdem naturæ conſortem Deum haberemus, quem faciliùs imitaremur, *Deus homo factus eſt, ut homo fieret Deus.* Hæc Clemens Alexandrinus; quæ qui perceperit, intelligit doctrinam Chriſti, qua ſic concludit. 28 * 48. *Mt. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Similis Dei evadit quiſquis rationem perfectè ſequitur. Cogitemus nos tantò ſimiliores Deo, quantò eſſe poterimus ejus participatione juſtiores, inquit Auguſtinus, ad Conſentium ſcribens.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

*Continuatio ſermonis Domini in monte. In eleemoſynis, in oratione, in je-
junio quid obſervandum ſit docet, & quàm ſtultum ſit divitiarum
ſollicitudine teneri.*

MATTHÆUS, Cap. 6. ℣. 1—34.

1 ATtendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videa-
mini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem ve-
ſtrum, qui in cælis eſt.
2 Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocri-
tæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen
dico vobis, receperunt mercedem ſuam.
3 Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dexte-
ra tua:
4 ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcon-
dito, reddet tibi.
5 Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis &
in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico
vobis, receperunt mercedem ſuam.
6 Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora
Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet
tibi. ¶
7 Orantes autem, nolite multùm loqui, ſicut ethnici: putant enim quòd
in multiloquio ſuo exaudiantur.
8 Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis,
antequam petatis eum.
9 Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur no-
men tuum.
10 Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.
11 Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.
12 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus
noſtris.
13 Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.
14 † Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pa- † *Marc.11.25. Eccl.28.3.4.5.*
ter veſter cæleſtis delicta veſtra.
15 Si autem non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis
peccata veſtra.
16 * Cùm autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes: extermi- * *Feria 4. cinerum.*
nant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vo-
bis, quia receperunt mercedem ſuam.
17 Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava,
18 ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito:
& Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.
19 Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra ubi ærugo, & tinea de-
molitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.

20 † The-

† *Luc. 12. 33.* *1. Tim. 6, 19.* 20 † Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo; neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21 Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. ¶

† *Luc. 11. 34.* 22 † Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit.

23 Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?

* *Dom. 14. poſt Pent.* † *Luc. 16.* 24 * † Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

† *Luc. 12. 22.* *1. Petr. 5. 7.* *Pſalm. 54. 25.* *Philip. 4. 6.* *1. Tim. 6. 7.* 25 Ideò † dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt quàm eſca: & corpus plus quàm veſtimentum?

26 Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?

27 Quis autem veſtrùm cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

28 Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.

29 Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.

30 Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei?

31 Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32 hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.

33 Quærite ergo primùm regnum Dei, & juſtitiam ejùs: & hæc omnia adjicientur vobis. ¶

34 Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi; ſufficit diei malitia ſua.

DOMINUS proſequitur ſermonem, quo cœperat docere diſcipulos ſuos, quæ ab illis præſtanda eſſent. Nunc præmonet quæ in bonis operibus vitia cavenda ſint. Phariſæorum enim multa opera ex ſe bona, mala fiebant ex intentione eorum peſſima. Satagit Dominus ne horum exemplis corrumperentur ſui diſcipuli. Exorditur ab eleemoſynis ad quas elargiendas ſuperior ſermo invitaverat. *Qui petit à te, da ei*, dixerat Dominus. Continuans autem eundem ſermonem ſic compellat diſcipulos. 1. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Nunc & olim Hebræi id quod eleemoſynam dicimus, *juſtitiam* appellavere. Id videre eſt in hodiernis Judæorum ſcriptis. Vox צדקה *tſedacha*, quæ vulgò ſonat *juſtitia*, redditur interdum à Græcis interpretibus *ἐλεημοσύνη*, *eleemoſyna*, *miſericordia*, *benignitas*. Ergò in hoc primo verſiculo agitur de eleemoſyna. Quam, inquit Dominus alloquens diſcipulos, facientes, ne ambiatis videri ab hominibus, quod Phariſæi faciebant. Soli Deo placere ſtudete; alioqui non aliam mercedem expectate, quàm vanas hominum laudes.

2. *Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te.* Alluſio eſt, vel proverbialis locutio ex eo deducta, quòd Hebræi populum tuba convocabant. Noli quaſi tuba conventum populi quærere; *ſicut hypocritæ*, nempè quorum mores ſunt perſonati, *faciunt in ſynagogis*, in congregationibus & *in vicis*, in plateis, *ut honorificentur ab hominibus*. Phariſæos, vel alios ſic tuba convocaſſe populum, qui teſtis eſſet largitionum ſuarum, nullum veſtigium eſt in Judæorum commentariis. Ita illa Domini locutio, proverbialis eſt. *Amen*

dico

dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Id eſt reipſa vani habent mercedem vanam, nempe inanem gloriam, cujus reſpectu hoc faciunt.

3. *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*. Proverbiale eſt & hyperbolicum dicendi genus. Quaſi dicat; tantum abſit ut aliis oſtentes, quamvis conjunctiſſimis; ut ſi fieri poteſt, ipſe neſcias quod facis; & ſiniſtra manus oculos ſi haberet, videre non poſſet. Neque enim ſola aliorum de aliquo bono noſtro opere exiſtimatio animum ſuperbia effert; ſed & propria conſcientia. *Magna & rara virtus profectò eſt*, inquit D. Bernardus, ſerm. 13. in cantica, *ut magna licèt operantem, magnum te neſcias; & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere ſanctitatem*, pergit loqui Dominus. 4. *Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito*, id eſt quæ occulta ſunt, *reddet tibi*, quia propter ejus honorem feceris.

Similiter & in orationibus ſtudendum uni Deo placere, fama haud captanda, quod faciebant hypocritæ, 5. *Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis*, quò frequentes conveniunt populi ad orandum, unde dictæ proſeuchæ, ſive oratoria, *& in angulis platearum*, in triviis, ubi conventus civium (unde de meretrice dicitur in Proverbiis, cap. 7. ℣. 12. quòd inſidietur juxta omnem angulum) *ſtantes orare, ut videantur ab hominibus*. In genere hæc in oratione obſervare debebant Judæi, ut in *Thephillah*, docet Maimonides. *Sequentia oraturus obſervare debet, ſtare, faciem ſuam Templo obvertere, componere decenter corpus ſuum, ut & veſtimenta, conſtituere locum ſuum, ordinare vocem ſuam, incurvare ſe & adorare.*

Publicæ preces quandoque fiebant in ipſis plateis. *Orabant* Judæi, inquit Maimonides, *ibidem*, cap. 11. *in plateis in feſtis & publicis jejuniis*. Circa recitandas preces cautum erat à magiſtris Judæorum, ut intra juſtum tempus id fieret. *Inſidens aſino deſcendas & recites*, inquiunt Talmudici in Tract. *Beracot*, cap. 1. 2. 3. 4. *Operarii recitent ſuas preces vel in culmine arboris.* Anſam hinc nacti hypocritæ curabant, ut adveniente illo tempore canonico in plateis deprehenderentur, & ibi admirante populo orarent. Stantes orabant Judæi, non de geniculis, unde *ſtatio* nomen eſt orationis apud eos; quod & nomen in eodem ſenſu primi chriſtiani uſurpaverunt, ut videre eſt apud Tertullianum. Illi & ſtantes orabant, niſi luctus tempore, ut in quadrageſima. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*. Illi hypocritæ videntur & laudantur, quam mercedem petebant.

6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito*, cujus oculis omnia patent, *reddet tibi*, ſoli enim placere voluiſti. Qui cupidine inanis gloriæ laborant, his optimum eſt remedium ſolitudo; in ea enim laudes non ambiuntur; ubi nemo eſt, cui placeatur, *facta quæ innoteſcunt hominibus, habent periculoſiſſimam tentationem ab amore laudis*, inquit S. Auguſtinus. Quid igitur in eccleſia non orabo? Licet: ſed recto animo & citra oſtentationem. Locus enim non nocet, ſed modus & intentio.

7. *Orantes autem nolite multùm loqui, ſicut Ethnici; putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. μὴ βαττολογήσητε*, hoc eſt: ne loquamini inania. Ethnici rationabile obſequium Deo exhibere neſcii, ſperabant in multiloquio, ſive per multiloquium ſuum exaudiri, multa Deum orantes, onerantesque æthera votis: precibus fatigabant. Cùm autem alibi diſcipulos ſuos admoneat Dominus, ut ſemper orarent, & ſine intermiſſione, cenſeo non tam orationis multiloquium, ſive prolixitatem eum improbare, quàm modum orandi, fundendo preces inanes, quibus inania orarentur, opes, regna, aliaque id genus; aut cùm labia & lingua ſine mente orant. Hoc vitium exprobrat Dominus Judæis: *Populus ille labiis me honorat*: quod vitium indicat, vox *βαττολογεῖν*; quæ ab alia origine meliùs deduci non poteſt, quàm ab Hebræo verbo בטא *batha*, id eſt *pronuntiavit, effutivit*. Has orationes ore tenus factas fuiſſe à pleriſque Judæis, quamquam vitium illud conferat in Ethnicos Dominus, veriſimile eſt. Singulis diebus fundere ſolebant decem & octo longiuſculas preces, ſaltem harum formulam compendioſam, ut in tractatu *Beracot* dicitur. *Dixit R. Gamaliel, unoquoque die oret unuſquiſque octodecim orationes; R. Joſua dicit, oret ſummulam iſtarum octodecim. R. Akiba dicit, ſi expedita ſit oratio in ore ejus, oret octodecim, ſin minus, oret ſummulam iſtarum octodecim.* Cùm ergo in illis precibus pronuntiandis, ſive effutiendis Judæi laborarent, hoc inani labore ſuos diſcipulos Dominus ſublevat. *Abſit enim ab oratione multa locutio*, ut ſcribit Aug. ep. 121. *ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeverat intentio. Nam multùm loqui, eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multùm autem precari, eſt ad eum quem precamur diuturna & pia cordis exercitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quàm ſermonibus agitur, plus fletu, quàm afflatu.*

8. *Nolite ergo*, inquit Dominus, *aſſimilari eis*, ſive Ethnicis, ſive his Judæis qui propter multiloquium ſuum putant ſe exaudiri; *ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.* Ergo inutile eſſet, ſive breves, ſive prolixas preces fundere: ipſe tamen Chriſtus præcipit, ut petamus, nec timeamus Deum obtundere. Quin imitandam proponit viduam, quæ aſſiduis & importunis precibus ſuis obtinuit à judice, ut cauſam ſuam dijudicaret. Itaque quamquam omnia noverit Deus, petendum eſt ab eo quod nobis neceſſarium eſſe ſcit, ſed quod ipſe ſtatuit non niſi precibus

Digitized by Google

cibus noſtris condonare; ſinit enim ſe exorari ea quæ vult dare nobis.

9. *Sic ergo vos orabitis*. Proponit Chriſtus ſequentem, & compendioſam formulam orationis, loco formularum & Breviarii precum, in quibus omnem ſuam fiduciam ponebant Judæi, quamquam minùs forſan veræ pietati congruerent. Novit rectè vivere qui novit rectè orare, aiebat Auguſtinus; vita enim bona donum eſt Dei, quod impetratur oratione. Idcircò inter alia quæ in primordiis chriſtianiſmi inſtituenda erant, procul dubio non ultimum locum merebatur forma precationis, quæ Deo accepta eſſet. Quamquam autem Chriſtus non conſtringat diſcipulos ſuos verbis, quibus exprimit ſequentem formam; non enim dicit his verbis orabitis; ſed ſic orabitis, attamen placuit Eccleſiæ illa uſurpare frequentiùs. Etenim ut loquitur Cyprianus, lib. de orat. *Amica & familiaris eſt oratio Deum de ſuo rogare, ad aures ejus aſcendere Chriſti orationem. Agnoſcat pater filii ſui verba, cùm qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce*. Prætetea, ut loquar cum Auguſtino, etſi aliis, & pluribus verbis uti inter orandum liceat, aliud tamen nihil orare licet, quidquid enim rectè à Deo peti poteſt, hæc una Chriſti oratio continet. Evangelii breviarium eſt juxta Tertullianum, ut modò liquebit.

Pater noſter qui es in cœlis. Sic Deum compellant Judæi in precibus ſuis; quem ut ſecernant à diis gentium hæc addunt: *qui eſt in cœlis*; cùm dii gentium eſſent idola concluſa templis. Deus autem cælum & terram implet; ſed cæli quia locus dignior, habentur thronus majeſtatis ejus. Nos verò chriſtiani ſpiritum adoptionis habentes Deum jure appellamus patrem noſtrum; & illa compellatio vim precationi addit; *patris* enim *nomine*, ait Auguſtinus, *charitas excitatur; quid enim charius filiis quàm pater? eſt ſupplex affectus, & quædam impetrandi præſumptio: quid enim non det filiis qui dedit ut filii eſſent?* Verùm, ut nos admonet B. Cyprianus, in Deo decet amare quod pater eſt, timere quod Deus eſt. Orando Deum decet potiſſimùm intueri gloriam ejus; ideò mox ſubjicit Chriſtus: *ſanctificetur nomen tuum*, id eſt ſanctum habeatur. Sic & Judæi in ſuis antiquis precatiunculis: *nomen tuum Domine Deus noſter ſanctificetur, & memoria tua glorificetur*. Nempe te ipſum omnes paveant, venerentur & prædicent, ſive ſis omnibus pavori & venerationi: ſanctus habearis; id eſt dignus omni religionis obſequio.

10. *Adveniat regnum tuum*. Deſtruatur regnum ſatanæ, ut omnes tuis legibus pareant, & regnes. Regnum Dei in ſcripturis intelligitur victoria illa qua Chriſtus ſubjecit & ſubjiciet patri rebellem mundum. Regnum Dei eſt regnum Chriſti, quod Judæi in omnibus ſuis precibus expetebant. Unde in tractatu *Beracos* dicunt. *iſta oratio in qua non eſt memoria regni Dei, non eſt oratio*. Addit Chriſtus, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*. Id eſt omnes ubique tuæ ſint voluntati obſequentes, in terra ſicut in cælo, ubi nemo repugnat; tam tibi homines in terris, quàm in cælo Angeli pareant. Nemo reſiſtit voluntati Dei, quomodo ergo oramus, ut fiat voluntas ejus? Intelliguntur mandata ejus, quæ niſi vellet ut fierent, non daret; ſed ut illa fiant non cogit. Ideò poſtulamus, ut omnes gratia adjuti mandatis ejus pareant. Poſtulamus enim ore B. Auguſtini dicentes ad Deum, *da quod jubes, & jube quod vis*. Fac tua gratia, ut quæ ſervanda præcipis, ab omnibus ſerventur. *Oramus & petimus*; verba ſunt B. Cypriani, *ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt ope ejus & protectione; quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia & miſericordia tutus eſt*.

Hæc Deum ſpectant, cujus gloriam privatis noſtris commodis par eſt ut præponamus; ſed cùm liceat & conſulere ſibi, docet Chriſtus quæ in uſus neceſſarios deceat à Deo petere. 11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*. Vocem Græcam ἐπιούσιον, vulgatus interpres reddit in hocce loco *ſuperſubſtantialem*, derivans illam ab ἐπὶ, *ſuper* & οὐσία, *ſubſtantia*; verùm in Evangelio Lucæ, cap. 11. ℣. 3. interpretatur, *quotidianum*, tunc illam deducens à verbo ἐπιέναι. In Græcis autem interpretibus veteris fœderis ἐπιούσιος, idem ſonat quod *adveniens*: ut ſenſus fontis, id eſt Evangeliſtæ ſit; da nobis hodie panem advenientem, nempe quo hodie, & cras indigemus. Lucas in Actis, cap. 7. ℣. 26. ſequentem diem appellat τῇ ἐπιούσῃ. Ante B. Hieronymum legebatur in Matthæi codice perinde ac hodie in Lucæ, *quotidianum* (ille enim dicit, *panem ſuperſubſtantialem à ſe expreſſum eſſe*,) unde adhuc hodie orationem orantes Dominicam qua ſecundùm Matthæum utimur, dicimus, inquit Lucas Burgenſis, *panem noſtrum quotidianum*. Sic enim à primis eccleſiæ temporibus continua ſucceſſione parentes filios viva voce docuerunt. Non ideò minus quidam cenſent potiùs, *panem ſuperſubſtantialem* appellandum quàm *quotidianum*. Niſi enim, inquiunt peteretur panis, qui ſuperaccedat ſubſtantiæ noſtræ, qui huic ſuſtentandæ ſufficiat, ſive ſuperſtites nos faciat, illud *da nobis hodie*, eſſet ταυτολογία: ſi inquàm ἐπιούσιος ſignificaret panem craſtinum. Quoquomodo vox Græca intelligatur, liquet orantis intentionem debere eſſe non aggerare opes, ſed habere in ſingulos dies quo veſcatur; ut quocumque die non petat niſi quod die ſequenti ſufficiat: cui ſententiæ congruum eſt id quod teſte B. Hieronymo legebatur in Evangelio, quod appellatur ſecundùm Hebræos. *Pro ſuperſubſtantiali pane erat*, מחר id eſt *craſtinus*. Itaque ſenſus eſt: *panem futurum da nobis hodie*. Quemadmodum dediſti patribus noſtris panem ipſum

ipſum corporalem in deſerto quotidiè; ita in ſingulos dies da nobis panem qui ſufficiat quotidiano victui, ſed potiſſimùm panem ſpiritualem, gratiam tuam, qui panis eſt ſuper omnes ſubſtantias, ut vulgo pleriqne viri pii interpretantur illam partem Dominicæ orationis.

12. *Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Id eſt pœnas antecedentibus peccatis debitas, ſicut & nos remittimus, ac porò remittere parati ſumus iis qui adverſus nos delinquunt. *Exomologeſis eſt, petitio veniæ*, ait Tertullianus: *quia qui petit veniam, delictum confitetur.* Noſtra hujus vitæ juſtitia magis peccatorum remiſſione quàm virtutum perfectione conſtat; ut docet Auguſtinus: nos autem ea conditione & ſponſione conſtrinxit Dominus, ut non dimittamur, niſi dimittamus. Peccata in ſcripturis appellantur debita; qui enim peccando rei fiunt, Deo pœnas debent; quod hic Matthæus appellat ὀφειλήματα, *debita*, Lucas dicit ἁμαρτίας, *peccata*, cap. 11. ℣. 4.

13. *Et ne nos inducas*, (ex Auguſtino quidam codices habebant *inferas*, quod ad Græcam vocem εἰσενέγκῃς, magis accedit) *in tentationem*, id eſt ne permittas ut inducamur. Etenim verbum activum in forma *hiphil*, apud Hebræos ſæpè vel geminam actionem, vel nudam actus permiſſionem ſignificat. Res hujuſce mundi ſic Deus poteſt temperare, ut earum diſpoſitio non noxia ſit electis; quod noſtris precibus efflagitandum eſſe admonemur: Deum ſcilicet orando, ut omnia ramoveantur pericula, ne in illa præcipites ruamus. Inducere in tentationem dici poteſt Deus, cùm patitur ob aliquod noſtrum delictum, ut involvamur peccatorum illecebris, aut vult nos probare. Tunc verò, bone Deus, ſuccurre nobis, ne ultra vires tentatio ſit! *ſed libera nos à malo. Amen.* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Malum illud vel eſt diabolus, vel ipſa tentatio, ſive periculum peccandi. Cæterùm in domeſticos Dei nihil diabolo licet ex propria poteſtate. Utor verbis Tertulliani libro de fuga in perſecut. *Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit poteſtatem, niſi eam de Deo impetraſſet. Tantum abeſt ut in oves Dei habeat ..... aut enim ex cauſa probationis conceditur ei jus tentationis provocato, vel provocanti ... aut ex cauſa reprobationis traditur ei peccator quaſi carnifici in pœnam.* S. Auguſtinus dicit ſummam hujus petitionis, *ne inducas in tentationem*, eſſe ne agat nobiſcum Deus pro ſua ſevera juſtitia, ut ne deſtituti adjutorio ejus, cumque nobis ſentientes iratum, alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Hæc particula, *libera nos à malo*, comprehendis ex Cypriano adverſa cuncta quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: quod ubi diximus, nihil remanet quod ultra adhuc debeat poſtulari. In Græcis codicibus additum legitur: *quia tuum eſt regnum, poteſtas, & gloria in ſæcula.* Vocem *Amen*, volunt non à Chriſto additam, ſed ex more veteris eccleſiæ publicam precum recitationem ea voce approbantis. Id factitaſſe chriſtianos veteres docemur 1. Corint. cap. 14. ℣. 16. Id hodie factitamus ſicut & factitaſſe, & factitare Judæos conſtat. Sic concludebantur preces. Vox *Amen*, eſt aſſeveratio, affirmatio, ſive vox approbantis.

Reddit rationem Dominus cur in oratione docuerit ſic orandum: *ſicut dimittimus debitoribus, &c.* 14. *Si enim*, inquit, *dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra.* Deus non dimittit peccata, niſi dimittat homo quæ adverſum ſe peccata commiſſa ſunt. 15. *Si autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Repetit qua conditione peccata noſtra nobis dimittantur. *Quomodo placabis patrem iratus in fratrem?* inquit Tertullianus.

Poſtquam de oratione dixit Dominus, tranſit ad jejunium, quod ſolebat conjungi cum oratione, unde ſicut preces dicebantur ſtationes, ita dies jejuniorum olim pari nomine appellabantur; ut videre eſt apud Tertullianum. Corrigit autem Phariſaicam ſuperbiam Dominus. 16. *Cùm autem jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes.* σκυθρωποί, vultu mœſto, tetrico. *Exterminant enim*, id eſt deformant, *facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes*; ut omnes intelligant ex pallore ſuperinducto eos jejunare. *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, ſcilicet inanem gloriam. Egregia laus illa eſt Aſellæ apud B. Hieronymum Ep. ad Marcell. *nihil illius ſeveritate jucundius, nihil ſuavitate triſtius, nihil triſtitia ſuavius. Ita pallor in facie eſt, ut cùm continentiam indicet, non redoleat oſtentationem. Sermo ſilens, & ſilentium loquens. Nec citus, nec tardus inceſſus. Idem ſemper habitus, neglecta mundicies, & inculta veſtis, cultus ipſe ſine cultu.*

17. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Nimirum in jejuniis privatis; etenim in ſolemni jejunio diei expiationum, & in aliis publicis jejuniis neque ſe lavare, neque ſe ungere cuiquam licitum erat. Quod in aliis diebus fieri ſolitum erat. *Lavare igitur, & ungere, & induere cultioribus veſtimentis*, aiebat ad Ruth ſocrus ejus, cap. 3. ℣. 3.

18. *Ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito*, non minus quàm in publico, *reddet tibi.* Suadet igitur, ut potiùs ungatur facies in diebus jejunii privati quàm videatur quis inedia conſumptus; neque enim hæc dicta ſunt, quaſi neceſſariò ſit facies inungenda, ſed ne quis ambiat videri jejunans. Liquet ſermonem fieri de jejuniis privatis quæ laterent, niſi vultus pallidus illa præferret.

Satagit Dominus etiam expellere avaritiam ex cordibus diſcipulorum, quo inſuper vitio labo-

rabant

rabant Phariſæi. 19. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: ubi ærugo & tinea demolitur.* *σὴς καὶ βρῶσις* pro *σὴς βιβρώσκουσα*, id eſt ubi eſt tinea corrodens. Vel ubi ærugo corrumpit metalla, & tinea depaſcit depoſitas veſtes. *Et ubi fures effodiunt, & furantur.* Divitias cœleſtes quærendas eſſe admonet, quas eripere non poſſunt fures, vi, vel dolo perfodientes parietes, à quibus ſemper timendum viro diviti; unde majori tormento pecunia poſſidetur quàm quæritur, ajebat Seneca. 20. *Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Bona multa opera ſatagite facere, quæ veluti opes reponite apud Deum, *ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Cur ab amore divitiarum ſnos revocet, cauſam hanc ſubjicit Dominus, quia ſiquis amore divitiarum teneatur, illis coacervandis tantùm intentus eſt. 21. *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Totum eſt cor in auro quod poſſideas. Scilicet ubi avaritia invaſerit animum, per ſas & neſas opes terreſtres congeres neglectis cæleſtibus. Pro ut quiſque judicat de rebus, ita animo erga eas afficitur: qui magnifacit divitias, his colligendis totum ſe dat, nec curat bona cæleſtia. *Totum hominem animus circumfert*, ajebat Tertullianus ad martyres, *& quò velit transfert. Ubi autem erit cor tuum, illic erit & theſaurus tuus. Ibi ergo ſit cor noſtrum, ubi volumus habere theſaurum.*

Huc tendebat ſermo Domini, ut recta intentione ferrentur Diſcipuli in Deum. Quippe intereſt quo fine quæque moliaris; inde enim pendet cujuſque operis virtus; quod comparatione fit apertum. 22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit.* ἁπλοῦς, quod ibi Latinus interpres reddit *ſimplex*, reſpondet voci Hebrææ תם *tam*, quam LXX. reddunt *τέλειος, perfectus, ἄμωμος, immaculatus, ἄμεμπτος, irreprehenſibilis, καθαρός, purus, ἄκακος, innocens.* Sed & ab Aquila in Geneſi, cap. 25. ℣. 27. redditur ἁπλοῦς, & à citatis LXX. interpretibus ἁπλότης, ut 2. Reg. cap. 15. ℣. 11. & Proverb. cap. 19. ℣. 1. Ita ex omnibus libris bibliorum Græcè ſcriptis ἁπλοῦς, idem ſonat quod *integer*, apud Latinos. Igitur quemadmodum cùm oculus integer, ſive ſanus eſt, non offendimus, quia videmus quæ offendicula vitanda ſint; ita ubi mens recta eſt, ſive recta eſt intentio ejus, actus omnes noſtri in Deum tendunt. Contrà ſi diſtorta ſit, peccamus, ſicut ægris oculis perinde nobis eſt, ac ſi omnia tenebræ eſſent. Duo requirit D. Bernardus: charitatem in intentione, & in electione veritatem. Miror tot viros doctos latuiſſe vocis ἁπλοῦς, ſignificationem. Illud vulgatæ *ſimplex*, non habet rectum ſenſum niſi ſonet idem quod *integer*; quod liquet ex verſu ſequenti.

23. *Si autem oculus tuus fuerit nequam.* πονηρός, id eſt vitioſus, *totum corpus tuum tenebroſum erit*, lucerna ſua amiſſa. *Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt.* Si ea pars tui, quæ tibi data eſt vice luminis, nimirum mens, obcæcata eſt malis ſuis affectibus, ambitione, ſuperbia, avaritia: *ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Actiones aliæ, quæ de ſe lumen non habent, niſi à bona intentione mutuentur, quanta vitiorum caligine obſitæ erunt? in quantas tenebras incurrent, quos cæci & indomiti affectus abripiunt, qui à mente nec cohibentur, nec reguntur? Quod Dominus dicit de oculo mentis, Salvianus accommodat Eccleſiæ, ſive ſacerdotibus. *Morbido enim capite*, inquit, *nihil ſanum eſt, neque ullum omnino membrum officio ſuo fungitur, ubi quod eſt principale non conſtat.... Ita eſt eccleſia quaſi oculus. Nam ut in oculum etiam ſi parvæ ſordes incidat, totum lumen obcæcat: ſic in eccleſiaſtico corpore etiam ſi pauci ſordida faciant, propè totum eccleſiaſtici ſplendoris lumen obſcurant.* Malam mentem, malum animum Phariſæorum videtur Chriſtus intueri, quorum ideò actus omnes erant vitioſi.

Eamdem pravam intentionem pergit impugnare Dominus, demonſtrans neminem poſſe rebus hujus ſæculi & Deo ſervire. 24. *Nemo*, inquit, *poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit & alterum contemnet.* Id ut plurimum contingit; cùm enim omnis poteſtas impatiens conſortis ſit, & quiſque ſibi in ſolidum vindicet jus in alios, duorum Dominorum ſervus in alterum alterius judicio propenſior videbitur, & ſuas partes minus tutari, ideò diſplicebit. *Non poteſtis ergo Deo ſervire & Mammonæ*, nempe divitiis quæ ſic à Syris appellantur. Divitiarum autem anxias curas ſubmovet Chriſtus docens omnibus Deum providere, paſcere corvos, etiam herbis decorem ſine veſtibus dare.

25. *Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ*, (anima hìc pro vita ponitur) *quid manducetis.* (B. Hieronymus obſervat in nonnullis codicibus additum eſſe: neque quid bibatis,) *neque corpori veſtro quid induamini.* Urget argumento. *Nonne anima plus eſt quàm eſca: & corpus pluſquam veſtimentum?* Qui vitam & corpus dedit, hoc ipſo ſatis oſtendit ſe poſſe, ac velle dare bona, quæ ad utrumque tuendum ſunt neceſſaria, nempe alimentum vitæ ſuſtinendæ, corpori tegendo veſtitum. 26. *Reſpicite volatilia, aves cæli, aeris, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* qui volucribus non ſerentibus de victu proſpicit, quantò magis vobis?

27. *Quis autem veſtrùm cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Non poſſumus id quod minus eſt per ſollicitudinem noſtram efficere, v. c. cubitum unum ſtaturæ corporis adjicere; quod Deus neſcientibus nobis occultis in-

cre-

crementis largitur. Fruſtrà igitur de eo quod majus eſt, nempe de vita in futurum conſervanda ſolliciti ſumus. Ibi autem *cogitans*, μεριμνᾶν, eſt anxiè ac ſollicitè cogitare.

28. *Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent;* & tamen pulchriori amictu, quàm Salomon veſtiuntur. 29. *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Ars enim ſemper infra naturam ſtat. 30. *Si autem fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur*, ſi herbas, ſtipulas brevis durationis, & tam vilis pretii, ut calefaciendo furno accendantur, tamen *Deus ſic veſtit: quanto magis vos modicæ fidei?* id eſt Deo non fidentes.

Ex his concludit ſummus magiſter. 31. *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* More eorum qui Deum non norunt. 32. *Hæc enim omnia gentes*, idolatræ inquirunt. *Scit enim pater veſter; quia his omnibus indigetis.* Non amat autem, & deſ. rit.

33. *Quærite ergo primùm*, ante omnia, *regnum Dei*, quod tum prædicabatur ut proximè inſtans, & cæleſtia ſecum bona allaturum erat; *& juſtitiam ejus*, id eſt quod juſtè à nobis exigit, & ut poſſimus, gratia ſua facit: id eſt leges ejus ſervate, ut verè dicatur regnare in vobis Deus; *& hæc omnia*, quibus indigetis, *adjicientur vobis*, ſubminiſtrabuntur. Non deerit Deus neceſſaria ſuppeditans. Cur ergo mentem edimus curis anxiis proſpicientes in longum tempus. 34. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum.* Cras ibi ſumitur ab omnibus interpretibus pro futuro. *Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi*, figuratè quæ homini competunt, diei tribuuntur. Quantumcumque ſolliciti ſitis, non minus curarum cras afferet, nec onera illius efficietis leviora. *Sufficit diei malitia ſua*, κακία, hoc eſt afflictio. Satis curarum, malorumque adfert præſens quiſque dies, ut non opus ſit futuri temporis accerſere moleſtias, præterà etiam ſi futurum eſt malum, ut loquitur Seneca, quid juvat dolori ſuo occurrere? Satis citò dolebis cùm venerit, interim tibi meliora propone.

CAPUT XIX.

Dominus abſolvit ſermonem quem habuit in monte; diſcipulis & populo, tradens præcepta quibus ſtatim eos imbutos voluit.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 7. ℣. 1-29.	LUCAS, Cap. 6. ℣. 37-49.	
1 *L* † Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini: dimittite & dimittemini:	1 Nolite judicare, ut non judicemini.	37 Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.	† *Pſal.* 41. 2. *Rom.* 2. 1. & 14. 1. *Cor.* 4. 4. 5. *Jac.* 4. 11. 12.
2 † Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.		38 Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.	† *Prov.* 10. 22. & 19. 17.
3 *Mt.* In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua menſura *Mt. L* menſi fueritis, remetietur vobis.	2 In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.	Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.	
4 *L* Dicebat autem illis & ſimilitudinem: † Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?		39 Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?	† *Iſa.* 42. 19. *Mat.* 15. 14.
5 † Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus.		40 Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter *ejus*.	† *Mat.* 10. 24. *Joan.* 13. 16. & 15. 20.
6 *Mt. L* Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: *L* trabē autem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?	3 Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?	41 Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?	

7 Aut

HARMONIA.

7 Aut quomodo potes dicere fratri
† *Prov.* 18.17. tuo: † Frater, ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo, ipſe in oculo tuo trabem non videns?

8 *Mt. L* Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, *L* & tunc proſpicies ut educas *Mt. L* feſtucam de oculo fratris tui.

MATTHÆUS.

4 Aut quomodo dicis fratri tuo; Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo?

5 Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.

LUCAS.

42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo; Frater, ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo, ipſe in oculo tuo trabem non videns?

Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc proſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui. ¶

MATTHÆUS.

9 * 6 Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.

† *Marc.* 11.24. *Luc.* 11. 9. *Joan.* 14. 13. *Jac.* 1.5.6. 10 * 7 † Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.

11 * 8 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.

† *Luc.* 11. 11. 12 * 9 † Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?

13 * 10 Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei?

14 * 11 Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe.

† *Tob.* 4. 16. *Rom.* 13. 8. *Gal.* 5. 14. 1. *Tim.* 1. 5. 15 * 12 † Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.

16 * 13 Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.

17 * 14 Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inveniunt eam!

† *Dom.* 7. *poſt Pent.* 18 * 15 † Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.

19 * 16 A fructibus eorum cognoſcetis eos. ...

HARMONIA.

20 *L* Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos; neque arbor mala faciens fructum bonum.

21 Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur: neque enim de ſpinis colligunt ficus; neque de rubo vendemiant uvam.

22 *Mt.* Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

23 Non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

MATTHÆUS.

..... Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?

17 Sic enim omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.

18 Non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

LUCAS.

43 Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos; neque arbor mala faciens fructum bonum.

44 Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur: 3. neque enim de ſpinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam.

24 † Om-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.	
24 † Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.	19 Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. & in ignem mittetur.		† *Joan.* 15. 2. 6.
25 Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.	20 Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.		
26 *L* † Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur.		45 Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum; & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.	† *Mat.* 12. 34.
27 † Quid autem vocatis me: Domine, Domine; & non facitis quæ dico?		46 Quid autem vocatis me; Domine, Domine; & non facitis quæ dico?	† *Mat.* 16.
28 *Mt.* non omnis qui dicit mihi: † Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.	21 Non omnis qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. ¶		† *Rom.* 2. 13. *Jac.* 1. 22.
29 Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?	22 Multi dicent mihi in illa die; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?		
30 Et tunc confitebor illis: † Quia nunquam novi vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.	23 Et tunc confitebor illis? Quia nunquam novi vos; diſcedite à me qui operamini iniquitatem.		† 1. *Cor.* 13. 2.
31 *L* Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos; oſtendam vobis cui ſimilis ſit.	24 Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea,	47 Omnis qui venit ad me & audit ſermones meos, & facit eos; oſtendam vobis cui ſimilis ſit.	
32 Similis eſt homini *Mt.* ſapienti, *L* ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram. Inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam movere.	aſſimilabitur viro ſapienti qui ædificavit domum ſuā ſuper petram.	48 Similis eſt homini ædificanti domum qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram; inundatione autem facta illiſum eſt flumen domui illi & non potuit eam movere,	
33 *Mt.* Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; *Mt. L* fundata enim erat ſuper petram.	25 Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſuper petram,	fundata enim erat ſuper petram.	
34 *Mt.* Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, *L* ſuper terram ſine fundamento, in quam illiſus eſt fluvius.	26 Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam.	49 Qui autem audit, & non facit; ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram, ſine fundamento, in quam illiſus eſt fluvius.	

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.
35 *Mt.* Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam; *L* Et continuò cecidit; & facta eſt ruina domus illius magna.	27 Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna,	& continuò cecidit; & facta eſt ruina domus illius magna.

36. * 28 *Mt.* Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus.

37 * 29. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

CHRISTUS veram erga proximum charitatem præ cæteris rebus inculcavit. Hanc licèt jam adſtruxiſſet in principio, & continuatione hujus ſermonis quem exponimus, iterum antequam finem dicendi faciat, confirmat, tradens varia & præcipua præcepta. Hìc autem ſatis clarè intendit digitum ad Phariſæos, qui cùm in multis levioris ponderis religioſiores eſſent, in præſtandis officiis charitatis quæ debentur proximo, negligentiores erant. Chriſtus contrarios mores ſuadet, & damnat magiſtralem alios cenſendi & damnandi pruriginem, qua quis ſemetipſum falsò juſtificans, judicis & cenſoris partes ambitioſè agit in eos qui leviora peccant, cùm ipſe magis ſit reprehendendus. Phariſæis & Scribis hoc vitium erat.

1 * 37. *L Nolite iudicare, & non diiudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini, dimitte & dimittemini.* Plerumque homines experiuntur tales vitæ ſuæ cenſores, quales ipſi egerint alienæ. Hæc autem adverſus malignos cenſores dicuntur, nec judicia publica ſpectant. *Hoc loco*, ait B. Auguſtinus, *nihil aliud præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur: de factis autem mediis quæ poſſunt bono & malo animo fieri, temerarium eſt iudicare, maximè ut condemnemus.* lib. de conſ. Evang. In nos legem ſancimus iniquam, dum in alios tam inclementes ſumus; *iudicium enim*, ut ſcribit Jacobus, cap. 2. ℣. 13. *ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.*

2 * 38. *Date & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam* preſſam, *& coagitatam.* ſunt enim quædam, quæ arctiùs coeunt quaſſatione & concuſſione, *& ſuperfluentem.* Epitheta hæc omnia petita ſunt ab eorum conſuetudine qui res aridas metiuntur; ſolent enim eas comprimere, deinde modium ſuccutere, poſtremò cumulare, ut aliquid redundet. *Dabunt*, inquam, bonam menſuram *in ſinum veſtrum.* Phraſis eſt Hebræa ex more Orientalium, qui veſtes laxas & ſinuoſas gerebant: ut commodum illis eſſet ſinu excipere, quæ copia dabantur. 3 * 2. *Mt. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini; & in qua menſura Mt. L menſi fueritis, remetietur vobis.* In trutina eadem ponemini. Quales vos fueritis erga proximum, aut benignè, aut inclementer illius facta interpretantes, talem & vos Deum judicem experiemini, aut rigidum, aut benignum.

4 * 39. *L Dicebat autem illis & ſimilitudinem, Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* Intendebat Dominus digitum, ut dixi, in Phariſæos; à quorum moribus & doctrina protinus voluit Diſcipulos eſſe remotiſſimos. Phariſæi inani ſpecie ſanctitatis perſtrinxerant oculos Judæorum. Quos ergo mores ſuſpiciebant, ultrò ſtudebant imitari; & dum quiſque nolebat Phariſæis religioſior eſſe, cùm illis pejor fiebat. Admonet Dominus Diſcipulos & turbam, ut caveant ab hiſce ducibus cæcis. Quaſi dicat, cur vobis eligitis duces cæcos, & ſequimini? 5 * 40. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum; perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Non meliores eritis, hiſce quorum magiſterio vos ſubjicietis. Peſſimi ſunt Phariſæi; ergo peſſimis pejores eritis.

6 * 3. *Mt.* 41. *L Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; L trabem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Prudenter monet D. Bernardus ſerm. 40. in cantica: *cave alienæ converſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex.* Quin ipſi Ethnici non inutilia circa hanc rem præceperunt.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius: æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

Cui finitima ſunt ex eodem Horatio.

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

& deinde

——— *denique te ipſum*
Concute; num qua tibi vitiorũ inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala.

7 * 42. *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater ſine ejiciam feſtucam*, nempe levem paleam, *de oculo tuo, ipſe in oculo tuo trabem non videns.* Criminum reus damnas minima delicta. Scilicet aliena vitia in oculis habemus, noſtra in tergo ſunt. 8. * 5. *Mt. L Hypocrita*

ejice

ejice primùm trabem de oculo tuo, *L & tunc perſpicies ut educat Mt. L feſtucam de oculo fratris tui*. Intelligit craſſiora vitia hypocriſim, & ſuperbiam cum contemptu, aut odio aliorum conjunctam, quæ obſtant quominus rectè de aliorum factis judicare poſſis. In Phariſæos hypocritas ſuum ſermonem dirigebat Dominus, ut dixi.

9 * 6. *Mt. Nolite dare ſanctum canibus* (quidam Græci codices habent τὰ ἅγια, ſancta) *neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos*. Senſus apertus eſt, ut canibus qui immundi cenſentur, unde illud Apocalypſeos cap. 22. ỳ. 15. *foris canes &c.* Ut, inquam, canibus non ea dantur quæ ſancta ſunt, nec ſuibus lutulentis candidæ & lucentes margaritæ loco glandis, cujus figura non diſſimilis omnino margaritis; ita nec ſancta doctrina præſertim in maxima ſui puritate, proponenda eſt indignis, qui obſcœnis indulgent voluptatibus, & odio proſequuntur veritatis profeſſores; non diſſimiles brutis animantibus quæ converterentur in eum à quo illis projicitur quòd eſui non accommodum eſſet. In paſtum ſues præcipites feruntur, ut periculum eſſet ne margaritas projectas inquinarent conculcando pedibus, & in eum ruerent à quo cibum expectant.

10 * 7. *Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulſate & aperietur vobis*. Tacitè occurrit Dominus Diſcipulorum cogitationi, qua cogitare potuiſſent non eſſe ſibi ſatis virium, aut ſapientiæ ad hæc tam ardua, quæ in hocce ſermone proponit ſummæ virtutis præcepta. Simul confirmat ſummam eſſe debere noſtram erga homines charitatem, cùm erga nos tam benignus ſit Deus. 11. * 8. *Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit invenit; & pulſanti aperietur*. Quaſi dicat: non enim dari ſolet, niſi illi qui petit, nec aperiri niſi ei qui pulſat; inde enim apparet eum egere & intromitti velle. Huc referendum effatum vetuſtum quod Clemens Alexandrinus, lib. 4. Strom. dicit prolatum à Pythia: *ζήτει καὶ εὑρήσεις*, invenies ſi quæſieris. 12 * 9. *Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?* decipiens ſimilitudine panis quem refert lapis. 13 * 10. *Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei*, figura perſimilem piſci?

14 * 11. *Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data*, ſive bona dona, *dare filiis veſtris*, cùm petunt à vobis parentibus peſſimis nec noxia datis, nec negatis neceſſaria: *quantò magis pater veſter, qui in cælis eſt*, Deus in quem malitia non cadit, *dabit bona petentibus ſe?* Cùm utilitatem orationis demonſtrat Chriſtus, tum & provocat iterum Diſcipulos, ut exemplo Dei miſericordes ſint; ſubjiciens illam regulam, quam mutuæ inter homines charitatis fundamentum eſſe ſuprà diximus. 13 * 12. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.* Summaria eſt regula ad quam revocari poteſt id omne quod lex, & Prophetæ, nimirùm tota ſcriptura docet. *Radix juſtitiæ*. verba ſunt Lactantii, *& omnis fundamentum æquitatis eſt illud: vide ne facias illud quod pati nolis. Si acerbum eſt injuriam ferre, & qui eam fecerit, injuſtus videtur, transfer in alterius perſonam quod in te ſentis, & in tuam quod de altero judicas: & intelliges tam te injuſtè facere ſi alteri noceas, quàm alterum ſi tibi.* Illam regulam à Domino confirmatam jam protuli verbis Lucæ ſuprà, cap. 17. ỳ. 17. Bis forſan in hoc eodem ſermone non prolata eſt; & ut ſolet Matthæus, poteſt eam afferre ordine temporis, quo prolata eſt; cùm ſcilicet finem impoſiturus eſſet ſermoni, quem de charitate erga proximum habuerat. Omnia quæ fuſiùs præſcripſerat, complectitur hac una ſummaria regula; quæ nos docere poteſt ubique & ſemper, quid agere deceat in iis quæ proximum ſpectant.

Latè ſerpebat morbus Phariſaicus. Omnes ingrediebantur Phariſæorum vias; aliis autem itineribus inſiſtendum eſſe Magiſter docet; nempe ſe alios mores poſtulare, & genus vitæ quod pauci ſectarentur; ita ut nō multos admitteret in ſuum regnum, cujus porta cùm anguſta eſſet, non per eam intrabat, niſi qui contenderet multùm. 16 * 13. *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem*, ideo lata quia teritur à multis; *& multi ſunt qui intrant per eam*. Multi enim pereunt. 17 * 14. *Quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inveniunt eam!* Multis diſſoluta vivendi ratio eſt; ideo paucis ſtricta placet. Qui de via virtutis ineunda ſeriò cogitat, id potiſſimùm perpendat non ſibi turbam ſequendam eſſe. Viam virtutis & viam vitiorum, hoc eſt hanc quam pauci pii ingrediuntur, & illam quæ calcatur à multis deſcribit eleganter auctor epiſtolæ ad Celantiam, ſive ſit Paulinus, ſive ſit Hieronymus. *Vide, inquit, quanta inter has vias ſeparatio ſit, quantumque diſcrimen. Illa ad mortem: hæc tendit ad vitam. Illa celebratur, & teritur à multis: hæc vix invenitur à paucis. Illa enim vitiis per conſuetudinem quaſi declivior ac mollior, & velut quibuſdam amœna floribus voluptatum, facilè ad ſe rapit commeantium multitudinem: hæc verò inſueto calle virtutum triſtior, atque horridior, ab his tamen eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quàm utilitas manſionis, &c.*

18 * 15. *Attendite*, cavete *à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*, in externa ſanctimonia, *intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*. Detrahit Dominus Phariſæis larvam ſanctitatis, qua decipiebant, introrſum turpes, ſpecioſi pelle decora. Olim prophetæ induebant *μηλωτὰς, ovinas pelles*, ut adſtruitur de Elia 4. Reg. cap. 1.

Digitized by Google

℣. 8. Ad hunc morem alludere potuit Dominus loquens de Phariſæis qui extra ſimiles erant viris piis, intus impiis. 19 * 16. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* De illis judicandum eſt ex operibus eorum. Olim qui alios erudiendos ſuſcipiebant dicebantur *Prophetæ*, qui poſtea appellati magiſtri. Phariſæi ergo hic dicuntur Prophetæ.

20 * 43. *L Non eſt enim arbor bona quæ facit fructus malos; neque arbor mala, faciens fructum bonum.* Similitudine arboris docet, qualis ſit cujuſque animus factis inde promanantibus, citiùs aut ſeriùs manifeſtum fieri. Quod enim, ut eleganter dicit B. Auguſtinus, in radice celatur, in ramis declaratur, & quod latet in foliis, eniteſcit in pomo. 21 * 44. *Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur, neque enim de ſpinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam.* Hoc eſt, ſicut non poteſt colligi de ſpinis ficus, neque ex rubo uva, 22 * 17. *Mt. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit.* 23 * 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Ita qualis eſt intus animus, tales ſunt actiones. 24 * 19. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Id eſt, omnis autem talis arbor ſolet excidi. Quo obiter excidium minatur falſis doctoribus. 25 * 20. *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Illatio eſt ex illa arboris ſimilitudine. Aliam quoque ſimilitudinem proponit. 26 * 45. *L Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* ut quiſque affectus eſt, loquitur. Ex theſauro ea ſola depromi poſſunt, quæ recondebantur. Ventriculus quod in ſe abundat evomit. Ex eo pariter quod in corde redundat, nempe ex cogitationibus, effunditur ſermo; qui ita animum profert; unde proverbium, *loquere ut te videam*, ore libenter uſurpamus quæ corde gerimus; caſtus ſermo oſtendit animum caſtum.

Ne autem diſcipuli animum ſuum credere inducerent, ſatis eſſe ut ejus ſe ſubjicerent magiſterio, & attecta aure exciperent ſermones ejus, ſubjungit concludens illum eximium ſermonem, quo legis ſuæ novæ fundamenta poſuit. 27 * 46. *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Nihil hoc vobis proderit me habuiſſe magiſtrum, utrumque Dei ſervis neceſſarium eſt, monet Hieronymus, ut & opus ſermone, & ſermo operibus comprobetur.

28 * 21. *Mt. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum:* qui me confitetur eſſe Chriſtum, & fidei ſuæ non addit opera, *ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum*, neque etiā ipſi qui ſe profeſſi meos diſcipulos miracula patraverunt in nomine meo, in virtute mea, me invocantes. 29 * 22. *Multi dicent mihi in illa die,* qua regnum Dei manifeſtabitur: ſive dijudicabitur qui verè Dei filii ſunt. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* id eſt miracula multa quæ ſunt effecta virtutis, id eſt poteſtatis cœleſtis. 30 * 23. *Et tunc confitebor illis,* profitebor, apertè dicam: *quia nunquam novi vos.* Nunquam vos pro meis habui. *Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem,* à gaudiis regni in ignem æternum.

Poſtquam denunciaſſet Dominus non auditores verborum ſuorum, ſed factores juſtificandos, hortatur ut firmo animo adhæreant iis quæ audierant, ne ulla vi poſſent aliquandò avelli à ſua doctrina; adverſus quam ſubindicat orituras tempeſtates. Ergò admonet ut firment ſe, uſus eleganti comparatione ædificij, cujus firmum fundamentum ponitur adverſus omnes procellas, & illidentia flumina. 31 * 47. *L Omnis qui venit ad me & audit ſermones meos, & facit eos: oſtendam vobis cui ſimilis ſit.* 32 * 48. *Similis eſt homini Mt. ſapienti L ædificanti, qui fodit in altum,* profundè fodit, *& poſuit* fundamentum *Mt. L ſuper petram;* ita non potuit everti à tempeſtate quam deſcribit. 33. * 25. Mt. *Et deſcendit pluvia* vehemens & procelloſa quam terrarum eluviones ſequuntur. *Et venerunt flumina, & flaverunt venti, &* quaſi facta conjuratione, *irruerunt in domum illam. Inundatione autem facta,* quàm pluvia fecerat, *illiſum eſt flumen domui illi & non potuit eam movere,* quantacumque moles, & vis aquarum ejus eſſet; *Mt. L fundata enim erat ſuper petram.*

34 * 26. Mt. *Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam;* quæ cùm ſit fluxa, & aquis alluentibus, aut imbribus facilè eluatur, nullam poteſt domui ſtabilitatem dare; & ideò *L ſuper terram ſine fundamento*, cenſeri poteſt ædificaſſe domum ſuam; *in quam illiſus eſt fluvius*, ſecum avehens arenam, & ita omne ſubtrahens fundamentum. 35 * 27. Mt. *Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam; L & continuò cecidit; & facta eſt ruina domus illius magna.* Neſcio qui fiat, ut in eos qui veritatem docent, omnes quaſi facto impetu ferantur; ita cui benè præparatum pectus non eſt, facilè abreptus cedit.

36 * 28. *Mt. Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus verba hæc,* hunc præclarum ſermonem quem habuit in monte, *admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus.* Nam, ut vidimus, multus populus adfuit huic concioni. Admirabantur autem. 37 * 29. *erat enim docens ſicut poteſtatem habens,* nempè indicabat ſe à Deo miſſum, qui veritatem omnem edoceret; qui poſſet omnia obſcura, & difficilia retegere. *& non ſicut ſcribæ eorum & Phariſæi,* qui non ea auctoritate & majeſtate ſolebant loqui, quamquam ſe legis peritos & magiſtros dicerent.

CA.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Domino deſcendenti de monte in quo ſermonem habuerat, occurrit leproſus quem ſanat.

✠ *Dom. 3. poſt Epiph.*

HARMONIA.	MATTH. Cap. 8. ℣. 1-4.	MARCUS, Cap. 1. ℣. 40-45.	LUCAS, Cap. 5. ℣. 12-16.
1 *Mt.* CUm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.	✠ Cùm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.		
2 *L* Et factum eſt cùm eſſet in una civitatum, & ecce vir plenus Lepra *Mt.* veniens.	2 Et ecce Leproſus veniens	40 Et venit ad eum Leproſus	12 Et factũ eſt cùm eſſet in una civitatum, & ecce vir plenus Lepra.
3 *L* Et videns Jeſum & procidens in faciem *Mt.* adorabat eum *Mc.* deprecans eum; & genu flexo *Mt. L* dicens: Domine, *Mt. L* ſi vis potes me mundare.	adorabat eum dicens: Domine, ſi vis potes me mundare.	deprecans eũ, & genu flexo dixit ei: ſi vis potes me mundare.	Et videns Jeſum & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, ſi vis potes me mundare.
4 *Mc.* Jeſus autem miſertus ejus extendit manum ſuam, & tangens eum, ait illi: *Mt. L* Volo, mundare.	3 Et extendens Jeſus manum, tetigit eum dicens: volo, mundare.	41 Jeſus autem miſertus ejus extendit manum ſuam, & tangens eum, ait illi: Volo, mundare.	13 Et extendens manum tetigit eum dicens: Volo, mundare.
5 *Mc.* Et cùm dixiſſet ſtatim diſceſſit ab eo Lepra, & mundatus eſt.	Et confeſtim mundata eſt Lepra ejus.	42 Et cùm dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo Lepra & mundatus eſt.	Et confeſtim Lepra diſceſſit ab illo.
6 Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum.		43 Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum.	
7 *L* Et ipſe præcepit illi: *Mt.* Vide nemini dixeris.	4 Et ait illi Jeſus, Vide nemini dixeris:	44 Et dicit illi, Vide nemini dixeris:	14 Et ipſe præcepit illi ut nemini diceret.
8 *Mt. L* Sed vade oſtende te *Mc.* Principi Sacerdotum, *Mc. L* & offer pro emundatione tua *Mc.* quæ *Mt. L* præcepit † Moyſes in teſtimonium illis.	Sed vade oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. *5. Cùm autem &c. infrà, cap. 21.*	Sed vade, oſtende te Principi Sacerdotũ, & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.	Sed vade oſtende te Sacerdoti, & offer pro emũdatione tua ſicut præcepit Moyſes in teſtimonium illis. † *Levit. 14.4.*
9 *Mc.* At ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem.		45 At ille egreſſus cœpit prædicare & diffamare ſermonẽ.	
10 *L* Perambulabat autẽ magis ſermo de illo *Mc.* ita ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conveniebant ad eum undique		ita ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conveniebant ad eum undique,	15 Perambulabat autem magis ſermo de illo, & conveniebant

LUCAS.

turbæ multæ ut audirent & curarentur ab infirmitatibus ſuis.

11 * 16 Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

QUAM ſuperiori ſermone propoſuit J. C. D. N. doctrinam, multis miraculis confirmatus eſt. Decuerat eum ex diſcipulis quos ſtatim plurimos collegerat, aliquos eligere in Apoſtolos, id eſt in præcipuos teſtes actuum & ſermonum ejus; & quoniam intra breve tempus, curſus quem inituras venerat, conficiendus eſſet, promulgare hujus curſus principio novam ſuam legem. Tunc ergo tradidit præcepta, quæ poſteà inculcavit, & verbis ſuis, & exemplis planiora fecit. Sibi autem protinus fidem conciliavit miraculis, quæ ſubſecuta ſunt ſermonem, in quo tradidit elementa doctrinæ ſuæ. Congruit hiſce omnibus Harmonia quam concinnamus; ſive potiùs ipſe ordo, quem Matthæus ſecutus eſt; & quem ideò ſequimur neglectum & perturbatum ab omnibus qui ante nos ſuſceperunt Evangelia ordinanda. Etſi autem tot tantaque complectatur ſuperior ſermo, adverte lector, fuiſſe tantùm aliquot horarum; ſicut miracula illa, quæ plurima enarraturus ſum, & quibus hunc ſermonem confirmavit, aliquot dierum.

1 * 1. *Mt. Cùm autem deſcendiſſet de monte ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Dominus ſeceſſerat in montis cacumen, ibi ſeorſim electurus Apoſtolos. Reverſus ad turbam quæ in loco montis depreſſiori ſubſtiterat, concionem habuit; qua finita ex hoc loco qui & editus erat, deſcendit, ſecutæ ſunt turbæ quæ eum audierant ſermocinantem. Omnes interpretes advertunt novam ſicut & veterem legem in monte latam eſſe, ſed quo diſcrimine? Hic propiùs loquentem Dominum audiit turba; olim autem nec licitum fuerat niſi mortis periculo aſcendere ad montem, ubi Deus cum ſolo Moyſe colloquebatur. Moyſes verò de monte deſcendens viginti tribus hominum millibus, Exod. cap. 32. ℣. 28. mortis cauſa extitit, Jeſus ægros ſanavit, mortuos ad vitam revocavit.

2 * 12. *L. Et factum eſt, cùm eſſet in una civitatum, & ecce vir plenus lepra Mt. veniens.* Cùm iiſdem ferè verbis tres primi Evangeliſtæ deſcribant curationem hujuſce leproſi, dubitari non poteſt, quin unum & idem ſit miraculum à tribus enarratum, ſuo tempore à Matthæo, ut ſolet. Occurrit leproſus Domino, cùm deſcenderet de monte, antequam ingrederetur Capharnaum juxta hunc Evangeliſtam. Lucas rem narrat factam in una civitatum, quod benigna interpretatione decet accipere de vicinia alicujus civitatis, nimirum urbis Capharnaum; ſiquidem leproſi arcerentur hominum conſortio; & habitarent extra caſtra; ſic enim præcipitur. *Omni tempore quo leproſus eſt & immundus ſolus habitabit extra caſtra.* Levit, cap. 13. ℣. 46. leproſis, inquit Joſephus, contra Apionem ſcribens, Moſes interdixit oppidis, & vicis, ut ſeorſim in lacero veſtitu agant; & eum qui eos attigiſſet, aut ſub idem tectum ſucceſſiſſet, pro impuro habet. Lepra autem erat cutis vitium aut deformitas, genus pertinaciſſimæ ſcabiei, ſquammis deformis, unde nomen Latinum *lepra*, ἀπὸ τοῦ λέπειν, *decorticare.* Quidquid fuerit is morbus apud Judæos cumprimis habebatur abominabilis. Hujus judicium velut ſacri, ſacerdotibus erat delegatum, qui miſis, variiſque obſervationibus explorabant, num vera lepra corpus alicujus teneretur. Damnatis nefas erat admiſceri cœtibus hominum: nec fas erat inquinatum hoc morbo corpus contingere. Hic igitur leproſus damnatus à ſacerdotibus, certaque lepra impurus, auſus eſt venire ad purificatorem omnium Jeſum.

3 * *L. Et videns Jeſum, & procidens in faciem Mt. adorabat eum, Mc. deprecans eum, & genu flexo Mt. L. dicens.* Utrumque facere potuit & genu flectere, & in faciem procidere juxta morem quo tunc fiebat adoratio. Supplex ergo & adorans Jeſum, quem intelligebat eſſe Chriſtum filium Dei: *Domine, L. ſi vis potes me mundare.* Non dubitabat quin Jeſus poſſet ei ſuccurrere, ſenſus ergo verborum ejus eſt, non dubito quin poſſis quidquid volueris. Ergo velis tantùm mihi ſuccurrere. *Ecce vulnera mea non abſcondo, medicus es, & æger ſum: miſericors es, & æger ſum.* Sic leproſum loquentem inducit Auguſtinus, cujus & illa ſunt: *deſperarem, ſi tantum medicum non haberem.*

4 * 41. *Mt. Jeſus autem miſertus ejus extendit manum ſuam*, ſignum hoc & potentiæ & voluntatis ſanandi, *& tangens eum ait illi: volo: mundare*, καθαρίσθητι. Illud *mundare*, paſſivum eſt imperativi modi, ſenſus eſt: eſto mundus, tua lepra ſanata. Tangens autem eum Chriſtus, nihil contrarium legi fecit; nam præterquam quòd ſanare ſcabiem, ungere, & ſepulturæ mandare cadavera licitum eſſet, contactu iſto immundities non contrahebatur, quatenus hominem è veſtigio purificabat iſte contactus, & ſimul cum lepra omnem contagii materiam auferebat. Etenim, ut ſubjiciunt Evangeliſtæ.

5 * 42. *Mc. Et cùm dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.*

6 * 43. *Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum.* Ablegavit eum, ut miraculum illud minùs clareſceret, etiam præcipiens leproſo ne vulgaret. Alii alias cauſas aſſignant; veram credo quam jam aperui, ideò Jeſum refugiſſe gloriam miracula patrando, quia nondum venerat hora, ut clarificaretur. Prius pati eum oportebat, & haberi deſpectui. Quapropter nonniſi rogatus interdum & quaſi invitus miracula edebat. Ergo graviter interminatus eſt leproſo, ne ſe ab eo ſanatum vulgaret; & expulit eum, ne ſi in conſortio ejus maneret, res innoteſceret.

7 * 14. *L. Et ipſe præcepit illi, vide nemini dixeris*; ſilentium imperat. 8. * *L. Sed vade oſtende te Mc. principi ſacerdotum*, τῷ ἱερεῖ, id eſt ſacerdoti; nempe huic qui præeſſet in ſacerdotum claſſe, tunc temporis vices ſuas obeunte in Templo. Vulgatus interpres, quem principem ſacerdo-

dotum in Marco appellat, in aliis ſimpliciter dicit ſacerdotem; nec fons hodiernus Græcus aliud dicit. Sic Dominus jubet leproſo, ut ſiſteret ſe Jeroſolymis explorandum; quo itaque tanti miraculi fama perlata eſt. *Mc. L & offer pro emundatione tua Mc. quæ Mt. L præcepit Moyſes in teſtimonium illis*, munus pro purificatione tua, quod in lege Moyſis præſcriptum eſt: cap. 14. Levit. *in teſtimonium illis*, nimirum quod leproſis præcepit Moyſes; ut eo munere teſtatum eſſet ſanatos eſſe à lepra. Alii ſic intelligunt, ut teſtatum ſit quòd legi pareas, nec ab illa quemquam ego ipſe avocem, vel denique ut judicium ſanitatis tuæ ſit adverſus eos teſtimonium, ſive argumentum, quo aliquando pertinacia eorum ſit manifeſta.

Procul dubio auctorem ſalutis ſuæ non celavit leproſus ſacerdotes Jeroſolymitanos, neque enim omninò paruit Jeſu Chriſto, non ſiluit. 9 * 45. *Mc. At ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem*, id eſt, ut loqui ſolet ſcriptura, divulgare. 10 * 15. *L Perambulabat autem magis ſermo de illo.* Percrebeſcebat fama ejus: *Mc. Ita ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem*, id eſt in urbem Capharnaum, ubi ſolebat habitare, in qua cùm obrueretur turba ad eum concurrente, compellebatur ſæpiùs ſecedere in loca deſerta. *Sed foris in deſertis locis eſſet; & conveniebant ad eum undique L ut audirent eum, & ſanarentur ab infirmitatibus ſuis.* Hæc per anticipationem dicta ſunt; ſive Evangeliſta dicit, quæ poſtea ſubſequuta ſunt 11 * 16. *L Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.* Ut evitaret concurſum & orationi vacaret, ſic autem interpretandi ſunt Marcus & Lucas, ut hæc poſtea contigerint; tunc temporis enim reverſus eſt Jeſus Capharnaum de monte deſcendens.

CAPUT XXI.

Dominus Capharnaum intrans moribundo puero Centurionis ſanitatem reddit.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 8. ℣. 5-13.	LUCAS, Cap. 7. ℣. 1-10.
1 *L* CUm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capharnaum.	5 ✠ Cum autem introiſſet Capharnaum,	1 Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capharnaum. ✠ *Feria 5. poſt cineres.*
2 Centurionis autem cujuſdam ſervus malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretioſus.		2 Centurionis autem cujuſdam ſervus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus.
3 Et cùm audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.	acceſſit ad eum Centurio, rogans eum,	3 Et cùm audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.
4 *Mt.* Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.	6 Et dicens; Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.	
5 *L* At illi cùm veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſollicitè, dicentes ei; Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes.		4 At illi cùm veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſollicitè, dicentes ei: Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes.
6 Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.		5 Diligit enim gentem noſtram & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.
7 *Mt.* Et ait illi Jeſus: Ego veniam, & curabo eum.	7 Et ait illi Jeſus: Ego veniam, & curabo eum.	
8 *L* Jeſus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos dicens: Domine, noli vexari: Non enim ſum dignus ut ſub tectum meum intres.	8 Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum:	6 Jeſus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè eſſet à Domo, miſit ad eum Centurio amicos dicens: Domine, noli vexari; Non enim ſum dignus ut ſub tectum meum intres.

HARMONIA.

9 Propter quòd & me ipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te: *Mt.* ſed tantùm *Mt. L* dic verbo, & ſanabitur puer meus.

10 Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit: & ſervo meo, Fac hoc, & facit.

11 *L* Quo audito Jeſus miratus eſt: & converſus ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inveni.

† *Mal.* 1. 11. 12 *Mt.* Dico autem vobis, † quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum:

13 Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

14 Et dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

MATTHÆUS.

ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.

9 Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc, & facit.

10 Audiens autem Jeſus miratus eſt; & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.

11 Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum:

12 Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; & ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

13 Et dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. ¶

LUCAS.

7 Propter quòd & me ipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.

8 Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc, & facit.

9 Quo audito Jeſus miratus eſt; & converſus ſequentibus ſe turbis, dixit; Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inveni.

LUCAS.

15 * 10 Et reverſi, qui miſſi fuerant, domum, invenerunt ſervum, qui languerat, ſanum.

JUXTA Lucam ſtatim poſt ſermonem in monte revertenti Capharnaum Domino occurrerunt Centurionis amici. Inter hunc autem ſermonem, & ſanatum puerum centurionis Matthæus interponit miraculum leproſi mundati. Inſuper ſcribit ipſum centurionem adiiſſe Dominum, ad quem ex Luca miſerat tantùm ſuos amicos. Verùm non ideò diſſentiunt; nam ea dicimur facere, quæ alii noſtro nomine faciunt. Vidimus Dominum cùm inſtaret ſabbatum, rediiſſe Capharnaum urbem incolatus ſui, & altera die aſcendiſſe montem, ubi ſuperiorem concionem habuit; eo autem die ad quem pervenimus, & quo intrat Capharnaum, alterum ſabbatum inſtitiſſe capite ſequenti comprobaturi ſumus; ita ut id omne quod à capite 14. uſque ad 22. complexi ſumus, tranſactum ſit ſpatio octo dierum.

1 * 1. *L Cùm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capharnaum.* Scilicet poſt longum ſermonem habitum in monte, cui Lucas ſubjicit puerum centurionis ſanatum, Dominus reverſus eſt Capharnaum inſtante, ut modò dixi, ſabbato, ut ex lege quieſceret, ſimul & publicis orationibus adeſſet in *ſynagoga*.

2 * 2. *Centurionis autem cujuſdam ſervus malè habens, erat moriturus; qui illi erat pretioſus*, Centurio ille homo erat gentilis, princeps centum militum. Servus autem illi valdè charus morbo decumbebat. 3. * 3. *Et cùm audiſſet de Jeſu*, ab eo patrata eſſe plura miracula & eum pro Meſſia haberi; in quem & ille ſperabat, videtur enim fuiſſe fidelis, qui licèt gentilis eſſet, colebat Deum Iſraelis, unde & impenſis ejus ſynagoga fuerat exſtructa. Ergo cùm audiſſet Jeſum reverſum Capharnaum, *miſit ad eum ſeniores Judæorum*, viros ætate forſan, & dignitate conſpicuos, *rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.* 4 * 6. *Mt. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Verba illa, quibus Matthæus Centurionem loquentem inducit, cenſenda ſunt perlata ad Jeſum per amicos Centurionis; ideò dicta ab eo refert ille Evangeliſta, quia dicenda mandaverat, ut diſcimus ex Luca. Horum autem verborum ſenſus eſt: Domine, eſt mihi famulus domi, quem unicè charum habeo, veluti fidum, & utilem miniſteriis. Is jam totus inutilis lecto affixus eſt paralyſi; & non ſolùm mihi non poteſt eſſe uſui, ſed etiam graviter diſcruciatur

mor-

[illegible] ſæviſſimo, jam morti proximus.

Qui à Luca δοῦλος, *ſervus*, à Matthæo dicitur παῖς, *puer*. nomen עבד *ebed*, famulus non minùs frequenter redditur παῖς, quàm δοῦλος. Latini autem elegantiores ſæpiùs ſervos ſuos vocant pueros. *Noſtri majores*, inquiebat Macrobius, *omnem dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes, Dominum patrem familias, ſervos familiares appellaverunt*. Etenim, ut ait Tertullianus, *gratius eſt pietatis nomen, quàm poteſtatis.*

5 * 4. *L. At illi cùm veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſollicitè, dicentes ei, quia dignus eſt ut hoc illi præſtes*. Suſpicabantur futurum, ut ægrè impetraretur tantum beneficium & ſervo, & ethnico, & centurioni. Ideò ipſe centurio non erat ipſe auſus Dominum niſi per viros auctoritatis interpellare. Quaſi ergo illi dicerent: noli rationem habere, quod ethnicus eſt, quòd miles, quòd ſervo militari petitur hoc beneficium; nam dignus eſt alioqui, cui præſtes hoc officii. 6 * 5. *Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis*. Id eſt erogatione ejus ædificata eſt nobis ſynagoga. Inde colligimus virum pium fuiſſe hunc centurionem. 7 * 7. *Mt. Et ait illi Jeſus: ego veniam, & curabo eum*. Promptus eſt Jeſus ad beneficentiam; plus facere vult quàm optabatur.

8 * 6. *Jeſus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè eſſet à domo, miſit ad eum centurio amicos, dicens: Domine noli vexari*. Cùm ſcilicet audiviſſet centurio Dominum jam ad ſe accedentem: Videre eſt rem à Luca enarrari diligentiùs; miſit ad eum ſecundam legationem; amicos qui hæc verba ejus perferrent: Domine, ne iſtud laboris capias, *ut huc venias; non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres*. Quaſi dicat: Judæus non ſum; ſed ethnicus, & idcirco indignus, cujus tu tectum ſubeas, meoque contubernio contamineris. 9 * 7. *Propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te*; non auſus ſum vir gentilis in conſpectum tuum prodire. De Jeſu judicium faciebat centurio ex his qui ſanctiores volebant videri inter Judæos, fugientes omne cum gentilibus conſortium. Ergo par erat, ut Matthæum interpretaremur ex Luca, juxta quem conſtare debet centurionem non adiiſſe Dominum. *Mt. ſed tantùm Mt. L. dic verbo & ſanabitur puer meus*. Præcipe, jube; & juſſu tuo ſanabitur puer meus. Verba illa magnam fidem oſtendunt.

10 * 9. *Mt. 8. L. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit*. Scilicet certus ſum te poſſe tantùm præcipiendo ſanare puerum meum. Ex me ipſo conjecturam facio: quamquam enim homo ſubditus alienæ poteſtati, cujus juſſis ipſe obtempero, habeo tamen & mihi ſubditos milites, qui mea imperata faciunt. Nec eſt neceſſe, ut per me ipſum obeam omnia; ſed ſi quid eſt humilius, dico huic, vade, & vadit. Si tantam habet auctoritatem mea juſſio, ut me quieſcente peragatur, quantò magis te quieſcente fiet, ſi quid ſimplici verbo mandaveris miniſtris tuis. *Si ego homo ſub poteſtate, jubendi habeo poteſtatem: quid tu non poſſis, cui omnes ſerviunt poteſtates*. Aug.

11 * 9. *L. Quo audito Jeſus miratus eſt: & converſus ſequentibus ſe turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inveni*. Hinc intelligas centurionem non fuiſſe Iſraelitam: ſed fides ejus ſuperabat fidem Iſraelitarum. Ex hac re demonſtrat Dominus multos ex gentilibus admittendos in regnum cœlorum. 12 * 11. *Mt. Dico autem vobis; quòd multi ab Oriente, & Occidente venient*, ex omnibus plagis in eccleſiam, & extra Judæam nomen Dei innoteſcet, *& recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cælorum*. Hoc eſt admittentur & ſedebunt inter filios regni, metaphora ducta à convivio, cui ipſe Dominus aſſimilavit regnum ſuum: quaſi felicitas quam promittit, eſſet convivium, in quo unà multi gentiles cum Abraham, Iſaac, & Jacob primis Judæorum parentibus guſtabunt & bibent, hoc eſt fruentur deliciis, quibus ipſi Judæi ſunt carituri. Non dixit Jeſus quòd multi gentiles accubituri eſſent, ut Judæos non exaſperaret; ſed adumbrando rem dixit: *multi ab Oriente & Occidente &c.*

13 * 12. *Filii autem regni* quibus deſtinatum erat regnum Meſſiæ; nempe Iſraelitæ *ejicientur in tenebras exteriores*; extra cænaculum, ubi noctem funalia vincunt, in extimas infernarum ſedium tenebras. Perſiſtit Dominus in eadem metaphora; cùm enim noctu potiſſimùm celebrarentur convivia, addit: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Cùm ejecti extra cœnaculum verſabuntur in tenebris, & in noctis frigore. Expulſi, inquam, ejulabunt, & præ indignatione, & dolore, videntes ſe ejectos ſtridebunt dentibus. Serò jam intelligent à quanta beatitudine per ſuam malitiam exciderint; & dolorem acuet livor, cùm videbunt alienigenas ad felicitatem & honorem ipſis promiſſum admiſſos.

14 * 13. *Et dixit Jeſus Centurioni: vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi*. Illud *vade* eſt concedentis quod rogabatur. Fiat tibi quod credidiſti me abſentem poſſe. Quod me poſſe credidiſti, effectum habe. *Et ſanatus eſt puer in illa hora*. Eo ipſo momento. 15 * 10. *L. Et reverſi qui miſſi fuerant domum, invenerunt ſervum qui languerat, ſanum*. Scilicet Centurio deprehendit ſervum ſuum ſanum factum eo momento, quo, ut ex amicis & famulis accepit, Dominus dixerat, ſive præceperat ſervum ſanum fieri.

CA-

CAPUT XXII.

Socrus Simonis ſanatur, & multi alii languidi.

HARMONIA.

✠ *Sabbat. quat. temp. Pentecoſtes & Fer. 5. infra hebd. 3. quadr.*

1 *Mc.* ET protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.

2 *Mt.* Et cùm veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem *L* magnis febribus.

3 *Mc.* Et ſtatim dicunt ei de illa *L* & rogaverunt illum pro ea.

4 *Mc.* Et accedens elevavit eam, apprehenſa manu ejus.

5 *L* Et ſtans ſuper illam imperavit febri; *Mc.* & continuò *Mt.* dimiſit eam febris. *Mt. L* Et ſurrexit, *Mt.* & miniſtrabat eis.

6 *Mc.* Veſpere autem facto, cùm occidiſſet ſol, *Mt.* obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & *L* omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.

7 *Mc.* Et erat omnis civitas congregata ad januam. *L* At ille ſingulis manus imponens, † curabat eos *Mc.* & dæmonia multa ejiciebat *Mt.* verbo; & omnes malè habentes curavit.

† *Act. 16. 17. 18.*

8 Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: † Ipſe infirmitates noſtras accepit; & ægrotationes noſtras portavit.

† *Iſa. 53. 4. 1. Pet. 2. 24.*

9 *L* Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei; & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

MATT. Cap. 8. ℣. 14-17.

14 Et cùm veniſſet Jeſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem;

15 Et tetigit manum ejus,

& dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

16 Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes;

& ejiciebat ſpiritus verbo; & omnes malè habentes curavit.

17 Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem; ipſe infirmitates noſtras accepit; & ægrotationes noſtras portavit.

MARC. Cap. 1. ℣. 29-34.

29 Et protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.

30 Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans;

& ſtatim dicunt ei de illa.

31 Et accedens elevavit eam, apprehenſa manu ejus;

& continuò dimiſit eam febris,

& miniſtrabat eis.

32 Veſpere autem facto, cùm occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes;

33 Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34 Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat,

& non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.

LUCAS, Cap. 4. ℣. 38-41.

38 ✠ Surgens autem Jeſus de ſynagoga, introivit in domum Simonis.

ſocrus autem Simonis tenebatur.

magnis febribus,

& rogaverunt illum pro ea.

39 Et ſtans ſuper illam, imperavit febri;

& dimiſit illam. Et continuò ſurgēs miniſtrabat illis.

40 Cùm autem ſol occidiſſet,

omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.

At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

41 Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei; & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

42 *Facta autem die &c. infrà, cap. 23.*

TRIA illa miracula mundari leproſi, recuperatæ ſalutis à puero centurionis, & à ſocru Petri, credo Matthæum enarraſſe eodem ordine quo facta ſunt. Deſcendenti Domino de monte occurrit leproſus. Sanatus deinde puer centurionis, cùm intravit Capharnaum. Ex Marco autem & Luca diſcimus priùs in ſynagogam, deinde domum Petri veniſſe; huncque diem fuiſſe ſabbatum quia illi referunt, veſperè poſt ſolis occaſum multos languidos adductos coram Domino; ſcilicet quia in die ſabbati priuſquam ſol occidiſſet, onus tollere, & ideo ægrotos portare Judæi non ſibi licitum putabant. Plura ſua miracula patravit Dominus in ſabbato.

1 * 29. *Mc. Et protinus egredientes de ſynagoga venerunt* recta *in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.* Petrus & Andreas erant ex Bethſaida, ſed qui piſcaturam exercuiſſent, poterant habere domum conductitiam in urbe Capharnaum. 2 * 14. *Mt. Et cùm veniſſet Jeſus in domum Petri,* poſtquam interfuit publicis precibus & lectioni ſcripturarum in ſynagoga, *vidit ſocrum ejus jacentem,* morbo decumbentem, nimirum *& febricitantem L magnis febribus,* non mediocri febre laborabat. 3. * 30. *Mc. Et ſtatim dicunt de illa,* nempè Jacobus & Joannes, & alii quibuſcum venerat in hanc domum, locuti ſunt de morbo ejus, *L & rogaverunt illum pro ea,* ut ſanaret eam. 4. * 31. *Mc. Et accedens* ad lectum ejus, *elevavit eam,* erexit eam, *apprehenſa manu ejus.* 5. * 39. *L Et ſtans* adſtans *ſuper illam imperavit febri.* Verbum *imperavit* ſummam Domini denotat poteſtatem, cui & febris paruit. *Mc. & continuò Mt. dimiſit eam febris. Mt. & ſurrexit, &* eadem hora *miniſtrabat eis,* parando, & apponendo cibos. Jejuni enim, ut alibi dicemus, ibant Judæi in ſynagogas, non ſolventes jejunium, niſi poſt peractas publicas preces, & lectionem ſcripturarum. Simul ac febrim expulit Dominus, vigor & alacritas rediit mulieri, ſic ut miniſtraret. Adeò nullum ſui veſtigium febris in ea reliquit, cùm eos, quos medicorum ars reſtituit, multo tempore languor ac faſtidium teneat à morbo.

6 * 32. *Mt. Veſpere autem facto, cùm ſol occidiſſet, Mt. obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & L omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum.* Non video, quæ alia cauſa impulerit Evangeliſtas id obſervare, cùm ſol occidiſſet allatos ad Jeſum ægros, niſi denotare voluiſſent in hanc diem incidiſſe ſabbatum, quo non licuerat ante illam horam, ut dixi, portare ægros.

7 * 33. *Mc. Et erat omnis civitas congregata,* ex omni urbis regione concurſus fiebat *ad januam;* neque enim tantam multitudinem domus capere poterat. *L at ille ſingulis manus imponens, curabat eos.* Impoſitio manuum ſignum erat auctoritatis. *Mc. Et dæmonia ejiciebat Mt. verbo,* ſolo juſſu; *& omnes malè habentes curavit;* quocumque morbo afflicti eſſent.

8 * 16. *Ut impleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit.* Hebræi qui carent compoſitis verbis, ſimplici utuntur pro compoſito; ita *accepit* & *portavit* ibi ſunt pro *abſtulit* & *aſportavit;* neque enim Chriſtus morbos aliorum ipſe in ſe ſuſcepit. Conſtat ex hac allegatione Iſaiam habuiſſe in animo morbos quos ſanabat Dominus, quibus ſanatis oſtendebat & poſſe ſanare mentes à vitiis; quod potiſſimùm intuebatur propheta in hocce vaticinio.

9 * 41. *L Exibant autem dæmonia à multis;* multi enim ex languidis à dæmoniis vexabantur, *clamantia & dicentia: quia tu es,* verè es *Filius Dei;* ſcilicet Chriſtus, ut tot miracula comprobabant. *Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Nondum enim venerat tempus, ut nomen ejus cum gloria innoteſceret, & celebraretur; quod ſæpiùs dictum eſt.

CAPUT XXIII.

Jeſus obrutus turba ſecedit in deſertum. Scriba volenti ſequi dicit ſe pauperem. Non permittit Diſcipulo abrumpere iter ut patrem ſepeliat.

MARCUS, Cap. 1. ℣. 35—39.

1 * 35 ET diluculo valdè ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat.

2 * 36 Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.

3 * 37 Et cùm inveniſſent eum, dixerunt ei: Quia omnes, quærunt te.

LUCAS, Cap. 4. ℣. 42-44.

42 Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum.

MAR-

MARCUS.

4 * 38 Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem; ad hoc enim veni.

HARMONIA.	MARCUS.	LUCAS.
5 *L* Et turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum, & detinebant illum, ne diſcederet ab eis.		& turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum; & detinebant illum ne diſcederet ab eis.
6 Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo miſſus ſum.		43 Quibus ille ait; Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum.
7 *Mc.* Et erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.	39 Et erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.	44 Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ. ¶
	MATTH. Cap. 8. ℣. 18-22.	Cap. 9. ℣. 57-60.
8 *Mt.* Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe, juſſit ire trans fretum.	18 Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe, juſſit ire trans fretum.	
9 *L* Factum eſt autem, ambulantibus illis in via.		57 Factum eſt autem; ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum;
10 *Mt.* Accedens unus ſcriba, ait illi: Magiſter, *Mt. L* ſequar te, quocumque ieris.	19 Et accedens unus ſcriba, ait illi; Magiſter, ſequar te, quocumque ieris.	ſequar te quocunque ieris.
11 *Mt.* Et dicit ei *Mt. L* Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.	20 Et dicit ei Jeſus; Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.	58 Dixit illis Jeſus; Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.
12 *L* Ait autem ad alterum *Mt.* de diſcipulis: *L* Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi *Mt. L* primùm ire, & ſepelire patrem meum.	21 Alius autem de diſcipulis ejus, ait illi; Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum.	59 Ait autem ad alterum; Sequere me. Ille autem dixit; Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.
13 *Mt.* Jeſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.	22 Jeſus autem ait illi; Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.	60 Dixitque ei Jeſus; Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.

LUCAS.

14 * Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

† 3. Reg. 19. 20. 15 * 61 Et ait alter: Sequar te, Domine, † ſed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi ſunt.

16 * 62 Ait ad illum Jeſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.

VIDES, lector, nos ſemper Matthæum ſectari, Marcum verò & Lucam modò prævertere, modò ſubſequi, quæ in illis priora ſunt, facientes poſteriora, quæ poſteriora priora. Etenim cùm adduxerimus credere à Matthæo ordinem temporum ſervatum fuiſſe, decet ea quæ ex Marci & Lucæ diverſis capitibus excerpimus conjungere cum rebus, quas ille habet, omnes cohærentes, & iis conſentaneas, quas ſcribunt alii Evangeliſtæ alio tantùm ordine digeſtas. Vides enim eo die quo ſocrus Petri ſanata eſt, dici à tribus Euangeliſtis multos languidos ſanos factos; & magnum factum concurſum ad januam Domini; ut re ipſa compulſus ſit Dominus ſequenti die ſecedere in deſertum.

1 * 35. *Mc. Et diluculò valdè ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat:* Cùm impendiſſet etiam partem noctis, ut veriſimile eſt, ſanandis illis omnibus ægris, qui poſt ſolis occaſum ad eum fuerant delati, valdè manè ſe ſubripuit turbæ, & ſeceſſit in deſertum ibique ſemotus à turba & à diſcipulis ſuis orationi vacabat. Tertullianus ſcribens ad martyres carcere detentos ſolabatur eos admonens carcerem vocandum eſſe ſeceſſum. *Hoc præſtat carcer*, ajebat, *quod eremus prophetis. Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut ſæculo cederet.* Deſertum autem illud in quod ſeceſſit Dominus videtur fuiſſe urbi Capharnaum proximum & aliud ab eò quòd ultra lacum erat.

2 * 36. *Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.* Nempè Apoſtoli, & diſcipuli. Nimirum de eo ſolliciti, ubi adverterunt egreſſum urbe; proſecuti ſunt eum; quippè noverant quo ſe reciperet ad orandum. 3 * 37. *Et cùm inveniſſent eum*, latentem & orantem in deſerto, *dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.* 4 * 38. *Et ait illis: eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem.* Tacitè reſpondet ad id quod Apoſtoli inſinuaſſe videntur, nimirum debere reverti Capharnaum, ubi frequentiam habuit, & applauſum auditurum. At, inquit, non tam frequentia & celebritas, quàm neceſſitas ſpectanda eſt. Satis huic urbi datum eſt, & aliæ urbes docendæ ſunt, ubi minor frequentia, ſed major fructus: *ad hoc enim veni* ut omnibus prædicem.

5. * *L. Et turbæ requirebant eum*, abſentem, cùm ex urbe Capharnaum in deſertum locum ſe recepiſſet, & fortè non longè remotum; ideò *& venerunt* turmatim *uſque ad ipſum*; cumque intelligerent abiturum, *& detinebant illum ne diſcederet ab illis.* 6 * 43. *Quibus ille ait, quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei*, bonum nuntium regni cœleſtis, quod nunc conſtitui promulgare, *quia ideò miſſus ſum* ad hoc veni. Id quod Marcus & Lucas ſubjungunt, puto per anticipationem dictum. 7. * 39. *Mc.* 44. *L. Et erat prædicans in ſynagogis Mc. eorum & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.* Id eſt jam ab eo tempore, non ſolùm in ſynagogis Capharnaum, ſed & in aliis vicis, & civitatibus prædicabat, & edebat miracula. Matthæus autem ſeriem hiſtoriæ ejus proſequitur. 8 * 18. *Mt. Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe*, ad ſe concurrentes tum in urbe, tum etiam in illo deſerto loco in quem fugerat, *juſſit ire trans fretum* in ripam ulteriorem lacus Geneſareth.

9. * cap. 9. ℣. 57. *L. Factum eſt autem, ambulantibus illis in via.* Cùm à deſerto, aut ab urbe Capharnaum pergerent verſus littus maris. 10 * 19. *Mt. Accedens unus ſcriba, ait illi: magiſter, Mt. L. ſequar te, quocumque ieris.* Helleniſtis γραμματεὺς, *ſcriba*, ſignificat doctorem, legiſperitum. Ille autem ſcriba, quales plerique ejus ævi, honorum & lucri ſtudioſus videtur; quare cùm opinaretur magnam Chriſto tot miracula patranti potentiam brevi adfuturam, voluit profiteri ſectam ejus. Sed Chriſtus paupertatem ſuam profitens, ipſum hominis ulcus tetigit. 11 * 20. *Mt. Et dicit ei Mt. L. Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; κατασκηνώσεις*, id eſt *umbracula*, ſub quibus habitent; *filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Fruſtrà itaque ad illum venis quæſtus gratia: quaſi dicat: conſidera quid facis: non commodum, nec glorioſum tibi erit me ſequi, omnia aſpera tibi ſubeunda erunt. *Quid me propter divitias, & ſæculi lucra ſequi vis, cùm nec hoſpitiolum habeam*, his verbis Jeſum loquentem inducit Hieronymus. Habitabat Dominus in conducto, aut divertebat ad diſcipulos. Incertus erat domicilio, ſicut incultus veſtitu, ut ait Tertullianus. Chriſtus autem pauper factus, & non dives, divitibus pudor eſt, gloria pauperibus. Verba ſunt divi Paulini. Phraſis illa *filius hominis* fungitur vice pronominis; ut ſit ſenſus: ego autem non habeo ubi caput reclinem, tanquam in mihi propria æde. Filii hominum ii appellantur in ſcripturis qui plebei ſunt; ut omni modo ſe deſpectum oſtenderit Dominus.

12 * 59. *L. Ait autem ad alterum Mt. de diſcipulis ejus: L. ſequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi Mt. L. primùm ire, & ſepelire patrem meum*; ut cum patre meo ſene tantiſper vivam donec ille moriatur. Tunc te ſequar; vel reipſa permitte, ut mortuo patri juſta perſolvam, moras trahebat; quod à pleriſque fit, qui profitentur ſe teneri deſiderio vitæ religioſioris; ſed hanc nollent protinus amplexari; ut ipſe Auguſtinus de ſe diutius expertus eſt. *Da mihi caſtitatem, & continentiam, dicebam*, Deum alloquens, *ſed noli modò; timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui.*

13 * 22. *Jeſus autem ait illi: ſequere me, & dimitte mortuos* viros ſæculi, qui viventes mortui ſunt, *ſepelire mortuos ſuos.* Pereunt enim, inquit ſanctus Bernardus, qui peritura ſectantur. In hoc exemplo, ſivè typo docemur omnia eſſe poſtponenda Evangelico negotio, nec committendum ut ullius affectus, aut officii carnalis reſpectu à pietate chriſtiana abſtrahi nos ullo unquam tempore ſinamus. Lex tum pontifici maximo, tum Nazaræo præſcripta erat Levit. cap. 20. & Num. cap. 6. ne quantumvis proximorum exequiis intereſſent. Æquum eſt extrema munera perſolvere parentibus, ſed æquum eſt, ut non abſtrahamur à cultu Dei; quod hacce lege ſignificabatur, & Chriſtus ſignificatum voluit diſcipulo.

14 * *L. Tu autem vade*, his verbis compellavit diſcipulum, *& annuntia regnum Dei*, quod munus eſt viri me ſectantis. 15. * 61. *Et ait*

alter:

Digitized by Google

aliter: ſequar te, Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare, ἀποτάξασθαι, id eſt vale dicere, *his quæ domi ſunt*, τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου, his qui ſunt domi meæ, id eſt domeſticis meis. Vulgatus interpres intellexit de rebus; de perſonis autem intellecta verba diſcipuli habent hunc ſenſum, permitte ut vale dicam parentibus meis & domeſticis. Verbum illud ἀποτάξασθαι, Judæis Græcè loquentibus ſonat idem quod *vale dicere*, ut videre eſt apud Marcum, cap. 6. ℣. 46. Hocce verbo Latinò vim Græci verbi expreſſit idem interpres Act. cap. 18. ℣. 21. & 2. Corint. cap. 2. ℣. 13. Cùm Elias ad ſui ſequelam Elizæum dum araret; vocavit, efflagitavit ille primùm ut oſcularetur patrem ſuum & matrem ſuam; in qua hiſtoria Joſephus hoc eodem verbo utitur, quo Lucas. ἀποταξάμενος αὐτοῖς, nempe parentibus cùm valedixiſſet.

16 * 62. *Ait ad illum Jeſus: nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Agricolæ arando ſemper oculos intentos habent in ſulcum, ne ille tortuoſus ſit, ſive quæ vox illis propria eſt, ne *delirent*. antiqui enim *liram*, vocabant ſulcum. Inde petit Dominus comparationem, ut admoneat dum ſequimur Deum, non eſſe reſpiciendum retrò; quod non impunè fieri uxoris Loth hiſtoria admonet. Forſan hæc diverſis locis, & temporibus dicta ſunt à Domino non una, & eadem occaſione, cùm hi & illi ſignificarent velle ſe addicere comitatui ejus. Verùm cùm illa omnia ſimul Evangeliſta complectatur, nolui divellere.

CAPUT XXIV.

Dominus navim aſcendit. Tempeſtatem ſedat, mari & ventis imperans.

✠ Domin. 4. poſt Epiph.

HARMONIA.	MATT. Cap. 8. ℣. 23-27.	MARC. Cap. 4. ℣. 35-40.	LUCAS, Cap. 8. ℣. 22-25.
1 *L.* FACTUM eſt autem in una dierum, *Mt.* cùm ſerò eſſet factum, *Mt.* ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus, *L* & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum.	23 ✠ Aſcendente eo in naviculam. ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus:	35 Et ait illis in illa die, cùm ſerò eſſet factum: Tranſeamus contrà	22 Factum eſt autem in una dierum, & ipſe aſcendit in naviculam, & Diſcipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum.
2 *Mc.* Et dimittentes turbam, aſſumunt eum, ita ut erat in navi, *L* & aſcenderunt, *Mc.* & aliæ naves erant cum illo.		36 Et dimittentes turbam, aſſumunt eum ita ut erat in navi, & aliæ naves erant cum illo.	Et aſcenderunt.
3 *L.* Et navigantibus illis obdormivit.			23 Et navigantibus illis, obdormivit,
4 *Mt.* Et ecce motus magnus factus eſt in Mari; *L* & deſcendit procella venti in ſtagnum.	24 Et ecce motus magnus factus eſt in mari,	37 Et facta eſt procella magna venti,	& deſcendit procella venti in ſtagnum.
5 *Mc.* Et fluctus mittebat in navim, *Mt.* ita ut navicula operiretur fluctibus; *L* & complebantur, & periclitabantur.	ita ut navicula operiretur fluctibus,	& fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.	& complebantur, & periclitabantur.
6 *Mc.* Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens.	ipſe verò dormiebat.	38 Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens:	
7 *Mt.* Acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & *Mt. L* ſuſcitaverunt eum, dicentes: *Mc.* Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? *Mt.* Domine, ſalva nos, *Mt.* perimus.	25 Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus.	& excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?	24 Accedentes autem ſuſcitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus.

8 *Mt.* Et

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	
8 *Mt.* Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei?	26 Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei?			
9 Tunc ſurgens, *L* increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ, *Mc.* & dixit mari: Tace, obmuteſce. *Mc. L* Et ceſſavit *Mc.* ventus, *Mt. L* & facta eſt tranquillitas *Mt.* magna.	Tunc ſurgens, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.	39 Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmuteſce. Et ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.	At ille ſurgens: increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſavit; & facta eſt tranquillitas.	
10 *Mc.* Et ait illis, Quid timidi eſtis? nec dum habetis fidem? *L* ubi eſt fides veſtra?		40 Et ait illis: Quid timidi eſtis? nec dum habetis fidem?	25 Dixit autem illis: Ubi eſt fides veſtra?	
11 *Mt.* Porrò homines mirati ſunt, *Mc.* & timuerunt timore magno; & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, eſt iſte.	27 Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic,	Et timuerunt timore magno; & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, eſt iſte,	Qui timentes, mirati ſunt, ad invicem, dicentes: Quis, putas, hic eſt,	
12 *Mt. L* † Quia *L* & ventis & mari imperat, & *Mt.* venti & mare *Mt. L* obediunt ei?	quia venti & mare obediunt ei? ¶	quia & ventus & mare obediunt ei?	quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?	† *Job.* 26. 12. *Pſal.* 107. 25.

VIDIMUS ſuperiori capite Jeſum verſus mare ambulantem in via, quem plurimi ſectarentur. Interea dum hunc & alium alloquitur, attigit littus, ſimul & nox advenit. Etenim aliquantiſper ſolus oraverat in deſerto; neque illico deprehenderant clam urbe egreſſum Apoſtoli, & poſt illos turbæ populorum.

1 * 22. *Factum eſt in una dierum*, hoc eſt aliqua die; neque enim Lucas qui ſic loquitur, neque Marcus rem ſuo tempore, & loco referunt. *Ms. cùm ſerò eſſet factum*, *Mt. ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus*, poſtquam deprehendere in deſerto, deduxerunt illum uſque ad mare, ad quod inſtante nocte advenerunt. *L & ait ad illos, transfretemus trans ſtagnum.* In ripam lacus exteriorem.

2 * 36. *Et dimittentes turbam aſſumunt eum, ita ut erat in navi*, ſemoventes turbam quæ ſequi voluiſſet. Forſan antequam juſſiſſet transfretare Dominus, jam erat in navi, velut è ſuggeſtu docens populos; ita ut manſerit in navi, cùm in altum efferri juſſit extra conſpectum turbæ ſtantis in littore: vel: cùm navi excepiſſent, abduxerunt eum à turba, *L & aſcenderunt* Diſcipuli ejus cum eo perpetui comites, & teſtes miraculorum quæ patrabat, *Ms. & aliæ naves erant cum illo*, quæ navigantem proximè ſequebantur.

3 * 23. *L Et navigantibus illi obdormivit.* labore feſſus ſomno ſe dedit; nox enim quæ jam advenerat, ſuadebat ſomnum.

4 * 24. *Mt. Et ecce motus magnus factus eſt in mari*; cœpit mare agitari; nam *L & deſcendit procella venti* ventus procelloſus *in ſtagnum*, in lacum Geneſareth, qui & lacus, & ſtagnum, & mare appellabatur. 5 * 37. *Mc. Et fluctus mittebant in navim*, nimirum ſe injiciebat, *τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν*, id eſt, fluctus irruebant, *Mt. ita ut navicula operiretur fluctibus*; adeò mare agitatum erat, *L & complebantur*, implebatur navis, *& periclitabantur.* ideò periculum erat, ne illa mergeretur.

6 * 38. *Mc. Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens.* In hac tamen tempeſtate dormiebat Dominus. 7 * 25. *Mt. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*, qui in alia parte navis erant, *& Mt. L ſuſcitaverunt eum.* à ſomno, *dicentes: Mc. Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus*: ſerva perituros. An ſalus noſtra tibi non eſt curæ? *Mt. Domine ſalva nos*, eripe periculo inſtanti, *Mt. L perimus.* 8 * 26. *Mt. Et dicit eis Jeſus: quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Confidere enim debuerant Chriſti comites, in peculiari Dei tutela eſſe.

9. * *Tunc ſurgens, L increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ.* Tres Evangeliſtæ utuntur eodem verbo Græco *ἐπετίμησε*, id eſt *increpavit*, pro quo conjiciunt irrepſiſſe *imperavit*, in Matthæi codicem Latinum. Senſus eſt. Minacibus verbis juſſit aquas tranquillari. *Mc. & dixit mari: Tace, & obmuteſce.* Illa ſunt ſummi Domini, & pro imperio loquentis: quod exitu patuit; nam & vis maris cedere neſcia ceſſit Domino ſuo, *Mc. L Et ceſſavit Mt. ventus*, *Mt. L & facta eſt tranquillitas Mt. magna.* Jeſus Deum ſe demonſtrabat, cujus eſt illud proprium: *dixit & facta ſunt.* Imperium, inquam in mare ſolius Dei eſt, ut canit pſalmiſta, Pſal. 88. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum*

ejus

ejus tu mitigas. hac tempeſtate ſedata debuiſſent Apoſtoli majorem fidem habuiſſe.

10* 40. *Et ait illis iterùm : quid timidi eſtis? needum habetis fidem?* qui jam ſæpius poteſtatem meam experti eſtis. *Ubi eſt fides veſtra,* quam mereor. 11 * 27. *Mt. Porrò homines,* tum diſcipuli, tum hi qui in aliis navibus erant *mirati ſunt, Mt. & timuerunt timore magno,* quo ſolebant corripi à quibus Deus ipſe conſpiciebatur ; ne majeſtate ejus obtuerentur. *Et dicebant ad alterutrum : quis putas eſt iſte,* qualiſquantuſque? 12. * *L Quia ventis & mari imperat Mt. & venti & mare Mc. obediunt ei?* Profectò verè filius Dei eſt. Solus enim Deus hæc poteſt. *Cæterum navicula illa*; loquitur Teſtullianus; *de Bapt.* cap. 12. *figuram Eccleſiæ præferebat, quod in mari, id eſt ſæculo, fluctibus id eſt perſecutionibus & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus ſanctorum in ultimis ſuſcitatus compeſcens ſæculum & tranquillitatem ſuis reddat.*

CAPUT XXV.

Dæmones juſſi abire in porcos.

HARMONIA.	MATTH. Cap.8. ℣. 28-34.	MARC. Cap.5. ℣. 1-20.	LUCAS Cap.8. ℣. 26-39.
1 *L* Et navigaverunt, *Mc.* & venerunt trans fretum maris in *Mt. L* regionem Geraſenorum, *L* quæ eſt contra Galilæam.	28 Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum,	1 Et venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum.	26 Et navigaverunt ad regionem Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.
2 *Mc.* Et exeunti ei de navi, *L* & cùm egreſſus eſſet ad terram, *Mc.* ſtatim *Mt.* occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.	occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.	2 Et exeunti ei de navi, ſtatim occurrit de monumentis	27 Et cùm egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi
3 Et ecce *Mt.* homo in ſpiritu immundo, *L* qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat.	29 Et ecce .	homo in ſpiritu immundo.	vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat,
4 *Mc.* Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare.		3 Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare ;	ſed in monumentis.
5 Quoniam ſæpè compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet : & nemo poterat eum domare.		4 Quoniam ſæpè compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.	
6 Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus.		5 Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus,	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
7 Videns autem Jeſum à longè, cucurrit *L* procidit ante illum, *Mc.* & adoravit eum.		6 Videns autem Jeſum à longè, cucurrit, & adoravit eum.	28 Is, ut vidit Jeſum, procidit ante illum
8 Et clamans *Mc. L* voce magna dixit: Quid mihi, & tibi *L* eſt, *Mc. L* Jeſu fili Dei altiſſimi? *Mt.* Veniſti huc ante tempus torquere nos? *Mc.* adjuro te per Deum, *Mc. L* ne me torqueas.	clamaverunt dicentes: Quid nobis, & tibi, Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?	7 Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jeſu fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.	& exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi eſt Jeſu fili Dei altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas.
9 *L* Præcipiebat enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine; multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus; & ruptis vinculis agebatur à dœmonio in deſerta.		8 Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.	29 Præcipiebat enim ſpiritui immundo, ut exiret ab homine; multis enim temporibus arripiebat illũ, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus; & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta.
10 Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: *Mc. L* Quod tibi nomen eſt? *L* At ille dixit *Mc.* ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus: *L* quia intraverant dœmonia multa in eum.		9 Et interrogabat eum: Quòd tibi nomen eſt? Et dixit ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.	30 Interrogavit autem illum Jeſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.
11 *Mc.* Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extra regionem, *L* ne imperaret illis, ut in abyſſum irent.		10 Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extra regionem.	31 Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyſſum irent.
12 *Mt.* Erat autem non longè ab illis, *Mc.* circa montem grex porcorum magnus paſcens.	30 Erat autem non longè ab illis. grex multorum porcorum paſcens.	11 Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus paſcens.	32 Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte:
13 Et deprecabantur eum ſpiritus *L* ut permitteret eis in illos ingredi.	31 Dæmones autem rogabant eum,	12 Et deprecabantur eum ſpiritus,	& rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi.
14 *Mt.* Dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, *Mc.* ut in eos introeamus.	dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.	dicentes: mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.	
15 Et conceſſit eis ſtatim Jeſus.		13 Et conceſſit eis ſtatim Jeſus.	Et permiſit illis.
16 *Mt.* Et ait illis: Ite. *Mc.* Et exeuntes ſpiritus immundi, introierunt in porcos; & magno impetu *Mt.* abiit totus grex per præceps in mare *Mc.* ad duo millia; & ſuffocati, *Mt.* & mortui ſunt in aquis *Mc.* in mari.	32 Et ait illis. Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos; & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare; & mortui ſunt in aquis.	Et exeuntes ſpiritus immundi, introierunt in porcos; & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.	33 Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos; & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

Digitized by Google

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
17 *L* Quod ut viderunt factum *Mt.* paſtores, *L* qui paſcebant *Mc.* eos, fugerunt, *Mt.* & venientes in civitatem, *Mc.* & in agros, *L* & in villas, *Mt.* nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant.	33 Paſtores autem fugerunt; & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant.	14 Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in agros.	34 Quod ut viderunt factum qui paſcebant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem; & in villas,
18 *L* Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Jeſum: & invenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant.		Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum; 15 Et veniunt ad Jeſum,	35 Exierunt autem videre quod factum eſt, & venerunt ad Jeſum; & invenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant,
19 *Mc.* Et vident illum *L* veſtitum, ac ſana mente, ad pedes ejus *Mc. L* & timuerunt.		& vident illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt.	veſtitū, ac ſana mente, ad pedes ejus, & timuerunt.
20 *L* Nuntiaverunt autem illis & qui viderant, *Mc.* qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, *L* quomodò ſanus factus eſſet à legione; *Mc.* & de porcis.		16 Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.	36 Nuntiaverunt autem illis & qui viderant quomodo ſanus factus eſſet à legione.
21 *Mt.* Et ecce tota civitas exiit obviàm Jeſu: & viſo eo *L* rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum († Act. 16.39.) *Mc. L* † ut diſcederet *Mc.* de finibus eorum, *L* quia magno timore tenebantur. Ipſe autem aſcendens navim reverſus eſt.	34 Et ecce tota civitas exiit obviàm Jeſu: & viſo eo rogabant, ut tranſiret à finibus eorum.	17 Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus eorum.	37 Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, ut diſcederet ab ipſis; quia magno timore tenebantur. Ipſe autem aſcendens navim reverſus eſt.
22 *Mc.* Cùmque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo.		18 Cùmque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo.	38 Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Jeſus, dicens:
23 Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.		19 Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.	39 Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.
24 *Mc. L* Et abjit *L* per univerſam civitatem, *Mc.* & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus: & omnes mirabantur.		20 Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus & omnes mirabantur.	Et abiit per univerſam civitatem, prædicans quanta illi feciſſet Jeſus.

Sedata tempeſtate tandem appulit Dominus ad littus oppoſitum littori, ubi Capharnaum ſita erat. 1. * 26. *L Et navigaverunt, Mc. & venerunt transfretum maris in L. Mt. regionem Geraſenorum, L quæ eſt contra Galilæam.* In Græco fonte Marci & Lucæ regio illa dicitur non Geraſeno-

ſenorum, ut apud Matthæum, ſed Gadarenorum. In oppoſita ripa Galilææ, duæ erant urbes vicinæ Gergeſa, unde Geraſeni, & Gadara, unde Gadareni. Utriuſque urbis mentionem facit Joſephus libro ſecundo de bello, cap. 40. ubi videre eſt has urbes fuiſſe Græcanici inſtituti, id eſt præcipui incolæ earum gentiles erant. Agens enim ille ſcriptor de perſecutionibus quas Judæi in his urbibus Græcanici inſtituti degentes pertulerunt, memorat Geraſenos, & Gadarenos; ut fruſtrà quidam interpretes habeant Geraſenos pro Judæis, & Gadarenos pro gentilibus. Res autem quam hìc narrandam ſuſcipiunt Evangeliſtæ, potuit fieri in utriuſque regionis finibus.

2 * 2. *Mc. Et exeunti ei de navi*, 27. *L & cùm egreſſus eſſet ad terram*, *Mc. ſtatim Mt. occurrerunt ei duo dæmonia, de monumentis exeuntes; ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam*: Matthæus ſcribit duos dæmoniacos occurriſſe Domino: unum Marcus & Lucas; forſan quia unus ſævior, vel nobilior; aut quia unum memorare ſatis habuerunt. Illi Dæmoniaci, vel unus excluſus hominum conſortio cogebatur habitare in ſepulchris; quæ etiam apud gentiles extra urbes erant.

3 * 29. *Et ecce Mc. homo*, unus ex illis duobus dæmoniis, *in ſpiritu immundo*, id eſt *L qui habebat dæmonium*, qui obſidebatur à ſpiritu malo, *jam multis temporibus*, à multo tempore, *& veſtimento non induebatur, neque in domo manebat*, feri animalis in morem; unde mox cùm ad ſe rediit, deſcribitur cum veſte. 4 * 3. *Mc. Qui domicilium habebat in monumentis*, in illis habitabat; *& neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare*, adeò ſævus erat: cùm plerique id fruſtrà tentaſſent, ſibi permittebatur. 5 * 4. *Quoniam ſæpè compedibus, & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare*. Vim ejus inhibere. 6 * 5. *Et ſemper die ac nocte*, id eſt perpetuò, *in monumentis & in montibus erat*, circa monumenta, & montes *clamans*, *& concidens ſe lapidibus*. veluti actus rabie.

7 * 6. *Videns autem Jeſum à longe*, ut vidit venientem, *cucurrit*, *L procidit ante illum Mc. & adoravit eum*. vi occulta coactus; ſenſit enim majeſtatem præſentis Domini. 8 * 7. *Et clamans Mc. L voce magna dixit: quid mihi & tibi L eſt Mc. L Jeſu fili Dei altiſſimi?* quid mea curas? quid moleſtiam mihi exhibes? Vidimus eam locutionem eſſe reprehendentis. Non latebat dæmonem, ut ſæpiùs animadverto, Chriſtum eſſe filium Dei; ſed ignorabat, quo preciſè tempore venturus eſſet; ideò dicebat, *Mt. veniſti huc ante tempus*, ſic putabat, *torquere nos?* ante illum diem judicii, in quo dæmones ſciunt ſe ligandos, & mittendos in abyſſum. Humilis habitus Domini inde fallebat diabolum, ne eum citra omnem dubitationem pro Chriſto agnoſceret; inde majeſtate ejus, & miraculis adducebatur, ut crederet. *Mt. adjuro te per Deum* obſecro te Deum invocans, *Mc. L ne me torqueas* ante tempus. 9 * 29. *L Præcipiebat enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine*, cujus ſortem miſerabatur Dominus: *multis enim temporibus arripiebat illum* hominem dæmon; à multo tempore invadebat; *&* quamquam *vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus: & ruptis* tamen *vinculis agebatur à dæmonio in deſerta*, quoties eum arripiebat.

10 * 30. *Interrogavit autem illum Jeſus dicens: Mc. L quod tibi nomen eſt? L at ille dixit Mc. ei: legio mihi nomen eſt; quia multi ſumus, L quia intraverant dæmonia multa in eum*. Non unus, ſed legio dæmonum ſumus. Ex Tito-Livio legio complectebatur quinque millia peditum, & trecentos equites, verùm numerus militum in legionibus variavit, ut hodie fit in vexillis noſtris.

11 * 10. *Mc. Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extra regionem*, qua delectabatur; quia ibi multæ urbes Græcanici inſtituti: ibi Decapolis, ut ex diſcendis liquebit, regio habens decem urbes; quarum præcipui incolæ gentiles erant. *L ne imperaret illis, ut in abyſſum irent*. quo detrudendi erant, quando eos Chriſtus moriens foras ejecturus erat. Ex apocalypſeos capite vigeſimo ℣. 3. diſcimus abyſſum locum eſſe, ubi diabolus catenis vincietur, & torquebitur. Quod Hebræi תהום dicunt, ſeptuaginta interpretes verrunt ἄβυσσον; quæ vox notat locum immenſæ profunditatis, qui fundum non habet. Locus pœnarum dicitur etiam *tartara*. Sic de eo Petrus in 2. epiſt. cap. 2. ℣. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Qua parte mundi ſit abyſſus, vel tartara, non eſt hujus loci quærare, nec forſan hominis ſcire.

12 * 30. *Mt. Erat autem non longè ab illis, Mc. circa montem grex porcorum magnus*. Paſcebatur à Geraſenis, & à Gadarenis gentilibus, in quorum vicinia hæc fiebant. Non ergo à Judæis, quibus id prohibitum, adverbium μακρὰν, longè, non habet particulam negativam in Græco codice; ſed periti obſervant μακρὰν, reſpondere Hebræo מרחוק, quod dicitur de re ſimpliciter ab alia remota. Syriacus interpretatus eſt *ultra*. Alii volunt in Græco codice particulam negativam fuiſſe ſuppreſſam in Matthæi codice; ſcribit enim Marcus: *erat autem ibi circa montem grex porcorum*, & Lucas: *erat autem ibi grex porcorum*; prætereà lectionem vulgatæ confirmat ſanctus Hilarius, qui dicit adjacuiſſe gregem porcorum.

13 * 12. *Et deprecabantur eum ſpiritus L ut permitteret eis in illos ingredi*. In uno enim dæmoniaco multi erant mali ſpiritus. 14 * 31. *Mt. Dicentes: ſi ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, ut in eos introeamus*. Unde hæc peterent, ſcire difficile eſt. Juxta Marcum dicebant *mitte*,

tes, verbi autem activi ſæpè permiſſio indicatur. Id eſt fac, vel ſine ut mittamur. 15 * 13. *Et conceſſit eis ſtatim Jeſus.* 16 * 32. *Mt. Et ait illis, ite Mc. & exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu Mt. abiit totus grex per præceps in mare Mc. ad duo millia; & ſuffocati, Mt. & mortui ſunt in aquis Mc. in mari.* Id eſt in lacu Geneſareth, neque enim alius lacus eo in loco cogitari poteſt.

Delectabat ſpiritus immundos potiùs incolere corpora immundorum animalium, quàm detrudi in abyſſum. Unde ergò cauſa mortis his animalibus fuerint? Credo non actos à dæmonibus in lacum; ſed ex ſe ipſis, cùm agitarentur à ſpiritibus immundis, & æſtu ferverent, ſeſe præcipites dediſſe in mare, ut aquis ejus refrigerarentur. Sed non compotes ſui, inde ſe extrahere non potuerunt. Patuit autem quantum eſſet Chriſti beneficium, & victoria ejus, ſimul invictum fuit argumentum dari ſpiritus incorporeos. Conſpicui facti ſunt quodam modo omnes illi dæmones; neque enim ſpontè ſua totus ille grex præceps actus eſſet in mare, niſi à dæmonibus arrepti eſſent, quibus antè arreptus fuerat homo jam ſanus. Non alienum eſt ab hocce loco quod refert Joſephus antiquit. lib. 8. c. 2. de quodam Eleazaro qui arte, cujus Salomon dicitur auctor, inquit Joſephus, expellebat dæmones. Ille ut oſtenderet efficaciam artis, non longè inde ponebat poculum aqua plenum; imperabatque dæmonio, ut hoc poculo ſubverſo ſignum daret exiiſſe ex homine quem relinquebat. Quidquid ſit ſentiendum de iſta hiſtoria, eo fine annuit Dominus poſtulatis dæmonum, ut certo argumento dari ſpiritus conſtaret. Paſſus eſt autem tantum damnum inferri Geraſenis, & Gadarenis, ut iis innoteſceret Deus; gentiles enim potiùs Deum ab immiſſo malo, quàm collato beneficio agnoſcebant. *Cælo tonantem credidimus Jovem.* Ait unus ex eorum poetis.

17 * 34. *L. Quod ut viderunt factum* 33. *Mt. paſtores, L. qui paſcebant Mc. eos*, porcos. *fugerunt, Mt. & venientes in civitatem, Mc. & in agros, L. & in villas*, ex pluribus enim locis grex ille aggregatus erat, *Mt. annuntiaverunt omnia; & de eis, qui dæmonia habuerunt.* Rem omnem dixerunt. 18 * 35. *L. Exierunt autem* cives, incolæ loci *videre quod factum eſt, & venerunt ad Jeſum: & invenerunt hominem ſedentem; à quo dæmonia exierant.* Non ampliùs agitatum, ſed quietum. 19. * *Mc. Et vident illum L. veſtitum*, jam non ampliùs more feræ viventem; *ac ſana mente; ad pedes ejus*, excipientem ſermones ejus, *Mc. L. & timuerunt.* attoniti re tam extraordinaria.

20 * 36. *L. Nuntiaverunt autem illis & qui viderant*, nempè ab iis qui viderant narratum eſt illis civibus, *Mc. qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, L. quomodò ſanus factus eſſet*, liberatus *à legione*: dæmonum *Mc. & de porcis.* Scilicet & quid porcorum gregi contigiſſet.

21 * 34. *Mt. Et ecce tota civitas exiit obviàm Jeſu*: poſtquam rei fama totam civitatem pervaſit, omnes egreſſi ſunt portis, ut viderent Jeſum, *& viſo eo L. rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum Mc. L. ut diſcederet definibus eorum*, præſentiam putantes cauſam majoris damni futuram, *L. quia magno timore tenebantur.* Sciebant Jeſum Judæum eſſe ex veſtimentis, & ex comitatu; ideòque qui Judæorum hoſtes eſſent, quippè cultores idolorum, putabant ſua tanta virtute Jeſum uſurum ad nocendum illis. Inde timor ne pergeret tranſire infeſtus per agros eorum. *Ipſe autem aſcendens in navim reverſus eſt.* protinus aſcendit navim, ut reverteretur Capharnaum.

22 * 18. *Mc. Cùmque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo.* ſectaretur illum. 23. * 19. *Et non admiſit eum*, in navim. *ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.* id eſt & quia miſertus eſt tui. Voluit Chriſtus etiam ad gentes aliquam ſui famam manare. Nec eadem ratio erat, cur præciperet ſilentium huic quem ſanaverat, ſicut fecerat leproſo, & aliis Judæis quos ſanabat. Sic enim Judæis innoteſcendus erat, ut & ex parte ignotus, mortem ab eis perferret. Itaque. 24 * 20. *Mc. L. Et abiit* ille *L. per univerſam civitatem, Mc. & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Jeſus; & omnes mirabantur.* Decapolis regio erat, ubi Geraſa, Gadara, & aliæ urbes Græcanicæ, habitatæ ſcilicet à Græcis ritu Græcorum idololatrarum viventibus. Notum ab eo tempore quo Alexander Macedo Aſiam invaſerat, Syriam & pleraſque urbes vicinas Græcorum imperio ſubjacuiſſe; ut non mirum ſit inter Iſraeliticas urbes fuiſſe & Græcanicas. Tanto autem hoc miraculo cœpit Jeſus gentibus innoteſcere; ſed ſtatim repetiit civitatem ſuam; neque enim venerat, ut prædicaret niſi ovibus quæ perierant domus Iſrael.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Paralyticum qui per tegulas demiſſus fuerat, ſanat Dominus, & hoc miraculo oſtendit ſe habere poteſtatem remittendi peccata.

HARMONIA.

1 *Mt.* ET aſcendens in naviculam transfretavit.

2 *L* Factum eſt autem cùm rediiſſet, *Mc.* & cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, *L* excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

3 *Mc.* Et iterùm intravit Capharnaum poſt dies *Mt.* in civitatem ſuam.

4 *L* Et factum eſt in una dierum, *Mc.* auditum eſt quod in domo eſſet: & convenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad januam.

5 *L* Et ipſe ſedebat docens: & erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem: *Mc.* & loquebatur eis verbum: *L* & virtus Domini erat ad ſanandum eos.

6 *Mc.* Et venerunt ad eum *L* viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, *Mt.* jacentem in lecto, *Mc.* qui à quatuor portabatur: *L* & † quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

7 Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & *Mc.* nudaverunt tectum ubi erat; & patefacientes *L* per tegulas, *Mc.* ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus jacebat, *L* in medium ante Jeſum.

Lamy, T. L.

MATTH. Cap. 9. ℣. 1-8.

✠ 1 Et aſcendens in naviculam transfretavit,

& venit in civitatem ſuam.

2 Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.

MARC. Cap. 5. ℣. 21.

21 Et cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum trans fretum, convenit turba multa ad eum, *& erat &c. cap. 28.*

Cap. 2. ℣. 1-12.

1 Et iterum intravit Capharnaum poſt dies.

2 Et auditum eſt quòd in domo eſſet; & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam.

& loquebatur eis verbum.

3 Et venerunt ad eum ferentes paralyticum qui à quatuor portabatur.

4 Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes, ſubmiſerunt grabatum in quo paralyticus jacebat.

LUCAS Cap. 8. ℣. 40. ✠ *Domin. 18. poſt Pent.*

40 Factum eſt autem cùm rediiſſet Jeſus,

excepit illum turba, erant enim omnes expectantes eum.

Cap. 5. ℣. 17-26.

17 ✠ Et factum eſt in una dierum, ✠ *Feria 6. 4. temp. Pentec.*

& ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem:

& virtus Domini erat ad ſanandum eos.

18 Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus:

& quærebant eum inferre, & ponere ante eum. † *Act. 9. 33.*

19 Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum

& per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto, in medium ante Jeſum.

HARMONIA.

8 *Mc.* Cùm autem vidiſſet *Mt.* Jeſus fidem illorum, *Mt.* dixit paralytico: Confide fili, *Mt. L* remittuntur *Mt. L* tibi peccata tua.

9 *Mc.* Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes.

10 *L* Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi *Mc.* in cordibus ſuis, *L* dicentes *Mt.* intra ſe:

11 *Mc.* Quid hic ſic loquitur? *L* † Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? *Mc. L* Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? *Mt.* Hic blaſphemat.

† *Ioh. 14. 4. Iſa. 43. 25. Pſal. 32. 5.*

12 *Mc.* Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, *L* reſpondens dixit ad illos: *Mc.* Quid iſta cogitatis? *Mt.* Ut *Mt. L* quid cogitatis *Mt.* mala *Mt. L* in cordibus veſtris?

13 Quid eſt facilius dicere *Mc.* paralytico: *Mt. L* Dimittuntur tibi peccata *Mt.* tua, *Mt. L* an dicere: Surge, *Mc.* tolle grabatum tuum, *Mt. L* & ambula.

14 Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, *Mt.* tunc *Mt. L* ait paralytico:

15 *Mc. L* Tibi dico: *Mt. L* Surge, tolle *Mt. L* lectum tuum, *Mt. L* & vade in domum tuam.

16 *L* Et confeſtim conſurgens coram illis tulit lectum in quo jacebat, & abjit *Mc.* coram omnibus *L* in domum ſuam, magnificans Deum.

17 *Mt.* Videntes autem turbæ timuerunt.

18 *L* Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, *Mt.* qui dedit poteſtatem talem hominibus.

MATTHÆUS.

Et videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico; Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

3 Et ecce quidam de Scribis

dixerunt intra ſe:

Hic blaſphemat

4 Et cùm vidiſſet Jeſus cogitationes eorum dixit;

Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

5 Quid eſt facilius, dicere; Dimittuntur peccata tua; an dicere; Surge,

& ambula.

6 Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico; Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

6 Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

7 Videntes autem turbæ timuerunt,

& glorificaverunt Deum qui dedit poteſtatem talem hominibus. ¶

MARCUS.

5 Cùm autem vidiſſet Jeſus fidem illorum, ait paralytico; Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

6 Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes,

& cogitantes in cordibus ſuis:

7 Quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

8 Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe,

dicit illis:

Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?

9 Quid eſt facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata;

an dicere: Surge, tolle grabatum tuum & ambula?

10 Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata ait paralytico:

11 Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum & vade in domum tuam.

12 Et ſtatim ſurrexit ille: & ſublato grabato, abiit

coram omnibus,

ita, ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes.

LUCAS.

20 Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo

remittuntur tibi peccata tua.

21 Et cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes:

Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias?

Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

22 Ut cognovit autem Jeſus cogitationes eorum,

reſpondens dixit ad illos:

Quid cogitatis in cordibus veſtris?

23 Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata;

an dicere: Surge,

& ambula.

24 Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico:

Tibi dico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25 Et confeſtim conſurgens coram illis tulit lectum in quo jacebat, & abjit in domum ſuam magnificans Deum.

26 Et ſtupor apprehendit omnes & magnificabant Deum,

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
19 *L* Et repleti ſunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie, *Mc.* quia ſic nunquam vidimus.		Quia ſic nunquam vidimus.	Et repleti ſunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie. ¶

1 * 1. ET *aſcendens in naviculam transfretavit.* à littoribus Geraſenorum, & Gadarenorum ſolvit, ut oppoſitum littus, ubi Capharnaum, repeteret. 2. * 4. *L Factum eſt autem cùm rediiſſet*, *Mc. & cùm tranſcendiſſet in navi rurſus trans fretum*, nimirùm navi rediiſſet, *convenit multa turba ad eum*, multi obvii facti ſunt, *L excepit illum turba* cum gaudio ; *erant enim omnes expectantes eum*, à tempore quo ſe ſubduxerat. Hæc Marcus & Lucas ſubjungunt hiſtoriæ ſuperiori ; illi autem filiam Jairi ſuſcitatam protinus narrant ; verùm Matthæus præmittit hiſtoriam paralytici ; quam ideò ſubtexuimus. Hæc autem hiſtoria paralytici, quæ in ſingulis Evangeliſtis quaſi hiulca, & imperfecta eſt, In contextu trium Evangeliſtarum qui exhibetur in Harmonia noſtra, plenior & clarior eſt.

3. * cap. 2. ℣. 1. *Mc. Et iterùm intravit Capharnaum poſt dies*, id eſt aliquot poſt dies *Mt. in civitatem ſuam.* quia, ut diximus, illam elegerat in domicilium 2. c. 5. ℣. 17. 4. *L Et factum eſt in una dierum*, *Mc. auditum eſt quòd in domo eſſet* : ab iis enim qui Jeſum redeuntem receperant, rumor de reditu ejus ſparſus fuerat. *& convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam*, id eſt, ut nec multitudinem tantam caperet domus, neque veſtibulum ejus ; quod hiſce verbis Evangeliſta ſignificat τὰ πρὸς τὴν θύραν. *Ea quæ ad portam*, ſcilicet veſtibulum, vel loca quæ propiora ſunt januæ; cujus fores occupatas innuit Evangeliſta, ut oſtendat difficile fuiſſe, domum ingredi.

Et factum eſt in una dierum. ſic orditur hanc hiſtoriam Lucas, non definiens quo tempore contigerit. 5 * *L Et ipſe* Jeſus *ſedebat docens* : diſſerens ; *& erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello*, κώμης, vico *Galilææ, & Judææ, & Jeruſalem.* Jam enim huc pervenerat fama Domini. Hoc autem prænotat Evangeliſta, quia & partem habent in hac hiſtoria Phariſæi & Scribæ. Quos autem ſcribas Matthæus & Marcus appellant, eos nominat Lucas legis doctores, ut illo interprete, *ſcriba & legis doctor*, non diverſa ſonent, *Mc. & loquebatur eis verbum.* Hæc fuit cauſa tanti concurſus. *L & virtus Domini erat ad ſanandum eos*, nempè ægros qui offerebantur.

6 * 3. *Mc. Et venerunt ad eum* 18. *L viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus*, *Mt. jacentem in lecto*, movere ſe non poterat in lecto, *Mc. qui à quatuor portabatur* : lecti quatuor extremitates apprehendentibus. *L & quærebant eum inferre*, intra ipſam domum, ubi erat Jeſus, *& ponere ante eum*, illi offerre. 7 * 19. *Et non invenientes qua parte illum* paralyticum *inferrent præ turba*, quæ obſidebat fores, *aſcenderunt ſupra tectum*, quod mirandum videtur his qui ignorant ſcalas tunc temporis ſolitas apponi extra domum ; ita viri portantes ægrum potuere per ſcalas aſcendere ſupra tectum, cùm in ipſam domum penetrare non poſſent. *& Mt. nudaverunt tectum*, detexerunt tectum domus, ubi erat Jeſus, *& patefacientes*, ἐξορύξαντες, perfodientes illud tectum *per tegulas*, facto foramine, *ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus jacebat*, *L in medium ante Jeſum.* Scilicet demiſerunt quatuor extremitates grabbati, funibus illigatis ; & ſic humi depoſuere ægrum; aut dimittentes manibus obtulerunt grabatum quod in aere ſuſpenſum tenebant, ſed conſpicuum Domino, & omni turbæ quæ in ipſa domo erat.

In Matthæo qui has circumſtantias obſeſſæ januæ, & aſcenſus in tectum non memorat, cauſa non conſpicua eſt cur Dominus tanti fecerit fidem horum virorum. 8 * 5. *Mt. Cùm autem vidiſſet Mt. Jeſus fidem illorum*, quam oſtendebat ſollicitudo eorum in offerendo ægro, *Mt. dixit paralytico, confide fili* : ſpem habeas ſalutis recuperandæ, *M. L remittuntur Mt. L tibi peccata tua.* Remiſſa ſunt : neque enim ſolùm tuum corpus, ſed & mentem ſanabo. Vulgò putabatur morbos denuntiare occulta peccata. Simul ergo utrique malo mentis & corporis ſuccurrit Chriſtus, & oſtendit utrumque à ſe poſſe fieri.

9 * 5. *Mc. Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes*, ut vidimus. 10 * 21. *L Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi Mc. in cordibus ſuis*, *L dicentes Mt. intra ſe.* 11. * 7. *Mc. Quid hic ſic loquitur ?* qui hæc profert cum imperio : remittuntur tibi peccata tua. *L Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias ? Mc. L quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus ?* ſibi ſummam ergo poteſtatem, quæ ſolius Dei eſt, arrogat. ergo *Hic blaſphemat.*

12 * 8. *Mc. Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe*, *L. reſpondens dixit ad illos* : *Mc. quid iſta cogitatis ? Mt. Ut L quid cogitatis Mt. mala L in cordibus veſtris ?* Scilicet me blaſphemias loqui, quia dixi dimittuntur tibi peccata tua. Cur de me iniquum judicium ſtatuitis intra vos?

Quomodò autem illi iniqui, ſi Chriſtus merus homo? proprium eſt enim Dei remittere peccata. *Ego ſum*, inquit Deus, apud Iſajam *qui deleo iniquitates*. Saltem ergo decuiſſet Jeſum temperare dictum, declarando eam poteſtatem remittendi peccata alienam, & communicatam ſibi ut miſſo legato. Quod tantum abeſt ut fecerit, quin ubique confirmat ſibi propriam eſſe, & cui voluerit poſſe à ſe communicari; neque enim ut ſequeſter loquitur, cùm dixit Petro: *tibi dabo claves regni cælorum &c.* nec ſolis Judæis qui aſtabant Jeſus debebat conſulere, ſed & nobis; ne ſi vera ſentiunt Sociniani, inde decepti crederemus verè eſſe Deum. Se, inquam, gerens pro Deo, dum remitteret peccata, debuerat ſtatim ſubjungere, quibus amoveretur opinio eum eſſe præditum natura divina, ſi natura ejus non alia erat quàm humana. Verùm è contra ſibi ſumit cætera omnia quæ Dei propria ſunt. Ipſa re, demonſtrat interiores cogitationes ſibi patere; quod ſolius Dei proprium eſt: unde Salomon dicebat Deo. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*, 3. Reg. c. 8. ℣. 39. Præterea Dominum ſe probat imperans morbo, quem expellit ſolo juſſu: homines quidem morbis imperarunt. Petrus juſſit claudum Templi ſurgere & ambulare; ſed nomen Chriſti à quo eam poteſtatem accipiebat, ſimul allegavit. Ergo ſi error eſt Jeſum habere pro vero Deo, cur hunc errorem dictis & factis ſuis ipſe Jeſus confirmatum voluit? Solius Dei gloria propria eſt; nec quiſquam alius cujuſcumque dignitatis jure illam ſibi vindicat. Itaque Jeſus ſi Deus non eſſet, cùm ipſe doceat ſuos diſcipulos modeſtiam, tanto cum imperio hìc & alibi non locutus eſſet, verbis, & rebus oſtentans poteſtatem qua careret? ſed, inquiunt, non alio ſenſu pronuntiabat: *remittuntur tibi peccata tua*, niſi quo ipſi dimittimus peccata, quæ in nos inimicus admiſerit; vel cauſa poſita pro effectu, dicebat peccata remiſſa, pro ſanatum eſſe morbum qui peccatorum pœna erat.

Sociniani ſic interpretantur; aliter verò qui præſentes aderant, quorum interpretationem dictis & factis ſuis confirmat Dominus, Etenim, inquit. 13 * 5. *Mt. 9. Mc. 23. L. Quid eſt facilius dicere Mc. paralytico: Mt. L Dimittuntur tibi peccata Mt. tua, Mt. L an dicere: Surge, Mc, tolle grabatum tuum, Mt. L. & ambula?* Quaſi dicat, qui poteſt efficaciter imperare paralytico, ita ut ſurgat, & lectum ipſe portans qua portabatur, ambulet, peccata verè poteſt dimittere, nam utrumque fieri non poteſt, niſi à rerum domino. Jeſus ergo, oſtendit hoc facto non ſibi arrogare alienam poteſtatem, nec in Deum eſſe blaſphemum. 14 * 6. *Mt. 10. Mc. 24. L Ut autem ſciatis quia filius hominis*, nimirum ipſe ego qui loquor, *habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*, argumento, quod omnem dubitationem removet. *Mt. tunc Mt. L ait paralytico:* 15 11. *Mc. L Tibi dico: Mt. L Surge, tolle Mt. L lectum tuum, Mt. L & vade in domum tuam.* Reſtabat ut pareret paralyticus. 16 * 25. *L Et confeſtim conſurgens coram illis* Scribis & Phariſæis *tulit lectum in quo jacebat*, quia antea membra ejus quaſi diſſoluta erant, ut plantis inſiſtere non poſſet. *& abiit*, qui modò à quatuor viris portabatur, *Mc. coram omnibus*, qui plurimi numero aſtabant *L in domum ſuam, magnificans* id eſt laudans *Deum.*

17 * 8. *Mt. Videntes autem turbæ, timuerunt*, timore illo quem incutiebat reverentia viri cujus poteſtas major videbatur quàm humana. 18 * 26. *L Et ſtupor apprehendit omnes.* ob rem novam, *& magnificabant Deum*, magnum eum prædicabant, *Mt. qui dedit talem poteſtatem hominibus.* Id eſt cuipiam homini; neque enim etiam ex tanto miraculo turba agnoſcebat Jeſum verè eſſe Deum. 19. * *L Et repleti ſunt timore*, adeò ſtupefacti erant ob illam extraordinariam poteſtatem, *dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie, Mc. quia nunquam ſic vidimus.* Tantæ auctoritatis & poteſtatis, hactenus neminem vidimus qui ſola verborum efficacia morbos expelleret.

CAPUT XXVII.

Dominus Matthæum vocat. Defendit diſcipulos ſuos, quibus vitio dabatur quòd manducarent cum peccatoribus; nec jejunarent, ut diſcipuli Joannis.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 9. ℣. 9-17.	MARC. Cap. 2. ℣. 13-22.	LUCAS Cap. 5. ℣. 27-39.
1 L ET poſt hæc exiit *Mc.* & egreſſus eſt rurſus ad mare; omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos.		13 Et egreſſus eſt rurſus ad mare, omniſque turba veniebat ad eum & docebat eos.	27 Et poſt hæc exiit,

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS,	MARCUS,	LUCAS.	
2 *Mt.* Et, cùm tranſiret inde Jeſus, vidit *Mc.* Levi Alphæi, *L* publicanum *Mt.* Matthæum nomine, *Mc. L* ſedentem ad telonium, *Mt. L* & ait illi: Sequere me.	9 Et, & cùm tranſiret inde Jeſus, * ✠ vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me.	14 Et cùm præteriret vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me.	& ✠ vidit publicanum nomine Levi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me.	* ✠ *In feſto S. Matthæi.* ✠ *In vigil. S. Matthæi.*
3 *L* Et relictis omnibus, *Mt. L* ſurgens ſecutus eſt eum.	Et Surgens ſecutus eſt eum.	Et Surgens ſecutus eſt eum.	28 Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.	
4 *L* Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua.			29 Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua:	
5 *Mt.* Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes *Mt.* diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus: *Mc.* erant enim multi qui & ſequebantur eum.	10 Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus.	15 Et factum eſt, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus: erant enim multi qui & ſequebantur eum.	& erat turba multa pablicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes,	
6 *L* Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et *Mt.* quare cum publicanis & peccatoribus manducat, *Mc.* & bibit *Mt.* magiſter veſter.	11 Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter?	16 Et Scribæ & Phariſæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus, manducat, & bibit, magiſter veſter?	30 Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? 31 Et	
7 *Mc.* Hoc audito *L* reſpondens Jeſus, dixit ad illos: *Mt.* Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.	12 At Jeſus audiens ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.	17 Hoc audito Jeſus, ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent:	reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.	
8 Euntes autem diſcite quid eſt: † Miſericordiam volo, & non ſacrificium.	13 Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.			† *Oſee.* 6. 6. 1. *Tim.* 1. 15.
9 *Mt.* Non enim *Mt. L* veni vocare juſtos, ſed peccatores *L* ad pœnitentiam.	Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores. ¶	non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.	32 Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. ¶	
10 *Mt.* Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Joannis, *Mc.* & Phariſæi jejunantes, *Mt.* dicentes:	14 Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Joannis, dicentes:	18 Et erant diſcipuli Joannis & phariſæi jejunantes; & veniunt, & dicunt ei:	33 At illi dixerunt ad eum:	
11 *L* Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum? tui autem edunt & bibunt;	Quare nos, & Phariſæi, jejunamus frequenter: diſcipuli autem tui non jejunant;	Quare diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant; tui autem diſcipuli non jejunant?	Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum; tui autem edunt & bibunt?	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
† *Iſa. 61. 5. 2. Cor. 11. 2.* 12 *Mt.* Et ait illis Jeſus: † *L* Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare? *Mt.* Numquid poſſunt *Mc.* filii nuptiarum *Mt.* filii ſponſi lugere quandiu cum illis eſt ſponſus? *Mc.* quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt jejunare.	15 Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quandiu cum illis eſt ſponſus?	19 Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt filii nuptiarum, quandiu ſponſus cum illis eſt, jejunare? quanto tempore habent ſecum ſponſum non poſſunt jejunare.	34 Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare.
13 *Mt. L* Venient autem dies cùm *Mt.* auferetur ab eis ſponſus, *Mt. L* & tunc jejunabunt, *Mc. L* in illis diebus.	Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.	20 Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt in illis diebus.	35 Venient autem dies: cùm ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt in illis diebus.
14 *L* Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: quia nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus; alioquin & novum rumpit.	16 Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus:	21 Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri.	36 Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus; alioquin & novum rumpit,
15 *Mt.* Tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento *Mc.* veteri, & major, *Mt.* & pejor *Mt.* ſciſſura fit; *L* & veteri non convenit commiſſura à novo.	tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & pejor ſciſſura fit.	alioquin auferet ſupplementum novum à veteri, & major ſciſſura fit.	& veteri non convenit commiſſura à novo.
16 *Mc. L* Et nemo mittit *Mt. L* vinum novum in utres veteres, alioquin *L* rumpet vinum novum utres, & ipſum *Mc. L* effundetur, & utres peribunt.	17 Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt.	22 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt:	37 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin rumperet vinum novum utres, & ipſum effundetur & utres peribunt.
17 *Mt. L* Sed vinum novum in utres novos *L* mittendum eſt, & utraque conſervantur.	Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.	Sed vinum novum in utres novos mitti debet.	38 Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur.

L U C A S.

18 * 39 Et nemo bibens vetus ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt.

IN domo, ubi modò paralyticum ſanatum vidimus, Dominus obruebatur turba, quæ & ipſas fores ſic occupabat, ut nemo intrare poſſet. Quò ſeſe expediret tantæ multitudine, quaſi abiturus egreſſus eſt ad mare. 1 * 27. *L. Et poſt hæc exiit*, 13 *Mc. & egreſſus eſt rurſus ad mare: omniſque turba veniebat ad eum*, in loco patentiori; *& docebat eos*, plures enim ad eum accedere poterant, & audire ſermones ejus, 2 * 9. *Mt. Et cum tranſiret inde Jeſus*, domo ſua ad portum, *vidit Mc. Levi Alphæi L publicanum, Mt. Matthæum nomine, Mc. L ſedentem ad telonium*, nempè juxta portum, ubi publica vectigalia cogentibus ſolvebatur portorium, ſive tributum quod Græcis dicimus τέλος, unde facta eſt vox *telonium*. Ille erat Alphæi filius, qui cùm publicanus eſſet, ſedebat ad telonium tributa exigens ab iis qui transfretarent. Matthæus nomen ſuum verum aperit; Marcus verò & Lucas vocant *Levi*, minùs noto nomine; quod, ut puto, faciunt honoris cauſa, dum memorare tenentur eum fuiſſe conditionis odioſæ. Matthæum autem non puduit primæ conditionis ſuæ, quam ſtatim deſeruerat, Dominum vocantem ſequens. *Mt. L & ait illi*: Jeſus, *Sequere me*. 3 * 28. *L Et relictis omnibus, Mt. L ſurgens ſecutus eſt eum*. Magna virtus eſt divinæ vocationis qua Jeſus ſic movit cor Matthæi, ut prompta obedientia ſtatim ſecutus ſit eum.

4 * 29. *L Et fecit ei convivium magnum in domo ſua*, ubi diſcipulus ejus factus eſt. 5 * 10. *Mt. Et ſa-*

factum eſt diſcumbente in domo, ecce multi publicani, ſocii & amici Matthæi, *& peccatores venientes diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus. Mc. erant enim multi qui & ſequebantur eum.* Peccatores dicebantur non ſolùm qui admitterent prava illa facinora lege naturali & Decalogo vetita, qualia ſunt furta, adulteria, homicidia; ſed qui juſtitias legis, nempe ritus, conſuetudines Judæorum liberiùs violarent; qui exempli causâ gentilibus ſpontè ſe aſſociarent, & promiſcuè cum quibuſvis commercia haberent. Qui enim ſanctiores, ſive rigidi obſervatores legis videri ambiebant, perinde ac leproſorum ſugiebant conſortium gentilium habentes pro immundis eos omnes, quotquot non parerent Legi. Idcircò murmurabant Phariſæi, quòd Dominus divertens ad Matthæum, etiam manducaret cum illo.

6 * 30. *L. Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Mc. & bibit, Mt. magiſter veſter?* Contra ſcilicet, quàm fieri oportere legis periti docebant, ut liquet ex libris Judæorum, *leges ſacræ de muliere menſtruis laborante, aut de puerpera ad Gentiles quidem non attinent*, ait Maimonides tractatu *de prohibitis concubitibus*. cap. 4. *ſed ſapientes* addit ille *decrevere omnimodò Gentiles tam maſculos, quàm fœminas pro eis, qui perpetuo ſanguinis profluvio laborant, (ſive ea de re conſtet, ſive minimè) habendos, quoties de munditia & immunditia quæſtio ſit.* Joſephus, lib. 4. cap. 6. antiq. clarè dicit nec potum communem cum aliis gentibus Judæos ſuſtinuiſſe. *Vos ſcitis*, inquit Petrus, in Act. c. 10. ℣. 28. *quomodo abominatum ſit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam.* Multi autem ex illis publicanis Romani erant & ideò Gentiles quorum ergo conſortium cenſebatur profanum. Aliquos autem publicanos Judæos fuiſſe veriſimile eſt; neque enim virum Gentilem in Apoſtolum Chriſtus elegiſſet. Sed in genere publicani, ſive gentiles, ſive Judæi, ideò habebantur peccatores, ſive legis transgreſſores, quia cogerent vectigalia, quæ iniquo jure à Romanis impoſita eſſent, ut pote Genti Judæorum qui ſoli dominio Dei erant ſubjiciendi.

Hiſce Phariſæorum querelis reſpondet Dominus paucis paucis verbis, ſed quæ horum moribus conveniunt. 7 * 17. *Mc. Hoc audito L. reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Mt. Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Quaſi dicat: medici cum ægrotis verſantur; neque enim ſolent commorari inter ſanos, qui eorum arte non egent. Vos autem opinione veſtra ſani eſtis; illi verò publicani & peccatores ægri; itaque mirum vobis videri non debet, ſi lubentiùs cum illis agam. 8 * 13. *Euntes autem diſcite quid eſt*: id eſt diſcite priùs, quid ſibi velit ille locus ſcripturæ apud Oſeam, cap. 6. ℣. 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, id eſt magis quàm ſacrificium, quo ſignificatur omnium rituum Judaicorum obſervatio. Miſericordiæ autem vocem, quæ multas virtutes in ſcripturis denotet (reſpondet enim hìc *ἔλεος*, voci Hebrææ חסד *cheſed*,) Chriſtus applicat ad hanc ſpeciem miſericordiæ, qua converſio peccatoris quæritur. Taxat Phariſæos viros inclementes, & duros, quibus non poterat prodeſſe Evangelium. 9 * *Mt. Non enim*, inquit Dominus, *L. veni vocare juſtos*, vos Phariſæos, qui veſtro judicio juſti eſtis, ſed peccatores, quos deſpicitis, *L. ad pœnitentiam*, neque enim voco, ut peccata foveam; ſed ut emendem.

10 * 14. *Mt. Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Joannis* zelo pro magiſtri gloria: forſan etiam invidentes Chriſto; *& Phariſæi*, qui, cùm illa via non ceſſerat, alia ſubinde Jeſum aggrediebantur: *jejunantes*; jejunabant enim frequentiùs Joannis diſcipuli, & Phariſæi; *dicentes*: 11 * 33. *L. Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt*, orant, precantur, *ſimiliter & Phariſæorum*, diſcipuli; *tui autem edunt, & bibunt*, & ita non jejunant. Reſpondet eis Dominus, utens comparatione nuptiarum, in quibus comites ſponſi, donec illis adeſſet ſponſus, nempe in ſolemni nuptiarum pompa, & lætitia non poterant jejunare, & lugere.

12 * 15. *Mt. 19. Mc. Et ait illis Jeſus: L. Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare? Mt. Numquid poſſunt Mc. filii nuptiarum Mt. filii ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? Mc. quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt jejunare.* Filii ſponſi τοῦ νυμφῶνος, ut habent Matthæus, & Marcus, id eſt ſponſaliorum, vel thalami, non poſſunt luctus ſigna edere, & affligere animam ſuam jejunio in nuptiis, ubi decet hilarem ſe præbere. Olim ſponſis dabantur comites, ut videre eſt multis in locis ſcripturæ, maximè in hiſtoria Sanſonis. Dicebantur ſocii, & amici. LXX. interpretes, cap. 14. ℣. 11. Judic. appellant νυμφαγωγεῖς. Itaque filios νυμφῶνος, debemus intelligere paranymphos, intimæ admiſſionis amicos qui ſponſum in thalamum deducebant; ideò dicti filii nuptiarum; ſicut accolæ maris dicuntur apud Oſeam, cap. 10. ℣. 11. *filii maris*; & cuſtodes arcis, lib. 1. Mach. cap. 4. ℣. 2. *filii arcis.*

13 * *Mt. 20. Mc. 35. L. Venient autem dies, cùm Mt. auferetur ab eis ſponſus, L. & tunc jejunabunt, Mc. L. in illis diebus.* Non in uno loco Evangelii ſuam incarnationem nuptias dicit Dominus. Venit ut conjungeret ſibi eccleſiam, quæ ideò ſponſa ejus, ſicut & ipſe ſponſus. Diſcipuli verò, hi maximè quos in duodecim Apoſtolos elegerat, & ſocios, dicti ſunt comites ſponſi; à quibus cùm avulſus eſt cœlum aſcendens, tunc illi cæperunt lugere.

Comparatione veſtis veteris, cui non aſſuitur pannus novus, & veterum utrium, ſive pellium hir-

hircorum, quibus pro doliis, etiam in pluribus Galliæ locis mercatores utuntur; in quas, inquam, pelles cùm vetuſtæ ſunt, vinum novum non mittitur, docet Dominus magiſtro ſapienti habendam eſſe rationem conditionis, in qua ſunt diſcipuli ejus. 14 * 36. *L Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos*, hac utebatur ſimilitudine: *Quia nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus*; id eſt, nemo aſſuit commiſſuram, ἐπίβλημα, *immiſſuram*, nempe partem panni novi, ſive ut loquuntur Matthæus & Marcus panni rudis ἀγνάφου; hoc eſt, qui fullonem non expertus ſit, à fullone non purgatus. Olim quando veſtes interiores laneæ, non lineæ erant creber fullonum uſus. Hi autem dum pannos eluunt, hos detergunt, ut pannus ἄγναφος, ſit ille quem ſcilicet γναφεὺς, fullo nondum ſubegit, à ſordibus purgavit qui ita multum rudis eſt, *alioquin & novum rumpit*. 15. * *Mt. Tollit enim plenitudinem à veſtimento veteri*. Si τὸ πλήρωμα, ſit in accuſativo caſu, ſenſus eſt, pannus aſſutus eam veſtis partem auſert, cui per ſuturam adhæret, ita plenitudinem πλήρωμα, veſtis tollit. Verùm ſi in nominativo caſu vox πλήρωμα, poſita cenſenda ſit, tunc decet intelligere pannum rudem, qui aſſutus eſt, ut πλήρωμα, id eſt ſupplementum eſſet veſtis, quo ſupplemento ſarciretur ruptura ejus. Illud, inquam, ſupplemento auferet ἀπὸ τοῦ ἱματίου, ſupple τι; ſcilicet auferet etiam aliquid de veſtimento veteri, & ideò *major*, *Mt. & pejor Mt. ſciſſura fit*; *L & veteri non convenit commiſſura à novo*. Sic ex novo veſtimentô ſumptus pannus non convenit veteri, quia illud lacerat.

Hac ſimilitudine oſtendit Dominus diſcipulos nondum idoneos eſſe vitæ laboribus exercitæ, quam acturi erant, cùm ab illis ad patrem ſuum redierit. Cui & accommodata eſt ſequens ſimilitudo. 16 * 22. *Mc. 37. L Et nemo mittit Mt. L vinum novum in utres veteres, alioquin L rumpet vinum novum utres, & ipſum Mc. L effundetur, & utres peribunt*. Loquitur ad Syriæ conſuetudinem. Syri utribus coriaceis pro vaſis utebantur. 17. * *Mt. 38. L Sed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur*. Nota eſt violentiæ vini novi & adhuc bullientis.

18 * 39. *Et nemo bibens vetus ſtatim vult novum; dicit enim: Vetus melius eſt*. Sententia eſt ex conſuetudine, & affecto animo profecta. Uſus enim & conſuetudo guſtum formant. Sicut ergo is, qui aſſuevit vino veteri, non ſtatim ſed paulatim eò adducitur, ut novum ei præferat; ita mihi eum diſcipulis (ſic videtur Chriſtus loqui) agendum, ut quod tunc non poſſunt, aliquandò præferant jejunia deliciis. In regionibus ubi vites ulmis adjunguntur, quod forſan fiebat in Judæa, vetuſta vina ſunt lenioris ſaporis, nova auſteriora; ipſe expertus ſum in Delphinatu, ubi vitem cum arboribus maritant, vina miteſcere vetuſtate. Alibi enim vina nova dulciora ſunt. Voluit autem Dominus hoc proverbio ſignificare homines non ſubitò ad auſteriorem vitam pertrahendos, ſed per gradus quoſdam aſſuefaciendos.

CAPUT XXVIII.

Filia cujuſdam Archiſynagogi nomine Jairi ſanatur, ſimul & ſiſtitur profluvium ſanguinis mulieris hæmoroiſſæ.

✠ Dom. 23. poſt Pent.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 9. ℣. 18-26.	MARC. Cap. 5. ℣. 21-43.	LUCAS, Cap. 8. ℣. 41-56.
1 *Mt.* HÆc illo loquente ad eos, *Mc.* erat circa mare.	18 Hæc illo ✠ loquente ad eos,	21 .... & erat circa mare.	
2 *L* Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat: *Mc.* & videns eum, procidit ad pedes ejus, *Mt.* & adorabat, *L* rogans eum ut intraret in domum ejus.	ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum,	22 Et venit quidam de archiſynagogis nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus.	41 Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat: & cecidit ad pedes Jeſu, rogans eum ut intraret in domum ejus,
3 Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur.			42 Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
4 *Mc.* Et deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt; *Mt.* ſed veni impone manum tuam ſuper eam, *Mc.* ut ſalva ſit, & vivat.	dicens, Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.	23 Et deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, Veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat.	
5 *Mt.* Et ſurgens Jeſus *Mc.* abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, *Mt.* & diſcipuli ejus, *L* contigit dum iret, à turbis comprimebatur.	19 Et ſurgens Jeſus, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus.	24 Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.	Et contigit dum iret, à turbis comprimebatur.
6 *Mt.* Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.	20 Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis,	25 Et mulier, quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim.	43 Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim,
7 *Mc.* † Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & *L* in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari; *Mc.* nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.		25 Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogaverat omnia ſua. nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.	quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari. † *Levit. 15. 22.*
8 Cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba, *Mt.* acceſſit retrò, & *Mt. L* tetigit fimbriam veſtimenti ejus.	acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus.	26 Cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum ejus.	44 Acceſſit retrò & tetigit fimbria veſtimenti ejus: &
9 Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.	21 Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.	28 Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.	
10 *Mc.* Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus, & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.		29 Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus, & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.	& confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus.
11 Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, ajebat: Quis tetigit veſtimenta mea?		30 Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, ajebat: Quis tetigit veſtimenta mea?	45 Et ait Jeſus:
12 *L* Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, *Mc. L* & dicis: Quis me tetigit?		31 Et dicebãt ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?	Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?
13 *L* Et dixit Jeſus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiiſſe.			46 Et dixit Jeſus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiiſſe.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCA
14 *Mc.* Et circunſpiciebat videre eam quæ hoc fecerat.		32 Et circunſpiciebat videre eam quæ hoc fecerat,	
15 *L* Videns autem mulier quia non latuit, *Mc.* timens & tremens, ſciens quòd factum eſſet in ſe; venit, *Mc. L* & procidit ante *L* pedes ejus.		33 Mulier vero timens, & tremens, ſciens quòd factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum,	47 Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus.
16 *Mc.* Et dixit ei omnem veritatem, *L* & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.		& dixit ei omnem veritatem.	& ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.
17 At ipſe *Mt.* videns eam, dixit: Confide *Mt. L* filia, fides tua te ſalvam fecit: *Mc. L* vade in pace, *Mc.* & eſto ſana à plaga tua.	22 At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.	34 Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.	48 At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſalvam te fecit: vade in pace.
18 *Mt.* Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.	Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.		
19 *L* Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua: *Mc.* quid ultrà vexas magiſtrum?		35 Adhuc eo loquente, veniunt ad archiſynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid ultrà vexas magiſtrum?	49 Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.
20 Jeſus autem audito verbo quod dicebatur, ait archiſynagogo *L* patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.		36 Jeſus autem audito verbo quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere, tantummodo crede,	50 Jeſus autem audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.
21 *Mc.* Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.		37 Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.	
22 *Mt.* Et cùm veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, *Mc.* & flentes, & ejulantes multùm, *Mt.* dicebat *Mc.* illis: † Quid turbamini, & ploratis? (margin: † Ban. 21. 12.)	23 Et cùm veniſſet Jeſus in domũ principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat:	38 Et veniunt in domum archiſynagogi, & vidit tumultum, & flentes & ejulantes multùm. 39 Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini, & ploratis?	51 Et cùm veniſſet domum, *non permiſit &c. infrà ℣. 24.* 52 flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere,
23 *Mt.* Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. *Mt. L* Et deridebant eum, *L* ſcientes quòd mortua eſſet.	Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.	puella non eſt mortua, ſed dormit. 40 Et irridebant eum. Ipſe verò,	non eſt mortua puella, ſed dormit. 53 Et deridebant eum, ſcientes quòd mortua eſſet. 54 *Ipſe autem &c. infrà ℣. 25.*
24 *Mt.* Et cùm ejecta eſſet turba, *Mc.* ejectis omnibus,	25 Et cùm ejecta eſſet turba, intravit:	ejectis omnibus,	

HARMONIA.

L non permiſit intrare ſecum quemquam niſi Petrum & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ. *Mc.* ubi puella erat jacens.

25 L Ipſe autem tenens manum ejus, clamavit, dicens: *Mc.* Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella, (tibi dico) ſurge.

26. L † Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò: & juſſit illi dari manducare.

27 *Mc.* Et ambulabat: (erat autem annorum duodecim) & obſtupuerunt ſtupore magno L parentes ejus.

28 *Mc.* Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret.

29. *Mt.* Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.

MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
		51 ... non permiſit intrare ſecumquemquam, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ.
	aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.	52 Flebant &c. ſuprà:
& tenuit manum ejus.	41 Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.	54 Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, ſurge.
Et ſurrexit Puella,	42 Et confeſtim ſurrexit puella,	55 Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò: & juſſit illi dari manducare. † *Joan.* 11. 43.
	& ambulabat: (erat autem annorum duodecim) & obſtupuerunt ſtupore magno.	56 Et ſtupuerunt parentes ejus,
	43 Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.	quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.
26 Et exiit fama hæc in univerſam terram illam. ¶		

NISI mihi propoſitum eſſet ordinem, cui inhæret Matthæus, non invertere, jam inſeruiſſem huic Harmoniæ hiſtoriam filiæ Jairi, & Hæmoroiſſæ, quam Marcus & Lucas & Lucas ſubjiciunt liberato dæmoniaco in Gadareuorum regione. Hanc verò Matthæus conjungit cum illo ſermone Domini, quem præcedenti capite expoſuimus. 1. * 18. *Mt. Hæc illo loquente ad eos,* 21. *Mc. erat* Jeſus *circa mare.* Marcus & Lucas cum Matthæo conveniunt rem tranſactam in Capharnaum; nam Marcus poſt narrationem dæmoniaci Gadarenorum ſubjungit, *cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum transfretum,* quibus verbis indicat reditum Domini in domum ſuam, nempè in Capharnaum; ſicut & Lucas hiſce verbis: *factum eſt cùm rediiſſet Jeſus,* Conſtat autem cùm ſanavit Hæmoroiſſam, tunc temporis fuiſſe circa mare, ut ait Marcus. Exceptus fuerat Dominus domo Matthæi, ut vidimus; cujus telonium erat juxta portum maris, ideò multa turba tunc aderat parata ad ſequendum, cùm inde ſolveret in alias civitates; quod conſonum eſt iis, quæ Marcus & Lucas præponunt huic hiſtoriæ, & quæ nos enarrantes hiſtoriam paralytici per tegulas demiſſi ſuprà propoſuimus. En verba Marci. *Convenit multa turba ad eum, & erat circa mare.* Lucas ſic loquitur. *Et cùm rediiſſet excepit illum turba; erant enim omnes expectantes eum.* Ex quibus liquet Matthæum ordinis magis ſequacem, quippe qui illi notior eſſet; cùm Marcus & Lucas, ut ſæpiùs monemus, res Domini accepiſſent ab ocularis quidem teſtibus, ſed qui illas retulerant non ex ordine, ſed pro ut memoriæ occurrebant. Vix credi poteſt eo ipſo in loco, ubi Matthæus ſcribit primò ſe vocatum eſſe, potiùs res alio tempore actas cum hac vocatione conjungere voluiſſe, quàm quæ verè conjunctæ eſſent.

2 * 41. L *Et ecce venit vir cui nomen Jairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat: Mc. & videns eum, procidit ad pedes ejus, Mt. & adorabat,* quia pro filio Dei, id eſt pro Chriſto eum habebat; qui honos etiam viris eximiis exhibebatur. *L rogans eum, ut intraret in domum ejus,* impoſiturus manum puellæ jam jam moriturae. Jairus vir erat primarius unus è ſynagogæ miniſtria. Ex Marco unus ex archiſynagogis. Archiſynagogus ille eſt qui à Judæis dicitur *caput ſynagogæ,* cujus juſſu decernuntur res ejus, nempe quis leget prophetam, & cætera fiant quæ præcipua ſunt in ſynagogis. 3 * 42. *Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim,* ideò charior, quia jam grandior, & floreſcente ætate; *& hæc moriebatur.* 4 * 23. *Mc. Et deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt.* In extremum adducta eſt periculum. Juxta Matthæum dixit

hanc

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCA
14 *Mc.* Et circumſpiciebat videre eam quæ hoc fecerat.		32 Et circumſpiciebat videre eam quæ hoc fecerat.	
15 *L* Videns autem mulier quia non latuit, *Mc.* timens & tremens, ſciens quòd factum eſſet in ſe; venit, *Mc. L* & procidit ante *L* pedes ejus.		33 Mulier vero timens, & tremens, ſciens quòd factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum,	47 Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus.
16 *Mc.* Et dixit ei omnem veritatem, *L* & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.		& dixit ei omnem veritatem.	& ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.
17 At ipſe *Mt.* videns eam, dixit: Confide *Mt. L* filia, fides tua te ſalvam fecit: *Mc. L* vade in pace, *Mc.* & eſto ſana à plaga tua.	22 At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.	34 Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.	48 At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſalvam te fecit: vade in pace.
18 *Mt.* Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.	Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.		
19 *L* Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua: *Mc.* quid ultrà vexas magiſtrum?		35 Adhuc eo loquente, veniunt ad archiſynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid ultrà vexas magiſtrum?	49 Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.
20 Jeſus autem audito verbo quod dicebatur, ait archiſynagogo *L* patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.		36 Jeſus autem audito verbo quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere, tantummodo crede.	50 Jeſus autem audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.
21 *Mc.* Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.		37 Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.	
22 *Mt.* Et cùm veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, *Mc.* & flentes, & ejulantes multùm, *Mt.* dicebat *Mc.* illis: † Quid turbamini, & ploratis?	23 Et cùm veniſſet Jeſus in domū principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat:	38 Et veniunt in domum archiſynagogi, & vidit tumultum, & flentes & ejulantes multùm. 39 Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini, & ploratis?	51 Et cùm veniſſet domum, *non permiſit &c. infrà ℣. 24.* 52 flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere,
23 *Mt.* Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. *Mt. L* Et deridebant eum, *L* ſcientes quòd mortua eſſet.	Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.	puella non eſt mortua, ſed dormit. 40 Et irridebant eum. Ipſe verò,	non eſt mortua puella, ſed dormit. 53 Et deridebant eum, ſcientes quòd mortua eſſet. 54 *Ipſe autem &c. infrà ℣. 25.*
24 *Mt.* Et cùm ejecta eſſet turba, *Mc.* ejectis omnibus,	25 Et cùm ejecta eſſet turba, intravit:	ejectis omnibus,	

† Luca. 21. 11.

HA

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
L non permiſit intrare ſecum quemquam niſi Petrum & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ. *Mc.* ubi puella erat jacens.		aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.	51 ... non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ. 52 Flebant &c. ſuprà:
25 *L* Ipſe autem tenens manum ejus, clamavit, dicens: *Mc.* Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella, (tibi dico) ſurge.	& tenuit manum ejus.	41 Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.	54 Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, ſurge.
26. *L* † Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò: & juſſit illi dari manducare.	Et ſurrexit Puella,	42 Et confeſtim ſurrexit puella,	55 Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò: & juſſit illi dari manducare. † *Joan.* 11. 17. 13.
27 *Mc.* Et ambulabat: (erat autem annorum duodecim) & obſtupuerunt ſtupore magno *L* parentes ejus.		& ambulabat: (erat autem annorum duodecim) & obſtupuerunt ſtupore magno.	56 Et ſtupuerunt parentes ejus,
28 *Mc.* Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret.		43 Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.	quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.
29. *Mt.* Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.	26 Et exiit fama hæc in univerſam terram illam. ¶		

NISI mihi propoſitum eſſet ordinem, cui inhæret Matthæus, non invertere, jam inſeruiſſem huic Harmoniæ hiſtoriam filiæ Jairi, & Hæmoroiſſæ, quam Marcus & Lucas & Lucas ſubjiciunt liberato dæmoniaco in Gadarenorum regione. Hanc verò Matthæus conjungit cum illo ſermone Domini, quem præcedenti capite expoſuimus. 1 * 18. *Mt. Hæc illo loquente ad eos*, 21. *Mc. erat* Jeſus *circa mare*. Marcus & Lucas cum Matthæo conveniunt rem tranſactam in Capharnaum; nam Marcus poſt narrationem dæmoniaci Gadarenorum ſubjungit, *cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi rurſum transfretum*, quibus verbis indicat reditum Domini in domum ſuam, nempè in Capharnaum; ſicut & Lucas hiſce verbis: *factum eſt cùm rediiſſet Jeſus*, Conſtat autem cùm ſanavit Hæmoroiſſam, tunc temporis fuiſſe circa mare, ut ait Marcus. Exceptus fuerat Dominus domo Matthæi, ut vidimus; cujus telonium erat juxta portum maris, ideò multa turba tunc aderat parata ad ſequendum, cùm inde ſolveret in alias civitates; quod conſonum eſt iis, quæ Marcus & Lucas præponunt huic hiſtoriæ, & quæ nos enarrantes hiſtoriam paralytici per tegulas demiſſi ſuprà propoſuimus. En verba Marci. *Convenit multa turba ad eum, & erat circa mare*. Lucas ſic loquitur. *Et cum rediiſſet excepit illum turba; erant enim omnes expectantes eum*. Ex quibus liquet Matthæum ordinis magis ſequacem, quippe qui illi notior eſſet; cùm Marcus & Lucas, ut ſæpiùs monemus, res Domini accepiſſent ab ocularis quidem teſtibus, ſed qui illas retulerant non ex ordine, ſed pro ut memoriæ occurrebant. Vix credi poteſt eo ipſo in loco, ubi Matthæus ſcribit primò ſe vocatum eſſe, potiùs res alio tempore actas cum hac vocatione conjungere voluiſſe, quàm quæ verè conjunctæ eſſent.

2 * 41. *L Et ecce venit vir cui nomen Jairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat*: *Mc. & videns eum, procidit ad pedes ejus*, *Mt. & adorabat*, quia pro filio Dei, id eſt pro Chriſto eum habebat; qui honos etiam viris eximiis exhibebatur. *L rogans eum, ut intraret in domum ejus*, impoſiturus manum puellæ jamjam morituræ. Jairus vir erat primarius unus è ſynagogæ miniſtris. Ex Marco unus ex archiſynagogis. Archiſynagogus ille eſt qui à Judæis dicitur *caput ſynagogæ*, cujus juſſu decernuntur res ejus, nempe quis leget prophetam, & cætera fiant quæ præcipua ſunt in ſynagogis. 3 * 42. *Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim*, ideò charior, quia jam grandior, & floreſcente ætate; *& hæc moriebatur*. 4 * 23. *Mc. Et deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt*. In extremum adducta eſt periculum. Juxta Matthæum dixit

hanc

Digitized by Google

hanc modò defunctam eſſe. Scilicet compendio utens Evangeliſta non diſtinxit duo illa tempora, quæ obſervant Marcus & Lucas. Primum enim venit Jairus, cùm in extremis eſſet filia ejus; altero autem tempore acceſſere illi, qui mortuam renuntiarunt, ut modò videbimus. *Mt. ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, Mc. ut ſalva ſit, & vivat.* Quaſi dicat extende tantummodò manum tuam ſuper illam, & ſalutem certò recuperabit. Impoſitio manuum eſt deſignatio actionis. Sic qui offerebat victimam, imponebat illi manus, ſic Moyſes impoſuit manus Joſue, quem in ducem populi eligebat. Senſus ergo eſt: operare ſalutem filiæ meæ.

5 * 19. *Mt. Et ſurgens Jeſus 24. Mc. abiit cum illo* archiſynagogo; *& ſequebatur eum turba multa, Mt. & diſcipuli ejus, L & contigit dum iret, à turbis comprimebatur*, dum quiſque lateribus ejus adeſſe, & audire loquentem expeteret. 6 * 20. *Mt. Et ecce mulier, αἱμοῤῥοοῦσα*, quam vocem Græcam ſic interpretatur vulgatus interpres, *quæ ſanguinis fluxum patiebatur*, ſanguiflua, ſanguinis profluvio laborans, ſit autem illud profluvium diverſis modis quos Evangelium non definit. Quiſquis ſit ille morbus, pertinax, inveteratus, & incurabilis erat; ſi quidem patiebatur mulier *duodecim annis: δώδεκα ἔτη*. Nempe per duodecim annos hoc morbo laboraverat. 7. * *Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis.* Dum quiſque diverſa adhiberet medicamenta ſæpiùs acriora ipſo morbo. *Et L in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, ὅλον τὸν βίον*, hoc eſt victum ſuum. *Βίος* Helleniſtis ſæpè ſonat idem quod Latinis *penus*. Marcus dicit omnia ſua, hoc eſt facultates ſuas, omnem poſſeſſionem ſuam *τὰ ὑπάρχοντα*, (quo verbo Græco alibi Lucas utitur ad ſignificandum id quod quis habet,) bona ſua, facultates; *nec ab ullo potuit curari; Mc. nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.*

8 * 27. *Cùm audiſſet de Jeſu*, tanta eum poſſe, *venit in turba, Mt. 44. L acceſſit retrò*, ne à turba cui ſe admiſcuerat, abjiceretur, quippe immunda, & contagioſa. Ex lege Levitici, cap. 15. ℣. 25. *mulier, quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis &c. immunda erit*, ideoque ſeparanda, ne communicaret immunditiem. Ergo cavebat ne adverteretur. *Et tetigit fimbriam veſtimenti ejus.* Nempè filamenta illa, quæ peculiaris ſanctimoniæ nota erant; quibus non luxu, ſed religione pii Iſraelitæ, quia ſic Deus præceperat, ornabant veſtimenti angulos. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris*, Deut. cap. 22. ℣. 12. Vox Hebræa גדלים *ghedilim*, ſignificat funiculos contortos, ſive fila contorta duplicata, qualia videre eſt in his ornamentis, quæ vernaculè dicimus *des houpes*. Juxta fontem præcipit Deus, ut illa ornamenta fiant in quatuor כנפות *chenaphoth*, tegumenti, quo quiſque operiret ſe. Nomen illud ſignificat oras, extremitates, angulos veſtimenti. Latinus interpres expreſſit eo in loco Græcos interpretes; à quibus *chenaphoth*, in hoc Deuteronomii, & apud Zachariam, cap. 8. ℣. 23. redditur *κράσπεδον*, quo nomine utitur Lucas, ideò interpres reddit *fimbriam*. Sed rem decet interpretari ex lege Deuteronomii; ut mulier tangere voluerit aliquod ex illis filis, quibus tenebantur Judæi ornare quatuor angulos veſtimenti, puta pallii quo operiebantur, cujus forma erat quadrata, ita quadrangularis.

9 * 21. *Mt. Dicebat enim intra ſe, ſi tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.* Hæc oſtendunt magnam fuiſſe fidem ejus. Innata eſt hæc opinio, vel ſolo attactu veſtimenti virorum, quos inſidet Deus peculiari modo, ſanari poſſe morbos. Ita videre eſt in Actibus, cap. 19. ℣. 12. ſuper languidos delata à corpore Pauli ſudaria & ſemicinctia, quibus pellebantur languores, & mali ſpiritus. Nefas eſſet huc non afferre ex hiſtoria eccleſiaſtica Euſebii, lib. 7. cap. 18. apud Paneadem, ſive Cæſaream Philippi erectam fuiſſe Jeſu Chriſto ſtatuam æneam; cujus pedibus procumberet iſta mulier, de qua agitur genibus flexis, & protenſis manibus inſtar ſupplicantis. Ad Domini autem pedes in ipſa baſi adnaſcebatur herba ſingulis annis, quæ ubi ad fimbriam aſſurrexerat, omni morborum generi præſens remedium erat.

10 * 29. *Mc. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus.* Non ſolùm ſtetit profluvium, ſed cauſa ejus ablata eſt; *& ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga.* Ex fluxu illo debilitatio totius corporis naſcebatur: illo itaque ſiſtente reſtituta eſt corpori virtus. Magnum miraculum; nemo enim ex veteri morbo ſubitò revaleſcit.

11 * 30. *Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo*, efficaciam quam attacta fimbria veſtimenti ejus operata erat, ſive potiùs ex ſe effluxiſſe virtutem efficacem, *converſus ad turbam aiebat: quis tetigit veſtimenta mea?* 12 * 45. *L Quis eſt qui me tetigit?* hac interrogatione volebat convertere animos adſtantium in magnam fidem hujuſce mulieris; neque enim mirum erat, dum eum omnes comprimebant, ab aliquo fuiſſe attactum. *Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant*: nempe diſcipuli ejus, ut ait Marcus: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt Mc. L & dicis, quis me tetigit?* non videbat Petrus, neque alii propoſitum Domini, qui iterùm ſe tactum dixit. 13 * 46. *L Et dixit Jeſus: tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiiſſe.* Dicit virtutem exiiſſe, hoc eſt in alios ſe exſeruiſſe, ut calor à ſole, qui tamen in eo manet. 14 * 32. *Mc. Et circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.* Neque enim illum latebat mulier;

ſed

ſed & ne lateret alios credebat eſſe de gloria patris ſui.

15 * 48. *L Videns autem mulier : quia non latuit, Mc. timens & tremens*, tum pudore, tum metu, quia ut dixi immunda erat ob morbum, ideòque non licebat illi alios tangere, & tangi, *ſciens quod factum eſſet in ſe*; quid illi contigerat, nempe ſanatio, ex qua colligebat ſe non latere auctorem hujus miraculi, *venit, Mc. L & procidit ante L pedes ejus*. 16. * *Mc. Et dixit ei omnem veritatem, L ob quam cauſam tetigeris eum* ; id eſt cur auſa eſſet immunda eum tangere, *indicavit coram omni populo; & quemadmodum confeſtim ſanata ſit*. Ita miraculum omnibus notum factum eſt. 17 * 47. *At ipſe 22. Mt. videns eam dixit: Confide, Mt. L filia, fides tua te ſalvam facit*. Depone metum, bono eſto animo, quia credidiſti à me ut à filio Dei ſanari poſſe, ideo ſanata es. Hoc exemplo provocabat Dominus adſtantes Judæos. *Mc. L Vade in pace*. Poſthac ſis læto & tranquillo animo, *Mc. & eſto ſana à plaga tua*. 17. * *Mt. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora*. Scilicet non ampliùs laboravit ſanguinis profluvio.

19 * 49. *L Adhuc illo loquente*, dum hæc diceret, *venit quidam ad principem ſynagogæ* (ut loquitur Marcus : veniunt ad Archiſynagogum, nempe domeſtici ejus) *dicens : quia mortua eſt filia tua*. Matthæus rem compendioſiùs enarrans, ſtatim dixerat mortuam. Mori autem eam non contigit, niſi ea hora, cùm archiſynagogus rogaret Dominum, ut veniret in domum ſuam ; quod domeſticus ille qui renuntiabat mortuam puellam, jam inutile putabat ; ideò ad archiſynagogum dicebat : *Mc. quid ultrà vexas magiſtrum?* neque enim eam quæ mortua eſſet, poſſe ultrà ſanari credebat. 20 * 36. *Jeſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo L patri puellæ : noli timere, crede tantùm*, me tibi ſubvenire poſſe, *& ſalva erit*. Archiſynagogus ex recenti miraculo intelligens quanta eſſet virtus Domini, huic confidebat ; ergo iter ſuum proſecutus eſt Dominus. 21 * 37. *Mc. Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi*, eos teſtes habiturus miraculi à ſe perficiendi.

22 * 23. *Mt. Et cùm veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, & flentes & ejulantes multùm*. Judæi adhibebant tibias in luctu, ut conſtat ex eorum ritibus. Quærunt tractatu de ſabbato cap. 23. n. 4. in Talmude an liceat in ſabbato tibiis canere pro mortuo. *Mortuam uxorem tenetur maritus ſepelire*, inquit Maimonides tractatu *Eſchot* cap. 14. *& lamenta, & luctus ei facere juxta morem omnium regionum. Atque etiam pauperrimus inter Iſraelitas præbebit ei non minùs, quam duas tibias, & lamentatricem : ſi autem dives ſit, fiant omnia ſecundùm ejus dignitatem*. Luculentum eſt eam in rem teſtimonium Joſephi. Scribit ille de ſe ipſo, libro 3. capite 15. de bell. cùm mortuus crederetur, per dies triginta nunquam lamenta ceſſaviſſe, magnaque mercede conductos tibicines nœniarum, qui ſcilicet præcinerent lamentis, & cantibus lugubribus, αὐλητὰς οἱ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς. Hoc uſitatum ab antiquis temporibus; nam Homerus Hectoris cadavere ablato affuiſſe ait ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους. Multus ergo tumultus in domo archiſynagogi, ut ſolebat fieri in funeribus. Pro eo autem quod in Latina verſione eſt *ejulantes*, fons habet ἀλαλάζοντας, quod verbum purè Græcis ſignificat exultando clamorem edere. Verùm Judæis Græcè loquentibus, dicitur etiam de iis qui flentes clamorem edunt ; quaſi deductum ab Hebræo ילל *ejulavit*, unde, אללי *va, hei*. Ejulabant autem ob tibiæ cantum, cui attemperabant ſuas ejulationes, ſive nœnias. Iſta, inquam, Jeſus animadvertens, *Mt. dicebat 39. Mc. illis : Quid turbamini, & ploratis ?* 23 * 34. *Mt. Recedite : non enim mortua puella*, morte perpetua ut creditis, *ſed dormit*. Mors ejus eſt quaſi ſomnus, à quo mox excitabitur. *Mt. 53. L & deridebant eum*, domeſtici *L ſcientes quòd mortua eſſet*.

24 * 25. *Mt. Et cùm ejecta eſſet turba* : omnibus juſſis abire. *Mt. ejectis omnibus* : 51. *L non permiſit intrare ſecum quemquam niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ* in conclave *ubi puella erat jacens*. 25 * 54. *L Ipſe autem tenens manum ejus*, ſicut ſolent facere, qui aliquem è ſomno excitare volunt, *clamavit, dicens : Mc. Talitha cumi*, Syriacum verbum, *quod eſt interpretatum : Puella (tibi dico) ſurge*. Verba illa *tibi dico*, non continentur in vocibus Syriacis. 26 * 55. *L Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò : & juſſit illi dari manducare*, ut appareret non vivam tantùm eſſe, ſed & rectè valentem. 27. * *Mc. Et ambulabat : (erat autem annorum duodecim)* ut jam dictum fuerat ; *& obſtupuerunt ſtupore magno 56. L parentes ejus*. videntes filiam à mortuis excitatam. 28 * 43. *Mc. Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret*. Etenim imperium ſuum in mortem ipſam nolebat hoc tempore evulgari, poſt reſurrectionem ſuam omni mundo publicandum. 29 * 26. *Mt. Et exiit fama hæc tanti miraculi in univerſam terram illam*. Non ideo minus innotuit toti regioni tantum miraculum, etiamſi præcepiſſet ut nemo id ſciret.

CAPUT XXIX.

Duorum cæcorum Jeſus aperit oculos, Dæmonem ejicit. Sanat multos languidos. Populos miſeratur qui non habebant paſtores.

MATTHÆUS, Cap. 9. ℣. 27—38.

27 ET tranſeunte inde Jeſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes,
& dicentes: Miſerere noſtri, fili David.
28 Cùm autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis
Jeſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.
29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis.
30 Et aperti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis Jeſus, dicens:
Videte ne quis ſciat.
31 Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.
32 Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium
habentem.
33 Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, dicentes: numquam apparuit ſic in Iſrael.
34 Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.
35 Et circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella, docens in ſynagogis
eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, &
omnem infirmitatem.
36 Videns autem turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & jacentes
ſicut oves non habentes paſtorem.
37 Tunc dicit Diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci.
38 Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.

HÆc omnia miracula, quæ Dominus edidit, ex quo in urbe Capharnaum ſedem poſuerat, licèt plura & admiranda paucis diebus confecta ſunt. Etenim videtur etiam eadem die ſanatus paralyticus per tegulas demiſſus, vocatus Matthæus, ſanata mulier ſanguiflua, excitata à mortuis puella. Certè aperti ſunt oculi duorum cæcorum, & locutus eſt mutus eodem die poſt revocatam à morte puellam. Sic enim loquitur Matthæus 27. *Et tranſeunte inde Jeſu*, à domo archiſynagogi, *ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili David*. Conſtabat Judæis Meſſiam ex ſtirpe David naſciturum; unde Paulus de Domino dicit, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem. Nunc & à Judæis hodiernis Meſſias appellatur Davidis filius.

28 *Cùm autem veniſſet domum*, nempè ſuam, quam occupabat in Capharnaum, *acceſſerunt ad eum cæci*, qui ſecuti fuerant. *Et dicit eis Jeſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis?* Non dicit, creditis quia poſſum impetrare vobis, ſed quia ipſe poſſum aperire oculos veſtros, ſcilicet me habere auctoritatem vos ſanandi. *Dicunt ei: Utique, Domine*. quem enim pro vero Meſſia habebant, non dubitabant ſumma poteſtate præditum eſſe.

29 *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis*. Si creditis id me poſſe, fiat. 30. *Et aperti ſunt oculi eorum*: Id eſt viderunt. Anteà aperti erant, ſed clauſi eſſe dicebantur, quia non magis videbant, quàm ſi clauſi eſſent. *& comminatus eſt illis Jeſus, dicens: Videte ne quis ſciat*. Præcepit cum comminatione, ut ſolebat, ne illud miraculum vulgarent. 31. *Illi autem exeuntes, diffamaverunt illum*, ſparſerunt famam ejus, *διεφήμισαν αὐτὸν, in tota terra illa*. At illi geſtientes nova felicitate, tantò magis ſparſerunt famam Jeſu per univerſam illam regionem apud omnes, quos habebant priſtinæ cæcitatis teſtes: forſan non conſilio, ut miraculum manifeſtum fieret contra id quod præceperat Dominus; ſed dum ſciſcitantibus familiaribus, & notis verita-

tem

tem aperiunt, res per os multorum celebrata tandem, ut fieri ſolet, hunc exitum habuit.

32 *Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.* à quo forſan mutus efficiebatur. Vox κωφὸς, quæ legitur in fonte, ſurdum quidem ſignificat; ſed & denotat mutum; quatenus qui à nativitate ſurdi ſunt, nunquam potuerint diſcere quomodò formandæ ſint voces. 33. *Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus*, cùm ille nec linguæ eſſet compos, ut ſalutem poſtularet, nec mentis, ut optare poſſet, non ab eo quidquam ſalvator requirit, ſed fidei offerentium intuitu ſanat eum. *& miratæ ſunt turbæ, dicentes: nunquam apparuit ſic in Iſrael.* Aliquid ſupplendum. nunquam apparuit quidquam in Iſraele tam mirabiliter factum. Neque enim tot ſigna tam admirabilia, tam celeriter, neque contactu tantùm, ſed & verbo, & in omni morborum genere, ab ullo antehac edita.

34 *Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.* Rem inficiari non poterant, modum quo facta eſt malitiosè calumniantur. Arte magica; & ope primarii dæmonis hæc operatur, inquiebant. Scilicet eos urebat gloria viri, qui faſces nos illis ſubmittebat, non ſectabatur eos: unde intelligentes non ſibi amicum, pro hoſte habebant, & inſectabantur.

35 *Et circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella.* Ex urbe Capharnaum excurrebat in vicinas civitates, καὶ τὰς κώμας, id eſt vicos. Hanc vocem vulgatus ſæpiùs reddit caſtella, *docens in ſynagogis eorum*, nimirum in diebus ſabbati, dum legebatur ſcriptura: rogatus ab archiſynagogis interpretabatur eam, quæ prælecta fuerat. *& prædicans Evangelium regni.* arripiebat occaſionem promulgare Evangelium regni, declarans inſtare dies regni cœlorum, *& curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*, in confirmationem doctrinæ ſuæ. 36. *Videns autem turbas*, quæ ad eum accedebant, *miſertus eſt eis; quia erant vexati*; ἐκλελυμένοι, diſſoluti, ſicut oves balantes, quæ huc illuc erant. Verbum illud ſæpè denotat languorem; ſed ibi, ut mihi videtur, ſonat idem, quòd *disjuncti*, ut ſequentia oſtendunt; *& jacentes*, ἐῤῥιμμένοι, id eſt diſperſi, diſſipati, disjecti, *ſicut oves non habentes paſtorem*, à quo congregentur; qui curet eas paſtorali animo, gregis commodo ſtudens, non ſuo. Ea occaſione. 37. *Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa*, multi ſunt idonei, qui per Evangelii prædicationem colligantur in horreum Dei, *operarii autem pauci* pro tanta multitudine Meſſis. Jam non liceret dicere hacce ætate operarios eſſe paucos; loquar verbis Gregorii Magni, Hom. 17. in Lucam. *Ecce enim mundus ſacerdotibus plenus eſt. Sed tamen in meſſe Dei rarus valdè invenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus; ſed opus officii non implemus.*

38 *Rogate ergò Dominum meſſis*, nempè Deum, *ut mittat operarios in meſſem ſuam.* His verbis diſponit diſcipulos ſuos, quos modò miſſurus erat prædicare. De qua miſſione agit Matthæus capite ſubſequenti.

CAPUT XXX.

Apoſtolos ſuos Dominus mittit prædicare: maximam his confert poteſtatem & neceſſariis monitis inſtruit.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 10. ℣. 1-42. & cap. 11. ℣. 1.	MARC. Cap. 6. ℣. 7-13.	LUCAS, Cap. 9. ℣. 1-6.
1 L. CONvocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, *Mt.* ut ejicerent eos.	1 Et convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos.	7 Et vocavit duodecim;	1 ✝ Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia,
2 Et ut curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, *Mc.* & cœpit eos mittere binos.	& curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.	& cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.	& ut languores curarent.

✝ *Fer. 5. infra Octav. Pente.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCA.
3 *Mt.* Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus,	2 Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.		
4 Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus,	3 Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus,		
5 Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.	4 Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.		
6 Hos duodecim miſit Jeſus, *L.* prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.	5 Hos duodecim miſit Jeſus,		2 Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.
7 *Mc.* Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs;		8 Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs.	3 Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam,
8 Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.		9 Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.	neque duas tunicas habeatis.
9 Et *Mt.* præcipiens, *Mc.* dicebat eis: *Mt.* In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.	præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.	10 Et dicebat eis:	

MATTHÆUS.

† *Act.* 13. 46. 10 * 6 Sed potiùs ite † ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael.

11 * 7 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.

12 * 8 Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date.

13 * 9 Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris:

14 * 10 Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo:

15 * 11 In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit:

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
16 *L.* Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.	& ibi manete donec exeatis inde.	Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde.	4 Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
17 *Mt.* Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui;	12 Intrantes autem in domum, ſalutate eam dicentes: Pax huic domui;		
18 Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam, ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.	13 Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.		
19 Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate *L* illa, † etiam pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſuprà illos.	14 Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.	11 Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde excutite pulverem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.	5 Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſuprà illos. † *Act. 13. 51.*

MATTHÆUS.

20 * 15 Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

21 * 16 † * Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. † *Luc. 10. 3.* * *Com. Apoſt.*

22 * 17 Cavete autem ab hominibus. † Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos: † *Luc. 12. 11.*

23 * 18 & ad præſides & ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus.

24 * 19 Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

25 * 20 Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

26 * 21 Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient:

27 * 22 Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

28 * 23 Cùm autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis. ¶

29 * 24 † Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. † *Luc. 6. 40. Joan. 13. 16. & 15. 20.*

30 * 25 Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus; & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt: quantò magis domeſticos ejus?

31 * 26 Ne ergo timueritis eos. † * Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur. † *Marc. 4. 22. Luc. 8. 17. 12. 2.* * *Com. Mart. non Pont.*

32 * 27 Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quòd in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

33 * 28 Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.

34 * 29 Nonne duo paſſeres aſſe væneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.

† Act.27.15. 2. Reg.14.11.
35 * 30 † Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.

36 * 31 Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.

† Marc.8.38. Luc.9.26. & 12.8.
37 * 32 † Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt: ¶

38 * 33 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.

** Com. plur. mart.*
39 * 34 * Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.

† Luc.12.51. † Mich.7.6. 2. Tim.3.12.
40 * 35 † Veni enim ſeparare † hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam:

41 * 36 Et inimici hominis, domeſtici ejus.

† Luc.14.26.
42 * 37 † Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.

† Marc.8.34. Luc.9.24. & 14.26. & 23. 33.
43 * 38 † Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

44 * 39 Qui invenit animam ſuam, perdet illam: † & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

45 * 40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.

† Joan 12.25.
46 * 41 Qui † recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.

† Luc.10.16. Joan 13.20. Marc.9.
47 * 42 † Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. ¶

MATTHÆUS, Cap. 11. ℣. 1.

48 * 1 Et factum eſt cùm conſummaſſet Jeſus, præcipiens duodecim Diſcipulis ſuis, tranſiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.

LUCAS.

49 * 6 Egreſſi autem circuibant per caſtella, evangelizantes & curantes ubique.

MARCUS.

50 * 12 Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent.

51 * 13 Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.

Veriſimile eſt ante ante Paſcha quod à baptiſmate Chriſti primum fuit, illum conſtituiſſe, quę ſpectarent Apoſtolorum collegium, his contuliſſe poteſtatem prædicandi Evangelium, & patrandi miracula in confirmationem Evangelii; tùm & neceſſariis monitis eos inſtruxiſſe. In hoc enim Paſchate Jeroſolymam ingreſſus, palàm pro Chriſto ſe geſſit, habens ſuos miniſtros. Ergo Matthæus ibi de miſſione Apoſtolorum convenienter agit, priuſquam enarret quæ ſubſecuta ſunt primum Paſcha. Quidquid ſit ordini quem ille ſequitur adhærentes, ſic ordinamus Harmoniam noſtram, quaſi antequam Hieroſolymam Jeſus petiit, & è Templo vendentes ejecerit, jam conſtituiſſet collegium Apoſtolicum, & ipſi Apoſtoli ſuo munere defungerentur. Antea de completo duodecim Apoſtolorum collegio Matthæus ſermonem facere non potuerat, ſi quidem huic numero ipſe deerat, modò adlectus, pleroſque verò ex ſuis diſcipulis antè elegerat in Apoſtolos; ſed Matthæus antequam vocaretur, non potuit nominare duodecim Apoſtolos: quod tunc temporis facit poſt vocationem ſuam, quando Jeſus miſit eos prædicare populis, quos miſeratus erat veluti oves errantes ſine paſtore: tùnc autem non dicit electos, ſed non anteà omnes enumerare poterat, ſi quidem numerus duodenarius nondum completus.

1 * 1. *L. Convocatis autem duodecim Apoſtolis.*

tis dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia. * 1. *Mt. Ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, Mc. & cœpit eos mittere binos.* Non priùs miſit, quàm eos imbuiſſet præceptis, & doctrina aliis tradenda, quàm eis paucos ante dies in monte tradiderat. Tunc ergo cœpit illos mittere ad prædicandum binos, tum ad plenam teſtimonii fidem, tum ut collata opera ſe mutuò juvarent, væ enim ſoli. Duodenarius autem ille Apoſtolorum numerus non carebat myſterio. Tota reſpublica Hebræorum habens duodecim Phylarchos, ſivè duodecim tribuum, quibus conſtabat, principes, typus erat Eccleſiæ; qui typus impletus eſt, cùm duodecim Apoſtoli conſtituti ſunt principes cætus illius, quem Chriſtus coegit.

3 * 2. *Mt. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus. Simon qui Petrus dicitur & Andreas frater ejus.* Petrus vocatur *primus*, non quia natu maximus erat inter Apoſtolos; nam Andreas ipſo ſenior erat; nec quia primus crediderit, nam ab Andrea adductus eſt ad Jeſum. Igitur quòd dignitate & auctoritate excelluit inter Apoſtolos. Princeps haud dubiè collegii à Chriſto deſignatus, ad retinendam corporis compaginem. Nec offendat quemquam, quòd Gal. cap. 2. ℣. 9. Cephas medius inter Jacobum & Joannem legitur; in manuſcripto enim antiquiſſimo, qui ex Græcia in Angliam devenit, abeſt ibi hocce nomen: Græci poſteriores appoſuere.

4 * 3. *Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus,* ὁ τελώνης. Videlicèt ille publicanus, de quo ſuprà ſermo factus eſt. *Jacobus Alphæi*, nempè filius; qui Minor dictus eſt & ad diſtinctionem alterius qui Zebedæi filius erat. *Et Thaddæus.* In omnibus Græcis codicibus Matthæi legitur καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος. Ex collatione autem Evangeliſtarum iſte Thaddæus ipſe eſt, qui Judas dicebatur. Cauſam ſuprà dedimus, cur Judæ nomen mutaretur in Thaddæum. Idem autem cognominari potuit Λεββαῖος *Lebbæus*, לבי à לב *corde*, quaſi dicas virum cordatum; vel à לביא *leone*; per alluſionem ad vaticinium Jacob, qui de Juda vaticinatus erat eum fore catulum leonis. Alii volunt Judam dictum Lebbæum à Lebba oppido Galilææ, cujus meminit Plinius. Nomen illud *Philippus* Græcum eſt; jamdudum Judæi quandoque Græcis nominibus malebant appellari; ita Jeſus Simonis filius *Jaſonem*, ſe vocari maluit, ſicut alius frater ejus pro Onia *Menelaus* dictus, ut notat Joſephus, lib. 12. cap. 6.

5 * 4. *Simon Cananæus.* Ipſe eſt quem Lucas, cap. 6. ℣. 15. & alibi vocat Ζηλωτὴν, *Zelotem*, Ideò nomen *Cananæus*, derivandum à verbo Hebræo קנא *kana*; id eſt *zelo affectus eſt*. Alii putant nomen eſſe gentile, ſive patrium à Cana urbe Galilææ. *Et Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.* Aliis Iſcariotes videtur ſonare vir de vico carioth. Aliis *cinctorium coriaceum*, ut ſic appellatus ſit, quia haberet loculos, qui olim in cinctoriis conſuti erant. Alii denique vocem *Iſcariot*, derivant à voce Syriaca, quæ *anginam* ſignificat; ut Judas ille ſic dictus ſit, quòd perierit à ſtrangulatione. Duodecim Apoſtoli ſic recenſentur, ut duo ſimul conjungantur, quia Jeſus eos binos mittebat. 6 * 5. *Hos duodecim miſit Jeſus L. prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.* Ut ſermonem eorum ſigna ſequentia confirmarent.

7 * 8. *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs.* monitis inſtruens Apoſtolos Dominus exorditur à magna in Deum fiducia. Admonet de nulla re eos ſollicitos eſſe oportere, ut etiamſi virga eis tantùm ſuppeteret; neque peram, neque panem, neque pecuniam haberent, viam tamen illicò ingrederentur. Olim negotiandi cauſa æs, ſive aurum, ſive argentum in zonis habebant. Suetonius in Vitellio, cap. 16. ſcribit hunc imperatorem, *dilabentibus cunctis zona ſe aureorum plena circumdediſſe, & in cellulam janitoris confugiſſe.* Juxta Lucam etiam præcipit Dominus, ut neque de virga ſolliciti eſſent Apoſtoli, ſicut nec de pera, id eſt ſacco viatorio, in quo portarent cibaria, nec de marſupio ex zona pendente ad coemendos pecunia cibos, quaſi diffiderent Dei providentiæ. Non ideò tamen diſſentit Lucas à Marco, etenim uterque innuit non aliud propoſitum fuiſſe Domino, quàm ex animis diſcipulorum amovere anxiam ſollicitudinem; quæ obſtare poterat, quominùs ad prædicandum itineri ſe committerent. Etenim non interdicitur uſus rerum neceſſariarum, quæ facili negotio parantur. Ipſe Dominus loculos habuit. Itaque verborum Domini in Marco & Luca non diverſa eſt ſignificatio. Juxta Marcum præcipitur ut Apoſtoli ſint in habitu pauperum; quibus una virga & ſoleæ, & veſtis qua induuntur, ſunt pro omnibus ſarcinulis. Juxta Lucam Dominus removet omnem anxietatem, cùm & Dominus dicere potuerit, etiam ſi vobis illa non ſuppeterent quibus non carent pauperrimi, attamen ingredimini iter ad prædicandum.

8 * 9. *Sed calceatos Sandalis*, ſupple viam carpere, *& ne induerentur duabus tunicis*; ut eſſent magis expediti ad prædicandum. Calceatos ſandalis vult, uti tunc fiebat in itinere; domi enim ſæpiùs nudis pedibus erant. Non permittit duas tunicas; hoc eſt alteram præter illam, qua induerentur; nempè mutatoriam, quæ oneri eſſet.

9 * 10. *Mt. Et Mt. præcipiens, Mc. dicebat eis: Mt. in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Ju-

dæi præponendi erant tum Gentilibus, tum Samaritanis: nec Gentes verbo Dei percipiendo erant idoneæ, niſi quatenus primùm quaſi præparatæ judaiſmi cognitione. Etenim mittebantur Apoſtoli ad prædicandum novum regnum cœlorum, hoc eſt ad ſignificandum impletas illas promiſſiones de Servatore, factas à rerum initio Judæorum Patriarchis: de his promiſſionibus niſi Judæorum commercio & teſtimonio conſtare non poterat gentibus; ideò providerat Deus, ut toto orbe diſſeminarentur Judæi; Joſepho enim, Philoni & exoticis etiam ſcriptoribus ſi habemus fidem, vix ullus vicus erat in quo non reperirentur Judæi. Cùm ergo creber inter illos ſermo de Meſſia, quem avidè expectarent, ut de illo fama manaret ad Gentes fieri poterat. Ita Evangelium per Judæos aliquo modo debebat ad Gentes pervenire. Samaritani quidem expectabant Meſſiam; ſed præterquam ipſi defeciſſent à vera religione, quam Moyſe mediatore inſtituerat Deus; ſi Apoſtoli res habuiſſent cum illis, eo nomine ſibi conciliaſſent odium Judæorum. Igitur Jeſus prohibet ne in civitates Samaritanorum, Græcus codex habet *ἐν πόλει*, id eſt in nullam civitatem intrarent. Attamen licuit illis tranſire per Samaritanorum agrum, qui tranſitus erat opportunus è Galilæa Hieroſolymam petentibus.

10 ✱ 6. *Mt. Sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael.* His enim promiſerat Deus ſervatorem; cui promiſſioni ut plena conſtaret fides, debuit Chriſtus primùm Judææ illucere, ideò dicebat Paulus in Actor. cap. 13. ℣. 46. alloquens Judæos: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad Gentes.* Perierant oves domus Iſrael aberratione, & ſeductione malorum paſtorum; de quo vidimus ſuperiori capite Jeſum querentem. Non ſoli autem Iſraelitæ, ſed, ut ait Tertullianus, totus homo perierat.

11 ✱ 7. *Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnum cœlorum.* Ipſiſſima ſunt verba Joannis præcurſoris, quibus exorſus eſt promulgationem novi regni. Quaſi dicat Dominus, Ite & annuntiate inſtare regnum Meſſiæ expectati; quæ verba ſatis indicant hanc primam miſſionem Apoſtolorum factam initio annuntiati Evangelii. Quod diligens lector perpendat, ut certus ſit Matthæum veram actuum & ſermonum Domini ſeriem neutiquam interpellare; quod facere videntur Marcus & Lucas, qui de iſta miſſione ſeriùs loquuntur.

12 ✱ 8. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite.* Nullum mortuum ab Apoſtolis vitæ redditum legimus ante Chriſti reſurrectionem; unde illud, *mortuos ſuſcitate*, ſunt qui additum putant. Abeſt à vetuſtiſſimis exemplaribus, nec Græci interpretes agnoſcunt. Hieronymus quoque in commentariis, cùm reliqua enumeret, hujus non meminit. *Ne hominibus*, inquit, *ruſticanis, & abſque eloquii venuſtate, indoctis, & illiteratis nemo crederet pollicentibus regna cœlorum: dat poteſtatem infirmos curare, leproſos mundare, dæmones ejicere, ut magnitudinem promiſſorum probet magnitudo ſignorum.* Poteſtatem autem illam *gratis accepiſtis*; eandem eadem faciendi, nempè ægros ſanandi *gratis date*, vel pro ſanatis ægris nullam pecuniam exigite. Ne vel minima gloriæ quæſtuſve ſuſpicione contaminetis Evangelicum munus. Ita demum vos verè magnos judicabunt homines, ſi conſpexerint tanta poteſtate præditos, nec intumeſcere faſtu, nec tangi cupiditate lucri, eaque fortiter contemnere, pro quibus vulgus hominum nihil non facit, & patitur. Joſephus, lib. 10. cap. 12. laudans Danielem, quòd Baltaſaris munera recuſaverit addit *τὸ γὸ σοφὸν, ἢ τὸ θεῖον ἀδωροδόκητον εἶναι, ἢ προῖκα τὰς δεομένας ὠφελεῖν.* Dona Dei non poſſunt æſtimari auro, nec argento. Ideò Elizæus nihil omninò accipere voluit à Satrapa Syro, ne apud hominem externum vileſceret accepti beneficii gratia. Nulla res Dei pretio conſtat, ut loquitur Tertullianus.

13 ✱ 9. *Nolite poſſidere*, *μὴ κτήσησθε*, ne comparetis *aurum, neque argentum, neque pecuniam*, *χαλκὸν*, æs, id eſt nullam ſpeciem pecuniæ, nec aureos, nec argenteos, nec æreos nummos ſtudeatis habere *in zonis veſtris*. Non vos poſſideat divitiarum cupiditas; nec de illis ſolliciti ſitis, ita ut nec de parando viatico cura vos teneat. 14 ✱ 10. *Non peram in via*, id eſt ſaccum viatorium, *neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Hoc eſt etiamſi hæc non ſuppeterent, non ideò minus vos itineri carpendo accingite cum plena fiducia. Marcus dixit calceatos ſandaliis iter facere potuiſſe Apoſtolos; hoc ergo, quod hic dicitur à Matthæo nec decuiſſe eos calceamenta, ſic ſolvunt. Marcus, inquiunt, permittit habere *σανδάλια*, *ſandalia*, nempè ſoleas, quæ plantam pedum duntaxat ſubtegebant; Matthæus verò *ὑποδήματα*, calceamenta prohibet quæ totum pedem tegebant. Juxta alios curam tantùm prohibet Dominus; quia illa ideò poteanda cogitantur, ne deſint. Sciebat Dominus negotium quæſtuoſum eſſe, quod diſcipulis ſuis mandabat. Unde querebatur Hieronymus nonnullos eſſe ditiores clericos, quàm fuerant ſæculares, qui poſſiderent opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete, & fallace diabolo non habuerant: ut ſuſpiret eos eccleſia divites, quos mundus tenuit antè mendicos. Ne id contingeret, admonebat ſuos diſcipulos Dominus, ut ſcilicet nullis onuſti ſarcinis, nulla ſollicitudine obſtricti, toti vacarent delegatæ functioni. Sunt qui interpretantur hunc-

ce

te locum de conſuetudine viatorum qui præter tunicam qua veſtiuntur, plures ſoleas, pluresque baculos ponere ſolebant in ſarcinulis in futurum conſulentes. Lucas habet *ῥάβδον*, *virgam*, qua lectione confirmatur iſta interpretatio.

Subjungit Dominus id quo omnis ſolicitudo adimi poterat: *dignus enim eſt operarius cibo ſuo*. Prolepſis eſt, ſive occupatio, ut loquuntur rethores. Scilicet cùm cogitare poſſent Apoſtoli: unde ergo nobis cibus ſine pecunia? ſi hæc omnia deficient, quomodo cœptum iter perficere poterimus? reſpondet Dominus, ego procurabo, ut cibum, & ea quæ neceſſaria ſunt vobis, præbeant auditores; nam ſcio operarium dignum eſſe cibo ſuo. Id poſteà experti ſunt; unde & dicebat ad illos in die paſſionis. Luc. cap. 22. ℣. 35. *quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliud defuit vobis?*

15 * 11. *In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum*, vicum, *intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit* vobis hoſpitibus, pius & timens Deum, avidus regni cœleſtis, cui mundus hic tædio ſit, qui piis querimoniis ſubinde ſuſpiret promiſſum Meſſiam, qui ſimplicitate motum, qui beneficentia in pauperes majoris etiam profectus ſpem de ſe præbeat, is enim futurus eſt vobis idoneus hoſpes, & vos viciſſim hoſpites gratiſſimi. Hujuſmodi cùm repertus erit, in ejus ædes divertite, non mutantes hoſpitium, donec Euangelii negotium non hortabitur vos in aliam demigrare civitatem. 16 * 4. *L. & in quamcumque domum intraveritis, ibi manete*. Quemcumque primùm in vico, aut urbe aliqua dignum inveneritis Euangelica gratia, ſi is vobis hoſpitium offerat, & in domum ſuam recipiat, illic manete, *& inde ne exeatis*; vel ut habet Marcus, *illic manete donec exeatis inde*, ex hoc videlicet vico, vel urbe. Nolite ſubinde mutare hoſpitia, quaſi vel leves ſitis, vel appetentes lautioris menſæ.

17 * 12. *Mt. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes*, nempe dicite: *pax huic domui*, quæ ſalutatio Hebræis uſitata. Verba iſta *dicentes, pax huic domui*, videntur tranſlata in codicem Latinum Matthæi ex Luca. Græcus codex vulgatis hoc additamento caret. 18 * 13. *Et ſi quidem fuerit domus illa*, *ἀξία*, id eſt familia *digna*, *veniet pax veſtra ſuper eam*. *ἐλθέτω*, id eſt veniat, particeps ſit pacis, quam illi fuiſtis precati. Helleniſtæ Hebræorum imitatu hac pacis voce appellant quidquid in bonorum cenſu habetur, quidquid expeti, atque optari ſolet. *Si autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. ἐπιστραφήτω, revertatur*. Id eſt, ſi domus iſta averſabitur, nihil vobis peribit de ſalutatione veſtra, quod enim aſpernabuntur iſti, redibit ad vos: atque adeo nolim vos eſſe cuiquam ſupplices, aut adulantes ob res neceſſarias.

19 * 14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate L. illa, etiam pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos*. Hoc ſigno oſtendite, quòd nihil cum illis commune habere vultis, nec pulverem, quem cum illis communem calceis veſtris attrivistis, hoc, inquam, ſymbolo teſtatum faciatis culpam exitii in ipſos recidere, vos verò puros, ut excuſſum pulverem à veſtrà veſte in illos rejicitis. Judæi putabant pulverem terræ Ethnicæ inquinare, quia, ut dicitur in gloſſa Talmudis, dubitari poteſt annon fuerit de ſepulchro mortui, ſenſus ergo Chriſti eſſet: ſit terra illa vobis, quaſi ethnica, ſive terra prophana. 20 * 15. *Mt. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati*. Atrocius ſupplicium ſubibit: habuerunt enim Sodomi monitorem Lothum, ſed non tanta afferentem promiſſa, non tantis miraculis ſpectabilem.

21 * 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Quaſi dicat: non ab omnibus admittemini intra ædes ſuas; quinimò experiemini hoſtes, ad quos accederis beneficia collaturi. Vos itaque mitto ad homines quorum plerique ferina rabie in vos ut lupi in oves, ferentur. Sed adverſus horum injurias volo vos inermes eſſe, adinſtar ovium quæ patientes ſunt injuriarum. Admonet autem Dominus Apoſtolos ne fruſtrà in pericula incurrant, aut anſam præbeant calumniandi doctrinam Evangelicam quæ excitatura erat magnos in orbe tumultus; quo magis cavendum erat Apoſtolis, ne quid mali culpa eorum ortum videri poſſet.

Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cùm vos oves eſſe jubeo, nolo vos eſſe ſocordes, & periculorum improvidos. Eſtote circumſpecti in declinandis inſidiis, ut ſerpentes qui fugiunt, & abdunt ſe citiſſimè, & flectendo corpus vitant ſibi noxia. In Geneſi dicitur ſerpens callidior omnibus animantibus. Simul veſtra vita inculpata ſit, *ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de vobis*, ut ait Paulus Tito ſcribens cap. 2. ℣. 8. Nimirum hortatur Dominus ſuos diſcipulos, ut ſint *ἀκέραιοι*, id eſt *puri*, ſine fuco, ut columbæ quarum in pennis nulla immundities. Hujus loci ſenſum aperit Paulus, ad Phippenſes, cap. 2. ℣. 15. *ut ſitis ſine querela, & ſimpliciter filii Dei ſine reprehenſione*. Græca clariora ſunt, *ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι, καὶ ἀκέραιοι, τέκνα Θεοῦ ἀμώμητα*. Id eſt ut ſitis inculpati, & puri, Dei filii inculpati.

Plerique habent columbam pro ſymbolo patientiæ, & manſuetudinis, quia, ut putant, felle caret. Verùm rem experti non ita ſentiunt; columba enim fel habet, ſed ut in plerisque avibus, ciſta fellis inteſtinis ejus adhæret. Nulla autem

alia

alia avis mundior eſt ; unde decor juſtorum comparatur pennis ejus. Senſus Domini ; ut iterum dicam, eſt eos qui præſunt, prudentes eſſe debere in declinandis inſidiis, ſimul vitæ etiam mundioris quàm eſt amœna columba.

22 * 17. *Cavete autem ab hominibus* illis, ad quos vos mitto, nempè à Judæis. Jam nunc animus adverſus omne malorum genus præparandus, ne vos conturbent cùm inciderint. *Tradent enim vos in conciliis*, εἰς τὰ συνέδρια, in ſua ſcilicet ſynedria deducent vos ; ut deductos fuiſſe legimus in Actis. Præter ſummum Jeroſolymis ſynedrium, minora, & plura conſtituta erant in Judæa ſynedria. Joſephus de bello Jud. lib. 1. cap. 6. narrat Gabinium Syriæ proconſulem additis quatuor ſynederiis gentem Judaicam in quinque partes diſtribuiſſe, quarum una Jeroſolymis egit, altera Gadaris, tertia Amathunte, quarta Hierichunte, quinta Sephoris Galilææ. *Et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos*. Grotius & alii pleriſque non volunt intelligendas eſſe ibi proſeuchas, ſive oratoria in quibus orarent Judæi, ſed publicos conventus, congregationem Judæorum πλῆθος συναγωγῆς, ut loquuntur Septuaginta ; ſed illi ſic denotant cœtus Iſraelitarum, qui convenirent ad feſta ſolemnia, & non aliquem judicum conſeſſum. Si quidem verò in ipſo ſynedrii loco adſtantibus judicibus etiam flagris cæderentur, qui addicti erant huic ſupplicio, ut conſtat ex Talmude ; potuit & id ſupplicii ſumi in ſynagogis.

23 * 18. *Et ad præſides*, nempe provinciarum, qualis Pilatus, qualis Feſtus ad quem ductus Paulus, *& ad reges*, ad imperatores ; vinctus idem Paulus perductus eſt Romam ad Cæſarem. *Et ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus*, ut illis de me teſtimonium conſtanter, fortiterque patiendo præbeatis ; intelligent enim non eſſe rem vanam, pro qua vos mori paratos viderint ; & ſimul teſtatum ſit perveniſſe ad eos Euangelium.

23 * 19. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare*, μὴ μεριμνήσητε, ne ſitis anxii, ſolliciti, *quomodò, aut quid loquamini : dabitur enim*, id eſt ſuggeretur, *vobis in illa hora quid loquamini*. 25 * 20 *Non enim vos eſtis qui loquimini*, nempe ex vobis ipſis, *ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Ut cibus vobis citra ſollicitudinem veſtram ubique ſuppetet, ita & ſuppeditabitur oratio. Non eſt humanum negotium quod geritis, ſed divinum, cujus vos non auctores eſtis, ſed organa. Etenim non tam vos, quàm per vos Spiritus ſanctus loquitur. Præſentia pro futuris poſita ſunt. non vos, inquit, loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, quem vobis mittam ; is erit qui loquetur per vos. Ne conſternarentur tantis periculis, magnum illis auxilium promittit, non angelos, ſed ipſum Dei ſpiritum, quo nihil majus promitti potuit. hujus igitur præſidio fretos non decebat ulli malorum procellis commoveri. has procellas non diſſimulat Dominus.

26 * 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium : & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient*. Scilicet tantis tumultibus mundus inſurget adverſus doctrinam meam, ut frater oblitus germanæ charitatis fratrem adacturus ſit in mortem : ut pater oblitus pietatis naturalis filium accerſat capitis ; ut filius abjecta omni reverentia inſurgat in patrem, ac matrem, eoſque morte afficiat, à quibus initium vitæ ſumpſerat. Hoc vaticinium exitu comprobatum eſt. 27 * 22. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum*. Omnibus inviſi reddemini propter nomen meum. Non feret enim hic mundus ambitione, ſuperbia, avaritia, libidine, cæteriſque cupiditatibus undique corruptiſſimus doctrinam cæleſtem adverſantem ſtudiis ipſius. Tunc temporis atrocius crimen erit eſſe chriſtianum, quàm parricidam, aut veneficum. Ob nomen chriſtiani damnati ſunt. *Quid ? quòd ita plerique clauſis oculis in odium ejus* nominis, *impingunt, ut bonum alicui teſtimonium tenentes, admiſceant nominis exprobrationem ; bonus vir Cajus Sejus, tantùm quòd chriſtianus ;* ait Tertullianus in Apologetico, cap. 3. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. quaſi dicat : durate ; multi enim ob difficultatem deſpondebunt animum, ita præmio excident. Notum elegans dictum D. Bernardi, *omnes virtutes pugnant, ſola perſeverantia coronatur*.

28 * 23. *Cùm autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*. Ut vobis non eſt provocanda malorum ſævitia, nec accerſenda perſecutio ; ita & fuga declinare periculum vobis licet, ut hac occaſione latius ſpargatur rumor Euangelicæ doctrinæ. His Domini verbis ſancti Patres impugnaverunt Tertullianum, qui omnem fugam damnabat, tanquam à Chriſto apoſtaſiam. Fugiendo enim non negat Chriſtum, qui ideò fugit ne neget, ut ait Chryſoſtomus. Ergo fugere licet, maximè cùm ſine fidei macula, & cum ejuſdem utilitate fuga iniri poteſt. fugere perſecutionem non eſt culpa fugientis, ſed perſequentis. *Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat filius hominis*. Id eſt non pertranſibitis ad finem uſque omnes urbes, in quibus Iſraelitæ habitant ; ita ut nulla alia ſuperfutura ſit in quam fugere poſſitis, ſic ex una in aliam civitatem fugientes. Reponere enim poterant Apoſtoli, ſi ex omni loco ejiciendi ; qua terra poterimus conſiſtere ? hæc occupat Dominus, & dicit ſemper aliquem locum fore in Judæa, in quem confugiant, donec adveniat dies, in qua filius hominis, id eſt ipſe, eſſet mundum judicaturus. Vel ibi adventus filiis hominis intelli-

gitur

Digitized by Google

gitur patefactio adventus ejus poſt reſurrectionem & delapſum Spiritus ſancti, quo tempore demonſtratum eſt verè Meſſiam adveniſſe. Sunt etiam qui verba Chriſti ſic interpretantur, quaſi diceret diſcipulis: non finem feceritis prædicandi in civitatibus Iſrael cùm ego vos ſubſequar, veniam ego, ut una in Evangelii prædicatione collaboremus.

29 * 24. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.* Non ergo mirum vidcaiur tot tantaque vobis ſubeunda mala eſſe, quæ prænuntio. Hæc enim omnia vel hoc nomine vobis debent tolerabiliora videri, quòd me videbitis nullum non probri, & afflictionis genus eſſe perpeſſurum; nec enim decet æquiorem eſſe conditionem diſcipuli, & ſervi, quam magiſtri. 39 * 25. *Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervo ſicut dominus ejus.* Quæ patienter à domino fertur conditio, eam ſubire ſervi recuſare non poſſunt. *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt; quantò magis domeſticos ejus?* Si me patrem familias tam indignis contumeliis affecerunt, ut ſpurciſſimo convicio Beelzebub appellarint, & filio Dei nomen impoſuerint impuriſſimi dæmonis: quid mirum ſi idem audebunt in ſervos familiæ? hoc abundè ſatis eſt diſcipulo, ſi magiſtro ſuo æquetur: hoc debet ſufficere ſervo, ſi contingant paria cum domino.

31 * 26. *Ne ergo timueritis eos.* Omnia injuriarum, & contumeliarum genera nihil vos terreant, gloriæ potiùs loco amplectentes, ſi Domino vel paſſionum conditionibus adæquemini. Propter convicia & perſecutiones à prædicatione non deſiſtite, cùm nec prævalituri ſint adverſarii; his enim licèt frementibus Evangelium per totum orbem prædicabitur. *Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur.* Quod enim nunc ignotum eſt Evangelium, poſtea fiet apertum. 32 * 27. *Quod dico vobis in tenebris* clàm, *dicite in lumine*, id eſt palma. *Et quod in aure auditis*, in privato congreſſu, ut omnibus tunc temporis non innoteſcat, *prædicate ſuper tecta* in ſolariis, id eſt in ædium tectis, quæ in Judæa plana erant, nempe publicè (ut ſolent præcones de locis editis, ut à pluribus audiantur) annuntiate Evangelium; nec deterreamini minis & ſuppliciis. Potuit Dominus alludere ad mores ſui temporis: Doctor qui auditoribus aliquid traditionale prælegebat, & exponebat; non quidem clara voce rem efferebat, ſed leni ſuſurro, Hebraicè, in aurem interpretis muſſitabat, qui deinde id ſonorè ſermone vernaculo enuntiabat populo.

33 * 28. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere;* quæ cùm incorporea ſit & immortalis ferro attingi non poteſt. *Sed potiùs timete eum* nempe Deum, *qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam*, ſuppliciis addicere tum corpus, tum animam. Hoc unum time, ajebat Gregorius Nazianzenus, ne quidquam magis, quam Deum timeas. *Facilis eſt membrorum jactura*, ajunt Macchabæi apud Joſephum, *cùm ſciamus pios æterna ſalutis præmia accepturos.* Præterea ſignificat Chriſtus Diſcipulis quòd ſibi curæ ſint.

34 * 29. *Nonne duo paſſeres aſſe*, vili nummo, *væneunt? & tamen unus ex illis*, id eſt nullus *non cadet ſuper terram ſine patre veſtro*, non interveniente voluntate ejus. *Si* ergo Dei providentia ad vilia animalcula ſe extendat, nec vos negliget Deus, quin imò. 35 * 30. *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.* Vos eſtis in pretio Deo, qui & capillos veſtros numeravit, nempe curam habet rerum omnium, quæ vos ſpectant; locutio eſt proverbialis, qua uſus David dicebat 2. Reg. cap. 14. ℣. 11. mulieri Thecuitæ: *non cadet de capillis filii tui ſuper terram*, pro nihil mali illi continget, quæ locutio etiam occurrit 1. Reg. cap. 14. ℣. 45. 36 * 31. *Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores*, pretioſiores *eſtis vos* coram Deo.

37 * 32. *Omnis ergo qui* his excitatus promiſſis *confitebitur me* eſſe filium Dei, Meſſiam. *coram hominibus*, illis hoſtibus meis, *confitebor & ego eum*, pro meo agnoſcam *coram patre meo, qui in cælis eſt.* 38 * 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt.* Admonet ſuos Dominus illam confeſſionem, moleſtam fore, nec rem facilem eſſe Evangelii profeſſionem. Etenim, ait Dominus. 39 * 34. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.* Nimirum an putatis quòd venerim, ut in terris feram pacem inter homines? longè ſecus habet. Imò non veni, ut feram pacem, & concordiam, ſed gladium & bellum etiam inteſtinum ac domeſticum. Cùm enim Evangelica doctrina pleriſque futura inviſa ſit, & hæc tam ardens ſui deſiderium requirat, ut oporteat omnes humanos affectus quantumvis impotentes cedere; fieri non poteſt, quin magna diſſidia inter conjunctiſſimos etiam exoriantur: dum & hi qui mundum deamant, citiùs ſævient in ſibi chariſſimos, quàm vitia quibus aſſueverunt, relinquant: & quos ſemel attigit ardor Evangelicæ charitatis, nullis affectibus ſe patientur avelli ab eo, quod cœperunt amplecti. Verbis Eraſmi hic utor, quæ facem præferunt his quæ ſequuntur. 40 * 35. *Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam.* Hic enim repudiat Evangelium, ille amplectitur, unde diſſidia neceſſariò exoriuntur. 41 * 36. *Et inimici hominis domeſtici ejus.* Qui olim fuerant intimi, conjunctiſſimique, fient inimiciſſimi.

Omnia

Digitized by Google

Omnia naturæ jura pro nihilo ducentur. In proprios filios ſævierunt parentes odio chriſtianæ religionis.

Hæc denuntiat Dominus, ne parentum metu quis deterreretur à Chriſtiana fide. 24 * 37. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus; & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus*. Non aptus eſt meæ diſciplinæ, quæ certò excitabit diſſidia, ut dixi, inter parentes. Durum quidem eſt hujuſmodi affectus vincere, quos natura nobis penitus inſevit; ſed tales requirit Evangelii profeſſio fortes ac maſculos; quique nullis affectibus dimoveantur à cœleſti negotio. Impia pietas eſt ſic indulgere parentibus hominibus, ut Deum parentem offendas; nec iraſci debet pater in filium qui Deum ſolum illi præfert.

43 * 38. *Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me*. Prædicat omnia dura futura, ut propter delicias nemo eum ſequeretur. Quaſi dicat qui ſubeundis afflictionibus non paratus eſt meo exemplo, *non eſt me dignus*. non eſt idoneus Evangelio, quod vitam æternam parit in cœlo, & multas in hoc ſæculo ærumnas. 44 * 39. *Qui invenit animam ſuam, perdet illam.* Nempè qui veri abnegatione periculum mortis effugiet, vitam ipſam quàm diligit, perdet æterno exitio. *Et qui perdiderit animam ſuam*, id eſt vitam, vel qui patietur interfici *propter me, inveniet eam*. recuperabit quam amiſit; vel ſe ipſum ſervabit à morte æterna. Hiſce verbis demonſtrat Dominus quemadmodum præpoſterus amor parentis, aut filii, odium eſt verius, quàm amor, cùm utrique ſit noxius: ita præpoſteram curam ſervandæ vitæ, verum eſſe vitæ exitium. Servavit vitam qui benè perdidit, perdidit qui malè ſervavit. Qui deſerto Evangelio effugit crucem, cùm videatur hominibus lucri feciſſe vitam, verè jacturam vitæ facit, brevem in corpore moram impietate depaciſcens. *Si male te amaveris*, inquit Auguſtinus, *tunc odiſti; ſi benè oderis, tunc amaſti*. Tertullianus ſolans martyres qui deliciis ſæculi carebant, ajebat cap. 2. *Etſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere ut majora lucreris*.

Iterùm ſignificat Dominus ſuis Apoſtolis, quantùm ſibi cari ſint, ut hac ærumnarum quas experturi erant, denuntiatione non perverterentur. 45 * 40. *Qui recipit vos, me recipit*, id eſt tantumdem facit, ac ſi me reciperet. *Et qui me recipit, recipit eum, qui me miſit*. 46 * 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ*; id eſt, quia propheta eſt; ſicut apud Marcum, cap. 9. ℣. 40. Jeſus dicit, ſi quis vobis potum dederit in nomine meo, quia Chriſti eſtis, *mercedem* deſtinatam *prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*. nimirum factus & ipſe juſtus percepta doctrina Evangelii ab eo, quem excepit domo ſua. Feliciter autem commutavit qui communicavit hoſpitium, & lucrifecit innoceniiam; à quo lucro nec fortunæ tenuitas quemquam arceat; hic enim affectus dantis æſtimatur in ratione præmii, non doni pretium. 47 * 42. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. quis autem uſque adeò tenuis eſt, ut non poſſit ſitienti porrigere aquam frigidam?

48. * cap. 11. * 1. *Mt. Et factum eſt cùm conſummaſſet*, impleviſſet hos ſermones, *Jeſus præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum*, qui conveniebant eum. 49. * 6. *L. Egreſſi autem* diſcipuli quos miſerat, *circuibant per caſtella, evangelizantes, & curantes ubique* omne morborum genus. 50 * 12. *Mc. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent*. 51 * 13. *Et dæmonia multa ejiciebant*, quam poteſtatem dederat eis Dominus. *& ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Ex more antiquo Hebræorum, qui præter manuum impoſitionem ſolebant precibus adjungere unctionem olei in ſpem impetrandi à Deo leniminis, & gaudii, quod per oleum ſignificatur. Unctio verò ab Apoſtolis facta efficax erat.

CAPUT XXXI.

Deſignat Dominus ſeptuaginta duos Diſcipulos.

LUCAS Cap. 10. ℣. 1—12.

Feſtum SS. Lucæ & Mar.

1 POſt hæc autem * deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos: &
miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum,
quò erat ipſe venturus.

† Mat. 9. 37.

2 Et dicebat illis: † Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate
ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.

3 It

3 Ite: † Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.
4 † Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, † & *† Mat. 10. 10.*
neminem per viam ſalutaveritis. *† Marc. 6. 8.*
5 In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui: *† 4. Reg. 4. 29.*
6 Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin au-
tem, ad vos revertetur.
7 In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos
ſunt: † dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de do- *† Mat. 10. 10.*
mo in domum. *Deut. 24. 14.*
8 Et in quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, man- *1. Tim. 5. 18.*
ducate quæ apponuntur vobis:
9 Et curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquavit
in vos regnum Dei. ¶
10 In quacumque autem civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos,
exeuntes in plateas ejus, dicite:
11 † Etiam pulverem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus *† Act. 13. 51.*
in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquavit regnum Dei.
12 Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi civitati.

CUm B. Lucas non ubique pariter ſequax ſit ordinis, quo ipſe Dominus actus ſuos digeſſit, hos & illos actus ſeriùs, aut ociùs factos ſcire non poſſumus ex eo ſolo, quòd priùs, aut poſteriùs enarrentur ab hocce Evangeliſta. Quæ cùm ita ſint, non ideò verbi cauſa poſt transfigurationem ſeptuaginta duos diſcipulos delectos eſſe ſtatuendum, quia huic ſubjecta ſit iſta electio ſuo loco evincemus Jeſum transfiguratum fuiſſe non multo tempore ante paſſionem ſuam. Conjicimus ergo iiſdem ferè diebus, quibus Apoſtolos miſerat prædicatum, ſimul & deſignaſſe diſcipulos, ut ſuam eccleſiam protinus conſtitueret. Etenim Jeroſolymam aſcenſurus erat in proximo Paſchate, in quo palam cum poteſtate exercuit Chriſti munus corrigens verbis, & flagellis puniens, qui Templum domum patris ſui polluerent. Decebat ergo eum jam ſuos miniſtros ſe habere, ne vir privatus, & unus è multis videretur.

1 *Poſt hæc autem deſignavit*, ἀνέδειξεν, elegit, definivit, conſtituit *Dominus* e numero diſcipulorum ſuorum *& alios ſeptuaginta duos*: ſcilicet quomodò Apoſtolos ad exemplum duodecim Patriarcharum jam elegerat; ita & hos ad exemplum ſeptuaginta virorum magni ſynedrii elegit. Hic ſeptuagenarius numerus videtur Judæis venerabilis fuiſſe ob totidem capita familiæ Jacobi, quæ in Ægyptum olim venerant. Aben Ezra ſcribit Moyſem accepiſſe ſex viros ſapientes ex unaquaque Tribu, ita ut primum ſeptuaginta duo judices adlecti ſint; cùm autem præcepiſſet Deus de LXX. tantùm ſapientibus eligendis, duos poſteà ſepoſitos fuiſſe. Certum eſt ſynedrium magnum conſtitiſſe LXX. viris, & uno principe.

Ita Dominus in nova ſua republica voluit collegium ſeptuaginta ſapientum inſtituere. Latinus quidem codex numerat ſeptuaginta duo diſcipulos ſive totidem viros, qui nomine diſcipulorum inſignirentur. Verùm hodie Græcus codex habet tantummodò ἑβδομήκοντα, LXX. quæ lectio Græcis codicibus ferè omnibus, & Syri interpretatione probatur. Hanc & probant complura teſtimonia veterum etiam Patrum Latinorum; ſed & ſunt Latini codices qui favent lectioni vulgatæ; & nonnulla antiquorum teſtimonia. *Et miſit illos binos ἀνὰ δύο*; duos conjungens ad opem mutuam, & in majoris teſtimonii fidem; ſimul etiam ut ſibi invicem eſſent laudabilis vitæ teſtes, & cuſtodes. Magna enim pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Omnia mala ſolitudo perſuadet, ajebat Seneca. Miſit, inquam, Dominus diſcipulos: *ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipſe venturus*: ut populos ſanationum beneficiis delinirent, & prædicatione Evangelii pararent ad Chriſtum excipiendum.

2. *Et dicebat illis: meſſis quidem multa, operarii autem pauci*. Reddere videtur cauſam, quare auxiſſet numerum prædicatorum. *Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam*. Eadem dixerat deſignaturus Apoſtolos; nec dubito tunc & patrem rogaſſe pro diſcipulis, quos mittebat. 3. *Ite: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*. Diſcipulos illos cum iiſdem monitis, quibus inſtruxerat Apoſtolos dimittit. Innuit quas paſſuri erant difficultates. 4. *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta*. De victu ne ſitis ſolliciti, expediti ite ad negotium Evangelicum ſine impedimentis, *& neminem per viam ſalutaveritis*,

ne

ne iſta ſalutario moram feſtinantibus afferat. Sic Eliſæus mittens Giezi 4. Reg. cap. 4. ℣. 29 & præcipiens ut properaret, dicebat: *ſi occurreris tibi homo, non ſalutes eum*. Judæi manè euntes in ſynagogam neminem in via ſalutabant. *In Sebet Juda*, ſive hiſtoria Judaica dicitur fuiſſe inſtituti Judaici, ut cùm ad comparandam victimam Paſchalem feſtinarent Judæi, nemini mortalium alteri dicere fas eſſet: *huc ades*, tantum tamque vehemens feſtinationis ſtudium erat. Igitur Dominus ſignificat diſcipulos decere ſic animum muneri implendo adjungere, ut ab eo avocari nullâ omninò re paterentur.

5 *Et in quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui*. Ac ne de tecto quidem ſitis ſolliciti, erunt qui vos excipient; in quamcumque autem domum introieritis, primùm precemini pacem toti familiæ. 6. *Et ſi ibi fuerit filius pacis*, nempè dignus cui pacem optetis, *requieſcet ſuper illum pax veſtra*; bonam veſtram precationem conſequetur. *Sin autem, ad vos revertetur*. Si verò ſe indignum præſtiterit, nulla inde ad eum utilitas redibit; ne tamen pœniteat benè precatos fuiſſe: non enim vobis peribit merces oblati officii. Sententia Domini eſt, ut videtur; cujus domum intraveritis ad habitandos, ſi vos admittat hoſpites, manete apud eum.

7 *In eadem domo manete*: hoc eſt, ut liquidius poſteà dicit, non mutate hoſpitia, *edentes & bibentes quæ apud illos ſunt*. Liberè, & velut veſtro jure utimini appoſitis ab eo qui vos ultrò in domum ſuam recepit: *dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Non gratuitus erit cibus quem ab illis accipietis ſed debitus, juxta illud Pauli ad Galatas, c.6. ℣.6. *communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis*. Addit Lucas quod jam innuerat. *Nolite tranſire de domo in domum*: manete in ea domo, ubi excepti primùm eritis, donec exeatis civitate. 8. *Et in quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis*. Contenti eſtote quamvis frugali apparatu forſan Dominus liberat eos hac anxietate Judæorum in diſcernendis cibis. Etenim ſollicitè cavebant ne comederent quidquam, aut immundum, aut non decimatum, aut non ritè ſeparatum, de quo ſcilicet non facta fuiſſet priùs oblatio. Innumeri erant circa hæc canones traditionales, ut mirum ferè videatur traditionarios iſtos inedia non fuiſſe confectos, ſi modò canonicè vellent veſci & vivere; etenim ut videre eſt apud Joſephum, lib.2. de bello, cap.26. Judæi nefas putabant ungere ſe oleo Gentilium. Hac ergo perplexitate, & inani religione ſolvit diſcipulos Dominus.

9 *Et curate infirmos, qui in illa* domo *ſunt*, ut gratiores ſitis hoſpites, & vobis regnum Dei prædicantibus fides adhibeatur. *Et dicite illis*, qui vos excipient: *appropinquavit in vos regnum Dei*, cujus argumenta videtis; nempè pelluntur morbi corporum, mox profligabitur peccatum animorum morbus. Illud autem *appropinquavit*, indicat hæc omnia in ipſo Evangelii primordio facta eſſe, ut hanc hiſtoriam non licuerit differre in aliud tempus.

10 *In quacumque autem civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite*. 11. *Etiam pulverem qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus*, excutimus, *in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquavit regnum Dei*, id eſt vobis ſignificatum ſit in condemnationem veſtram adveniſſe dies Meſſiæ, cujus doctrinam reſpuitis. 12 *Dico vobis, quia Sodomis in die illa*, qua judicium adverſus urbem illam exercebitur, *remiſſius erit, quàm illi civitati*, quæ tantam Dei benignitatem gratis oblatam ſpreverit.

CAPUT XXXII.

In urbe Naim Dominus vitam reddit unico filio viduæ.

LUCAS; Cap.7. ℣.11—17.

* *Fer.5. infra hebd.4. quadr. & Dom.15. poſt Pent.*

11 ET factum eſt: deinceps * ibat in civitatem quæ vocatur Naim &
ibant cum eo Diſcipuli ejus; & turba copioſa.
12 Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.
13 Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere.

14 Et

14 Et acceſſit & tetigit loculum; (Hi autem, qui portabant, ſteterunt;)
Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.
15 Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.
16 Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: † Quia † Ioan. 4. 19.
Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam. ¶
17 Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa
regionem.

Subjungit Lucas ſanato puero centurionis hanc hiſtoriam de vita reddita filio unico viduæ, cui Dominus occurrit, cùm ille efferebatur ad ſepulchrum. Verba illa Lucæ quibus hanc orditur hiſtoriam poſt ſanatum puerum centurionis. *Et factum eſt deinceps* ἐν τῷ ἑξῆς; id eſt, in die conſequenti, debent accipi commodo ſenſu. Hancce hiſtoriam conjungendam duxi cum iis quæ ſequuntur, quia dicit Lucas hujuſce reſurrectionis famam perlatam fuiſſe uſque in Judæam. Qua fama opinatus ſum Joannem Baptiſtam excitatum fuiſſe, ut e ſuis vinculis quibus erat in Judæa conſtrictus, mitteret duos ex diſcipulis ſuis ad Dominum: quod narrat Matthæus factum eo tempore circa quod moramur.

11. *Et factum eſt deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim.* Dum ſcilicet excurrebat ex urbe Capharnaum, in vicinas urbes Galilææ docens & prædicans, ut vidimus. *Et ibant cum eo diſcipuli ejus*, in fonte additur ἱκανοὶ, *ſufficientes*, id eſt, non pauci. *Et turba copioſa.* Ita miraculum, quod Evangeliſta narraturus eſt, multos teſtes habuit. 12. *Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur* ad ſepulchrum, nam Judæorum ſepulchra extra urbs erant, *filius unicus matris ſuæ. Et hæc vidua erat*, pertinet hoc ad luctus magnitudinem ſignificandum. *Planctus unigeniti* proverbium eſt Hebræis, ut videre eſt apud Zachariam, cap. 12. ℣. 20. & Jeremiam, cap. 6. ℣. 26. ut & cæteris omnibus gentibus: *qualis peremptum quæ flet unicum mater*, inquit Seneca. Eodem referendum quod de matre vidua dicitur, cui ergo non ampliùs ulla ſpes prolis. *Et turba civitatis multa cum illa*, quæ funus proſequebatur; unde colligitur viduam illam fuiſſe nobilem.

13. *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam*, ultrò, & non rogatus confert beneficium, *dixit illi: noli flere.* 14. *Et acceſſit, & tetigit loculum*, lectulum in quo mortuus efferebatur. Etiamſi autem & cadaver contigiſſet, non peccaſſet in legem; neque enim peccaverunt Elias, & Eliſæus incumbentes ſuper pueros mortuos, quos in vitam revocavere. *Hi autem qui portabant* loculum, *ſteterunt, & ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge.* 15. *Et reſedit* ἀνεκάθισεν, ſubrecto corpore ſedit: ſcilicet erexit caput, & humeros, ut videretur quaſi reſidens in loculo, non ampliùs jacens, & proſtratus. Viventem ergo ſe oſtendit, *& cœpit loqui.* Itaque Dominus redonavit eum matri, quem perditum credebat. *Et dedit illum matri ſuæ.*

16. *Accepit autem omnes timor*, reverentia ergà Deum, *dicentes, quia propheta magnus ſurrexit in nobis*, qui non precibus, non corporis proſtratione, ut Elias & Eliſæus, ſed nudo imperio, abſque omni exemplo mortuum excitaverat. Agnoſcebant Jeſum eſſe illum prophetam promiſſum à Deo ſive Meſſiam ut videtur; ideò addebant: *& quia Deus viſitavit plebem ſuam*, ſe fecit præſentem beneficiis ſuis. 17. *Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.* Fama tanti miraculi in univerſam Judæam perlata eſt. Sancti Patres obſervant in vidua illa Eccleſiam repræſentari, cujus gemitus, videlicet piorum preces exaudiuntur. Virum autem religioſum decet, aut proprium peccatum lugere, aut alienum: quo ſenſu dicebat D. Ambroſius; *ſi grave peccatum eſt, fleat pro te mater Eccleſia.*

CAPUT XXXIII.

Joannes in vinculis audiens tot tantaque opera Domini, ad eum mittit duos de diſcipulis ſuis, qui ſciſcitentur an ipſe eſſet Chriſtus. Coram his multa miracula edit.

HARMONIA.

1 *L* ET nuntiaverunt Joanni diſcipuli ejus de omnibus his.

✠ Dom. 2. Advent. 2 *Mt.* Joannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis.

3 Ait illi: *Mt. L* Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

4 *L* Cùm autem veniſſent ad eum, viri, dixerunt: Joannes Baptiſta miſit nos ad te dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

5 In ipſa autem hora multos curavit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum.

6 *Mt. L* Et reſpondens *Mt.* Jeſus, ait *Mt. L* illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.

† Iſa. 35. 5. & 61. 1. 7 *L* Quia *Mt. L* † cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.

8 Et beatus eſt *Mt.* qui *Mt. L* non fuerit ſcandalizatus in me.

MATTH. Cap. 11. ℣. 2-6.

2 ✠ Joannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis.

3 Ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

4 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.

5 Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur; ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.

6 Et beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.

7 *Illis autem &c. cap. ſequenti.*

LUCAS, Cap. 7. ℣. 18-23.

18 Et nuntiaverunt Joanni diſcipuli ejus de omnibus his.

19 Et convocavit duos de diſcipulis ſuis Joannes, & miſit ad Jeſum,

dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

20 Cùm autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptiſta miſit nos ad te dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

21 In ipſa autem hora multos curavit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum.

22 Et reſpondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.

Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.

23 Et beatus eſt quicumque non fuerit ſcandalizatus in me.

AGITUR in hoc capite de legatione, quam Joannes è carcere ſuo miſit ad Dominum. Siquidem præcipuus cardo Harmoniæ noſtræ vertatur in quæſtione de vinculis illius, intereſt ſcire quibus temporibus id contigerit, & à quo, & ubi tunc conſtingeretur; an ab Herode in ditione hujus principis; an in Judæa, & ideò non ab aliis quam à ſynedrii magni proceribus. Iſtam legationem ſubdit Lucas hiſtoriæ unigeniti viduæ Naim, quem Dominus à mortuis excitavit; cujus miraculi famam dicit perlatam fuiſſe uſque in Judæam. *Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam.* Quibus verbis cùm ſtatim addat; *& nuntiaverunt Joanni diſcipuli ejus de omnibus his*, inde colligi poteſt Evangeliſtam ſignificatum voluiſſe, quòd tunc temporis Joannes vinciretur in Judæa, ad quam perveniſſet fama reſuſcitati mortui. Attamen id non ſequitur neceſſariò; nam cùm ſcribat Evangeliſta eamdem famam exiiſſe in omnem circa regionem, poſſet dici Joannem hæc reſciviſſe, licet tunc verſaretur extra Judæam, ſed alia plura argumenta nobis ſuppetunt vinculorum Joannis in Judæa. In hodierno codice Joſephi, legimus, quòd nonnulli viri periti Joſepho aſſutum ſuſpicantur, Joannem Baptiſtam miſſum ab Herode Machæruntem, ut eo in caſtello ſervaretur vinctus. Machærus extra Judæam erat, & Galilæam non longè à finibus Arabum; quò nec facilè, nec ſtatim perveniſſet fama miraculorum,

quæ

quæ patrabat Dominus. Neque veriſimile eſt in arcem tam munitiſſimam diſcipulis Joannis aditum liberum patuiſſe. Contrà verò Hieroſolymis ubi à pluribus Joannes multi fiebat, vincula ejus non ita arcta eſſe poterant, ut omne illi cum diſcipulis ſuis adimeretur commercium.

Quidquid ſit, nullum verbum, nulla res in hocce Evangelii loco conſtringit nos ſentire hæc vincula Joannis fuiſſe Herodiana. Herodes non nominatur, nec ditio ejus. Diligenter autem advertendum eſt tempus dictæ legationis juxta Lucam incidiſſe in primordia Evangelicæ prædicationis. Nam videre eſt in ſuperiori quam ille refert, hiſtoria unici filii reſuſcitati plebem tunc Jeſum ſuſpexiſſe; ut ſurgentem id eſt, modò prædicantem: *propheta magnus*, inquiebant, *ſurrexit in nobis*. Et quod majoris ponderis eſt, idem Evangeliſta hanc hiſtoriam, quæ in urbe Naim contigit, aſſignat diei, quæ ſecuta eſt ſanatum puerum centurionis; puer autem centurionis ſanatus eſt tùm ex Luca, tùm ex Matthæo ſtatim poſt prædicationem in monte, & electos Apoſtolos; quod in exordio prædicationis factum eſt quemadmodum decebat fieri, ſine mora ut ordinati teſtes eſſent ſermonum, & actuum Chriſti. Quam poſteà verbis, & operibus aſſerturus erat, ſtatim doctrinam proponere debuit.

De Matthæo nullus eſt ambigendi locus, quin hanc legationem Joannis referat ad primordia prædicationis. De una autem eademque legatione loqui Matthæum & Lucam oſtendunt eadem verba, quibus eam factam dicunt, & pares omnes circumſtantiæ. Plura alia ſunt in præſenti legatione animadvertenda, quæ clarè demonſtrant vinculorum quibus tunc vinciebatur Joannes, auctorem non eſſe Herodem, quippe quæ oſtendant illa vincula ex quibus miſit legatos ad Dominum, anteriora eſſe Herodianis. Etenim ex Joanne Evangeliſta jam prætetito Paſchate poſt baptiſmum primo, Joannes nondum miſſus fuerat in carcerem, nimirum ab Herode, ut nullus refragatur; poſt illud autem Paſcha præcurſor coram diſcipulis ſuis apertum de Jeſu teſtimonium reddidit: quòd Chriſtus eſſet. *Cui tu teſtimonium perhibuiſti*, inquiebant diſcipuli ejus, *ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Joan. cap. 13. ℣. 26. Ad quæ luculenter reſpondet præcurſor & ſignificat Jeſum verè eſſe Chriſtum, & filium Dei. Quod innotuerat in feſto Paſchatis, *nemo enim*, ut ajebat Nicodemus Jeſum alloquens, Joan. cap. 3. ℣. 2. *poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Fieri itaque non poterat, poſt ſcilicet tranſactum Paſcha, ut tunc temporis præcurſori & diſcipulis ejus Jeſus ignotus eſſet. Ergo neceſſe, ut dubitatio de eo, quam præferunt verba ſive Joannis, ſive diſcipulorum ejus ſpectet tempus, quod præceſſit dictum Paſcha; & ideò carcer Joannis, unde miſit legatos, alius ſit ab eo carcere in quem non miſſus eſt niſi aliquanto poſt Paſcha tempore. Etenim verba illa Joannis, aut diſcipulorum ejus quæ poſteà diligentiùs excutiemus: verba, inquam, illa: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, & reſponſio Domini, *euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident &c.* indicant eos ſubdubitantes fuiſſe; qua dubitatione eos Dominus ſolvit; ut huic ampliùs locus non fuerit.

Interpretes quorum in mentem non inciderat Joannem bis incluſum fuiſſe in carcere, accommodare non potuerant illam Joannis dubitationem, cum iſta aperta confeſſione de Domino, quam ante carcerem Herodianum ediderat, tum ipſum baptizans, tum poſt ſequentis Paſchatis feſtum. Nobis verò hæc negotium non faceſcunt. Joannes præcurſor ſciebat Chriſtum tunc temporis in terris verſari, quem baptizaverat, & digito monſtraverat; ſed cùm poſteà vinctus fuiſſet, quando ad eum rumor pervenit de aliquo magno propheta, qui tot miracula patraſſet in Galilæa, voluit certò ſcire utrùm ille propheta ipſe eſſet, quem baptizaverat ad Jordanis ripas. Ut liquidò loquar, an ille quem audiebat patrantem miracula, ipſe eſſet quem baptizaverat Joannes, ignorare potuit.

1 * 18. *L. Et renuntiaverunt Joanni diſcipuli ejus de omnibus his*; quæ de Jeſu & operibus ejus reſciverant. 2 * 2. *Ms. Joannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti*, quæ ei narrabant, *mittens duos de diſcipuli ſuis*. 3 * 3. *Ms. Ait illi*: ore diſcipulorum *Ms. L. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* ὁ ἐρχόμενος. Vulgatus neglexit articulum ὁ non, benè. Græcus codex ſic poteſt reddi: *Tu ne es ille venturus;* nempè ille Meſſias, quem adventurum à multis temporibus expectamus? Id eſt, tu ne es Meſſias expectatus, an alius præter te nobis expectandus eſt? Ut præcurſor non ignorabat Meſſiam verſari in terris, cùm ipſe dixiſſet: *Medius veſtrùm ſtetit quem vos neſcitis*. Verùm præterquàm propter myſteriorum œconomiam ſtatim à pueritia educatus in deſerto, ſuos cognatos ignorabat, nec ab alio quàm à ſpiritu ſancto reſciviſſet hunc in quem deſcendit ſpiritus, cujus & nomen ignorabat eſſe verè filium Dei, incertus eſſe poterat, an ille de quo tot tantaque audiebat, ipſe eſſet, quem baptizaverat. Fruſtrà aliqui opinantur tenebras ignorantiæ in illo non fuiſſe, cui ſtatim illuxerat Chriſtus, cùm Maria prægnans convenit Elizabeth prægnantem; etenim verax fuit ipſe præcurſor, cùm de Chriſto loquens ajebat, *& ego neſciebam eum &c.* hanc ignorantiam agnoſcit in illo Tertullianus, lib. de Bapt. c. 16. quem adeò defeciſſe dicit, ut quem prædicaverat,

quem adveuientem deſignaverat, poſtmodum
an ipſe eſſet, miſeris ſciſcitatum. 4 *20. *L Cùm*
autem veniſſent ad eum viri, diſcipuli Joan-
nis, *dixerunt: Joannes Baptiſta miſit nos ad*
te, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium*
expectamus? Ipſa ſunt verba Joannis, qui eos
miſerat iſta dicturos.

5 *21. *L In ipſa autem hora*, qua alloque-
bantur eum legati Joannis, *multos curavit a lan-*
guoribus, & plagis, & ſpiritibus malis; &
cæcis multis donavit viſum. Scilicet factis o-
ſtendit quis eſſet. 6 *4. *Mt.* 22 *L Et reſpondens*
Mt. Jeſus, ait Mt. L illis: euntes renuntiate
Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Juxta exem-
plaria Græca, & Syrum interpretem Matthæi:
quæ auditis, & videtis, in præſenti. Ex iis
quæ tunc temporis Dominus operabatur, facilè
intelligebatur quis eſſet. 7 *L Quia* 5 *Mt. L cæ-*
ci vident, claudi ambulant, leproſi mundan-
tur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. Nem-
pe ille ſum, de quo Iſaias vaticinatus eſt, quem
videtis operantem, quæ ille propheta implenda
dixit, cum Deus adventurus eſſet. En vatici-
nium Iſaiæ, cap. 35. ℣. 5. *Tunc aperientur oculi*
cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc
ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lin-
gua mutorum. Addit Dominus, completum in
ſe aliud vaticinium ejuſdem prophetæ: *paupe-*
res, inquit, *evangelizantur*. Id eſt afflictis bo-
num ſalutis nuntium affertur. Sic habet verſio
Latina Iſaiæ, cap. 61. ℣. 1. *ad annunciandum*
manſuetis miſit me; quod verſio Lucæ, cap. 4.
℣. 18. reddit: *Evangelizare pauperibus miſit*
me; etenim nomen Hebræum ענוים *anavim*,
virum afflictum, humilem, pariter pauperem
& manſuetum denotat.

8 *6 *Mt.* 23 *L Et beatus eſt Mt. qui Mt. L non*
fuerit ſcandalizatus in me. Nam ipſa perſona
Chriſti carebat illo divitum ſplendore, & pom-
pa quibus oculi carnales perſtringuntur. Qui
ergo Meſſiam expectabant opibus pollentem,
& regio apparatu conſpicuum, parvi faciebant
Jeſum fabri filium; ita pluribus ſcandalum e-
rat, id eſt occaſio lapſus. Beati ergo, quoniam
id paucis obtingebat, qui tenui conditione
Chriſti non ſcandalizabantur.

CAPUT XXXIV.

Joannem laudat Dominus, & declarat Angelum eum eſſe juxta ſcripturam ante faciem ſuam mittendum. Arguit ergo duritiem cordis eorum, qui nec illi, nec ſibi crederent.

HARMONIA.

1 *L* ET cùm diſceſſiſſent nuntii Joannis, *Mt. L* cœpit *Mt.* Jeſus *Mt. L* de Joanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?

2 Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus *L* veſtimentis indutum? Ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, *Mt. L* in domibus regum ſunt.

3 Sed quid exiſtis videre? Prophetam? *Mt.* Etiam *Mt. L* dico vobis, & pluſquam prophetam.

4 Hic eſt *Mt.* enim *Mt. L* de quo ſcriptum eſt: † Ecce *Mt.* ego *Mt. L* mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

† Malac. 3. 1. Marc. 1. 2.

5 *Mt.* Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta; *Mt. L* qui autem minor eſt in regno *L* Dei, *Mt. L* major eſt illo.

MATTH. Cap. 11. ℣. 7-19.

7 Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?

8 Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.

9 Sed quid exiſtis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquam prophetam.

10 Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. ¶

11 Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta; qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.

LUCAS, Cap. 7. ℣. 24-35.

24 Et cùm diſceſſiſſent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?

25 Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, in domibus regum ſunt.

26 Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Utique dico vobis & pluſquam prophetam.

27 Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

28 Dico enim vobis: Major inter natos mulierum, propheta Joanne Baptiſta nemo eſt, qui autem minor eſt in regno Dei, major eſt illo.

HAR-

HARMONIA.

6 *Mt.* A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

7 Omnes enim prophetæ, & lex uſque ad Joannem prophetaverunt.

8 Et ſi vultis recipere ipſe eſt Elias, † qui venturus eſt.

9 Qui habet aures audiendi, audiat.

10 *L* Et omnis populus audiens, & publicani, juſtificaverunt Deum baptizati baptiſmo Joannis.

11 Pharifæi autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.

12 Ait autem Dominus: Cui ego ſimiles dicam homines generationis hujus? Et cui ſimiles ſunt?

13 Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non ploraſtis:

14 Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: *Mt. L* dæmonium habet.

15 Venit filius hominis manducans & bibens: & *L* dicitis: *Mt.* Ecce homo vorax, & potator vini; publicanorum, & peccatorum amicus.

16 *L Mt.* Et juſtificata eſt ſapientia, *L* ab omnibus filiis ſuis.

MATTHÆUS.

12 A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

13 Omnes enim prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetaverunt.

14 Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.

15 Qui habet aures audiendi, audiat.

16 Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam?

Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus.

17 Dicunt; Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis.

18 Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens,

& dicunt:

dæmonium habet.

19 Venit filius hominis manducans & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini; publicanorum, & peccatorum amicus.

Et juſtificata eſt ſapientia, à filiis ſuis.

LUCAS.

† *Malac.* 4. 5.

29 Et omnis populus audiens & publicani, juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Joannis.

30 Phariſæi autem, & legiſperiti conſiliū Dei ſpreverunt in ſemetipſos non baptizati ab eo.

31 Ait autem Dominus Cui ego ſimiles dicam homines generationis hujus? Et cui ſimiles ſunt?

32 Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus. Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non ploraſtis.

33 Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: dæmonium habet.

34 Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.

35 Et juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.

CUm diſceſſiſſent nuntii Joannis, ſic de eo locutus eſt Dominus, ut mentem Judæorum deduxiſſet ad veritatem, niſi obſtitiſſet durities cordis eorum. Variis etenim interrogationibus convertebat eos tum in dignitatem, tum in teſtimonia Joannis, ex quibus conſtabat verſari in terris Meſſiam. Sic, inquam interrogabat eos, ut facilè advertere poſſent eum eſſe Chriſtum, cujus Joannes fuiſſet præcurſor.

1 * 24. *L Et cùm diſceſſiſſent nuntii Joannis*, *Mt. L cæpit Mt. Jeſus Mt. L dicere ad turbas: quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* alludit ad illud Matthæi, *exibat ad eum Jeroſolyma*; quaſi diceret: neque enim exiſtis, ut videretis arundines, quæ raræ non ſunt, & quas cernere eſt vento agitatas in omnibus ripis Jordanis, & locis paluſtribus habuiſtis cauſam aliquam ob quam tanto ſtudio in loca deſerta cucurriſtis, in quibus præter Joannem nihil fermè aliud erat ſpectandum. 2 * 8. *Mt.* 25. *Sed quis exiſtis videre? hominem mollibus L veſtimentis indutum?* nec etiam exiſtis, ut videretis hominem mollibus lanis indutum, qui extra aulas principum non quærendus eſt. *Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & deliciis, Mt. L in domibus regum ſunt*; & non in deſertis. Ergo adduxit vos ad ſe Joannes, quia propheta eſſet.

3 * 9. *Mt.* 26. *L Sed quis exiſtis videre?* quid

quid ergo in deſerto quærebatis? *prophetam?* num prophetam quærebatis? *Mt. etiam*. Id eſt, non decipiebat vos fama Joannis, qui propheta habebatur; *Mt. L dico* enim *vobis* eum eſſe *& pluſquam prophetam*, nempe quocumque veteri propheta, ſive ordinariis prophetis excellentiorem. 4 * 10. *Mt.* 27. *L Hic eſt Mt. enim Mt. L de quo ſcriptum eſt: Ecce Mt. ego Mt. L mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Scilicet major omnibus antiquis prophetis, quia ille eſt de quo dixerant antiqui prophetæ, fore ut præcurreret ante Meſſiam. Major ergo prophetis, de quo ipſi prophetarent prophetæ. Hoc autem vaticinium Malachiæ Dominus de Joanne interpretans, oſtendebat eum fuiſſe Meſſiæ præcurſorem, tum & ſe ipſum Meſſiam ſimul & Deum; quod enim Deus dicit apud Malachiam præparabit viam ante me, ſibi vindicat Dominus, ut dictum de Chriſto, qui Chriſtus ſic Deus eſt, ut jam ſuprà obſervavimus.

5 * 11. *Mt. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*, nempè inter prophetas; prophetarum enim dignitas pendebat ex eorum miniſterio: annuntiabant Chriſtum venturum; Joannes autem baptizaverat Chriſtum, & hunc digito monſtraverat. Ideò tantis laudibus extollebatur Joannes, ut Judæi averterent dignitatem ejus, & ex eadem dignitate intelligerent qualis quantuſque eſſet ipſe cui teſtimonium perhibuerat Joannes. *Mt. L qui autem* opinione veſtra *minor eſt in regno L Dei*, qui hoc tempore quo Evangelium regni cœleſtis prædicatur, minor ipſe (ego) quem vos parvi facitis *Mt. L major eſt illo*. Revocat in mentem Judæorum quod dixerat Joannes: *veniet fortior me, cujus ego non ſum dignus calceamenta portare*. Judæi Joannem pluris faciebant; quòd Jeſus cum publicanis, & peccatoribus verſans unus è multis videretur; cùm Joannes vitam extraordinariam ageret.

Dominus liquidis verbis denuntiat adeſſe tempus regni cœleſtis ſub Chriſto. 6 * 12. *Mt. A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc*, ab hoc tempore quo cœpit Joannes prædicare *regnum cœlorum vim patitur*, non aliter quàm vi invaditur; *& violenti rapiunt illud*. Siquidem multi vim facient, ut admittantur in regnum cœlorum, ſoli in illud intrabunt, qui violenti erunt. Innuit Dominus excluſos iri regno cœlorum, ſive fructus Evangelii non percepturos, qui negligentes erunt, & tardi. 7 * 13. *Omnes enim prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetaverunt*. Scilicet jam venit tempus quo completur quod lex, & prophetæ præcinebant, ut ampliùs neque legi, neque vetuſtis prophetis locus ſit ubi nova lex ſancita erit. Hactenus prophetabant prophetæ, ſive loquebantur de rebus futuris, nempè de gratia peccatoribus facienda, & remiſſione peccatorum, quæ à diebus Joannis executioni mandantur. Omnem tollit ambiguitatem, id quod ſubdit Dominus.

8 * 14. *Et ſi vultis recipere*, id eſt, ſi patimini vobis verum dici, ipſe Joannes *eſt Elias qui venturus eſt*. Creditis quòd Elias venturus ſit ante Meſſiam; ea eſt enim doctrina Scribarum veſtrorum ex malè intellecto illo Malachiæ loco: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam*. Sententia Malachiæ eſt alterum Eliam mittendum, nempe virum qui Chriſto præeat in ſpiritu, & virtute Eliæ. Ut, inquam, non ampliùs dubitetis de inſtante Meſſia, quaſi nondum advenerit Elias, ſic Dominus videtur Judæos compellare: dico vobis jam Eliam adveniſſe. Ipſe Joannes Baptiſta fuit ille Elias mittendus.

9 * 15. *Qui habet aures audiendi*, ſupple cauſa, *audiat*. Reſtat ut qui dociles ſunt, percipiant ſenſum orationis meæ; arrigat quiſque aures ad rem tanti momenti. Talia apud Poetas: *audite, atque animis advertite veſtris*; & illud Oratorum: *audire eſt operæ pretium*. ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖσ' ἐοίκασι. id eſt, qui non intelligentes audierunt, ſunt ſurdis ſimiles, ait Clemens Alexandrinus.

10 * 29. *L Et omnis populus*, qui adſtabat, *audiens, & publicani juſtificaverunt Deum*, approbaverunt, & laudaverunt Dei conſilium in mittendo Joanne præcone pœnitentiæ, *baptizati baptiſmo Joannis*, qui ab eo abluti fuerant, nempe plerique è populo. 11 * 30. *Phariſæi autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos non baptizati ab eo*. βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν. id eſt, conſilium, ſive quod conſtitutum erat à Deo circa Joannem, repudiaverunt contrario decreto, ſtatuentes Joannem eſſe pſeudoprophetam & pſeudopræcurſorem. *in ſemetipſos*, id eſt ſuo damno; vel in ſe ipſis aſpernati ſunt eum, quem laudibus efferebat Dominus; quibus verò laudibus aſſentire non poterant; quippe qui Joannem vinctum tunc temporis tenerent.

12 * 31. *Ait autem Dominus: cui ergo ſimiles dicam homines generationis hujus?* hoc hominum genus, gentem illam homines hujus ætatis. *Et cui ſimiles ſunt?* 13 * 32. *Similes ſunt pueris ſedentibus in foro*, in platea, *& loquentibus ad invicem, & dicentibus*; qui clamantes coæqualibus dicunt: *cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non ploraſtis*. Exprobrat Judæis ſuam cordis duritiem; qui nec Joanni, nec ſibi crederent; ideò iis accommodat quod pueri exprobrant ſociis, cùm ex legibus, & ex conſuetudine cujuſdam ludi nec ſaltant ad hilarem tibiæ cantum, nec lugent, cùm lugubrem cantum audiunt. *cantavimus*, ηὐλήσαμεν. hoc verbo utuntur Matthæus & Lucas, quod ſignificat *cantare tibiis*. Hanc ſignificatio-

nem

...em Latinus interpres in Luca expreſſit, reticuit in Matthæo. Tibiis cecinimus vobis læta, inquiunt, pueri, nec ſaltaſtis: lugubria cecinimus vobis, nec planxiſtis.

Quaſi dicat Dominus; diverſis viis idem tentatum eſt à nobis, neutra profectum eſt apud incredulos. Joannes veluti lugubri cantu nationem hanc excitaturus ad pœnitentiam prodiit, inſignis auſteritate vitæ, jejunans & abſtinens ab omnibus delitiis ciborum. Prodiit filius hominis veluti tibiarum lætiore cantu nationem hanc excitaturus ad amorem cœleſtis doctrinæ; quoque plures alliceret comitate ſua, non abdidit ſe in deſertis, nec veſtitu inſigniter aſpero utitur, nec cibis aſperis; ſed omnibus ſemet accommodans, nec ullius aſpernans conſortium, veſcitur quibuslibet, & bibit quod apponitur. Et rurſum inveniunt quod calumnientur.

14*33. *Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis Mt. L dæmonium habet.* Extra hominum commercium intra feras vitam agens, cibo vulgari, & communi non utens. 15*19. *Mt. 34 L Venit filius hominis*; id eſt ipſe ego, *manducans & bibens* quod apponitur; *L & dicitis Mt. ecce homo vorax, & potator vini; publicanorum, & peccatorum amicus.* Noluiſtis credere Joanni viro auſtero, neque mihi qui mitior ſum. Ad hæc verba Domini alludens B. Ambroſius ajebat, ſerm. 80. *annunciamus ergò vobis regni cœleſtis gaudium; & minimè corda veſtra motu quodam claritatis exultant prædicamus triſte judicium; & ſenſus veſtri ad pœnitentiam in lacrymas non prorumpunt.*

16*Mt. 35. *L Et juſtificata eſt ſapientia L ab omnibus filiis ſuis.* Id eſt approbata, & laudata eſt ſapientia qua uſus eſt Deus, in populo per Joannem, & Jeſum. *juſtificare* idem quod *approbare*, ſive juſtum declarare. Ex Hebraiſmo autem dicuntur ſapientiæ filii, qui idonei ſunt agnoſcere divinam ſapientiam. Senſus hujuſce loci poteſt eſſe Jeſum qui eſt ſapientia, tam ſapienter loquentem approbatum, & laudatum eſſe ab iis, qui digni erant, ut filii ſapientiæ eſſent. Mirabili ſale conditus eſt ille Domini ſermo. Liquet ex hocce Evangelii loco Phariſæos repudiaſſe baptiſmum Joannis, non eum reputaſſe prophetam, quem ideo in vincula veriſimile eſt conjeciſſe; penes enim eos ſumma erat poteſtas, quia ſe gereret prophetam Domini.

CAPUT XXXV.

Arguit Dominus urbes incredulas, Gratias agit patri ob miracula quæ diſcipuli fecerant.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 11. ℣. 20-30.	LUCAS Cap. 10. ℣. 13-2
1 *Mt.* TUnc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam.	20 Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam.	
2 *Mt. L* Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere *L* ſedentes, *Mt.* pœnitentiam egiſſent.	21 Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia, ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.	13 Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes, pœniterent.
3 *Mt.* Verumtamen dico vobis: *Mt. L* Tyro & Sidoni remiſſius erit *Mt.* in die judicii, quàm vobis.	22 Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidonii remiſſius erit in die judicii, quàm vobis.	14 Verumtamen Tyro & Sidoni remiſſius erit in judicio, quàm vobis.
4 *L* Et tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.	23 Et tu Capharnaum, numquid uſque in cœlum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes.	15 Et tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.

MATTHÆUS.

5 * Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem.

6 * 24 Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii quàm tibi.

LUCAS.

** Com. plur. ecrt.* 7 * 16 * † Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.

† Ioan. 13. 20. 1. Theſſ. 4. 8.

8 * 17 Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.

9 * 18 Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.

10 * 19 Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

11 * 20 Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur. † Gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ¶

† Exod. 32. 32. Iſa. 4. 3. Dan. 2. 1. Phil. 4. 3. Apoc. 13. 8.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.
+ Com. plur. maior. † Iſa. 29. 14. 1. Cor. 19. 26. 12 In ipſa hora exultavit ſpiritu ſancto, & *Mt. L* dixit: † Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, *Mt.* quia *Mt. L* abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.	25 + in illo tempore reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus; & revelaſti ea parvulis.	21 In ipſa hora exultavit ſpiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.
13 *Mt.* Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.	26 Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.	
† Pſal. 8. 7. Hebr. 2. 8. Ioan. 3. 35. 1. Cor. 15. 27. Epheſ. 1. 21. Phil. 2. 9. Ioan. 1. 18. 14 *Mt. L* † Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo *Mt.* novit filium, niſi Pater; neque patrem quis novit, *Mt. L* niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.	27 Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.	22 Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo ſcit quis ſit Filius niſi Pater; & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

LUCAS.

*† 1. Pet. 1. 10. * Dom. 12 poſt Pent.* 15 * 23 Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: † * Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

16 * 24 Dico enim vobis quòd multi prophetæ, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

25 *Et ecce &c. require in libro ſequenti, cap. 6.*

MATTHÆUS.

17 * 28 Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

† Zach. 9. 9. Phil. 2. 7. Ierem. 6. 16. 18 * 29 † Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris

19 * 30 Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. ¶

Hactenus à ſuo baptiſmo Dominus commoratus erat Capharnaum, unde excurrebat in vicinas civitates. Quæ ergo ibi ediderat miracula, debuiſſent adducere omnes horum locorum incolas ut crederent eum eſſe Chriſtum; ideò ſuam hiſce civitatibus incredulitatem exprobravit. Domicilium poſuerat in urbe Capharnaum. Sæpius adiit Bethſaidam ex qua ple-

plerique ex diſcipulis ejus. Oppoſita erat Bethſaida urbi Capharnaum, ut videre eſt in deſcriptione lacus Geneſareth. 1 * 20. *Mt. Tunc cœpit exprobrare civitatibus*, ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, exprobratione arguere civitates, *in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus*, ſeſe exſeruerat virtus Dei operans miracula; *quia* his miraculis commotæ *non egiſſent pœnitentiam*: non reſipuiſſent à duritie, quæ obſtabat quominus verè crederent ei.

2 * 21. *Mt.* 13. *L Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere L ſedentes, Mt. pœnitentiam egiſſent.* Videlicet antequam funeſtis cladibus affectæ, & tantùm non deletæ, atque exciſæ, ſive à priſtina ſua celebritate dejectæ eſſent. Tyrus enim ab Alexandro magno expugnata, & deſtructa eſt. Sidon ſucceſſu temporis per varias irruptiones hoſtium afflicta, & exciſa eſt. In hoc ſermone Græco πάλαι ἄν, *olim quidem*, particula ἄν non eſt dubitandi, ſed è contra potentialis, ſive expletiva, & per *utique*, ſive *profectè*, verti debet. Olim, inquam, Tyrii & Sidonii *in cilicio*, nempe amicti veſtimento vili & aſpero, *pœnitentiam egiſſent*. Mos erat lugentibus jacere in pulvere & in ſordibus. Ita legimus in 1. Mach. cap. 13. ℣. 47. *Et jejunaverunt illa die, & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua.*

3 * 22. *Mt. Verumtamen*, πλὴν, quin etiam *dico vobis Mt. L Tyro & Sidoni remiſſius erit Mt. in die judicii, quàm vobis.* tolerabilior erit eorum conditio ἀνεκτότερον. acerbiora experiemini ſupplicia. 4 * *L Et tu Capharnaum uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris.* Dominus potiſſimùm arguit hanc urbem in qua fecerat frequentiora miracula, quam & elegerat in civitatem ſuam. florebat Capharnaum piſcatu, mercatu, & quæ alia eſſe ſolent commoda ad mare ſitarum urbium. In verſione vulgata Matthæus habet: *Et tu Capharnaum, numquid uſque in cœlum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes.* In Græco codice hodierno Matthæus & Lucas non differunt; igitur vulgatus interpres in Matthæo Græco legebat μὴ ἕως οὐρανοῦ, *numquid uſque in cœlum*, quomodo ſe in quodam exemplari legiſſe teſtatur Beza. Pariter apud Matthæum & Lucam in Græco fonte eadem verba occurrunt: ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ, *uſque in infernum L demergeris, Mt. deſcendes.* Senſus eſt, quia fuiſti incredula, everteris, evaneſces, quaſi deducta εἰς τὸν ᾅδην, id eſt, in locum inconſpicuum. nomen ᾅδης, eam ſignificationem habet; in Latina autem verſione ſæpiùs redditur *infernum*. Itaque tu Capharnaum olim conſpicua, & quaſi in cœlo poſita, non ampliùs apparebis, nec numeraberis inter urbes, quæ ſunt ſuper terram. Alicubi hiſce commentariis inſeruimus laudes quibus Joſephus hanc urbem extollit.

5 * *Mt. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem.* ſi edita fuiſſent in Sodomis tot tantaque miracula, quæ tuis oculis vidiſti, veriſimiliter reſipuiſſent, & ſic manſiſſent uſque in hanc diem. ἔμειναν ἄν. Vulgatus particulam ἄν interpretatus eſt *fortè*. quandoque quidem particula eſt dubitandi; ſed & potentialis eſt, ſive expletiva, ut modò dicebamus; ita ſine dubitatione reddi poteſt Græcus codex, *manſiſſent uſque in hanc diem.* 6. * 24. *Verumtamen* certè *dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii, quàm tibi.* Incolæ tui graviùs punientur.

Ad diſcipulos ſuos converſus Dominus orationem mutat, & pro maledictionibus amico, & blando ſermone eos affatur. 7 * 16. *L Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* His verbis ſimul inſectatur urbes incredulas, quæ non tanti, quanti par erat, faciebant diſcipulos ejus.

8 * 17. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo*, nempè plerique è cœtu illo qui conſtabat ſeptuaginta diſcipulis (Græcus codex non habet ſeptuaginta duo) reverſi ſunt ad Dominum; neque enim eum reliquerant ſolum. *cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* ſcilicet experti ſumus quod dixeras, ſubjecta nobis fore dæmonia. Ex hocce dæmonum obſequio qui parebant imperantibus chriſtianis evincit Tertullianus in Apologetico falſos eſſe Gentilium Deos, ſub quorum nominibus dæmon ſe profitebatur Deum. *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris.* compellat Gentes Tertullianus, *quem dæmone agi conſtet. Juſſus à quolibet chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.*

9 * 18. *Et ait illis* Dominus: *videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Intuebar adverſarium hominum jamjam dejiciendum ſuo imperio magna cum celeritate; quod quidem contigit; paucos enim intra annos vera religio mundum poſt mortem Domini pervaſit. 10 * 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Quæ obtingent vobis, comprobabunt mea dicta. 11 * 20. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur*: obſequuntur imperio veſtro. *Gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Quid enim prodeſt aliquo tempore imperare dæmoniis, ſi poſt vitam ſubjiciamur illis in æternum cruciandi?

12 * *In ipſa hora exultavit ſpiritu ſancto.* Græcus codex habet *exultavit ſpiritu Jeſus.*

Id eſt, commotus eſt: ſive inſilvit in eum ſpiritus Dei, & eo impellente adſtantibus forſan legiſperitis, & Phariſæis, *Mt. L dixit* gratias agens Deo Patri: *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ*, id eſt laudo te *Mt. quia Mt. L abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus*, ab iis qui ſapientes, & prudentes ſibi videbantur; *& revelaſti ea parvulis*: piſcatores hos ignaros prætuliſti legiſperitis, propriæ ſapientiæ opinione turgidis, magiſtris, quos Judæi ſolent appellare *cechamin*, id eſt ſapientes, quos Paulus indicabat, dicens, *non multi ſapientes inter vos*. Apud Matthæum legimus: *in illo tempore reſpondens Jeſus dixit Confiteor, &c.* Illud *reſpondens* à ſcriptoribus ſacris ſæpè uſurpatur, quando occaſione dictorum, vel factorum judicant aptè aliquid dictum fuiſſe, quod tempori & loco, rebuſque præſentibus congrueret. 13 * 26. *Mt. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te.* Quaſi epiphonema eſt: *vaì etiam, ita, certè.* Ita certè ô Pater laude dignum eſt hoc opus, quo abſcondiſti &c. quia nihil niſi quod optimum eſt, decernis. Quaſi dicat Chriſtus: quis non laudet ea, quæ tibi ſapientiſſimè Deus certo adhibito conſilio placent, ac probantur? *ſic placitum fuit. ἔμπροσθεν εὐδοκία*, id eſt ita tibi viſum fuit; vel ita bonum, & conſultiſſimum eſſe judicaſti pro ſapientia tua ſumma.

14 * 27. 22 *L Omnia mihi* qui videor vilis, & humilis *tradita ſunt à patre meo*. Hoc eſt, ut puto, omnia pater me docuit. Judæi doctrinam ſuam appellabant *cabalam*, hoc eſt *acceptionem*, quia eam accipiebant à traditione. Quæ ſequuntur, oſtendunt fieri ſermonem de doctrina. *Et nemo Mt. novit filium niſi pater; neque patrem quis novit Mt. L niſi filius, & cui voluerit filius revelare*. Id eſt cui revelat. his verbis Dominus declarat Phariſæos ſuo errori permitti à Deo, dum oculos eorum qui magna de ſe non ſentirent, illuſtraret. Antequam Chriſtus terris illuxiſſet, Deus non cognoſcebatur quatenus Pater niſi obſcurè; neque enim quem unum quidem, & incorporeum credebant, ſciebant vera & æterna generatione Patrem, & ab eo, & filio ejus procedere Spiritum, ut ſimul unus & trinus eſſet. Sciebant tamen Judæi Chriſtum fore filium Dei; non ignotus eis erat Spiritus ſanctus: ut non ſemel evicimus; ſed cùm nemo viderit Deum, oportebat ut unigenitus qui eſt in ſinu Patris, veram Dei unius, & trini naturam nobis enarraret.

Hiſce verbis: *nemo novit filium niſi pater; neque patrem quis novit niſi filius*, aperitur caput errorum quibus Antitrinitarii maximè recentiores obcæcantur. Etenim ſi id omne, quod de Deo credere decet, accerſendum ſit ex innata Dei notione; quo modo: *neque patrem quis novit niſi filius*. Notio illa Dei eum quidem eſſe, ſive exiſtere ſuadet, ſed non docet quid ſit. Non poteſt ergo ingerere animo proprietates illas divinas, quibus non ideò minus unus eſt in eſſentia, quia trinus eſt in perſonis. Si, inquam, Deo cognoſcendo ſufficeret naturalis cognitio Dei, quomodo opus eſſet, ut ipſe Deus ſe revelaret. Qui trinitatem Dei negant, hoc uno ſi ipſi advertant, nituntur, quòd notio Dei Trinitatem illam non ſubjiciat. Inde vim inferunt ſcripturis ut ipſe Deus non videatur plura de ſe credenda proponere, quàm quæ notio innata nos de illo edoceat. Meliùs Irenæus, lib. 4. cap. 10. *impoſſibile erat ſine Deo diſcere Deum, per verbum ſuum docet homines ſcire Deum*. Et cap. 14. *Edocuit autem Dominus, quoniam Deum ſcire nemo poſſit niſi Deo docente, hoc eſt ſine Deo non cognoſci Deum* .... Omnibus igitur revelavit ſe Pater, cùm omnibus Verbum ſuum viſibile fecit; & rurſus Verbum omnibus oſtendebat Deum eſſe Patrem, & habere filium, cùm ab omnibus videbatur.

10 * 23. *Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis*. Subintelligendum, & creditis. Etenim non beati erant Phariſæi, quòd Chriſtum viderent; ſiquidem eum repudiarent. 16 * 24. *Dico enim vobis, quòd multi prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis; & audire, quæ auditis, & non audierunt*. Chriſtus enim expectatio, & deſiderium omnium prophetarum, Abrahæ, Davidis, & aliorum. Subjicet; Ergò Phariſæi, & legiſperiti miſeri, qui oculos avertitis, ne videatis; & aures obturatis, ne audiatis.

17 * 28. *Mt. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Excitat omnes ut percipiant fructus, quos præſentia ejus parere poterat. *Omnem enim, quantum in ipſo eſt hominem ſalvum fieri vult, qui fecit omnes*. Verba ſunt Paulini ad Severum, ep. 2. à quibus non aliena illa Leonis magni, ſerm. 65. *Juſtè enim nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio; & benignè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam. Unde meritò Dominus ipſe nobis factus eſt via, quia niſi per Chriſtum non itur ad Chriſtum*. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis oppreſſi jugo legis. Jugum eſt id quo boves docentur parere; ita lex jugum erat, ſed quod Judæi ferre non potuerant.

18 * 29. *Tollite jugum meum ſuper vos*: ſubjicite vos jugo meo, quod non durum eſt, ut Phariſæorum, qui onera gravia alligant; *& diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Non eſt, quod ob peccatorum conſcientiam terreamini: Phariſæis haud ſimilis ſum qui ſuperbi, & duri ſubmovent à conſortio ſuo peccatores nec illos ſuo alloquio dignantur. *Et invenietis requiem animabus veſtris*. Non dicit corporibus; ſed acquieſcet animus veſter ſub meo magiſterio;

ſine

ſine anxietate, ut ſolet fieri, cùm quis ſorte ſua contentus vivit. 19 * 30. *Jugum enim meum ſuave eſt.* ζυγός μυ χρηςός. Jugum meum facilè, commodum, aut humanum, ſive blandum; *& onus meum leve*, his nimirum quorum in cordibus diffuſa eſt ſancti Spiritus charitas. amor enim non ſentit pondus. Cùm amatur non laboratur; aut ſi laboratur, labor amatur. Huc adducenda verba Leonis Magni, ſerm. 92. inducit Deum loquentem. *Facite quod amo, amate quod facio; & cùm videtur difficile quod jubeo, ad jubentem accurrite; ut unde datur præceptum, præſtetur auxilium .... nemo quæ mea ſunt inefficaciter concupiſcit; qui enim ad me tendit, ex mea participatione me requirit.*

CAPUT XXXVI.

Mulier in civitate peccatrix lacrymis ſuis rigat & abſtergit pedes Domini

LUCAS, Cap. 7. ℣. 36—50.

36 * Rogabat autem illum quidam de Phariſæis ut manducaret cum il- * *Fer. 5. hebd. paſſ. fer. 4.*
lo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. *quat. temp.*
37 Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd ac- *Septemb. In feſto S.*
cubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti. *Mariæ Mag.*
38 Et ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & ca-
pillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.
39 Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens:
Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit
eum: quia peccatrix eſt.
40 Et reſpondens Jeſus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dice-
re. At ille ait: Magiſter, dic.
41 Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quin-
gentos, & alius quinquaginta.
42 Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque. Quis ergo eum
plus diliget?
43 Reſpondens Simon dixit: Æſtimo quia is, cui plus donavit. At ille
dixit ei: Rectè judicaſti.
44 Et converſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? In-
travi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacry-
mis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.
45 Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit
oſculari pedes meos.
46 Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos.
47 Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam di-
lexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.
48 Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.
49 Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic,
qui etiam peccata dimittit?
50 Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſalvam fecit: Vade in pace. ¶

HANC hiſtoriam mulieris peccatricis, quæ lavit pedes Domini Lucas ſubjungit legationi diſcipulorum Joannis Baptiſtæ. Hos miſerat Joannes ad Jeſum è Judæa Galilæam: ex qua cùm inſtarent dies Paſchatis Jeſus, qui huic feſto interfuit, Jeroſolymam profectus eſt. Hiſtoria

ſtoria mulieris quæ erat in civitate peccatrix, tranſacta eſt in hac urbe, vel in vicinia ejus. neque enim alia in ſacro codice, & libris Judæorum nominatur ſimpliciter *civitas*. Sic Jeruſalem in vetuſtis ſiclis Hebræorum appellatur *civitas ſancta*; ut *urbs* Latinis Roma erat. Phariſæus ille qui Dominum excepit convivio, dicebatur Simon; hoc enim eum nomine Dominus appellat. Credo eumdem eſſe, qui & *leproſus*, cognominabatur, apud quem in Bethania paucos dies ante paſſionem ſuam Jeſus cænavit. Non ſemel videbimus Jeſum decubantem in Bethania, quando ob feſtos dies neceſſe erat, ut appareret in Templo. Sic enim fallebat Phariſæos, & inſidias eorum vitabat. Bethania non longè diſtabat Jeroſolymis, ut pro ſuburbio ejus haberi poſſet.

Itaque puto, quòd ubi Paſcha proximum fuit, Chriſtus è Galilæa venit in Bethaniam, antequam ingrederetur civitatem ſanctam. Singulis annis in Paſchate, & aliis primariis feſtis apparebat ſecundùm legem in Templo. Poterat ergo innotuiſſe Simoni, & aliis pluribus Jeroſolymorum, & Bethaniæ accolis. Fama etiam ejus jam pervaſerat urbes, & vicos Judææ. Cùm itaque venit Bethaniam, non mirum, ſi ad cœnam eum vocaverit Simon.

27 *Rogabat autem illum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.* Menſæ accubuit ſtratus in lecto, ut tunc temporis fieri ſolebat. 37. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Protinus animadvertendum eſt hocce nomine *peccatricis*, non ſemper ſignificari vile proſtibulum. Peccatores, & peccatrices dicebantur quotquot debita religione non ſervarent omnia legis præcepta. Procul dubio iſta peccatrix mulier, de qua Lucas loquitur, non erat meretrix. Mulier enim Judæa erat ex vico Bethaniæ. Non potuiſſet ergo artes meretricias impunè exercere. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael.* Sic præcipit Deus, cap. 23. Deuter. Quæ lex temporibus iſtis vigebat; Philo enim teſtatur, meretrices, ut peſtem, ac perniciem, labemque publicam ſaxis obrutas fuiſſe; cui conſuetudini & teſtimonium perhibet Joſephus libro de vita ſua. Leges Moſayeas haud neglectas fuiſſe oſtendit zelus quo Judæi mulierem in adulterio deprehenſam ſtiterunt damnandam judicio Domini. Si quis evinceret mulierem iſtam peccatricem de qua nunc ſermo fit, alienigenam fuiſſe, fateor ob ſcortationes ſuas non illi pœnas irrogari potuiſſe. Verùm an paſſus eſſet Simon Phariſæus ſcortum irruere in domum ſuam, & inter ancillas miniſtrare, & pedes Jeſu hoſpitis lavare? Jeſus, ut diximus, è Galilæa Bethaniam venerat; ita miniſterium illud exhibendum ei erat, ut recens advenienti. Si autem Simon, ille cujus in ædibus nunc Dominus verſatur, ſit ille Simon Leproſus Bethaniæ, apud quem cœnavit Dominus ſex dies ante mortem ſuam, vicinus erat Matthæ, & Mariæ ſororum Lazari; his familiaris, ut apud eum quandoque miniſtrarent. Infra autem evincam mulierem peccatricem eſſe ipſam Mariam ſororem Matthæ, & Lazari. Ita non mirum eſt, ſi illa intraverit domum Simonis, & miniſtraverit cum ancillis ejus.

Quæque ſit iſta peccatrix: *ut cognovit quòd accubuiſſet* Jeſus *in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti*, pixidem unguentariam ex alabaſtro plenam unguento, quo ablutos ejus pedes ungeret; non tenaci illo, quo chirurgi curant vulnera, ſed liquido ex odoriferis herbis expreſſo. Sordes ſic detergebantur; etiam dolor ex laſſitudine temperabatur. Scilicet mulier peccatrix, quæquæ ſit, quam movebat fama Jeſu; tum ut ſublevaret ancillas Simonis vicini forſan & familiaris, cùm cognoviſſet hunc veniſſe intra ædes ſibi notas, & ipſa acceſſit miniſterium exhibitura Domino. Quare non mirum videtur Simoni eam in ædes ſuas non vocatam irrumpere; nec illam arcet. Peccatrix autem illa non, ut ſolebat fieri, aquis pedes Domini lavit. dolore enim commota ob mores, quos conſcia erat Chriſto diſplicere, ſimul & ſummo erga illum amore. 38. *Et ſtans retrò ſecus pedes ejus.* Nam Dominus de more ita accumbebat menſæ, ut caput verſus menſam, pedes verò verſus exteriorem partem haberet. Etenim ſinguli convivæ ſingulos lectos non habebant; ſed aut terni, aut quaterni unum occupabant. Et primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur penè dorſum ſecundi; ſecundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto; pedes jacebant ad tergum tertii: & ſic deinceps tertius, ſic quartus. Ita peccatrix ſtans à tergo ad pedes Chriſti erecta, non provoluta genibus, *lacrymis cæpit rigare pedes ejus*; ut illam hìc exprimendam curavimus. non opus fuit illi aqua; pro lavacro effudit lacrymas, *& capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.*

Peccatricem mulierem ipſam eſſe quæ alibi Magdalena appellatur, oſtendam. Nomen *Magdalena* Hebræum eſt, quo ſignificatur mulier crinium plicatrix. Sabbato crines plicare non licebat; ideò potuit mulier peccatrix appellari Magdalena, quòd plicandis ſuis crinibus quocumque die nimiam curam impenderet alioqui & vitæ genere molli patefaceret non multi facere mandata legis, ideò dicta peccatrix. Animadverſione dignum eſt, quòd Evangeliſtæ ſedulò obſervant eam capillis ſuis abſterſiſſe pedes Domini. Videlicet ut oſtenderent quantum mutaſſet primum vitæ inſtitutum, quæ in eos uſus converteret ſuos crines qui anteà fuerant ſua cura.



39. *Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens: hic* Jeſus *ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Nam Phariſæo ſcitum erat contactu flagitioſorum hominum non minùs quàm leproſorum alios inquinari: non permittebant ſe tangi à Gentilibus. 40. *Et reſpondens Jeſus*, qui interiores cogitationes Simonis intuebatur, quippe Deus *dixit ad illum: Simon*, ſic ergo vocabatur ille Phariſæus: *habeo tibi aliquid dicere*, comiter à convivatore ſuo poſtulat loquendi veniam, *At ille ait: magiſter dic*: 41. *Duo debitores erant*, inquit Jeſus, *cuidam fœneratori*, creditori: *unus debebat* decies plus quàm alter, nempe *denarios quingentos, & alius quinquaginta*. 42. *Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque. Quis ergo eum plus diliget?* vel, ut habet Græcus codex, *diligit*. Quis ex duobus, quibus collatum eſt beneficium, majori dilectione feretur erga eum, qui illud contulit?

43. *Reſpondens Simon dixit: æſtimo* mea opinione, *quia is* plus diliget, *cui plus donavit. At ille*, nempè Jeſus, *dixit ei: rectè judicaſti.* Quia reipſa hoc ſolet fieri, ut pro ratione beneficii; major ſit in beneficum amor. Hæc clara ſunt. Verùm quò tendit hæc parabola? Hujus finis incertus pleriſque interpretibus viſus eſt. Dominum autem opinor voluiſſe ſubindicare Simoni, illam quam deſpiceret mulierem quaſi Deo exoſam, & parum cultui ejus addictam, corripi tamen magno Dei amore. Jeſus verò qui eſſet Deus ſe innuit ipſum eſſe fœneratorem, qui debitoribus ſuum debitum dimiſerit, nempe Simoni, & peccatrici, uterque enim debebat Deo pœnas. Fœnerator, inquam, eſt Deus in illa parabola, ſive ipſe Jeſus, cujus debitor erat ob peccata Simon & mulier peccatrix. Plus illa debebat, quia magis peccatrix; quæ ergo cùm majus debitum illi condonaturus eſſet Deus, juxta reſponſionem Simonis plus dilectura erat Deum. Ardentis amo-

amoris erga Dominum caractere Maria Magdalena inſignita eſt ; ita deſpectui non eſſe habendam Dominus ſignificat.

Quin etiam, quod de parabola non eſt, Dominus innuit Deum non tantummodò plus diligendum à peccatrice, ſed jam plus dilectum, quàm à Simone, nempe ab illa ſe, qui Deus eſt, fuiſſe plus dilectum ; unde ipſa ſanctior, quæ tamen Simoni videbatur peccatrix, & polluens quæ attingeret, majoris, inquam, dilectionis ſibi exhibita fuiſſe ſigna ab iſta peccatrice Jeſus demonſtrat. 44. *Et converſus ad mulierem* Jeſus, *dixit Simoni : Vides hanc mulierem* quam deſpicis ? *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti*, licèt hoſpiti advenienti peregrè. *Hæc autem* neceſſarium illud miniſterium præſtitit modo excellenti, qui affectum ejus prodidit : *lacrymis pedes meos rigavit, & capillis ſuis terſit*. Hæc indicabant animum dolore commotum. Mos olim erat lugentibus corpus humi abjicere laceratis crinibus. Ita refertur de Eſtera, cap. 14. ℣. 2. quòd pro ſuperbis unguentis caput ſuum pulvere & ſtercore oppleverit, omniaque loca in quibus antea lætari conſueverat, laceratis ſuis crinibus repleverit. Paria fermè de ſe commemorat Eſdras, cap. 9. ℣. 3. *Cùmque audiſſem ſermonem iſtum* (de exterarum connubiis) *ſcidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mœrens*. Niſi ſolviſſet capillos ſuos mulier peccatrix, non his potuiſſet pedes Domini abſtergere.

Pergit Dominus ſigna amoris ſibi exhibita à peccatrice enarrare. 45. *Oſculum mihi non dediſti*, mos erat peregrè adventantes excipere oſculo : *hæc autem ex quo intravit* in domum tuam (juxta aliquos codices, ex quo ipſe intravi) *non ceſſavit oſculari pedes meos*. Non dignatus es ori meo oſculum figere, ipſa oſculata eſt pedes meos, quanto in honore me habeat, & quàm demiſſo animo ſe mihi ſubjiciat demonſtrans. 46. *Oleo caput meum non unxiſti* ; nempe unguentis boni odoris, quibus caput perfundebatur, juxta illud Eccleſiaſtis, cap. 9. ℣. 8. *Oleum*, id eſt unguentum *de capite tuo non deficiat*. Mos erat uſitatus, ut liquet ex illis Virgilianis,

—— crines ....

Vibrati calido ferro myrrhaque madentes.

cùm Simon nulla ſuper caput ejus unguenta effudiſſet, ait Dominus de peccatrice: *Hæc autem*, non caput ; ſed quod animi ſe ſubjicientis indicium eſt, *unguento* pretioſo *unxit pedes meos*. Depoſitis ſoleis Judæi perinde ac Romani menſæ accumbebant. Indi, ut refert Curtius, lib. 8. cap. 9. demptis ſoleis, odoribus illinunt pedes.

47. *Propter quod dico tibi : remittuntur ei peccata multa : quoniam dilexit multùm*. Si dilectio anteceſſit remiſſionem peccatorum ; nam ſe contritam dolore, & reſipiſcentem oſtenderat mulier peccatrix, priuſquam audiret peccata ſibi remiſſa eſſe, lacrymæ ejus veniam non poſtulabant, ſed merebantur. Juxta reſponſionem Phariſæi, dicendum fuiſſet : quoniam remiſſa ſunt mulieri multa peccata, diliget multùm ; ſed & hoc verum eſt huic plura condonare creditorem, à quo ſe amari plus intelligit. Addit verò Chriſtus uſus reſponſione Phariſæi : *Cui autem minus dimittitur, minus diligit* ; unde ſequebatur quòd cum exhibitione officiorum peccatrix ſe Chriſtum magis diligere probaret, minus dimiſſum fuiſſe Phariſæo : ſic illo ſanctior peccatrix, quæ credebatur immunda. Ergo Dominus ſuperbiam detrahit Phariſæo, qui ſibi videbatur juſtus.

48. *Dixit autem* Jeſus, *ad illam* peccatricem, ne abundantiori triſtitia abſorberetur : *Remittuntur tibi peccata*. 49. *Et cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe : Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit ?* hoc enim ſolius Dei proprium eſt ; ſed Jeſus ſe Deum modò probaverat. Cùm enim Phariſæus dubitaret, num eſſet propheta ; putabat enim illum ignorare à qua & quali muliere tangeretur ; hanc interiorem cogitationem Phariſæi intueri oſtendit Jeſus ; ſolus autem Deus novit corda hominum. 50. *Dixit autem ad mulierem : fides tua*, qua credidiſti me eſſe verè Chriſtum filium Dei, & ideò dilexiſti, *te ſalvam fecit*, adduxit me, ut tibi peccata condonarem. *Vade in pace* ; jam metum pone Deo placato.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS
IN
HARMONIAM,
SIVE
CONCORDIAM
QUATUOR EVANGELISTARUM.

LIBER TERTIUS.

VITA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI, à primo Paſchate poſt baptiſmum ejus ad ſecundum Paſcha.

CAPUT PRIMUM.

Dominus aſcendit Hieroſolymam ad Paſchatis dies, in quibus ingreſſus Templum, ejicit vendentes boves & oves.

JOANNES Cap. 2. ℣. 13—25.

13 ET † propè erat Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam: † Fer. 2. infra hebd. 4. Quadr.
14 Et invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes.
15 Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.

16 Et

Digitized by Google

16 Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc; & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

† Pſal. 68. 10. 17 Recordati ſunt verò diſcipuli ejus quia ſcriptum eſt: † Zelus domus tuæ comedit me.

18 Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?

* Matt. 26. 21. & 27. 40. Marc. 14. 58. & 15. 29. 19 Reſpondit Jeſus, & dixit eis: † Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

20 Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

21 Ille autem dicebat de Templo corporis ſui.

† Pſalm. 3. 6. & 56. 9. 22 Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat, & † crediderunt ſcripturæ, & ſermoni, quem dixit Jeſus.

23 Cùm autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat.

24 Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes.

25 Et quia opus ei non erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. ¶

TOT tantiſque miraculis patratis in Galilæa, de quibus ſuperiori libro egimus, Jeſus tandem voluit, quem ſe probaverat, Chriſtum palàm agere. Venerat cultum Dei reſtauraturus; ideò in purgando Templo, quod erat, & dicebatur domus Dei, ſuam auctoritatem primùm demonſtravit, ex eo expellens, à quibus pollueretur, tanquam ex paterna domo, quippe unigenitus Dei filius. Non alienam invadere poteſtatem comprobabant anteacta miracula, ubi verò illa poteſtatem exercuiſſet dignius, id eſt ſe declaraviſſet verè filium Dei, quàm in Templo, quæ regia Dei erat; & in quo celebriori conventu, quàm in Paſchatis diebus, quibus ab omni orbis plaga concurrebatur Hieroſolymam? Ea de cauſa, ſimul ut legi pareret, cui ſe ſubditum voluerat, cùm inſtitit feſtum Paſchatis, venit in hancce urbem.

13 *Et propè erat Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam.* Hæc ſubjicit Evangeliſta poſt enarratas nuptias in Cana, cùm dixiſſet de Domino eum deſcendiſſe in urbem Capharnaum cum matre, & ſuis diſcipulis. *Et ibi*, inquit, *manſerunt non multis diebus. Et propè erat Paſcha Judæorum*; quod non accipiendum quaſi rationem ille redderet, cur Dominus multis diebus in Capharnaum non commoratus ſit; neque enim dicit: *nam propè erat Paſcha*; ſed, *& propè erat Paſcha*. Cum Hebræi careant præſenti, & imperfecto tempore, ſæpè illa tempora cum præterito confundunt; ut ſenſus hujuſce loci poſſit eſſe: *& quando propè fuit Paſcha Judæorum, aſcendit Jeſus Hieroſolymam*. Sed etiamſi ſequeremur ſenſum, quem verba Joannis præferre vulgò ſtatuunt interpretes, non ideò tempus illud à nuptiis in Cana ad Paſcha contrahendum eſſet propter illum locum. Nam, ut ſæpiùs animadvertimus, continua narratione res diſſitas conjungunt Evangeliſtæ, cùm viſum eſt illis de harum rerum interſtapedine non facere ſermonem.

Dicit Joannes *Paſcha Judæorum*: jam enim cùm ſcriberet, nempe anno Æræ Chr. 96. poſt everſum Templum annis 26. nomine Paſchatis inter chriſtianos ſignificabatur feſtum, quo Dominicæ reſurrectionis memoria recolebatur. Everſo Templo non ampliùs factum eſt Paſcha Judaicum; nulla enim poſteà fiebant agnorum Paſchalium ſacrificia. Itaque inſtante feſto Judaici Paſchatis, aſcendit Jeſus Hieroſolymam. Sic lex præcipiebat; omnes Judæi tenebantur eo in feſto coram Domino apparere.

14 *Et invenit* Jeſus, *in Templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes.* Lege ipſa conſtitutum videbatur, ut qui victimas, aut dona ex præcepto, vel ex voto debebant, ſi procul Hieroſolymis habitarent, poſſent argento illa ſibi comparare in civitate ſancta; ſic enim lex loquitur de decimis, Deut. cap. 14. ℣. 24. *Cum autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare. 25. Vendes omnia, & in pretium rediges, portabiſque manu tua, & proficiſceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. 26. Et emas ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, ſive ex armentis, ſive ex ovibus, vinum quoque & ſiceram.* Eam tunc temporis quo Chriſtus in terris verſabatur, conſuetudinem

tem fuiſſe ex Judæorum libris diſcimus. *Quiſque*, inquit Maimonides, tractatu *Chagiga*, cap. 1. num. 3. *cùm Hieroſolymam tenderet dies ſolemnes celebraturus, aut paratas eò ſimul agebat hoſtias, quas mactaret in atrio ſe ſiſtens, aut certè lectum unà ſecum ferebat argentum, quo has ſibi coemeret.*

Ubique autem in Evangelio patet avaritiam invaſiſſe, & corrupiſſe animos ſacerdotum; erant enim Hieroſolymis macella, foraque publica; ſed illis non renuentibus, mercatura in ipſo Templo exercebatur. Quod conſtat ex eo loco Evangelii quem nunc tractamus; quod & diſcere poſſumus ex tractatu Maimonidis de apparatu Templi, cap. 7. num. 9. Ibi agit de diverſis præfectis templi, inter quos numerat qui huic mercaturæ præeſſent. *Qui præfectus erat pullis, cum eo paciſcebatur, ut tot pro ſiclo pullos in ſacrificia venderet. Si quis igitur, aut duos turtures, aut columbæ pullos pro ſacrificio debuiſſet, hic illorum pretium afferret in ſanctuarium: tum his, qui iſta faciebant ſacrificia, hominibus pullos ſuppeditabat præfectus ille, cui poſthac quæſtores relatis rationibus pecuniam ſolvebant. Jam de pretio pullorum triceſimo quoque die pactio fiebat. Quòd ſi pactionem conſecuta fuiſſet vilitas, eos pro viliori dare pretio: contrà ſi conſecuta caritas fuiſſet, eos pro pacto pretio venderet: ſemper enim ærarii ſacri conditio ſuperior eſt. Idem etiam ſi pulli reperirentur vitioſi, vel ſi vitio afficerentur, antequam eſſent immolati, pro his teneretur dare alios.* Inde æſtimare licet ſpecie religionis iniquam avaritiam exercitam fuiſſe.

Præter mercatores illos boum, ovium, columbarum, erant in Templi atriis nummularii ſedentes *κερματιςαὶ*, viri ſcilicet qui quæſtum facerent permutandis pecuniis, majoribus nummis cum minutulis. *Κέρμα*, nummulus eſt minutus, fruſtum, ſeu ſegmentum monetæ minutulum. Eoſdem vocat Evangeliſta *κολλυβιςὰς*, ſcilicet trapezitas qui permutarent argenteos nummos, deductione facta pro collybo, vernaculè, *pour le Change*. Ad quid autem hi nummulari ſederent in Templo, docebit locus ille Talmudis, ex capite primo tractatus *Shekalim*, ſive de ſiclis in Talmude. Indicat enim locus ille, cui non ſuppeteret ſpecies nummi dicta in lege, nempe ſiclus, vel ſemi ſiclus, pretio redemiſſe à nummulariis. *Primo die menſis Adar edictum promulgari conſueverat, ut ſemi-ſiclum*, quem capitatim Judæi ex lege ſolvere tenebantur Templo, *paratum haberent. Die decimoquinto ejuſdem menſis exactores in unaquaque civitate conſederunt ut reciperent: huc uſque neminem ſolvere coegerunt. Die verò vigeſimò quinto in Templo conſederunt; & tum ſolvere coegerunt, eorum bona, qui recuſarunt, diſtrahentes . . . . . . Quiſque tenebatur ſemi-ſiclum ſuo nomine ſolvendum paratum habere: cùm igitur quiſquam afferret ſiclum ut pro duobus ſemiſiclis commutaretur, tenebatur ſolvere collybum nummulario. Cùm pro duobus ſiclus allatus fuiſſet, duplex lucrum nummulario debitum erat.*

Cùm igitur in iis multùm peccaretur, neque enim ad mercaturam faciendam paratus locus ſanctus, qui polluebatur ſordibus avaritiæ ſacerdotum, Dominus iſta videns exarſit legitima ira. 15. *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis*; non additur particula *quaſi* in codicibus Græcis, *omnes iſtos mercatores, ejecit de Templo, oveſque & boves, & nummulariorum effudit æs τὸ κέρμα*, nummulos; ibi ergo *æs* ſumendum non pro certa ſpecie metalli, ſed pro pecunia minutula. *Et menſas ſubvertit, τραπέζας*, unde nummularii dicuntur *trapezitæ*. Has menſas ſubvertendo effudit, diſſipavit pecuniam horum trapezitarum, *καὶ τῶν κολλυβιςῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα.*

16. *Et his qui columbas vendebant*, incluſas ne avolarent, & quæ ideò non poterant propelli ut oves, & boves; *dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis*, id eſt forum rerum venalium. Jam neceſſe erat Jeſum inclaruiſſe miraculis, qui nemine contradicente ejiciebat tantam turbam negotiatorum, qui populi pietati ſervirent ſub præſidio ſacerdotum. Quærunt interpretes an in illa re Dominus uſus ſit jure conſueto zelotarum. Ex moribus & conſuetudine Hebræorum, Hebræus à Deo & Dei lege deficiens, aut ducem ſe ad falſos cultus præbens illicò à quovis homine poterat interfici. Judicium zeli id vocant Hebræi, quod à Phinea primo exercitum ajunt (quando Iſraelitam cum Madianitide turpi adulterio conjunctum, conjunxit & occidione) deinde abiiſſe in morem. Quærunt ergo interpretes utrum hocce jure zelotarum uſus ſit Dominus, jus illi non accerſendum ex dicto more, quod ſuppetebat ex natura. Templum domus Dei erat, & ideò huic paterna, ex qua ergo potuit quos lubebat expellere. Ita id unum allegat, pollui domum patris ſui. Non ſemel dixit Templum paternam ſuam eſſe domum; ſic Lucæ cap. 2. innuens Mariæ & Joſepho non alibi eum quærere debuiſſe, quàm in Templo: *Neſciebatis*, inquiebat, *quia in iis quæ patris mei ſunt oportet me eſſe.* Attamen tunc puer erat nondum factus Deus, ſi ut impiè cogitabat Socinus, ab æterno Deus non eſt. An Templum Dei ita proprium ſibi faceret, ſi verè non erat Deus?

17. *Recordati ſunt verò diſcipuli ejus quia ſcriptum eſt* in libro pſalmorum, Pſalmo 68. ℣. 13. *Zelus domus tuæ comedit me.* Conſtabat ex traditione, & ex doctorum conſenſu ſub Pſaltis perſona Meſſiam ibi deſcribi, ut li-

liquet ex hoc ipſo pſalmo. *Zelus*, id eſt juſta indignatio *domus tuæ*, pro domo tua, ob prophanationem Templi tui comedit me, id eſt emaciavit, ſuccum vitalem exhauſit.

18. *Reſponderunt ergo Judæi*, videntes Jeſum pro imperio ſe gerentem: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Quando quidem hoc facias, quo miraculo ſignificare potes tali te auctoritate pollere. Ede ſignum, videlicet aliquod miraculum, ex quo conſtare poſſit virtus tua, ſimul & auctoritas.

19. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; iſta verba ſunt prædicentis, & non jubentis: quaſi dicat, ſcio me à vobis occidendum; ſed ego me ipſe ab interitu revocabo, & tunc reſurrectio mea ſignum erit quo conſtabit me verè fuiſſe filium Dei. Jeſus autem loquitur ut auctor vitæ, & mortis deſtructor, non dicens *excitabit pater*, ſed *excitabo* propria virtute. Cæterùm Judæi de lapideo Templo ipſum loqui autumantes deridebant eum.

20. *Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* In Chronologia oſtendimus verè ab eo tempore quo Herodes cœpit templum inſtaurare uſque ad annum æræ chriſtianæ trigeſimum primum quo hæc Judæi Chriſto objiciebant, quadraginta & ſex annos effluxiſſe. Scribit quidem Joſephus annis octo ſtructutam Templi ab Herode completam, ſed idem hiſtoricus aſſerit ſemper Templo aliquid additum; & decem & octo mille operarios in eo occupatos fuiſſe, nec perfectum niſi ſub Agrippa juniore. Senſus ergo Judæorum erat: à quadraginta & ſex annis ædificatum eſt, id eſt ædificatur Templum hoc: tot anni impenſi ſunt huic ædificando, & nondum perfectum eſt.

21. *Ille autem dicebat de Templo corporis ſui.* Corpus enim ſuum verè ναὸς, id eſt templum quod inhabitaret Deus; ut Paulus adſtruit, cap. 2. ad Coloſſ. *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, σωματικῶς, id eſt reipſa. Hæc omnia aperta ſunt in dogmate orthodoxo, machinis à Socino contorquenda, ut videantur alium ſenſum habere quàm quem præfert ſcriptura. Jeſus non potuit corpus ſuum ſimpliciter appellare *Templum* ſi Deus non fuit. Majus autem miraculum eſt ſe ipſum qui mortuus eſt, à mortuis excitaſſe, quàm templum è lapidibus ſtruere; ſolus enim Deus vivificare poteſt; templum verò opera manuum hominum ædificatur.

22. *Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat.* Cùm hæc dixit, mentem illi non advertebant, ſed reſurrectio ejus in memoriam revocavit illa ab eo fuiſſe dicta, *Et crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Jeſus.* Scilicet ex eventu, cùm reſurgentem viderunt, tunc intellexerunt eum verè fuiſſe Meſſiam, de quo vera prædixerant ſcripturæ, & eum veracem fuiſſe, cujus prædictiones completæ. Inter multa ſigna, quibus apparuit Jeſum fuiſſe filium Dei, efficax fuit reſurrectio ejus; ideò non ſemel illam indicavit futuram, cùm Judæi ab eo ſignum petiere.

23. *Cùm autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto*: dum tranſigeret dies feſtos Paſchatis in urbe ſancta, *multi crediderunt in nomine ejus*; agnoverunt eum eſſe Chriſtum Dei, *videntes ſigna ejus, quæ faciebat*, illa nempe tot tantaque quæ priùs in Galilæa ediderat; neque enim videtur Joannes indicare ſolùm aquam mutatam in vinum, de quo ſolo miraculo loquitur; & quod non potuit multum rumorem excitare, quia Cana locus obſcurus; de ejectis autem vendentibus non loquitur Joannes; neque enim pro conſpicuo miraculo illa ejectio haberi poteſt; ergo ſic accipienda ſigna quibus plerique adducebantur ad credendum, ut plura edita fuerint ante huncce diem.

24. *Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes.* Hæc non accipienda de iis qui jam crediderant, niſi intelligatur Jeſum prævidiſſe, fore ut non omnes qui credidiſſent, perſeverarent in fide. Pronum eſt magis id interpretari de pleriſque Judæis, qui non crederent; quibus diffidens cum iis non ſecurè agebat, ideò occultabat ſe, ſera nocte Bethaniam ſe recipiens, unde manè petebat Templum.

25. *Et quia opus ei non erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*, quod ſolius Dei proprium eſt. *Plus noverat artifex quid eſſet in opere ſuo*, inquit beatus Auguſtinus, *quàm ipſum opus quid eſſet in ſemetipſo.* An Evangeliſta eam ſcientiam huic vindicaſſet, quem non credidiſſet Deum?

Digitized by Google

CAPUT II.

Nicodemus Dominum noctu adiit.

JOANNES, Cap. 3. ℣. 1—21.

1 * ERat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum. * *In Invent. S. Crucis.*
2 Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei: Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.
3 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.
4 Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?
5 Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.
6 Quod natum ex carne, caro eſt: & quod natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt.
7 Non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò.
8 Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, † ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. † *Pſal.134.7.*
9 Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?
10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?
11 Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.
12 Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?
13 Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.
14 † Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis. † *Num.21.9.*
15 Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. ¶
16 * † Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. * *Fer.2. infra Octav. Pent.* † *1. Joan.4.9.*
17 Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.
18 Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.
19 Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.
20 Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.
21 Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus quia in Deo ſunt facta. ¶

HOCCE colloquium cum Nicodemo Dominus habuiſſe videtur Hieroſolymis in die feſto, quando, ut ait Evangeliſta, *multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat*. Id indicant ipſa verba Nicodemi ad Dominum: *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Præterea non alibi quàm Hieroſolymis, aut prope Hieroſolyma ſic obſervatus fuiſſet Dominus à Phariſæis, ut à Nicodemo noctu adeundus fuerit.

1 *Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine*. Nomen illud Græcum eſt. Pridem apud Judæos mos invaluerat ſumendi nomina Græca. Jeſus Simonis filius Jaſonem ſe vocari maluerat, ut ſcribit Joſephus, lib. 12. cap. 6. ſicut frater ejus pro Onia Menelaus dictus eſt. *Princeps Judæorum*, ἄρχων. hoc eſt, vir primarius. In veteri teſtamento, ſæpiùs in Græca verſione ἄρχων ponitur pro ראשון *riſchon*, id eſt *prior*, *primus*. Nicodemus ergo vir erat primarius.

2 *Hic venit ad Jeſum nocte*: ſcilicet timens, ne odium Phariſæorum ſibi conciliaret, ſi intellexiſſent ab eo Jeſum multi fieri. Unde liquet Dominum ſtatim incurriſſe in odium Phariſæorum. Cauſa odii, quia cùm eos non ſectaretur, putabant ſibi adverſari: idcircò qui eorum poteſtatem ſubverebantur, Jeſum fugiebant, ne cum illo ſtantes viderentur in contrarias partes tranſiiſſe. Hac formidine perculſus Nicodemus Dominum adiit noctu; *& dixit: Rabbi*: ſic doctores, & judices appellabantur; *ſcimus*, ego, & quicumque rectè judicant, ſive vulgò agnoſcitur, *quia à Deo veniſti*, miſſus ab eo *magiſter*, doctor cum poteſtate docendi populum. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*, efficacia ſua ipſi præſens. Vera eſt ergo tua doctrina, cui Deus ſigilla ſua apponit; & quam confirmat tot tantiſque miraculis, quæ tu operaris.

3 *Reſpondit Jeſus, & dixit: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei*. Reſponſio illa innuit Dominum à Nicodemo interrogatum de regno cœlorum, quæ eſſet ad illud via. Denuntiat ergo Dominus regnum Dei: ſic Judæi appellabant regnum illud ſtatuendum à Meſſia, ſub quo vigeret cultus Dei, & ita regnaret Deus; denuntiat, inquam, Dominus regnum Dei poſtulare novam vitam, novos mores: ut qui non renatus fuerit ἄνωθεν (quod Latinus interpres reddit *denuò*) non poſſit videre illud regnum, id eſt, in illud ingredi, nec hujus eſſe participem. Adverbium autem ἄνωθεν, anceps eſt; nam idem pollet, quod πάλιν, δεύτερον, *iterum*, *denuo*, ut referatur ad tempus retroactum, aut ἀπὸ τῶν ἄνω; id eſt, *supernè*, ſive *de ſupernis*. Nicodemus accepit in primo ſignificatu.

4 *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ δεύτερον, iteratò introire, & renaſci?* Adhuc carnalis etiam ſpiritualia carnaliter intelligebat.

5 *Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Putabant Judæi ferè omnes ita ad ſe attinere Meſſiam, ut ſibi eripi non poſſet. Joannes jam eis ſignificaverat, ut eo digni eſſent, reſipiſcendum à peccatis, & deponendas ſordes animi, ideo baptizaverat eos aquis; declarans quòd alius baptiſmus inſuper requireretur, nimirum interior, qui non ſordes carnis ablueret, ſed mentem renovaret; quem baptiſmum ſolus Meſſias poſſet conferre: *ipſe vos*, ajebat Joannes, *baptizabit in Spiritu ſancto & igni*. Igne purgabit, nempè omnino vos mundos faciet gratia Spiritus ſancti. Hoc eſt quod dicit Dominus clariori utens ſermone: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*: qui non ablutus fuerit ſordibus peccatorum, interiorem munditiem in eo operante Spiritu ſancto; & quaſi infans recens natus novam vitam non inierit, *non poteſt introire in regnum Dei*: non aptus eſt regno meo, ſive dignus ut fiat diſcipulus meus. Antiquitas orthodoxa inde interpretata eſt neceſſarium eſſe baptiſmum, in cujus aquis, ut ait Tertullianus, naſcimur, ſive potiùs ſimus chriſtiani; etenim, ut idem ait, *fiunt, non naſcuntur chriſtiani*. Propterea cùm parvuli baptizandi feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe, inquit Auguſtinus: *Omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate*. Verba ſunt Tertulliani, lib. de anima, cap. 40. quem lubentiùs allego, quia ſunt qui opinentur peccatum originis novam eſſe doctrinam adverſus Pelagianos ab Auguſtino adinventam. Omnis antiquitas orthodoxa credidit homines naſci reos. *Solus enim Deus ſine peccato, & ſolus homo ſine peccato Chriſtus, quia & Deus Chriſtus*, ait idem Tertullianus, capite 41. ejuſdem operas citati.

6 *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*. Carnali generatione caro naſcitur; ſpiritali novus homo factus novam vitam inchoat, quæ ſunt carnis jam non ſapiens, ſed quæ ſpiritus. Scilicet non vivens more pecudum, quæ motus carnis ſequuntur, ſed parens monitis rationis. Ita quod *natum eſt ex ſpiritu*, ſive quod reformatum eſt interiori ſpiritu, *ſpiritus eſt*. Fit homo ſpiritualis, cujus regeneratio non ſubjicitur corporis oculis, qui percipere non poſſunt quid ſpiritus Dei intus agat; unde dicebat Hilarius Magnus, lib. 13. de Trinit. *Regenerationis meæ*

ſidem

ſidem obtinens neſcio, *& quod ignoro*, *jam teneo*. *Sine ſenſu enim non renaſcor*, *cum efficientia renaſcendi*. Ideò ne iſta regeneratio omnino incredibilis videretur Nicodemo, oſtendit Dominus id quod non cerni poſſet, intelligi poſse ex effectis, nempe ex nova vita, & ex novis moribus. 7. *Non mireris quia dixi tibi: oportet vos naſci denuò*. Etenim non neceſse eſt, ut iſta nativitas in oculos tuos incurrat, ut eam credas; quod demonſtrat Dominus comparatione, quam ſumit à vento, quia & ventus dicitur ſpiritus.

8 *Spiritus*, id eſt ventus, *ubi vult ſpirat*: libero & vago motu movens ſe, nunc huc nunc illuc. De vento autem loquitur ut de perſona, more Hebræis uſitatiſſimo. *Et vocem ejus audis*: audis ſonum ejus; *ſed neſcis unde veniat*, non cernis originem ejus, *aut quò vadat*, ubi deſinat. Liquet hìc deſcribi ventum corporeum. *Sic eſt omnis*, *qui natus eſt ex ſpiritu*. Id eſt ſic agitur cum eo qui ex ſpiritu naſcitur, qui ſpirante Spiritu ſancto renovatur. Hominis renati opera conſpiciuntur, latet origo, & finis.

Hocce exemplum etſi apertum non intelligens. 9. *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei*: *Quomodo poſſunt hæc fieri*: ut homo ſic naſcatur, regenitus ope Spiritus ſancti, idque fiat nobis inſciis.

10 *Reſpondit Jeſus*, *& dixit ei*: *Tu es magiſter in Iſrael*, *ὁ διδάσκαλος*, Iſraelis, *& hæc ignoras?* Meritò arguit Nicodemum ignorantiæ; etenim paſſim apud Judæos dicebatur, qui proſelytus factus ſit, eum eſse ſicut parvulum recens natum. *Proſelytus quis factus*, *eſt ſicut parvulus jam natus*. ut in tractatu *Talmudis Jevamoth*, dicitur. *Ethnicus*, inquit Maimonides, *Iſſure Biah*. cap. 14. *qui fit proſelytus*, *& ſervus qui eſt manu miſſus*, *ecce ille eſt ſicut parvulus jam natus*. *Atque omnes cognati*, *quos habuit*, *cùm eſſet Ethnicus*, *aut ſervus*, *non jam ſunt ejus cognati*. Debuerat ergo Nicodemus Judæus & doctor non ignorare quomodo quis iterum poſset renaſci. Præterea aperta ſunt Jeremiæ & Ezechielis vaticinia, de corde novo creando temporibus Meſſiæ. Sicut autem tribus initiamentis inierant Iſraelitæ fœdus cum Deo, nempe circumciſione, baptiſmo, & ſacrificio; pariter Dominus non admiſit quemquam in novum fœdus niſi priùs baptizatum; ſed eo diſcrimine, quòd Judaicum baptiſma carnem tantùm ablueret, chriſtianum verò quod fit non ex aqua ſola, ſed & ex Spiritu ſancto, etiam purget animi ſordes. Sanguis quem pro omnibus fudit Chriſtus, jam inutilem circumciſionem, & inutilia ſacrificia facit; ut ſufficiat per baptiſmum huic conjungi; Chriſtum enim baptizati induimus, ut ait Apoſtolus, participes ſanguinis ejus pretioſioris hocce ſanguine, quem olim fundebant Judæi ex vulnere circumciſionis, & ex pecudum ſacrificiis.

11 *Amen*, *amen dico tibi*, *quia quod ſcimus*, *loquimur*. Nicodemus ducebatur amore veritatis, ideò illam declarat Dominus verbis apertis, cùm accipiuntur catholico ſenſu. vera, inquam, tibi dico, ait Dominus, comperta & explorata. *Et quod vidimus teſtamur*; occulati enim ſumus teſtes. Agitur de doctrina patris cœleſtis, cujus in ſinu ego unigenitus ejus omnia arcana didici. Attamen *& teſtimonium noſtrum* vos Phariſæi, *non accipitis*.

12 *Si terrena dixi vobis*, proponens hæc rudimenta Evangelii, quæ quaſi terrena ſunt reſpectu aliorum myſteriorum, *& non creditis*, nec intelligitis: *quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis*, & intelligetis, nempe myſteria altiora. Dominus ſignificat ſibi ſoli patere myſteria regni cœlorum, quia non alius in cœlum aſcendiſset, inde arcana Dei revelaturus; ipſe autem deſcendiſset de cœlo, qui in terris degens ſimul erat in cœlo.

13 *Et nemo aſcendit*, ἀναβέβηκεν in præterito, *in cœlum* hactenus, ut arcanam Dei doctrinam inde deduceret in terras, *niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis*; nempe ipſe ego. Locum pronominis tenet hæc phraſis *filius hominis*, ut ſæpiùs vidimus: *qui eſt in cœlo*, qui licèt in terris verſetur, cœlum tamen inhabitat. Hæc omnia plana, & aperta ſunt his qui Chriſtum credunt æternum Dei patris Verbum, in tempore factum hominem. Hæc ut perverſo ſuo dogmati accommodet Socinus, cogitur comminiſci aliquam Chriſti peregrinationem in cœlum ante illud cum Nicodemo colloquium. Hocce commentum riſu potiùs, quàm argumentis revinci debet. Contrarium eſt ſcripturis; in quibus videre eſt, ut olim ſummo ſacerdoti non patebat ſanctum ſanctorum niſi poſt mactatum vitulum, ita non introiiſse cœlos Chriſtum hominem niſi poſt fuſum in cruce proprium ſanguinem. Sed illis Chriſti verbis Socinus vincitur: *qui eſt in cœlo*. ſi enim Chriſtus quatenus homo cœlum aſcendiſset; eo tempore quo deſcenderat, jam non erat in cœlo. Commentitia illa peregrinatio cùm Socini diſcipulis non placeret, maluere vim verbis Evangeliſtæ afferre; dicunt enim *aſcendere in cœlum*, eo in loco nihil aliud eſse, quàm rerum divinarum & cœleſtium myſteriorum eſse conſcium; *& deſcendere de cœlo*, idem eſse ac mitti à Deo doctorem cum ſapientia, & poteſtate divina. Per deſcenſum, inquit Enjedinus, ſignificatur nativitas cœleſtis, per aſcenſum verò intellectio. *Eſſe* autem *in cœlo*, non eſt hoc loco aliud, quàm frui intelligentia, & cognitione rerum cœleſtium.

An deerat proprius ſermo tum Evangeliſtæ, cùm de Chriſto diſserit, tum Chriſto cùm ipſe loquitur, ut compulſus ſit uti translato, qui ubiquè violenter adducendus eſset ad doctrinam, quam patefaciendam ſuſcipiebat, ſi credi-

mus his heterodoxis. cùm è contra orthodoxæ doctrinæ ſermo Evangelicus conveniat acceptus in propria ſua ſignificatione. Hæc quæ ibi dicit Dominus teſtans non ignota loqui, prorſus eadem ſunt, quibus Joannes in exordio Evangelii confirmat, quæ ſcripſerat de Verbo Dei: *Unigenitus filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarravit.* Quærerem ultrò ab iis qui per deſcenſum è cœlo intelligunt nativitatem cœleſtem, id eſt Chriſti apotheoſim; quo tempore illa apotheoſis facta ſit, ſcilicet Jeſus priùs homo merus, poſteà homo natus, factus ſit Deus; à quo tempore potuerit ſe gerere pro Deo; quod antè non ei licebat. ſed diutiùs cum ineptis non minus quàm impiis hæreticis confabulari non decet: repetamus Domini cum Nicodemo colloquium.

Quoniam cœperat Dominus ſe cognoſcendum præbere Nicodemo, declarat quæ eum ſpectarent, & ferè omnibus Judæis ignota eſſent, ſcilicet oportere eum pati. 14. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ego ipſe exaltandus ſum, id eſt, in crucem agendus. Revocat in mentem Nicodemi antiquum typum. Olim ſimilitudine ſerpentis Moyſes ſanaverat morſus veri ſerpentis. Ita ſimilitudine peccati, ſive formam peccatoris accipiens Chriſtus ſanaturus erat peccatum, cujus origo fuerat Adamus læſus à diabolo deliteſcente ſub forma ſerpentis.

15. *Ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed vitam habeat æternam.* Iſraelitæ à ſerpentibus læſi ſtatim, ac aſpexiſſent ſimilitudinem ſerpentis, nempe ſerpentem æneum, quem exaltaverat Moyſes, ſanabantur. Hoc typo docebantur, quòd qui crederent in Chriſtum, intuitu fidei eum aſpicientes, non perituri eſſent vulnere ſerpentis, qui Adamum læſit & omne hominum genus.

16. *Sic enim Deus dilexit mundum,* omnes homines, non tantùm Judæos, ut illi ſtultè opinabantur, *ut filium ſuum unigenitum daret.* Jeſus ſe profitetur verè Dei filium, verè Chriſtum, quem Judæi ſciebant eſſe filium Dei. *ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed vitam habeat æternam.* Dedit Deus pater filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris; ut pretio ſanguinis ejus redimeretur à morte æterna.

17. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum,* ἵνα κρίνῃ: id eſt, ut damnet nationes, pœnas exigat ab eis, quas ſibi ſubjiciendas à Chriſto ſperabant Judæi, *ſed ut ſalvetur mundus per ipſum;* ut omnes nationes, quotquot crediderint, ſine diſcrimine ſerventur. *Venit Chriſtus,* hæc Auguſtinus ad hunc locum, *ſed primò ſalvare, poſtea judicare: eos judicando in pœnam, qui ſalvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt. Prima ergo diſpenſatio Domini noſtri Jeſu Chriſti medicinalis eſt, non juditialis: nam ſi primò veniſſet judicaturus, neminem inveniſſet cui præmia juſtitiæ redderet. quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino neminem eſſe immunem à morte peccati: priùs erat ejus miſericordia præroganda, & poſt exſerendum juditium.*

18. *Qui credit in eum,* ſive Judæus, ſive Gentilis *non judicatur,* non damnabitur; *qui autem non credit,* licèt Judæus, *jam judicatus eſt:* jam æquo judicio damnatus eſt. contra opinionem Judæorum, apud quos celebre effatum erat, quod legere eſt in tractatu *ſanhedrin*, cap. 1. *Univerſo Iſraeli eſſe portionem in mundo futuro:* hoc eſt, in regno Meſſiæ. Judæus verò jam judicatus eſt, inquiebat Chriſtus, *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Quamquam enim tot tantaque miracula ediderit Jeſus, non ei credebant major pars Judæorum; imprimis proceres, ut ipſe queritur verbis ſequentibus.

29. *Hoc eſt autem judicium:* id eſt, cauſa condemnationis, *quia lux venit in mundum.* Ego ipſe qui illumino omnem mundum; *& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem;* duces cæcos; nempè mihi præferunt Phariſæos, qui me fugiunt qui ego lux ſum; *erant enim eorum mala opera.* ſcilicet non mirum eſt ſi me lucem fugiant. 20. *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus:* pudet enim eos turpes videri.

21. *Qui autem facit veritatem,* qui ambulat in veritate, qui ſincerè agit; veritas pro integritate, & ſinceritate uſurpatur ab Hebræis; ita Judæis Græcè loquentibus *ἀλήθεια, δικαιοσύνη, ἁπλότης.* ſunt ſynonima. Qui ergo integro corde eſt juſtus, & rectus *venit ad lucem ut manifeſtentur opera ejus,* ut illa appareant qualia ſunt; *quia in Deo ſunt facta;* id eſt legi ejus conſentanea, & ideò digna laude; qua laude Chriſtus tacitè collaudat Nicodemum, qui ad illum venerat.

CAPUT III.

Phariſæi diſcipulis Domini dant vitio, quòd in die ſabbati ſpicas vellerent; at legi id non eſſe contrarium Dominus revincit.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 1-8.	MARC. Cap. 2. ℣. 23-28.	LUCAS, Cap. 6. ℣. 1-5.	
1 *L* FActum eſt autem in ſabbato ſecundo primo, cùm tranſiret per ſata, † vellebant diſcipuli ejus *Mt.* eſurientes *L* ſpicas & manducabant confricantes manibus.	1 In illo tempore abiit Jeſus per ſata ſabbato: diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare.	23 Et factum eſt iterùm, cùm Dominus ſabbatis ambularet per ſata, & diſcipuli ejus cœperunt progredi, & vellere ſpicas.	1 Factum eſt autem in ſabbato ſecundo primo, cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus.	† *Deut.* 23. 25.
2 Quidam autem Phariſæorum, dicebant illis: Quid facitis † quod non licet in ſabbatis?	2 Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis.	24 Phariſæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt ſabbatis quod non licet?	2 Quidam autem Phariſæorum dicebant illis; Quid facitis quod non licet in ſabbatis?	† *Exod.* 20. 10. & 23. 12. 31. 15. & 35. 2.
3 Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant.	3 At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit David quando eſuriit, & qui cum eo erant.	25 Et ait illis; Nunquam legiſtis quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant.	3 Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant.	
4 *Mc.* † Quomodo introivit in domum Dei, ſub Abiathar principe ſacerdotum, *L* & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant, *Mt.* quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus. †	4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus?	26 Quomodo introivit in domũ Dei, ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant?	4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant, quos non licet manducare, niſi tantùm ſacerdotibus?	† 1. *Reg.* 21. 6. † *Exod.* 29. 32. *Levit.* 24. 6.

MATTHÆUS.

5 Aut non legiſtis in lege, † quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt? † *Levit.* 24. 9. *Num.* 28. 9.

6 Dico autem vobis, quia templo major eſt hic.

7 Si autem ſciretis quid eſt: † Miſericordiam volo, & non ſacrificium; nunquam condemnaſſetis innocentes. † *Oſe.* 6. 6. 1. *Reg.* 15. 22.

MARCUS.

8 * 27 Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 Itaque *L* & dicebat illis: Quia *MM. L* Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.	8 Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.	28 Itaque Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.	5 Et dicebat illis: Quia Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.

SABBATUM illud δευτερόπρωτον, *ſecundo-primum*, qualecumque ſit, non poteſt ex circumſtantiis hiſtoriæ quæ hic narratur, præceſiſſe feſtum Paſchatis. Etenim non licebat falces mittere in meſſem, atque adeò nec ſpicas vellere ante oblatum manipulum, quæ oblatio fiebat altera die Paſchatis. Levit. cap. 23. ℣. 14. *Panem, & polentam, & pultes*, in fonte כרמל *carmel*, id eſt, ſpicam virentem *non comedetis ex ſegete uſque ad diem, qua offeretis ex ea Deo veſtro*. Phariſæi non queruntur hanc legem violaram, ſed id unum quòd ea fierent, quæ non licita erant ſabbatis.

Quo tempore poſt Paſcha præciſè contingeret ſabbarum ſecundo-primum, expendimus in chronologicis, ubi non ſpernendis argumentis ſtatuimus incidiſſe in hebdomadam primam ex ſeptem hebdomadibus quæ numerabantur ἀπὸ τῆς δευτέρας, à ſecunda die Paſchatis uſque ad Pentecoſten. Hebdomades illæ inter Judæos Græcè loquentes; nomen ſuum accipiebant à primo illo ſuo termino ἀπὸ τῆς δευτέρας, à ſecundo die qua offerebatur manipulus novæ meſſis, & à numero ſuo. Videlicet hebdomada prima dicebatur δευτερόπρωτον, *ſecundo-prima*, quæ ſequebatur *ſecundo-ſecunda*, ita de aliis. Sabbatum ſecundo-primum hocce anno, qui trigeſimus primus eſt Æræ Chriſtianæ incidiſſe diximus in trigeſimam primam diem Martii. Cum igitur tam proximum fuerit diebus Paſchatis, quos Dominus tranſegit Hieroſolymis, hiſtoriaque tali ſabbato fieri contigit, non alibi quàm in agris Hieroſolymitanis acta cenſeri poteſt; unde videre eſt hic Phariſæos occurrere qui ſolebant degere in urbe ſancta. His præmiſſis jam expendamus Evangelicum textum.

1 * 1. *L Factum eſt autem in ſabbato ſecundo-primo cùm tranſiret* Jeſus, *per ſata, vellebant diſcipuli ejus, Mt. eſurientes L. ſpicas, & manducabant confricantes manibus*. Id ex lege licebat, Deuter. cap. 23. ℣. 25. Quiſque tranſiens per ſata poterat ſpicas decerpere, modò falce non meteret. Sed unde diſcipuli eſuriebant, & in die ſabbati progrederentur, & tranſirent per ſata, cùm quieſcendum eſſet? Sic nodum ſolvo. Dominus præcavens inſidias Phariſæorum, non apparebat Hieroſolymis niſi in Templo, non cubabat, forſan, nec cibum capiebat in hac urbe. Cùm ergo ex Templo reverteretur in aliquod ſuburbium, quod non diſtaret urbe ultra iter ſabbati, id eſt quod confici poſſet in ſabbato. cùm, inquam, reverteretur in hocce ſuburbium, ut ibi comederet, diſcipuli cœperunt vellere ſpicas, ſiquidem eſurirent jejuni, nam ſabbati diebus non licebat Judæis cibum ſumere, antequam Templum, vel ſynagogam adiiſſent, ut nos docent commentarii Judæorum, & confirmat Joſephus, lib. de vita ſua, ubi obſervat non niſi poſt horam ſextam, id eſt poſt meridiem Judæos legitimè potuiſſe prandere ſabbati diebus. Non ergo mirum, ſi diſcipuli qui ex ſuburbio aliquo remoto Hieroſolymam ierant, inde revertentes, compulſi fuerint fame ſpicas vellere. Hæc dum facerent, deprehenſi ſunt à Phariſæis, qui id pro illicito opere habebant.

2 * 2. *Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: quid facitis quod non licet in ſabbatis?* Vellere ſpicas reputabatur ſpecies meſſionis, ſicut confricare ſpecies trituræ. *metens ſabbato vel tantillum, reus eſt. Et vellere ſpicas eſt ſpecies meſſionis. Et quicumque aliquid decerpit à germinatione ſua, reus eſt ſub nomine metentis*. Maimonides de ſabbato, cap. 8.

3 * 3. *Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe & qui cum illo erant*. 4 * 26. *Mc. Quomodo intravit in domum Dei*, locum ubi tunc temporis Tabernaculum erat, *ſub Abiathar principe ſacerdotum*. 1. Reg. cap. 21. ℣. 6. Pontifex ille vocatur Achimelech pater ipſius Abiathari. Quid ergo hic dicendum? alii Abiatharum fuiſſe vicarium patris: alii patrem, & filium fuiſſe binomines, ut uterque modò Achimelech, modò Abiathar diceretur. Mirum eſt, inquit Beza, totam hanc particulam in illo meo vetuſto codice non legi, ut ex albo, ubi malè fuerit hoc notatum, videri poſſit in contextum irrepſiſſe, & quidem jam olim, cùm multos ex veteribus hic locus torſerit, & Syrus etiam interpres hæc legat.

Quiſquis ſit ſummus Pontifex ſub quo res contigerit, David Tabernaculum Dei ingreſſus eſt. *L & panes propoſitionis ſumpſit*, qui ante Arcam Dei proponebantur, *& manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant*, ſociis ſuis, *Mt. quos non licebat ei edere; neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus*, poſtquam remoti erant à conſpectu Dei. Dominus pro conceſſo ſumit id à Davide factum ſine culpa; neque enim vitio ei fuit datum; unde ſequebatur veniam dari neceſſitati.

5 * 5. *Mt. Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in Templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt?* Poterant mactare victimas, & quodlibet opus facere cauſa cultus Dei; opus enim ſervile quod fit in ſacris, non eſt ſervile, ut dicitur in Talmude Hieroſolymitano, tract. de ſabb. *Eadem opera, quæ in Templo præſtita ſunt diebus aliis*, ait Maimonides in Corban peſach. cap. 1. *præſtita ſunt etiam ſabbato. Non eſt ſabbatiſmus in Templo omnino. Quidquid ne ſabbato fieret, auctoritate ſapientum erat interdictum, in Templo uſquaque permiſſum erat*. Inde argumentum ducere potuit Dominus, quòd diſcipulis ſuis, eo præſente, quippe qui eſſet Deus, liceret quod alibi fuiſſet illicitum; locus enim omnis pro Templo eſt in quo Dei majeſtas ſe præſen-

rem

rem monſtrat. Hæc expoſitio confirmatur verbis ipſis Domini ſequentibus. 6 * 6. *Dico autem vobis quia Templo major eſt hic.* Interpres Latinus legit μεῖζων ἐστὶν ὧδε. pleraque autem vetera exemplaria, & Theophilactus quoque legunt μεῖζον, id eſt majus quippiam eſt hic, ſubauditur enim τι. ſcilicet majus quippiam quàm illud Templum, ſicut apud eundem Matthæum in eodem capite. ℣. 41. καὶ ἰδοὺ, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε & ecce pluſquam Jonàs hic; Quidquid ſit de iſta lectione, Dominus dicit eùm Templo major fuerit eo in loco, ſive quippiam majus quàm Templum, nimirum eo præſente ut coram Deo nullum opus quod ſit neceſſarium, haberi poſſe pro illicito. Ita Jeſus ſe Deum facit: iniquè ſi natura homo fuiſſet, nomine ſolo Deus, ut impiè ſentiunt Sociniani.

7 * 7. *Si autem ſciretis quid eſt*: ſi veram haberetis intelligentiam horum verborum: *miſericordiam volo, & non ſacrificium*, id eſt gratius eſſe Deo miſereſcere, quàm ei offerre victimas, *nunquam condemnaſſetis innocentes* tam inclementer. Benignus eſt Deus erga homines; unde ergo vos tam duri?

8 * 27. *Mc. Et dicebat eis: ſabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.* Sabbatum inſtitutum eſt cauſa hominis, ut à labore quieſcat; ergo non neceſſe eſt ut homo laboret fame propter ſabbati religionem. 9 * 28. *Itaque L 5. Et dicebat illis: quia MM. L Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.* Ergo ſabbatum cauſa hominis inſtitutum cedere debet hominis utilitati. Homo eſt dominus ſabbati. Quia verò, ut vidimus, *Filius hominis*, tenere poteſt locum pronominis *ego*, ſic interpretari poſſumus hæc verba, ut Jeſus Phariſæorum criminationes revincat, dicendo, quia *Filius hominis*, nempe ego ipſe ſabbati dominus, poſſum legis ſabbati rigorem temperare. etenim pro Deo ſummo Jeſus ſeſe gerit.

CAPUT IV.

Hominem cujus manus arida erat, ſanat Dominus in die ſabbati, Phariſæos qui eum arguebant violatæ legis, confutat.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 9-13.	MARC. Cap. 3. ℣. 1-5.	LUCAS Cap. 6. ℣. 6-11.
1 L FActum eſt autem & in alio ſabbato, Mt. & cùm inde tranſiſſet, L ut intraret in ſynagogam, & doceret.	9 Et cùm inde tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum.	1 Et introivit iterùm in ſynagogam:	6 Factum eſt autem & in alio ſabbato, ut intraret in ſynagogam, & doceret.
2 Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.	10 Et ecce homo manum habens aridam,	& erat ibi homo habens manum aridam.	Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.
3 Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, † ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum.		2 Et obſervabant eum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum.	7 Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum. † *Joan.* 9. 16.
4 Mt. Et interrogabant eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum.	& interrogabant eum dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum.		
5 L Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.		3 Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.	8 Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.
6 Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſi Mc. L licet ſabbatis benefacere, an malè? animam ſalvam facere, an perdere? Mc. At illi tacebant.		4 Et dicit eis: Licet ſabbatis benefacere, an malè? Animam ſalvam facere, an perdere? At illi tacebant.	9 Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos; ſi licet ſabbatis benefacere, an malè? Animam ſalvam facere, an perdere?

liquet ex hoc ipſo pſalmo, *Zelus*, id eſt juſta indignatio *domus tuæ*, pro domo tua, ob prophanationem Templi tui comedit me, id eſt emaciavit, ſuccum vitalem exhauſit.

18. *Reſponderunt ergo Judæi*, videntes Jeſum pro imperio ſe gerentem: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Quando quidem hoc facias, quo miraculo ſignificare potes tali te auctoritate pollere. Ede ſignum, videlicet aliquod miraculum, ex quo conſtare poſſit virtus tua, ſimul & auctoritas.

19. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; iſta verba ſunt prædicentis, & non jubentis: quaſi dicat, ſcio me à vobis occidendum; ſed ego me ipſe ab interitu revocabo, & tunc reſurrectio mea ſignum erit quo conſtabit me verè fuiſſe filium Dei. Jeſus autem loquitur ut auctor vitæ, & mortis deſtructor, non dicens *excitabit pater*, ſed *excitabo* propria virtute. Cæterùm Judæi de lapideo Templo ipſum loqui autumantes deridebant eum.

20. *Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* In Chronologia oſtendimus verè ab eo tempore quo Herodes cœpit templum inſtaurare uſque ad annum ætæ chriſtianæ trigeſimum primum quo hæc Judæi Chriſto objiciebant, quadraginta & ſex annos effluxiſſe. Scribit quidem Joſephus annis octo ſtructuram Templi ab Herode completam, ſed idem hiſtoricus aſſerit ſemper Templo aliquid additum; & decem & octo mille operarios in eo occupatos fuiſſe, nec perfectum niſi ſub Agrippa juniore. Senſus ergo Judæorum erat: à quadraginta & ſex annis ædificatum eſt, id eſt ædificatur Templum hoc: tot anni impenſi ſunt huic ædificando, & nondum perfectum eſt.

21. *Ille autem dicebat de Templo corporis ſui*. Corpus enim ſuum verè *ναὸς*, id eſt templum quod inhabitaret Deus; ut Paulus adſtruit, cap. 2. ad Coloſſ. *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, *σωματικῶς*, id eſt reipſa. Hæc omnia aperta ſunt in dogmate orthodoxo, machinis à Socino contorquenda, ut videantur alium ſenſum habere quàm quem præfert ſcriptura. Jeſus non potuit corpus ſuum ſimpliciter appellare *Templum* ſi Deus non fuit. Majus autem miraculum eſt ſe ipſum qui mortuus eſt, à mortuis excitaſſe, quàm templum è lapidibus ſtruere; ſolus enim Deus vivificare poteſt; templum verò opera manuum hominum ædificatur.

22. *Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat*. Cùm hæc dixit, mentem illi non advertebant, ſed reſurrectio ejus in memoriam revocavit illa ab eo fuiſſe dicta, *Et crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Jeſus*. Scilicet ex eventu, cùm reſurgentem viderunt, tunc intellexerunt eum verè fuiſſe Meſſiam, de quo vera prædixerant ſcripturæ, & eum veracem fuiſſe; cujus prædictiones completæ. Inter multa ſigna, quibus apparuit Jeſum fuiſſe filium Dei, efficax fuit reſurrectio ejus; ideò non ſemel illam indicavit futuram, cùm Judæi ab eo ſignum petiere.

23. *Cùm autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto*: dum tranſigeret dies feſtos Paſchatis in urbe ſancta, *multi crediderunt in nomine ejus*; agnoverunt eum eſſe Chriſtum Dei, *videntes ſigna ejus, quæ faciebat*, illa nempe tot tantaque quæ priùs in Galilæa ediderat; neque enim videtur Joannes indicare ſolùm aquam mutatam in vinum, de quo ſolo miraculo loquitur; & quod non potuit multum rumorem excitare, quia Cana locus obſcurus; de ejectis autem vendentibus non loquitur Joannes; neque enim pro conſpicuo miraculo illa ejectio haberi poteſt; ergo ſic accipienda ſigna quibus plerique adducebantur ad credendum, ut plura edita fuerint ante huncce diem.

24. *Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes*. Hæc non accipienda de iis qui jam crediderant, niſi intelligatur Jeſum prævidiſſe, fore ut non omnes qui credidiſſent, perſeverarent in fide. Pronum eſt magis id interpretari de pleriſque Judæis, qui non crederent; quibus diffidens cum iis non ſecurè agebat, ideò occultabat ſe, ſera nocte Bethaniam ſe recipiens, unde manè petebat Templum.

25. *Et quia opus ei non erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*, quod ſolius Dei proprium eſt. *Plus noverat artifex quid eſſet in opere ſuo*, inquit beatus Auguſtinus, *quàm ipſum opus quid eſſet in ſemetipſo*. An Evangeliſta eam ſcientiam huic vindicaſſet, quem non credidiſſet Deum?

C A-

CAPUT II.

Nicodemus Dominum noctu adiit.

JOANNES, Cap. 3. ℣. 1—21.

1 * Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum. * *In Invent. S. Crucis.*
2 Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei: Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.
3 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.
4 Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?
5 Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.
6 Quod natum ex carne, caro eſt: & quod natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt.
7 Non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò.
8 Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, † ſed neſcis unde veniat, † *Pſal. 134. 1.*
aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.
9 Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri?
10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?
11 Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.
12 Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?
13 Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.
14 † Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet † *Num. 21. 9.*
Filium hominis.
15 Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. ¶
16 * † Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum da- * *Fer. 2. infra Octav. Pent.*
ret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. † *1. Joan. 4. 9.*
17 Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.
18 Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.
19 Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.
20 Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.
21 Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus quia in Deo ſunt facta. ¶

HOCCE colloquium cum Nicodemo Dominus habuiſſe videtur Hieroſolymis in die feſto, quando, ut ait Evangeliſta, *multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat*. Id indicant ipſa verba Nicodemi ad Dominum: *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Præterea non alibi quàm Hieroſolymis, aut prope Hieroſolyma ſic obſervatus fuiſſet Dominus à Phariſæis, ut à Nicodemo noctu adeundus fuerit.

1 *Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine*. Nomen illud Græcum eſt. Pridem apud Judæos mos invaluerat ſumendi nomina Græca. Jeſus Simonis filius Jaſonem ſe vocari maluerat, ut ſcribit Joſephus, lib. 12. cap. 6. ſicut frater ejus pro Onia Menelaus dictus eſt. *Princeps Judæorum*, ἄρχων. hoc eſt, vir primarius. In veteri teſtamento, ſæpiùs in Græca verſione ἄρχων ponitur pro ראשון *riſchon*, id eſt *prior*, *primus*. Nicodemus ergo vir erat primarius.

2 *Hic venit ad Jeſum nocte*: ſcilicet timens, ne odium Phariſæorum ſibi conciliaret, ſi intellexiſſent ab eo Jeſum multi fieri. Unde liquet Dominum ſtatim incurriſſe in odium Phariſæorum. Cauſa odii, quia cùm eos non ſectaretur, putabant ſibi adverſari: idcircò qui eorum poteſtatem ſubverebantur, Jeſum fugiebant, ne cum illo ſtantes viderentur in contrarias partes tranſiiſſe. Hac formidine perculſus Nicodemus Dominum adiit noctu; *& dixit: Rabbi*: ſic doctores, & judices appellabantur; *ſcimus*, ego, & quicumque rectè judicant, ſive vulgò agnoſcitur, *quia à Deo veniſti*, miſſus ab eo *magiſter*, doctor cum poteſtate docendi populum. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*, efficacia ſua ipſi præſens. Vera eſt ergo tua doctrina, cui Deus ſigilla ſua apponit; & quam confirmat tot tantiſque miraculis, quæ tu operaris.

3. *Reſpondit Jeſus, & dixit: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei*. Reſponſio illa innuit Dominum à Nicodemo interrogatum de regno cœlorum, quæ eſſet ad illud via. Denuntiat ergo Dominus regnum Dei: ſic Judæi appellabant regnum illud ſtatuendum à Meſſia, ſub quo vigeret cultus Dei, & ita regnaret Deus; denuntias, inquam, Dominus regnum Dei poſtulare novam vitam, novos mores; ut qui non renatus fuerit ἄνωθεν (quod Latinus interpres reddit *denuò*) non poſſit videre illud regnum, id eſt, in illud ingredi, nec hujus eſſe participem. Adverbium autem ἄνωθεν, anceps eſt; nam idem pollet, quod πάλιν, ἐκ δευτέρου, *iterum*, *denuo*, ut referatur ad tempus retroactum, aut ἀπὸ τῶν ἄνω; id eſt, *supernè*, ſive *de ſupernis*. Nicodemus accepit in primo ſignificatu.

4 *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ ἐκ δευτέρου, iteratò introire, & renaſci?* Adhuc carnalis etiam ſpiritualia carnaliter intelligebat.

5 *Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Putabant Judæi ferè omnes ita ad ſe attinere Meſſiam, ut ſibi eripi non poſſet. Joannes jam eis ſignificaverat, ut eo digni eſſent, reſipiſcendum à peccatis, & deponendas ſordes animi, ideò baptizaverat eos aquis; declarans quòd alius baptiſmus inſuper requireretur, nimirum interior, qui non ſordes carnis ablueret, ſed mentem renovaret; quem baptiſmum ſolus Meſſias poſſet conferre: *ipſe vos*, ajebat Joannes, *baptizabit in Spiritu ſancto & igni*. Igne purgabit, nempè omnino vos mundos faciet gratia Spiritus ſancti. Hoc eſt quod dicit Dominus clariori utens ſermone: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*: qui non ablutus fuerit ſordibus peccatorum, interiorem munditiem in eo operante Spiritu ſancto; & quaſi infans recens natus novam vitam non inierit, *non poteſt introire in regnum Dei*: non aptus eſt regno meo, ſive dignus ut fiat diſcipulus meus. Antiquitas orthodoxa inde interpretata eſt neceſſarium eſſe baptiſmum, in cujus aquis, ut ait Tertullianus, *naſcimur*, ſive potiùs ſimus chriſtiani; etenim, ut idem ait, *fiunt, non naſcuntur chriſtiani*. Propterea cùm parvuli baptizandi feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto, vivificari non poſſe, inquit Auguſtinus: *Omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate*. Verba ſunt Tertulliani, lib. de anima, cap. 40. quem lubentiùs allego, quia ſunt qui opinentur peccatum originis novam eſſe doctrinam adverſus Pelagianos ab Auguſtino adinventam. Omnis antiquitas orthodoxa credidit homines naſci reos. *Solus enim Deus ſine peccato, & ſolus homo ſine peccato Chriſtus, quia & Deus Chriſtus*, ait idem Tertullianus, capite 41. ejuſdem operas citari.

6 *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*. Carnali generatione caro naſcitur; ſpiritali novus homo factus novam vitam inchoat, quæ ſunt carnis jam non ſapiens, ſed quæ ſpiritus. Scilicet non vivens more pecudum, quæ motus carnis ſequuntur, ſed parens monitis rationis. Ita quod *natum eſt ex ſpiritu*, ſive quod reformatum eſt interiori ſpiritu, *ſpiritus eſt*. Fit homo ſpiritualis, cujus regeneratio non ſubjicitur corporis oculis, qui percipere non poſſunt quid ſpiritus Dei intus agat; unde dicebat Hilarius Magnus, lib. 13. de Trinit. *Regenerationis meæ*

fidem

fidem obtinent neſcio , & quod ignoro , jam teneo . Sine ſenſu enim non renaſcor , cum efficientia renaſcendi . Ideò ne iſta regeneratio omnino incredibilis videretur Nicodemo , oſtendit Dominus id quod non cerni poſſet, intelligi poſse ex effectis , nempe ex nova vita , & ex novis motibus. 7. *Non mireris quia dixi tibi : oportet vos naſci denuò .* Etenim non neceſse eſt , ut iſta nativitas in oculos tuos incurrat , ut eam credas ; quod demonſtrat Dominus comparatione , quam ſumit à vento , quia & ventus dicitur ſpiritus .

8 *Spiritus* , id eſt ventus , *ubi vult ſpirat :* libero & vago motu movens ſe , nunc huc nunc illuc . De vento autem loquitur ut de perſona , more Hebræis uſitatiſſimo . *Et vocem ejus audis :* audis ſonum ejus ; *ſed neſcis unde veniat* , non cernis originem ejus , *aut quò vadat* ; ubi deſinat . Liquet hic deſcribi ventum corporeum . *Sic eſt omnis , qui natus eſt ex ſpiritu .* Id eſt ſic agitur cum eo qui ex ſpiritu naſcitur , qui ſpirante Spiritu ſancto renovatur . Hominis renati opera conſpiciuntur , latet origo , & finis .

Hocce exemplum etſi apertum non intelligens. 9. *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei : Quomodo poſſunt hæc fieri :* ut homo ſic naſcatur , regenitus ope Spiritus ſancti , idque fiat nobis inſciis .

10 *Reſpondit Jeſus , & dixit ei : Tu es magiſter in Iſrael* , τοῦ Ἰσραὴλ , Iſraelis , *& hæc ignoras ?* Meritò arguit Nicodemum ignorantiæ ; etenim paſſim apud Judæos dicebatur , qui proſelytus factus ſit, eum eſse ſicut parvulum recens natum. *Proſelytus quis factus , eſt ſicut parvulus jam natus.* ut in tractatu *Talmudis Jevamoth* , dicitur . *Ethnicus* , inquit Maimonides, *Iſſure Biah.* cap. 14. *qui fit proſelytus , & ſervus qui eſt manu miſſus , ecce ille eſt ſicut parvulus jam natus . Atque omnes cognati , quos habuit , cùm eſſet Ethnicus , aut ſervus , non jam ſunt ejus cognati .* Debuerat ergo Nicodemus Judæus & doctor non ignorare quomodo quis iterum poſset renaſci . Præthereà aperta ſunt Jeremiæ & Ezechielis vaticinia , de corde novo creando temporibus Meſſiæ . Sicut autem tribus initiamentis inierant Iſraelitæ fœdus cum Deo , nempe circumciſione , baptiſmo , & ſacrificio ; pariter Dominus non admiſit quemquam in novum fœdus niſi priùs baptizatum ; ſed eo diſcrimine , quòd Judaicum baptiſma carnem tantùm ablueret , chriſtianum verò quod fit non ex aqua ſola , ſed & ex Spiritu ſancto , etiam purget animi ſordes . Sanguis quem pro omnibus fudit Chriſtus , jam inutilem circumciſionem , & inutilia ſacrificia facit ; ut ſufficiat per baptiſmum huic conjungi ; Chriſtum enim baptizati induimus , ut ait Apoſtolus , participes ſanguinis ejus pretioſioris hocce ſanguine , quem olim fundebant Judæi ex vulnere circumciſionis, & ex pecudum ſacrificiis.

11 *Amen , amen dico tibi , quia quod ſcimus , loquimur .* Nicodemus ducebatur amore veritatis , ideò illam declarat Dominus verbis apertis , cùm accipiuntur catholico ſenſu. vera , inquam , tibi dico , ait Dominus , comperta & explorata . *Et quod vidimus teſtamur ;* occulati enim ſumus teſtes . Agitur de doctrina patris cœleſtis , cujus in ſinu ego unigenitus ejus omnia arcana didici . Attamen *& teſtimonium noſtrum* vos Phariſæi , *non accipitis .*

12 *Si terrena dixi vobis* , proponens hæc rudimenta Evangelii , quæ quaſi terrena ſunt reſpectu aliorum myſteriorum , *& non creditis* , nec intelligitis : *quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis* , & intelligetis , nempe myſteria altiora . Dominus ſignificat ſibi ſoli patere myſteria regni cœlorum , quia non alius in cœlum aſcendiſset , inde arcana Dei revelaturus ; ipſe autem deſcendiſset de cœlo , qui in terris degens ſimul erat in cœlo .

13 *Et nemo aſcendit* , ἀναβέβηκεν in præterito , *in cœlum* hactenus , ut arcanam Dei doctrinam inde deduceret in terras , *niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis ;* nempe ipſe ego . Locum pronominis tenet hæc phraſis *filius hominis* , ut ſæpiùs vidimus : *qui eſt in cœlo* , qui licèt in terris verſetur , cœlum tamen inhabitat . Hæc omnia plana , & aperta ſunt his qui Chriſtum credunt æternum Dei patris Verbum , in tempore factum hominem . Hæc ut perverſo ſuo dogmati accommodet Socinus , cogitur comminiſci aliquam Chriſti peregrinationem in cœlum ante illud cum Nicodemo colloquium. Hocce commentum riſu potiùs , quàm argumentis revinci debet . Contrarium eſt ſcripturis ; in quibus videre eſt , ut olim ſummo ſacerdoti non patebat ſanctum ſanctorum niſi poſt mactatum vitulum , ita non introiiſse cœlos Chriſtum hominem niſi poſt fuſum in cruce proprium ſanguinem . Sed illis Chriſti verbis Socinus vincitur : *qui eſt in cœlo.* ſi enim Chriſtus quatenus homo cœlum aſcendiſset ; eo tempore quo deſcenderat , jam non erat in cœlo . Commentitia illa peregrinatio cùm Socini diſcipulis non placeret , maluere vim verbis Evangeliſtæ afferre ; dicunt enim *aſcendere in cœlum* , eo in loco nihil aliud eſse , quàm rerum divinarum & cœleſtium myſteriorum eſse conſcium ; *& deſcendere de cœlo* , idem eſse ac mitti à Deo doctorem cum ſapientia , & poteſtate divina . Per deſcenſum , inquit Enjedinus, ſignificatur nativitas cœleſtis , per aſcenſum verò intellectio. *Eſſe* autem *in cœlo* , non eſt hoc loco aliud, quàm frui intelligentia , & cognitione rerum cœleſtium .

An deerat proprius ſermo tum Evangeliſtæ , cùm de Chriſto diſserit , tum Chriſto cùm ipſe loquitur , ut compulſus ſit uti translato , qui ubiquè violenter adducendus eſset ad doctrinam , quam patefaciendam ſuſcipiebat , ſi credimus

mus his heterodoxis. cùm è contra orthodoxæ doctrinæ ſermo Evangelicus conveniat acceptus in propria ſua ſignificatione. Hæc quæ ibi dicit Dominus teſtans non ignota loqui, prorſus eadem ſunt, quibus Joannes in exordio Evangelii confirmat, quæ ſcripſerat de Verbo Dei: *Unigenitus filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarravit.* Quærerem ultrò ab iis qui per deſcenſum è cœlo intelligunt nativitatem cœleſtem, id eſt Chriſti apotheoſim; quo tempore illa apotheoſis facta ſit, ſcilicet Jeſus priùs homo merus, poſteà homo natus, factus ſit Deus; à quo tempore potuerit ſe gerere pro Deo; quod antè non ei licebat. ſed diutius cum ineptis non minus quàm impiis hæreticis confabulari non decet: repetamus Domini cum Nicodemo colloquium.

Quoniam cœperat Dominus ſe cognoſcendum præbere Nicodemo, declarat quæ eum ſpectarent, & ferè omnibus Judæis ignota eſſent, ſcilicet oportere eum pati. 14. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ego ipſe exaltandus ſum, id eſt, in crucem agendus. Revocat in mentem Nicodemi antiquum typum. Olim ſimilitudine ſerpentis Moyſes ſanaverat morſus veri ſerpentis. Ita ſimilitudine peccati, ſive formam peccatoris accipiens Chriſtus ſanaturus erat peccatum, cujus origo fuerat Adamus læſus à diabolo deliteſcente ſub forma ſerpentis.

15. *Ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed vitam habeat æternam.* Iſraelitæ à ſerpentibus læſi ſtatim, ac aſpexiſſent ſimilitudinem ſerpentis, nempe ſerpentem æneum, quem exaltaverat Moyſes, ſanabantur. Hoc typo docebantur, quòd qui crederent in Chriſtum, intuitu fidei eum aſpicientes, non perituri eſſent vulnere ſerpentis, qui Adamum læſit & omne hominum genus.

16. *Sic enim Deus dilexit mundum*, omnes homines, non tantùm Judæos, ut illi ſtultè opinabantur, *ut filium ſuum unigenitum daret.* Jeſus ſe profitetur verè Dei filium, verè Chriſtum, quem Judæi ſciebant eſſe filium Dei. *ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed vitam habeat æternam.* Dedit Deus pater filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris; ut pretio ſanguinis ejus redimeretur à morte æterna.

17. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum*, ἵνα κρίνῃ: id eſt, ut damnet nationes, pœnas exigat ab eis, quas ſibi ſubjiciendas à Chriſto ſperabant Judæi, *ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*; ut omnes nationes, quotquot crediderint, ſine diſcrimine ſerventur. *Venit Chriſtus*, hæc Auguſtinus ad hunc locum, *ſed primò ſalvare, poſtea judicare: eos judicando in pœnam, qui ſalvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt. Prima ergo diſpenſatio Domini noſtri Jeſu Chriſti medicinalis eſt, non judicialis: nam ſi primò veniſſet judicaturus, neminem inveniſſet cui præmia juſtitiæ redderet. quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino neminem eſſe immunem à morte peccati; priùs erat ejus miſericordia præroganda, & poſt exſerendum judicium.*

18. *Qui credit in eum*, ſive Judæus, ſive Gentilis *non judicatur*, non damnabitur; *qui autem non credit*, licèt Judæus, *jam judicatus eſt*: jam æquo judicio damnatus eſt. contra opinionem Judæorum, apud quos celebre effatum erat, quod legere eſt in tractatu *ſanhedrin*, cap. 1. *Univerſo Iſraeli eſſe portionem in mundo futuro*: hoc eſt, in regno Meſſiæ. Judæus verò jam judicatus eſt, inquiebat Chriſtus, *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Quamquam enim tot tantaque miracula ediddiſſet Jeſus, non ei credebant major pars Judæorum; imprimis proceres, ut ipſe queritur verbis ſequentibus.

29. *Hoc eſt autem judicium*: id eſt, cauſa condemnationis, *quia lux venit in mundum.* Ego ipſe qui illumino omnem mundum; *& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*; duces cæcos; nempè mihi præferunt Phariſæos, qui me fugiunt qui ego lux ſum; *erant enim eorum mala opera.* ſcilicet non mirum eſt ſi me lucem fugiant. 20. *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus*: pudet enim eos turpes videri.

21. *Qui autem facit veritatem*, qui ambulat in veritate, qui ſincerè agit; veritas pro integritate, & ſinceritate uſurpatur ab Hebræis; ita Judæis Græcè loquentibus ἀλήθεια, δικαιοσύνη, ὁσιότης, ſunt ſynonima. Qui ergo integro corde eſt juſtus, & rectus *venit ad lucem ut manifeſtentur opera ejus*, ut illa appareant qualia ſunt; *quia in Deo ſunt facta*; id eſt legi ejus conſentanea, & ideò digna laude; qua laude Chriſtus tacitè collaudat Nicodemum, qui ad illum venerat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

Phariſæi diſcipulis Domini dant vitio, quòd in die ſabbati ſpicas vellerent; at legi id non eſſe contrarium Dominus revincit.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 1-8.	MARC. Cap. 2. ℣. 23-28.	LUCAS, Cap. 6. ℣. 1-5.	
Y L FActum eſt autem in ſabbato ſecundo primo, cùm tranſiret per ſata, † vellebant diſcipuli ejus *Mt.* eſurientes *L* ſpicas & manducabant confricantes manibus.	1 In illo tempore abiit Jeſus per ſata ſabbato: diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare.	23 Et factum eſt iterùm, cùm Dominus ſabbatis ambularet per ſata, & diſcipuli ejus cœperunt progredi, & vellere ſpicas.	1 Factum eſt autem in ſabbato ſecundo primo, cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli ejus ſpicas, & manducabant confricantes manibus.	† *Deut. 23. 25.*
2 Quidam autem Phariſæorum, dicebant illis: Quid facitis † quod non licet in ſabbatis?	2 Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis.	24 Phariſæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt ſabbatis quod non licet?	2 Quidam autem Phariſæorum dicebant illis; Quid facitis quod non licet in ſabbatis?	† *Exod. 20. 10. & 23. 12. 31. 15. & 35. 2.*
3 Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant.	3 At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit David quando eſuriit, & qui cum eo erant.	25 Et ait illis; Nunquam legiſtis quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant.	3 Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis quod fecit David, cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant.	
4 *Mc.* † Quomodo introivit in domum Dei, ſub Abiathar principe ſacerdotum, *L* & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant, *Mt.* quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus. †	4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus?	26 Quomodo introivit in domũ Dei, ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant?	4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit, & dedit his qui cum ipſo erant, quos non licet manducare, niſi tantùm ſacerdotibus?	† *1. Reg. 21. 6.* † *Exod. 29. 38. Levit. 24. 6.*

M A T T H Æ U S.

5 Aut non legiſtis in lege, † quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt? † *Levit. 24. 9. Num. 28. 9.*

6 Dico autem vobis, quia templo major eſt hìc.

7 Si autem ſciretis quid eſt: † Miſericordiam volo, & non ſacrificium; nunquam condemnaſſetis innocentes. † *Oſe. 6. 6. 1. Reg. 15. 22.*

M A R C U S.

8 * 27 Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 Itaque *L* & dicebat illis: Quia *MM. L* Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.	8 Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.	28 Itaque Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.	5 Et dicebat illis: Quia Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.

rem monſtrat. Hæc expoſitio confirmatur verbis ipſis Domini ſequentibus. 6 * 6. *Dico autem vobis quia Templo major eſt hic.* Interpres Latinus legit μεῖζων ἐστὶν ὧδε. pleraque autem vetera exemplaria, & Theophilactus quoque legunt μεῖζον, id eſt majus quippiam eſt hic, ſubauditur enim τι. ſcilicet majus quippiam quàm illud Templum, ſicut apud eundem Matthæum in eodem capite. ℣. 41. καὶ ἰδοὺ, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε, & ecce pluſquam Jonàs hic; Quidquid ſit de iſta lectione, Dominus dicit cùm Templo major fuerit eo in loco, ſive quippiam majus quàm Templum, nimirum eo præſente ut coram Deo nullum opus quod ſit neceſſarium, haberi poſſe pro illicito. Ita Jeſus ſe Deum facit: iniquè ſi natura homo fuiſſet, nomine ſolo Deus, ut impiè ſentiunt Sociniani.

7 * 7. *Si autem ſciretis quid eſt*: ſi veram haberetis intelligentiam horum verborum: *miſericordiam volo, & non ſacrificium*, id eſt gratius eſſe Deo miſereſcere, quàm ei offerre victimas, *nunquam condemnaſſetis innocentes* tam inclementer. Benignus eſt Deus erga homines; unde ergo vos tam duri?

8 * 27. *Mc. Et dicebat eis: ſabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.* Sabbatum inſtitutum eſt causâ hominis, ut à labore quieſcat; ergo non neceſſe eſt ut homo laboret fame propter ſabbati religionem.

9 * 28. *Itaque L 5. Et dicebat illis: quia MM. L Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.* Ergo ſabbatum causâ hominis inſtitutum cedere debet hominis utilitati. Homo eſt dominus ſabbati. Quia verò, ut vidimus, *Filius hominis*, tenere poteſt locum pronominis *ego*, ſic interpretari poſſumus hæc verba, ut Jeſus Phariſæorum criminationes revincat, dicendo, quia *Filius hominis*, nempe ego ipſe ſabbati dominus, poſſum legis ſabbati rigorem temperare. etenim pro Deo ſummo Jeſus ſeſe gerit.

CAPUT IV.

Hominem cujus manus arida erat, ſanat Dominus in die ſabbati, Phariſæos qui eum arguebant violatæ legis, confutat.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 9-13.	MARC. Cap. 3. ℣. 1-5.	LUCAS Cap. 6. ℣. 6-11.
1 *L* FActum eſt autem & in alio ſabbato, *Mt.* & cùm inde tranſiſſet, *L* ut intraret in ſynagogam, & doceret.	9 Et cùm inde tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum.	1 Et introivit iterùm in ſynagogam:	6 Factum eſt autem & in alio ſabbato, ut intraret in ſynagogam, & doceret:
2 Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.	10 Et ecce homo manum habens aridam,	& erat ibi homo habens manum aridam.	Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.
3 Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, † ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum.		2 Et obſervabant eum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum.	7 Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum. † *Joan.* 9. 16.
4 *Mt.* Et interrogabant eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum.	& interrogabant eum dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum.		
5 *L* Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.		3 Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.	8 Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.
6 Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſi *Mc. L* licet ſabbatis benefacere, an malè? animam ſalvam facere, an perdere? *Mc.* At illi tacebant.		4 Et dicit eis: Licet ſabbatis benefacere, an malè? Animam ſalvam facere, an perdere? At illi tacebant.	9 Ait autem ad illos Jeſus: Interrogo vos; ſi licet ſabbatis benefacere, an malè? Animam ſalvam facere, an perdere?

Digitized by Google

MATTHÆUS.

† Deut.22,4. 7 * 11 Ipſe autem dixit illis : † Quis erit ex vobis homo ; qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?

8 * 12 Quantò magis melior eſt homo ove? itaque licet ſabbatis benefacere.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 *Mc.* Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum,		5 Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum,	10 Et circumſpectis omnibus,
†3.Reg.13.6. 10 *L* Dixit homini: *MM. L* †Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt *L* manus ejus *Mt.* ſanitati ſicut altera.	13 Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.	dicit homini: Extende manũ tuam: Et extendit, & reſtituta eſt manus illi.	dixit homini: Extende manũ tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus ejus.

LUCAS.

11 * 11 Ipſi autem repleti ſunt inſipientia ; & colloquebantur ad invicem quidnam facerent Jeſu.

TRES primi Evangeliſtæ hanc hiſtoriam ſubjuagunt ſpicis confrictis, quod fieri contigit, ut modò diximus, in primo ſabbato poſt Paſcha ; manum autem aridam ſanatam dicit Lucas in alio ſabbato. Ex Phariſæis qui frequentes huic adſtabant miraculo colligimus, tunc Jeſum commoratum fuiſſe in Judæa ; præterquam quod dicitur hinc diſceſſiſſe ex Judæa ut videtur, cùm adverteret ſibi ſuccenſere Phariſæos.

1 * 6. *L. Factum eſt autem & in alio ſabbato.* ſcilicet poſt ſabbatum ſecundo-primum ; 9. *Mt. Et cùm inde tranſiſſet*, ex hoc loco, quo Phariſæi accuſarant diſcipulos ejus vellentes ſpicas, *L. Ut intraret in ſynagogam, & doceret.* Complures erant Hieroſolymis, & in vicinia ejus ſynagogæ, in vicis, in agris. Eo ergo tempore, quo in terra Judæa baptizabat miniſtris diſcipulis, ut inſrà videbimus : quoniam pii Iſraelitæ ſingulis ſabbatis congregarentur in ſynagogis, & ipſe nulli pro munere deeſſet, ſynagogas etiam frequentabat hiſce diebus, ut doceret, & Evangelium ſuum pluribus nuntiaret: nam in more poſitum erat, ut viri conſpicui, ex quacumque tribu eſſent, rogarentur de ſcripturis quæ in ſynagoga prælegebantur, diſſerere. Inde ſæpiùs occaſionem habuit Dominus exponendi pleraque ex ſcripturis loca quæ eum ſpectabant.

2 * *Et erat ibi* quidam *homo*, *& manus ejus dextra erat arida*, emortua, emaciata, excarnis. 3 * 7. *Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi ſi in ſabbato curaret : ut invenirent, unde accuſarent eum*, quaſi ſabbati violatorem. 4 * *Mt. Et interrogabant eum, dicentes : Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum.* Sabbati violati ſi non opere, ſaltem ſuis verbis. Eos autem qui ſabbatum non ſervarent, fuiſſe extremo ſupplicio addictos, docet ſupplicium hujus, qui ligna ſabbato collegerat.

5 * 8. *L. Ipſe verò* Jeſus *ſciebat cogitationes eorum* : quo conſilio eum interrogarent : ergo ſua ſolita ſapientia eos confutandos ſuſcipit ; *& ait homini qui habebat manum aridam : Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit.* Hæc Chriſtus, tum ut omnes attentos redderet : tum ut ipſe hominis aſpectus dura corda emolliret. 6 * 9. *Ait autem ad illos Jeſus*, poſtquam ille homo in medium prodiit : *interrogo vos*, à vobis peto, *ſi Mt. L. licet ſabbatis benefacere, an malè?* ſanando, vel ægrum deſerendo? *animam ſalvam facere*, vitam, ſive ſalutem dare, *an perdere?* nempe non ſervando vitam alterius cùm poſſis. In codice Græco legitur ἀποκτεῖναι, *occidere* : ſed in duobus Bezæ exemplaribus erat ἀπολέσαι, *perdere*. Sic Syrus, & Arabs legerunt. *Mc. At illi tacebant*: quid enim repoſuiſſent? religionem ſabbati prohibere opera charitatis?

Conveniebat inter Judæos periculum animarum, ut ajunt, pellere ſabbatum ; nempe licitum eſſe ferre ſuppetias in ſabbato, cùm mortis periculum immineret ; ſed illicitum putabant adhibere medicinam ei qui in vitæ periculo non erat ; quia quidquid poſſibile factu erat veſpere ſabbati, non pelleret ſabbatum ; ſcilicet cui non imminebat vitæ periculum, poterat ante ſabbatum, aut eo tranſacto, accipere medicinam. Unde, ut videre eſt in tractatu de ſabbato in Talmude, & apud Maimonidem,

non

non licebat ægro lumbis ungere locum affectum oleo & aceto, nec ei qui doleret dentibus abſorbere acetum, quod exſpuiturus eſſet, aſt abſorbere licebat, modò deglutiret; quia tunc non ut medicina, ſed ut cibo & potu uteretur. Sic gutture dolens qui non poterat oleo gargarizare, oleum impunè deglutiebat, unde ſi ſanetur, benè, inquiunt, illi erat. Hæc doctrina inepta prorſus. ut autem oſtenderet Dominus non illicitum eſſe, confeſtim ſanare ægrum, re quam non improbabant Phariſæi, utitur.

7 * 11. *Mt. Ipſe autem dixit illis: quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?* extrahet illam è fovea, ne illa die ei malè ſit. Videtur Dominus ſupponere ovi periculum mortis inſtare, quod periculum, ut diximus, pellebat Sabbatum; etenim docet Maimonides in tractatu de ſabbato, cap. 25. ſi beſtia in foveam, aut in ſtagnum incidiſſet, alimenta, ſi id fieri poſſet, tunc miniſtrata: ſin minus pannos & ſtramenta decuiſſe afferre, & beſtiam ſuffulcire, unde ſi poſſet aſcendere, aſcenderet; & hoc eſt, quod dicit Dominus; *& levabit eam* ἐγερεῖ, *ariget*. Inceſſerat quidem Machabæos ſabbati diebus illicitum vim armis repellere; ſed illum ſcrupulum citò depoſuerant; conſtabatque inter Judæos opus in ſabbato prohibitum non eſſe quod fieret pro anima. Ex recepta ergo doctrina concludit Dominus. 8. * 12. *Quantò magis melior eſt homo ove?*

Victi erant Scribæ, & Phariſæi, ſed mentem non mutabant: adhuc obſtinata malitia Chriſto reſiſtebant. ideò 9 * 5. *Mc. Et circumſpiciens eos cum ira*, vultu ſuo præferens indignationem, *contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum*, ἐπὶ τῇ <πωρώσει>. vel propter duritiem cordis eorum, quod occaluerat ut ſaxum; nam verbum Hebræum כהה *caha*, quod idem ſonat ac *caligare*, redditur in Job, cap. 17. ℣. 7. ἐγερεῖ, unde <πώρωσιν>, *cæcitas*, quæ propria eſt hujus vocis ſignificatio; <πῶρος> autem ſignificat *callum*. Circumſpiciens, inquam, Dominus Phariſæos & Scribas, 10. * *L. Dixit homini MM. L. Extende manum tuam*: hoc non repugnabat legi ſabbati: *& extendit, & reſtituta eſt L. manus ejus Mt. ſanitati ſicut altera.* Quid ea in re culpandum? non adhibuerat medicinam Dominus, ſolo ſuo verbo efficaci uſus.

11 * 11. *L. ipſi autem* Scribæ & Phariſæi *repleti ſunt inſipientia*, ſapientia ſua confutavit eos Dominus, & oſtendit amentes, & eo amentiores, quòd non reſipuerint. Tantum enim abeſt, ut ſicut eos pudebat, ita & pœniteret; magis ira ferebantur in Jeſum; *& colloquebantur invicem, quidnam facerent Jeſu*: nempe quomodo eum è medio tollerent.

CAPUT V.

Maria Magdalena cum aliis piis mulieribus ſequebatur Jeſum per civitates, & caſtella prædicantem.

LUCAS, Cap. 8. ℣. 1—3.

1 ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella;
prædicans & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo.
2 † Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmi- † *Math. 27. 55. 56.*
tatibus; Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant. *Marc. 16. 9.*
3 Et Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ mul- *Ioan. 19. 25.*
tæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

1 ET *factum eſt deinceps*, ἐν τῷ <καθεξῆς>, tempore ſequenti, *& ipſe iter faciebat per civitates & caſtella*, κατὰ πόλιν καὶ κώμην, pro κατὰ πόλεις, per ſingulas civitates, pro καὶ κώμας, vicos. Ibat oppidatim & vicatim *prædicans, & evangelizans regnum Dei*, annuntians veniſſe tempus, quo regnaturus eſſet Deus, ſive adeſſe illud regnum Meſſiæ, tandiu expectatum. *Et duodecim cum illo*, nempe duodecim Apoſtoli. Hæc videntur ſubnectenda rebus, quas vidimus in vicinia Hieroſolymorum tranſactas; neque enim egreſſus eſt Judæa Dominus, niſi cùm creſcente diſcipulorum numero ceſſit Phariſæorum invidiæ. Abeunte autem, ſectatæ ſunt Magdalena & aliæ piæ mulieres, quæ illi primùm adhæſerant.

2 *Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus* Jeſum ſequebantur more Judaico, ut rectè notat B. Hieron.

ronymus. Mulieres, viduæ præſertim, ſolebant magiſtris neceſſaria ſuppeditare. hunc morem ſecuti ſunt Apoſtoli inter Judæos: Paulus inter Gentes omiſit, ne ſiniſtriori ſermoni anſam præberet. maluit autem Chriſtus hoc admittere beneficium, quàm cum Apoſtolorum comitatu gravis eſſe ignotis, ad quos adventabat. quædam ex illis mulieribus curatæ erant à malignis ſpiritibus. Sciendum autem per malignos ſpiritus poſſe intelligi vitia, quæ Judæi & dæmonia vocant, ut in tractatu Talmudico Joma, *malus affectus eſt ſatan*: in Girrim *ebrietas eſt dæmonium*.

Ex hiſce mulieribus una erat *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant.* hanc Mariam non aliam cenſeo cum pleriſque antiquis & recentioribus interpretibus, quàm Lazari, & Marthæ ſororem, ipſam peccatricem quæ unxit pedes Jeſu; & cujus hiſtoriæ adjungit Lucas, quod nunc ex illo narramus de piis mulieribus quæ Jeſum ſequebantur, de quorum numero erat Maria Magdalena. fatendum eſt Evangeliſtam loqui ſuboſcurè; neque enim nomen peccatricis expreſſit; neque eo in loco in quo verſamur, hanc Mariam Magdalenam notat fuiſſe ſororem Marthæ. ſed, ut ſuprà obſervabam, cùm peccatrix exhibenda fuit, & à dæmonibus obſeſſa, conſuluit honori ejus, ſicut reticuit Matthæi nomen, cùm de publicani ejus munere, quod non honeſtum erat, ſermo fuit ei faciendus. Videbimus in hiſtoria dominicæ reſurrectionis hanc Mariam quæ venerat ad monumentum cauſa ungendi corpus Domini, fuiſſe Mariam Magdalenam, de qua exierant ſeptem dæmonia. Quæ autem ſic ungendum corpus Domini ſuſceptura erat, evincemus eſſe Mariam ſororem Lazari, quæ ex Joanne, cap. 11. ℣. 2. jam unxerat pedes Domini; & capillis ſuis exterſerat. Cùm ergo non alia quàm mulier peccatrix id fecerat, ſtatuimus mulierem peccatricem, Mariam ex qua exierant ſeptem dæmonia, ſororem Lazari & Marthæ unam & eandem eſſe mulierem.

Peccatrix autem mulier, ut jam monui, non ſemper eſt vile proſtibulum, quæ profectò protinus pœnis addicta fuiſſet, ſi Iſraelitis & non alienigena. Mulier peccatrix cenſebatur, non ſolùm quæ violaret legem Moyſis, ſed quæ Judaicas conſuetudines negligenter ſervaret. Ergo veriſimilius Mariam ſororem Marthæ, non quidem obnoxiam fuiſſe majoribus vitiis, quæ pœna capitis puniiſſent Judæi, ſed non caruiſſe minoribus, & forſan numero plurimis, quibus omnibus à Domino ſanata juxta loquendi morem Hebræorum dici potuit liberata à ſeptem dæmoniis, nempe ab innumeris pravis affectibus. ſeptenarius enim numerus indicat multitudinem, quamquam non repugnat verè olim fuiſſe obſeſſam à totidem dæmonibus.

Quidam volunt Mariam dictam *Magdalene*, à quodam in Galilæa loco; quis ſit ille locus non apparet. Conjectare autem poſſumus, ſic cognominatam ob nimiam curam in componendis crinibus ſuis in libris enim Hebræorum מגדלא *Magdela*, vel *Magaddela*, ſignificat mulierem plicatricem capillorum muliebrium, à verbo גדל *gaddel*, *intorquere*, *implicare*; unde גדילא *ghedila*, *funis intortus*. Inter opera prohibita diebus ſabbati recenſent Judæi illam nimiam curam capillorum. ſic legimus in tractatu de ſabbato. c. 10. n. 6. *Quicunque ungues ſuos minuit, alterum altero, aut dentibus ſuis; ſic comam ſuam, ſic ſuum myſtacem, ſic barbam ſuam: item quæ implicat crines ſuos* הגודלת *haghodeleth, ſic quæ ſe fucat; quæ diſcernit crines ſuos. R. Elieſer quidem reos pronuntiat; ſed meliùs ſapientes ex ſtatuto ſabbatico prohibent*, Itaque mihi videtur Maria cognominata *Magdalena*, ob iſtam curam, quam crinibus intorquendis impenderet, etiam diebus ſabbati; & ideò quia ea re flocciſaceret ſtatuta ſabbatica, dicebatur peccatrix. forſan non vacavit alio culparum genere, ſed mihi conſtat non fuiſſe meretricem, cujus artes Maria Iſraelitis non exercuiſſet impunè.

3 *Et Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis*, pariter Dominum ſectabatur. forſan hæc erat vidua; aut Dominum non ſequebatur, niſi cùm in ipſa prædicaret, ubi procuratorem Herodis Tetrarchæ agebat Chuſa. Nam, ut diximus. Evangeliſta ibi in genere indicare videtur, mulieres aliquas Jeſum ſequi ſolitas fuiſſe dum prædicaret Evangelium ſuum. Cùm ergo Jeſus verſaretur in Galilæa, Joanna poterat illum ſequi, nec ideò deſerere maritum ſuum. *Et Suſanna & aliæ multæ quæ, miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*; ut hoſpitibus ſuis non eſſet moleſtus.

CA.

CAPUT VI.

Parabola viri Samaritani, qui hominem à latronibus ſpoliatum, & vulneratum curaverat, oſtendit Dominus quid ſit diligere proximum ſuum.

✠ *Dom. 12. poſt Pentecoſt.*

LUCAS, Cap. 10. ℣. 25—37.

Duo primi verſus occurrunt ſuprà, lib. 3. cap. 35. ℣. 15. 16.

25 ET ecce quidam legiſperitus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magi-
ſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?
26 At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?
27 Ille reſpondens dixit: † Diliges Dominum Deum tuum ex toto cor-
de tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus, & ex omni mente
tua: & proximum tuum ſicut teipſum.
28 Dixitque illi: Rectè reſpondiſti: hoc fac & vives.
29 Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad Jeſum: Et quis eſt
meus proximus?
30 Suſcipiens autem Jeſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Jeruſa-
lem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: &
plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto.
31 Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo il-
lo præterivit.
32 Similiter & Levita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſiit.
33 Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns
eum, miſericordia motus eſt.
34 Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & im-
ponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam ejus egit.
35 Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait:
Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaveris, ego cùm rediero
reddam tibi.
36 Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in la-
trones?
37 At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Jeſus: Va-
de, & tu fac ſimiliter. ¶

† *Deut. 6. 5. Levit. 19. 18. Rom. 13. 9. Gal. 5. 14. Iac. 2. 8.*

CUM parabolæ petantur à rebus quæ oculis obviæ ſunt, Dominus autem memoret, Jericho, & Hieroſolymam urbes non tanto intervallo diſſitas, credo hunc ſermonem ab illo habitum, cùm moraretur Hieroſolymis; hoc potiſſimum argumento adductus quòd Evangeliſta ſubjiciat huic ſermoni querelas Marthæ adverſus Mariam ſororem ſuam, dum apud eas Jeſus hoſpitaretur: nam certum eſt eas habitaſſe in Bethania qui vicus eſt juxta Hieroſolymam. Idcircò autem hanc parabolam Samaritani refero ad tempus quod Pentecoſten ſubſecutum eſt; quia hanc parabolam videtur Dominus propoſuiſſe in ſynagoga occaſione ſcripturæ quæ tunc ibi legeretur, Illud enim *ecce quidam Legiſperitus ſurrexit tentans eum*, indicat ſediſſe hunc Legiſperitum, & de more propoſuiſſe quæſtionem Domino, quam ille ſolverit convertens animum, & oculos legiſperiti ad ipſam ſcripturam modò lectam; quod indicat illud: *Quomodo legis &c.* locus autem ſcripturæ, ut puto, erat verſus quintus capitis ſexti Deuteronomii, quod caput legebatur ultimo ſabbato menſis *Ab* uno, aut altero menſe poſt Pentecoſten. Sive ergo Jeſus Hieroſolymam reverſus ſit ex Galilæa, ut in Pentecoſte appareret coram Domino, ſive ſeriùs aſcenderit in

in urbem ſanctam; tunc in illa, vel vicinia ejus morabatur; quod non contendo certo certius eſſe; at cùm in Harmoniis Evangeliſtarum pleraque fortuitò collocentur; nemo id mihi vitio vertat, ſi ubi verum non video, ſequar quod veriſimile eſt.

25. *Et ecce quidam legiſperitus*, νομικὸς, quales plurimi erant Hieroſolymis magni ſynedrii judices; homo, inquam, exercitatus in quæſtionibus legis, *ſurrexit*; credo enim rem in aliqua ſynagoga tranſactam, *tentans illum* an quid legi, aut magiſtrorum judiciis contrarium eliceret ex ore ejus, & inde criminandi cauſam haberet. *Magiſter quid faciendo*, ait ille, *vitam æternam poſſidebo*, illam nempè, de qua tunc temporis Chriſtus potuerat ſermonem feciſſe. Etenim in ſynagogis ſolebant quæſtiones proponi, & agitari: alternatim viri docti diſſerebant de lege. Ille ergo legiſperitus ſurgens, quæſtionem proponit, ſic idem Evangeliſta alibi, cap. 4. ℣. 16. de Chriſto loquitur: *& ſurrexit legere*.

26. *At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt?* id de tota lege Jeſus non quærebat, ſed de illa parte legis, quæ tunc præ omnium manibus erat, ſive quæ tunc in ſynagoga legebatur; neque tum aptè reſpondiſſet legiſperitus locum Deuteronomii potiùs recitans, quàm pleraque alia legis loca, *quomodo legis?* hanc ipſam ſcripturam, quæ tuis oculis ſubjecta eſſet.

27. *Ille* legiſperitus *reſpondens dixit*, id eſt, excipiens, ſive in loquendi vicem ſuccedens, recitavit illa verba legis, quæ oculis ejus obverſabantur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum. 28. dixitque illi: Recte reſpondiſti:* benè pronunciaſti verba Moyſis; reſtat ut teipſa impleas. *Hoc fac, & vives*, hoc opere præſta; non enim ſufficit ſcire.

29. *Ille autem volens juſtificare ſeipſum*, oſtendere ſcilicet ſe non rem vulgarem ſibi & aliis notam propoſuiſſe, ſed quæſtionem difficilem; & quæ inter ſummos legis doctores verſaretur, ipſis verbis legis quæ recitaverat, magnam ſubeſſe difficultatem probare conatur; dedecori enim ſibi eſſe putabat id quod quæſierat, tam citò ſolutum; ideò nodum in ſcirpo quærit, ut videatur non è vulgo doctor. *Et quis eſt*, inquit, *meus proximus?* Ambigebatur enim quàm latè ea vox ſpectaret. Tunc temporis magiſtri Judæorum putabant proximum eſſe quemvis Iſraelitam, nec alium prætereà quemquam. Illud ergo Levitici cap. 19. ℣. 33. *Si habitaverit advena in domo veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, ſed ſit inter vos quaſi indigena: & diligetis eum quaſi voſmetipſos*. Illud, inquam, quod indicabat omnem hominem homini eſſe proximum, ſic interpretabantur, ut intelligerent de viro, qui ex gentili factus proſelytus legem Moyſis ſervaret, vox enim *proſelytus*, reſpondet Hebrææ גר *gher*, Latinis *indigena*: cæteros omnes qui Iſraelitæ non eſſent, odio habebant, & ſi impunè poſſent, occidebant, aut ſaltem miſeros ſublevare non noverant, ut videre eſt in libris eorum. *Heretici Iſraelitici, id eſt qui idola colunt ex Iſraele, aut qui tranſgrediuntur ut irritent, ex præcepto ſunt occidendi, ſi fieri poteſt, palàm; ſin, clam, & aſtutè machinerit eis mortem.* Hic unus eſt ex canonibus Judaicæ doctrinæ, ſicut & ille. *Gentilibus verò quibuſcum non eſt bellum, non mortem machinantur, at prohibitum eſt eos à morte liberare, ſi de morte periclitantur.* His conſona ſtatuit Maimonides, loquitur de Gentilibus. *Si quis horum ceciderit in mare, ne eripias eum, nam dicitur: non inſurges in ſanguinem proximi tui; at talis non eſt proximus.* Ideò idem Maimonides obſervat quòd Iſraelitam, qui advenam inquilinum occidiſſet, non occideretur à ſynedrio, licèt dicatur: ſi quis ſuperbierit in proximum ſuum &c. *Nam Gentilis non æſtimatur proximus.*

Tam impiam doctrinam ſi prima fronte impetiiſſet Dominus, clamitaſſet legiſperitus eum traditionibus doctorum adverſari, verùm oculis ſubjiciens exemplum eximiæ charitatis, quam legiſperitus non poterat non laudare; ſic eum conſtringit, ut teneatur contratiam, & ſaniorem doctrinam ſuo calculo comprobare. 30. *Suſcipiens*, ὑπολαβὼν *autem Jeſus*, id eſt excipiens ſermonem legiſperiti (cave ne legas *ſuſpiciens* quod in quibuſdam codicibus Latinis olim occurrebat) *dixit*, parabola utens, vel veram hiſtoriam enàrrans: *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Jericho.* Homo ille non erat Samaritanus; etenim hanc urbem Samaritani non frequentabant, ita aliquis Judæus civitatis ſanctæ accola, vel qui in illam venerat religionis cauſa, *& incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum; & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* Inter Hieroſolymam & Jericho locus erat latrociniis infamis, *Adomin* dictus à viatorum cruore ibi effuſo, ut notat B. Hieronymus.

31. *Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo præteriit.* ἀντιπαρῆλθεν, coram illo præteriit, vel contra illum præteriit, miſeria ejus haud commotus.

32. *Similiter & Levita, cùm eſſet ſecus locum:* cùm appropinquaſſet ad locum ubi ſaucius erat; etenim nec ad hunc ſaucium ſacerdos dignatus erat accedere, ex adverſo prætererat, ut non tantùm non acceſſerit, ſed etiam de via deflexerit. Cùm, inquam, Levita propiùs appropinquaſſet, *& videret eum* ope indigentem, *pertranſiit* tamen, ratus ſe haud ulla teneri religione ferre ſuppetias viro ignoto.

33. Sa-

33. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt*; ita non pertranſiit. 34. *Et appropians*, accedens ad illum, *alligavit vulnera ejus*, ne vitam cum ſanguine effunderet, priùs *infundens oleum, & vinum*, oleum cum vino mixtum, *Et imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum*, [illegible], in diverſorium, ſive hoſpitium; neque enim ſolam animalium ſtationem nomen illud ſtabulum ſignificat, *& curam ejus egit*. 35. *Et altera die* ἐπὶ τὴν αὔριον, id eſt, ſequenti die ad matutinum crepuſculum abiturus, *protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi*; ut ab omni parte ſublevetur æger ille.

36. *Quis horum trium*, inquit Dominus, *videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones*, ſcilicet quod debetur proximo impleviſſe officium; ſive quis ex illis tribus pro proximo hunc ægrum habuit. 37. *At ille* legiſperitus *dixit: Qui fecit miſericordiam in illum*, nempè Samaritanus, ſe exibuit proximum Judæo viro qui animum ab eo gerebat alienum. quid hoc eſt niſi fateri quemque hominem alteri homini proximum eſſe. Ita Dominus admirabili ſapientia verum extorquet. ſi Samaritanum vulneratum propoſuiſſet, dixiſſet ſanè legiſperitus negligendum fuiſſe hominem impurum, & à ſacris alienum. at beneficium collatum in Judæum tam gravi caſu afflictum non potuit non laudare. Ita cogitur fateri quod videbatur negaturus. nam ſi ille Samaritanus rectè fecit, cùm opem tulit Judæo, cui odio erat, certè & Judæus rectè faciet, ſi in caſu ſimili opem tulerit Samaritano; nam par eſt utrinque vinculum naturæ, quæ nos omnes in mutuum adjutorium genuit. ideò Samaritanus judice legiſperito laudabiliter movebatur.

Et ait illi Jeſus: Vade, & tu fac ſimiliter. Meritò colligit neminem hominum à nobis alienum eſſe cenſendum. *Fac ſimiliter*, id eſt quemcumque qui tua ope indigeat, ſive Iſraelita, ſive Gentilis, aut Samaritanus fuerit, ſubleva, nec quaſi alienigenam deſpice, ut ſolent qui receptam à vobis doctrinam ſequuntur. Hæc omnia non exprimit Chriſtus, ſed relinquit cogitanda legiſperito, qui cùm factum Samaritani non poſſet intra ſe non multifacere, ſimul & quam hactenus multifecerat doctrinam compellebatur improbare.

CAPUT VII.

Dum Chriſtus hoſpitaretur apud Martham & Mariam, queritur Martha quòd ſola miniſtraret, dum Maria ſoror ejus verbis Domini audiendis vacaret.

LUCAS, Cap. 10. ℣. 38—42.

8 FActum eſt autem, dum irent, & ipſe * intravit in quoddam caſtel- * *In Aſſump. B. M. V. & in feſto S. Martha.*
lum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum
ſuam:
39 & huic erat ſoror nomine Maria, † quæ etiam ſedens ſecùs pedes † *Act. 22. 3.*
Domini, audiebat verbum illius.
40 Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, &
ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.
41 Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, &
turbaris erga plurima.
42 Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non
auferetur ab ea. ¶

38 FACTUM *eſt autem, dum irent, & ipſe intravit in quoddam caſtellum*, ubi, vicum tractus montis Oliveti, qui tractus dicebatur Bethania, undè Maria & Martha, ut diſcimus ex Joanne, cap. 11. ℣. 1. Itaque cùm ille vicus proximus eſſet Hieroſolymis, veriſimile eſt parabolam Samaritani cui præſentem hiſtoriam ſubjungit Lucas, propoſ-

poſitam à Domino, dum Hieroſolymis verſaretur, aut in hujuſce urbis vicinia. *Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.* Jam obſervatum eſt Dominum cùm Hieroſolymam veniret, ſolitum cubare in Bethania, ubi ſæpiùs hoſpitio Marthæ & Mariæ exceptum credimus, & arcta amicitia cum illis devinctum ab hac die qua Maria mulier anteà peccatrix, abluerat pedes ejus in domo Phariſæi. Non aliam enim eſſe quàm Mariam Marthæ ſororem contendimus. Sed quidquid ſit de illa peccatrice, ex iis quæ paſſim occurrunt in Evangelio apertum eſt, diutina conſuetudine, & familiaritate junctum fuiſſe Dominum cum Maria, & Martha, & Lazaro fratre earum; quapropter veriſimile eſt, ſtatim cùm prædicare cœpit Dominus, duas illas ſorores ſibi innotuiſſe.

39 *Et huic* Marthæ *erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini*, quietè & attentè, *audiebat verbum illius*, more diſcipulorum; ut Paulus eruditus fuerat ad pedes Gamalielis, Act. cap. 22. ℣. 3. ſic ad Domini pedes ſedebat homo ille à quo dæmoniorum legio exierat. Luc. cap. 8. ℣. 35. Maria, inquam, ſi illa eſt, ex qua Dominus ejecerat ſeptem dæmonia, hoc eſt quam ſanaverat multis vitiis, ſana facta ſic mutaverat mores, ut cujus animus anteà à Deo prorſus averſus eſſet, jam in illum omnis converteretur, nullius alterius rei ſatagens.

40 *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium*: diſtrahebatur, laborabat circa multam miniſtrationem *περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν*. Etenim Bethaniam venerat Dominus non ſolus. *quæ ſtetit, & ait* *ἐπιστᾶσα δὲ εἶπε*. Quæ ſuperveniens dixit: vel ſic dicere inſtitit: *Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Maria enim ſolùm intenta erat verbis Domini audiendis. *dic ergo illi ut me adjuvet.* ut unà mecum manus admoveat operi.

41 *Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha*, amica compellatio, *ſollicita es, & turbaris erga plurima*, diſtraheris, & inquieta es, variè & ſollicitè diſcurſas, parans varia ferculorum genera, & variam ſupellectilem diſponens. 42. *Porrò unum eſt neceſſarium.* *ἑνὸς δέ ἐστι χρεία*. unum ferculum tantùm neceſſarium eſt. ſic non pauci interpretantur. Malim Dominum ſignificaſſe id unum Marthæ ſatagendum fuiſſe, ut verba ejus audiret, quod faciebat ſoror ejus. *Maria optimam partem elegit*. Quæ illa optima pars? ſi illud *unum neceſſarium*. accipiatur pro uno ferculo, ſic loquitur Dominus quia Maria optimum ferculum elegiſſet; quod procul dubio Dominus non dicit, ſed ideò optimam partem electam à Maria, quòd præferret ſtudium cognoſcendi doctrinam ſalutis. *quæ* pars *non auferetur ab ea*. Maria enim à ſtudio doctrinæ meæ non ultrò patiatur avelli, ut alia curet, quàm quæ Dei ſunt. Generalis autem ſententia eſt; varias eſſe ac multiplices hujus vitæ curas; ſed unam eſſe rem quæ, ſi ſalvi eſſe velimus, omninò ſit nobis neceſſaria, curam ſcilicet pietatis. *Laborioſus eſt hujus mundi amor*; ajebat Auguſtinus; cujus & illa ſunt adverſus hujus mundi amatores. *Noſtrum otium magnum negotium eſt: veſtrum negotium magnum otium eſt.*

CAPUT VIII.

Dominus diſcipulos docet modum quo debeant Deum orare.

LUCAS Cap. 11. ℣. 1—13.

1 ET factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit
unus ex diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut
docuit & Joannes diſcipulos ſuos.
2 Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum.
3 Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
4 Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.
*Fer. 2. Rogat. 5 Et ait ad illos: * Quis veſtrùm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes.

6 Qui

6 Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam
ante illum.
7 Et ille de intus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium
clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & da-
re tibi.
8 Et ſi ille perſeveraverit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens,
eò quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit
illi quotquot habet neceſſarios.
9 Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: Quærite, & invenietis:
pulſate, & aperietur vobis.
10 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti
aperietur.
11 Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit il-
li? aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi?
12 Aut ſi petierit ovum: numquid porriget illi ſcorpionem?
13 Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quan-
tò magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

NULLA alia de cauſa hæc ſubtexui hiſtoriæ querelarum Marthæ, niſi quòd in codice ejuſdem Evangeliſtæ proximè ſubſequantur. Lucas in genere ſcribit dicta à Domino in aliquo loco: quis fuerit, non definit.

1. *Et factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos*. Quis ſit optimus Deum orandi modus poſtulant. 2. *Et ait illis: cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum*. agnoſcaris ſanctus, te ſanctum prædicent cum angelis, qui coram throno tuo clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*. Quæ hìc legimus, proxima ſunt iis, quæ alibi protulimus ex Matthæo, ſed potuit Dominus dicta iterare, modò fuſiùs, modò breviter. *Adveniat regnum tuum*. Hujus particulæ ſenſum aperuimus, regnat Deus, quando homines ſerviunt illi, mandata ejus faceſſunt, ſubditi ejus legibus.

3. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Ibi vulgatus interpres dicit *quotidianum* panem, quem appellaverat in Matthæo *ſuperſubſtantialem*; vox ἐπιούσιος, quæ in utroque Evangeliſta occurrit, idem ſonat, ac *ſuperadveniens*, ſive *proximus*. Scilicet in ſingulos dies panis diei ſupervenienti, nempè craſtino neceſſarius requirendus eſt à Deo; nec ultra decet eſſe ſollicitos. Eraſmus cenſet potiùs vertendum fuiſſe *da nobis panem craſtinum*, quàm *quotidianum*, at ſenſus idem eſt. Qui enim orat pro victu poſtridiano, quid aliud petit, quàm victum quotidianum?

4. *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſi quidem, & ipſi dimittimus omni debenti nobis*. His innuit Dominus fruſtà nos Deum veniam peccatorum orare, niſi & ipſi veniam condonemus iis qui peccaverunt in nos. *Et ne nos inducas in tentationem*. Et ne nos ſinas vinci, & ſubjici tentationum periculis.

5. *Et ait ad illos*: ut excitaret ad orandum ſpe non fruſtraneæ orationis, *quis veſtrùm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte*, etiam tempore non opportuno, *& dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes*. 6. *Quoniam amicus meus venit de via ad me*: divertit ad me impulſus aut imbre, aut nocte, *& non habeo quod ponam ante illum*. 7. *Et ille de intus reſpondens dicat*: fieri, inquam, non poteſt ut nec dignatus oſtium recludere reſpondeat: *Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei*, ſervi mei, *mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi*. Nemo eſt, qui ſine incommodo poſſit tibi dare panes, cùm omnes cubitum ierint.

8. *Et ſi ille perſeveraverit pulſans*: attamen ſi ille urgeat: *Dico vobis: & ſi non dabit illi ſurgens eo quòd amicus ejus ſit*, ratione amicitiæ; *propter improbitatem tamen ejus*, propter aſſiduas preces, ut labor improbus Virgilio dicitur, *ſurget*, licèt ægrè, *& dabit illi quotquot habet* panes, *neceſſarios*.

9. *Et ego dico vobis*: hoc exemplo excitati, *Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulſate, & aperietur vobis*. Si impudens flagitator tantùm obtinet ab homine, quid non à Deo obtinet ſupplex, & aſſiduus precator. 10. *Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur*. Hæc addit Jeſus, ut fidem faciat ſuis verbis. 11. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit ei? aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi?* Simili forma illum decipiens. 12. *Aut ſi pe-*

tierit

Digitized by Google

tierit ovum: numquid porriget ei ſcorpionem? Scorpionis corpus eſt ovo ſimile, maximè ſi ſit album, quæ ſcorpionum prima eſt ſpecies apud Nicandrum, Ælianum, Avicennam & alios. In Judæa ſcorpiones ab ovo mole non diſtare probat Bochartus prolatis teſtimoniis; itaque albus ſcorpio, cùm pedes colligit, ſimilitudine ovi incautos fallere poteſt. 13. *Et ſi ergo vos cùm ſitis mali*, qui eſtis mali, *noſtis* tamen *bona data*, id eſt dona *dare filiis veſtris*, *quantò magis pater veſter de cœlo*, cœleſtis, qui miſericors & benignus eſt, *dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*, dona Spiritus ſancti, ad quæ imperranda præcipuè directa eſt precandi formula, quam eo in loco proponit Dominus diſcipulis ſuis, quorum numerus in dies creſcebar.

CAPUT IX.

Dominus in Judæa baptizat, hoc reſciſcens Joannes Baptiſta denuò illi teſtimonium perhibet quod ſit Chriſtus.

JOANNES, Cap. 3. ℣. 22—36.

22 POſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in terram Judæam: & illic
† Joan. 4. 2. demorabatur cum eis, † & baptizabat.
23 Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.
24 Nondum enim miſſus fuerat Joannes in carcerem.
25 Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.
26 Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum
† Joan. 1. 19. trans Jordanem, † cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.
27 Reſpondit Joannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.
28 Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim: Non ſum ego Chriſtus: ſed quia miſſus ſum ante illum.
29 Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi: Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.
30 Illum oportet creſcere, me autem minui.
31 Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, e terra eſt, & de terra loquitur: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt:
32 Et quod vidit, & audivit, hoc teſtatur: & teſtimonium ejus nemo accipit.
† Rom. 3. 4. 33 Qui accepit ejus teſtimonium, † ſignavit quia Deus verax eſt.
34 Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.
35 Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.
† 1. Joan. 5. 10. 36 † Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.

22 POST *hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in terram Judæam*: εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν. In territorium Judææ extra Hieroſolymam, quæ enim modò enarravimus, videntur tranſacta fuiſſe in vicinia urbis; unde recedens veniſſe dicitur εἰς γῆν, in agrum Tribus Judæ. *Et illic demo-*

demorabatur cum eis, & baptizabat. quod Hieroſolymis non ſiviſſent Phariſæi. neminem autem admiſſum voluit Dominus in regnum Evangelii, niſi priùs ablutum; qui & polliceretur novam vitam, novos mores. Ideò cùm gereret ſe pro Chriſto, convocans quotquot ſequi eum vellent, cœpit baptizare, non quidem ipſe, ſed utens diſcipulis ſuis miniſtris, ut Joannes Evangeliſta infrà admonet, cap. 4. ℣. 2.

23. *Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.* Ex conjectura dixi coactos à populo, ſive metu populi Phariſæos, ſolviſſe vinculis Joannem, quibus illum conſtrinxerant. Conjectura illa non inanis eſt; traditum enim fuiſſe Joannem ante Paſcha complura argumenta probant; quæ & præſens hiſtoria ſuppeditat. Ænnon ubi baptizabat, ubicumque fuerit, certè non fuit extra ditionem Herodis Tetrarchæ Galilææ. Non erat in Judæa; opponit enim Evangeliſta Joannem baptizantem in Ænnon, Chriſto qui baptizaret in Judæa. hæc autem oppoſitio indicare videtur diverſas regiones; ſive Ænnonem fuiſſe extra Judæam; qui locus niſi fuiſſet ditionis Herodianæ quomodo Herodes libenter, & frequens audiiſſet Joannem, quo audito multa faceret, ut ſcribit Marcus? Ænnon quidem erat juxtà Salim, ſed non minus incertum eſt, ubi Salim fuerit. In Geographicis de iſtis locis Ænnon & Salim diſſerui. olim quia Herodium caſtrum erat ædificatum in monte contermino Arabiæ in Peræa, quæ Tetrarchiæ Herodis Antipæ pars erat, ea in vicinia collocandum eſſe Ænnonem ſentiebam; maximè quia ibi Machærus locus carceris Joannis Baptiſtæ, ut tunc credebam. verùm poſteà mutavi ſententiam, duobus non levibus argumentis adductus. Primùm conſtat, ut evinco in Geographicis, Tiberiadem fuiſſe Metropolim Galilææ, & regiam ſedem, ubi Palatium Antipas ædificaverat. Hanc urbem condiderat, quæ cùm ideò ſibi dilecta eſſet, eam frequentiùs ut veriſimile eſt, inculebat. Itaque ſi Ænnon collocandus ſit in vicinia regiæ ſedis, profectò non multùm removendus eſt ab urbe Tiberiade, in cujus vicinia ut dicit Joſephus, lib. 18. antiq. cap. 3. *Θέρμα δ' ἐκ ἀπώθεν ἔνεστιν ὁ κώμη Ἀμμαοῦς ὄνομα αὐτῇ. non longè inde apud Ammauntem vicum ſunt aquæ calidæ.* Ἀμμαοῦς venit ab Hebræo חמם *ammam*, id eſt *concaluit*. Ita in vicinia Tiberiadis erant multæ aquæ, quod de Ænnone dicit Evangeliſta. ibi autem potiùs quàm in Jordane baptizabat Joannes, quæ aquæ calidæ baptizatis ſalubriores præſertim hieme. Alterum argumentum ipſa Machærus ſuppeditavit mihi, quæ olim me in errorem impulerat; idcircò enim admovebam Ænnonem Machærunti, quia fidem adhibueram codicibus Joſephi, in quibus Joannes præcurſor miſſus dicitur in Machæruntem; ſed in Geographia oſtendo codices illos ſuſpectos eſſe; nec fieri poſſe ut Machærus locus fuerit carceris Herodiani, quoniam ex ipſo Joſepho illa arx tunc ſubdebatur Aretæ Arabum regi, qui Herodi inſenſus erat ob illas ipſas nuptias, quas Joannes inſectatus fuerat.

24. *Nondum enim miſſus fuerat Joannes in carcerem.* Nemine reclamante carcer ille Herodianus eſt; quem non nominat, quia ſubintelligi poterat, cùm exhiberet Joannem baptizantem in Tetrarchia Herodis, & carcer ille ſatis notus eſſet, in quo vitam amiſiſſet Joannes.

25. *Facta eſt autem quæſtio cum quibuſdam ex diſcipulis Joannis cum Judæis de Purificatione. περὶ καθαρισμοῦ.* Quæſtio illa erat de præſtantia Purificationis, ſive baptiſmi Jeſu Nazareni: utrùm ejus baptiſmus potior eſſet baptiſmo, quem Joannes conferret.

26. *Et venerunt ad Joannem*, diſcipuli ejus, *& dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem*, quem baptizaſti in trajectu Jordanis, ut hìc habet Syrus interpres, nempè in Bethabara, & *cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Querelæ iſtæ oſtendunt diſcipulos Joannis ægrè tuliſſe, quòd plerique contenderent ejus baptiſmum inferiorem eſſe baptiſmo Jeſu Nazaræni.

27. *Reſpondit Joannes & dixit: Non poteſt homo accipere quidquam* poteſtatis, adminiſtrationis, officii, *niſi fuerit ei datum de cælo.* Non licet homini quidquam ſibi arrogare, ſed id tantùm tenere, quod à Deo ſibi datum eſt. omnes ad Jeſum veniunt, quia hoc ei datum eſt à Deo. Jam de Jeſu non loquitur ut de homine ignoto; quapropter hæc quæ nunc Evangeliſta enarrat, neceſſariò ſubſequuta ſunt eam legationem, quam Joannes miſerat ad Jeſum ex vinculis ſuis; quæ idcircò alia reputanda ſunt, quàm Herodiana, quibus tunc temporis non erat vinctus. Ante illam legationem ipſe Joannes ſaltem diſcipuli ejus de Jeſu incerti erant, an ipſe eſſet cui magiſter teſtimonium perhibuerat; neque enim dubitabat Joannes, quin ille ſuper quem viderat ſpiritum deſcendentem, ipſe eſſet verus Meſſias. Niſi ergo ille ſubdubitaſſet, aut ejus diſcipuli, an quem audiebat tot miracula in Galilæa patrantem, idem eſſet quem baptizaverat, non quæſiiſſet an eo per legatos utrùm Meſſias eſſet. Teſtatus erat, quod & nunc facit, eum quem baptizaverat, eſſet Chriſtum. de illo jam non dubitat; Jeſum clarè agnoſcit pro Chriſto.

28. *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis*, alloquitur Joannes diſcipulos ſuos, *quòd dixerim, Non ſum ego Chriſtus; ſed quia miſſus ſum ante illum;* præcurſor ejus, ante faciem ejus. Declarat Joannes ſe Jeſu inferiorem, & ideò veniſſe, ut ei inſerviret, quemadmo-

dum amicus ſponſi in die qua uxorem ſponſus duxit, huic ſuum miniſterium exhibet, & ſatagit ut omnis honor ei deferatur. 29. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat* ei miniſtraturus, *& audit eum* excepturus ejus mandata, *gaudio gaudet propter vocem ſponſi*, gaudet gaudio ſponſi; quando vocem ejus audit accedentis, ut nuptias celebret, & potiatur optatis.

Innuimus alibi regnum cœlorum aſſimilatum eſſe nuptiis; Jeſum eſſe ſponſum, qui in uxorem ſibi eccleſiam conjunxerit, ut ubique in ſacro codice dicitur: & ibi dicit Joannes dicens, *qui ſponſam habet, ſponſus eſt*. Quaſi diceret, Aguntur nuptiæ Jeſu Nazaræni; ipſe eſt ſponſus, qui ſponſam duxit, nempè congregationem electorum à Deo. ego verò amicus ſum ſponſi. Quapropter, ut fieri ſolet in omnibus nuptiis, primæ partes debent eſſe ſponſi, ita ut eo adveniente gaudeant gaudio ſocii, & amici ejus. *Hoc ergo gaudium meum impletum eſt*, qui veluti Paranymphum agam Jeſus Nazareni. Ex eo autem quòd ipſe non ſit ſponſus, ſic concludit Joannes. 30. *Illum oportet creſcere, me autem minui*, fama videlicet; Chriſto enim omnis honor deferendus ut ſponſo.

Joannes longè erat à moribus eorum, qui dum ſua quærunt, in Eccleſiam ea tantùm mente intrant, ut poſſideant ejus dignitates, quaſi ſponſam Chriſti ſuam facere vellent. Hos intuens B. Auguſtinus exclamabat: *Multos adulteros video, qui ſponſam tanto pretio emptam poſſidere volunt, & id agunt verbis ſuis, ut pro ſponſo amentur*. Subinde diſertis verbis declarat Joannes quis ſit Jeſus; ſcilicet eum de cœlo venire, & ideò ſuper omnes eſſe. 31. *Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt*: quippe Deus. *Qui eſt de terra*, ex humana generatione, *de terra eſt*, homo eſt; *& de terra loquitur*: arcana cœleſtia patefacere non poteſt. *Qui de cœlo venit* Jeſus, quippe homo ſimul & Deus; *ſuper omnes eſt*. nemine excepto. huic ergo inferior ſum. 32. *Et quod vidit, & audivit, hoc teſtatur*. Ipſe enarrat quæ intuitus eſt in ſinu patris. Tantum abeſt ut invidia moveatur Joannes, quòd plerique Chriſti magiſterio ſeſe ſubderent, quin quæritur quòd non omnes ſe huic traderent erudiendos, *& teſtimonium ejus nemo accipit*, id eſt pauci, non omnes, quod cuperem.

33. *Qui verò accepit ejus teſtimonium*, qui huic fidem adhibet, ſimul agnoſcit Deum eſſe veracem, qui promiſſis ſteterit, quæ toties de Meſſia dando iteraverat, *ſignavit quia Deus verax eſt*. Hoc eſt obſignatione ſua teſtatur ſe credere Deum eſſe veracem, metaphora ſumpta à more Judæorum, apud quos teſtes teſtimonium ſuum deſcribebant in tabulis, & illud ſigillo ſuo muniebant. 34. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur*, doctrinam patris ſui docet: arcana ejus revelat; *non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*, ſubaudiendum, Chriſto filio ſuo. Idem eſt quod dixit ſuprà Evangeliſta de plenitudine Chriſti nos omnes accepiſſe. 35. *Pater diligit*, Jeſum *filium* ſuum: *& omnia dedit in manu ejus*, ut ſolent patres filiis. nihil eum celat. arbitrio, & poteſtati ejus omnia permiſit. omnia myſteria regni cœleſtis ipſi dedit pro ipſius arbitrio diſpenſanda.

36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum*. Denuntiat clarè Joannes omnes morte afficiendos, quicumque non audirent illum. Judica Lector, an ille Joannes, qui de Jeſu iſta protulerit coram ſuis diſcipulis, antequam alligaretur ab Herode, potuerit hujus vinculis alligatus mittere eoſdem diſcipulos ad eundem Jeſum, qui ſciſcitarentur ab eo an ipſe eſſet Chriſtus. Iterum ergo dicam, vincula ex quibus miſerat legationem ad Jeſum præcedere Herodiana, quibus tunc temporis nondum fuerat vinctus.

CAPUT X.

Cùm plures diſcipulos quàm Joannes jam Dominus haberet, idque invidiam Phariſæorum moveret, Judæa cedit. Tranſiens per Samariam cum muliere Samaritana colloquitur.

JOANNES Cap. 4. ℣. 1—26.

1 UT ergo cognovit Jeſus, qui audierunt Phariſæi quòd Jeſus plures
diſcipulos facit, & baptizat, quàm Joannes,
2 (Quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus)

3 Re-

3 Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.

4 Oportebat autem eum tranſire per Samariam.

5 † Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, † quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo. † *Fer. 6 infra heb. 3 Quadr.* † *Gen. 33. 19. & 48. 22.*

6 Erat autem ibi fons Jacob. Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem: Hora erat quaſi ſexta. † *Joſue c. 24. 32.*

7 Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jeſus: Da mihi bibere.

8 (Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)

9 Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? † non enim coutuntur Judæi Samaritanis. † *Act. 10. 28. 4. Reg. 17. 24*

10 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, † & dediſſet tibi aquam vivam. † *Iſa. 12. 3. Joan. 6. 35.*

11 Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, † & puteus altus eſt, unde ergo habes aquam vivam? † *Jerem. 2. 13.*

12 Numquid tu major es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?

13 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum:

14 Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

15 Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire.

16 Dixit ei Jeſus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17 Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jeſus: Benè dixiſti, quia non habeo virum:

18 Quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir: hoc verè dixiſti.

19 Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.

20 Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, † quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet. † *Deut. 12. 6*

21 Dicit ei Jeſus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.

22 † Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt. † *4. Reg. 17. 41*

23 Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

24 † Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. † *2. Cor. 3. 17*

25 Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus, cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

26 Dicit ei Jeſus: Ego ſum, qui loquor tecum.

27 *Et continuò &c. cap. ſeq.*

1 UT *ergò cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Joannes, (2. quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus) 3. reliquit Judæam, & abiit iterùm in Galilæam.* Ex hocce loco apertum eſt, etiam cùm Joannes Baptiſta, nondum in carcerem Herodianum miſſus eſſet, Jeſum plurimos habuiſſe diſci-

diſcipulos; quorum numerus ureret invidia Phariſæos. Ex Matthæo autem & Marco diſcipulos non collegit, niſi tradito Joanne præcurſore, cùm receſſit in Galilæam; ita ut ſi non ab alio quàm ab Herode traditus ſit Joannes, nulla iniri poſſit concordia inter Evangeliſtas. Inſuper pateſacit eo in loco Evangeliſta, præcurſorem odio habitum Phariſæis; quia ipſe ab illis averſus in ſe converteret ſtudia populorum. Sicut ergo ex abitione Domini paratos intelligimus Phariſæos manus violentas in eum injicere, niſi invidiæ eorum ceſſiſſet, in Galilæam ſecedens, colligimus & in Joannem injeciſſe manus, ſimilique prorſus odio, & invidia in præcurſorem, & in Dominum exarſiſſe. ea de cauſa compulſus eſt Jeſus ex Judæa abire; quæ cauſa nulla fuiſſet, ſi præcurſorem non alligaſſent, ut ſimilem violentiam metueret.

Omnia verba Evangelii expende Lector: *Reliquit Judæam* Dominus, quia ibi valerent authoritate Phariſæi; *& abiit iterum in Galilæam*; in alterius principatus regionem. quo tempore ex Joanne Evangeliſta nondum præcurſor in carcerem conjectus fuerat ab Herode. Igitur qui iſtam profectionem, quam Matthæus, Marcus, & Lucas narrant poſt jejunium quadraginta dierum, cùm audiit Dominus Joannem traditum: qui, inquam, iſtam profectionem, in Galilæam negant primam fuiſſe à baptiſmo, & tunc Joannem à ſacerdotibus traditum, coguntur eam pro tertia, vel quarta habere; ita ut iſta quæ Matthæus & Marcus ſubjungunt jejunio quadraginta dierum facta à Domino, quando tradito Joanne in Galilæam fugit, nondum hocce tempore de quo nunc agit Joannes Evangeliſta, tranſacta fuerint, quamquam juxta illos, ab hiſce ſumptum ſit Evangelicæ prædicationis exordium. Hic autem advertamus Dominum fugientem pericula, quæ illi ex mandato Patris non ſubeunda erant; quod ei ſolitum fuiſſe jam diximus.

4. *Oportebat autem eum*, ut in Galilæam perveniret itinere breviori, *tranſire per Samariam*; ex Joſepho enim Samaria media eſt inter Judæam & Galilæam. Nomen *Samaria*, indicat regionem, cujus olim Samaria caput. 5. *Venit ergo* Dominus *in civitatem Samariæ regionis, quæ dicitur Sichar*: nempè à Judæis per ludibrium, pro *Sichem*, quo nomine à Samaritanis appellabatur. Sichem, inquam, nominabant Judæi *Sichar*: hoc eſt, urbem ebriorum. videlicet quia inebriati erant malo ſchiſmate. Sic Iſajas, cap. 28. ℣. 1. appellat Ephraimitas, ſive Samaritanos, *ebrioſi Ephraïm*, ad eandem vocem *Sichar* alludens. Judæi juxta præceptum illud Deuteronomii, cap. 12. ℣. 3. *diſperdite nomina illorum*, credebant vocabula nationum quas contemnerent, aliqua tranſpoſitione, vel mutatione literarum eſſe corrumpenda, ut ſenſus abiret in contemptum. Ita *Bethel*, ubi falſa Samaritanorum religio; quod nomen ſonat *domus Dei*, mutabant in *Bethaven*, id eſt domus iniquitatis. Sichar, ſive Sichem erat *juxta prædium, quod dedit Jacob Joſepho filio ſuo*. huic enim moriens dederat partem unam extra fratres ſuos, ut dicitur Geneſeos, cap. 48. ℣. 22.

6. *Erat autem ibi fons Jacob*, ſive puteus, ut liquet ex iis quæ ſequuntur, quem fama ferebat à Jacob fuiſſe effoſſum. *Jeſus ergo fatigatus ex itinere*, quippe verus homo, ut famem & ſitim, ſic & laſſitudinem experiri voluit, alienus ab omni faſtu, & pedes incedens, non utens jumento. Notat Evangeliſta defatigatum Jeſum, ut advertamus neceſſitate adactum, ut potum peteret à Samaritana. Fatigatus ergo, *ſedebat ſic ſuprà fontem*. ibi particula *ſic* expletiva eſt; vel ſenſus eſt, ut laſſus erat, aut idcircò quia laſſus erat, ſedebat. *Hora erat quaſi ſexta*. Cauſam aperit Evangeliſta laſſitudinis ejus, & ſitis. Jam meridies erat, cùm ſol altiſſimus orbe eſt, & maximus æſtus eſt. 7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jeſus: Da mihi bibere*, ſitiebat enim. 8. *Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent*; ideò ipſe Jeſus mulierem rogaverat aquam. Judæi non ſolebant ea quibus indigerent, comparare pretio à Samaritanis, quoniam, ut modò videbimus, putabant rem eſſe illicitam, panem & carnem viri Samaritani comedere, verùm Dominus qui diſperſas oves congregaturus erat in unum ovile, nolebat ſuos diſcipulos teneri hiſce odiis. cum peccatoribus manducabat, etſi horum conſortio, non minùs quàm morticino Phariſæi putarent contrahi immunditiem; omnes enim in regnum ſuum admittebat.

9. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Noverat illa Jeſum Judæum eſſe ex habitu & ſermone. Dialectus enim Ephraimitas ab aliis Iſraelitis diſtinguebat, ut videre eſt in libro Judicum, cap. 12. ℣. 6. Mulieri autem id mirum videbatur, quòd Judæus ab ea potum poſceret; *non enim contuntur Judæi Samaritanis*. Vocem Græcam συγχρῶνται. factitia Latina reddidit interpres. Ab eo tempore, quo ſchiſmate abſciſſi ſunt Samaritani ab Iſraelitis, mutuo ſe odio proſequebantur; præſertim ex quo calumniis ſuis, quas regi Perſarum ſuggerebant adverſus Judæos, ut dicitur Eſdræ cap. 4. novam ædificationem Urbis, & Templi remorati ſunt. *Samaritæ*, inquit Joſephus, lib. 11. Antiq. *Judæos accuſarunt, quòd Urbem munirent, Templumque arci quàm fano ſimilius extruerent, aſſerentes hoc non eſſe in rem Regis. Unde gens infenſa, & invida multis moleſtiis eos afficiebat, freti opibus, & affectantes cognati Perſarum videri, quòd eſſent inde oriundi*. . . *Et quacumque in re, vel*

re vel per ſe , vel per alios poterant noſtram gentem lædere , nullam occaſionem prætermitte-bant. Rabbi Eliezer in libro qui inſcribitur, *Pirke avot*, ſive *capitula patrum*, dicit, cap. 38. Eſdram Zorobabelem, & Joſuam anathemate percuſſiſſe Cuthæos. (ſic appellabant Samaritanos) *congregarunt*, inquit, *totum cœtum in Templo Dei , & adduxerunt trecentos ſacerdotes , trecentos infantes cum buccinis , & cantilabant Levitæ, atque anathemate devovebant Cuthæos* , omni excommunicationis ſpecie. *ne quiſquam homo ex Iſraele in æternum comedat fructum* , vel *bucillam Cuthæi* . *Hinc dicunt : qui comedit carnem Cuthæi , is veſcitur quaſi carne porcina . Cuthæus quoque ne fieret proſelytus ; neque haberet partem in reſurrectione mortuorum &c.* Opus illud *Pirke avot* , qui illud Latinè reddidit , Vorſtius probat eſſe antiquum.

Occaſione autem aquæ, quam petebat, Dominus loquitur de aqua , quam daturus erat credentibus in eum : ſignificans gratias, quas effuſurus erat per Spiritum ſanctum. Aqua typus eſt harum gratiarum, quæ veluti flumina repreſentantur in ſcripturis fluentes; unde dicit Dominus, Joan. cap. 7. ℣. 38. *Qui credit in me , ſicut dicit Scriptura ; flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Itaque mulieri Samaritanæ 10. *reſpondit Jeſus , & dixit ei : ſi ſcires donum Dei :* ſeipſum intelligit, qui à Deo nobis donatus eſt, *& quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere : tu forſitan* ipſa prima *petiſſes ab eo*, ut largiretur tibi aquas gratiæ ſuæ; *& dediſſet tibi aquam vivam.*

Putabat mulier Samaritana Jeſum loqui de aqua elementari; unde 11. *dicit ei* hæc *mulier : Domine , neque in quo haurias*, ἄντλημα, hauſtrum, ſitulam qua haurias, *habes, & puteus altus eſt ; unde ergo habes aquam vivam ?* Unde poſſes mihi ſuppeditare aquam perpetuò ſcaturientem. 12. *Numquid tu major es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum , & ipſe ex eo fonte bibit, & filii ejus, & pecora ejus ?* an ad inveniendas aquas circa hunc locum ſapientior patre noſtro Jacob ? aut poſſes puteum effodere profundiorem hocce puteo, quem teſtamento unà cum agro reliquit nobis ? & quo aquas ſalubriores , & copioſiores nullus alius puteus habet ; ex illo enim bibit Jacob, & tota ejus familia, & pecora.

13. *Reſpondit Jeſus , & dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac , ſitiet iterum :* neque enim ſitim reſtinguit, niſi per aliquod tempus; *qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum* : id eſt , non indigebit ulla re . Nihil deeſt huic, qui gratia abundat. 14. *Sed aqua , quam ego dabo ei , fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam :* quæ expleat ſitim, ſive deſiderium æternæ felicitatis , quo omnes cupimus eſſe beatos . His verbis liquidò ſignificabat Dominus ſe haudquaquam agere de aqua elemento . Nec hæc intelligebat Samaritana, 15. *Dicit ad eum mulier : Domine da mihi hanc aquam , ut non ſitiam , & non veniam huc haurire ?* Verba illa non videntur ſupplicantis, ſed irridentis . Quapropter ut non illa diutiùs diffideret promiſſis ſuis , ignorans quis, & quantus eſſet , patefecit ſe Dominus præditum divina cordium cognitione. 16. *Dicit ei Jeſus : Vade voca virum tuum , & veni huc* . Quaſi diceret nolo te tanta myſteria docere, & te tanto proſequi dono, niſi conſcio marito tuo. 17. *Reſpondit mulier , & dixit : Non habeo virum* . Liberam ſe dicit jugo mariti, ut confeſtim ipſa poſſet accipere beneficium . *Dicit ei Jeſus* , qui viri ejus mentionem ideò fecerat, ut oſtenderet ſe non ignorare mores ejus ; *benè dixiſti , quia non habeo virum.* 18. *Quinque enim viros habuiſti ; & nunc quem habes , non eſt tuus vir ; hoc verè dixiſti ;* quia ille non maritus, ſed adulter tuus eſt. ita os cachinnantis obturat. Quærunt interpretes an quinque viros legitimos antea illa habuiſſet ; quibus nempe alteri poſt alterum nupſiſſet, aut quibus ſe liberaſſet divortio. Quæſtio illa nec facilis, nec utilis eſt. primùm jus repudii non conceſſum fuiſſe mulieribus Judæis ſcribit Joſephus; ſed mulier erat Samaritana, ex cujus moribus, & ex verbis illis Domini, *& nunc quem habes , non eſt tuus vir*, conjici poteſt aut quinquies repudiatam ut ſuſpectam ; aut hactenus nuptias legitimas non iniiſſe.

Tunc mulier Samaritana hunc qui cum ea colloquebatur , intellexit ex illa qua pollebat rerum occultarum cognitione, virum eſſe extraordinarium. 19. *Dicit ei mulier ; Domine , video quia Propheta es tu* . Hæc autem , ſive ut flecteret aliò ſermonem de re non ſibi grata ; ſive quia non omnino Dei erat contemptrix, proponit quæſtionem circa Dei cultum. 20. *Patres noſtri* , veteres Ephraimitæ ; ipſe Jacob, & Patriarchæ communes Judæorum , & Samaritanorum patres *in monte hoc adoraverunt* , id eſt ſacrificaverunt in hoc monte Ephraim, ubi in Silo Arca & Tabernaculum diu reſederunt , vel intelligebat montem Garizim, quem digito monſtrare poterat, quippe vicinum urbi Sichem, ubi olim Templum Sanaballetes ſtruxerat Alexandri magni temporibus. ideò tantùm montis mentionem facit ; quoniam jam à pluribus annis Hircanus Templum illud Sanaballetis everterat. *& vos dicitis, quia* hoc non licet, quia *Hieroſolymis eſt locus* , nempe Templum , quod nominare dedignatur, *ubi adorare oportet* ; oblatis victimis, aliiſque ritibus publicis.

Præceperat Dominus in Deuteron. cap. 12. ℣. 14. non alibi mactanda eſſe ſacrificia, quàm in eo loco quem electurus eſſet . Elegit autem

poſteà Hieroſolymam, ubi ſibi ædificari Templum voluit; ſed id ad tempus, donec ſcilicet novam legem conderet, qua ſtabilita Templum illud evertendum erat, ut jam cultus Dei nulli addiceretur loco. Hoc eſt, quod reponit mulieri Dominus. 21. *Dixit ei Jeſus: Mulier crede mihi, quia venit hora.* tempus proximum eſt, *quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Ipſa evertetur Hieroſolyma cum Templo. Ad tempus data erat lex, dum veniret Chriſtus; ideo Deus poſt paſſionem filii ſui permiſit ut Templum everteretur, quia tunc nullius uſus erat. Attamen dicit Samaritanæ quia vera religio hactenus ſtabat inter Judæos. 22. *Vos* Samaritani *adoratis quod neſcitis;* neque enim certa doctrina, legeque ſcripta, ut Judæi, ſed invento ab hominibus ritu Deum colitis. Cuthæi illi nempe populi qui ex Cutha regione deducti erant in Samariam, cultum idolorum conjunxerant cum Dei cultu. Attamen credo à tempore Manaſſes Judæi, & generi Sanaballetis deſiiſſe Samaritanos idola colere; ſed non amplexati erant ritus omnes Judaicos, quorum certò Deus auctor erat. Ideò dicebat Dominus, *nos* Judæi *adoramus, quod ſcimus.* Deum ſcimus quis ſit, & quo loco, & quomodo colendus: certam habemus cultus noſtri regulam, nempe Moſem, & propheras. *Quia ſalus ex Judæis eſt.* Illi legem Dei habuerunt, Propheras, verum cultum, veros ritus. ideò prædictum, *quia de Sion exibit lex.* Inde oriturus erat Meſſias. 23. *Sed venit hora, & nunc eſt,* jam jam tempus eſt, *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Indicat tum Judæos, tum Samaritanos externo tantùm cultu, & non animo Deum adoraſſe. Ritus Judaici ferè omnes typi erant veterioris ritus, ſive umbræ corporeæ ritus interioris, qui inſtaurandus erat à Chriſto, cujus gratia qui adjuti ſunt, colunt Deum in ſpiritu & veritate, id eſt, non corpore tantùm, ſed & mente. *Nam & pater tales quærit, qui adorent eum.* 24. *Spiritus eſt Deus:* mens eſt, cujus cognitioni omnia patent. *& eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare;* decet enim cultus ſpiritalis Deum, qui ſpiritus eſt, qui corda novit. Huic ergo interiori cordis affectu ſerviendum eſt; neque enim cultus exterior illi placere poteſt, qui ſcit ſibi repugnare cordis intima.

Sic Dominus mulierem admonet, ut de veteri illa controverſia non ſe torqueat, cùm brevì ceſſaturum ſit omninò hoc privilegium, de quo certabatur. 25. *Dicit ei mulier; Scio quia Meſſias venit,* verba quæ includuntur parentheſi, ſunt Evangeliſtæ vocem *Meſſias* interpretantis (*qui dicitur Chriſtus*) *cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Per illum omnia ſumus docendi. omnibus tum Judæis, tum Samaritanis notum erat adventurum Meſſiam, & inſtare dies ejus: *Sciebant, & Judæi venturum eſſe Chriſtum, ſcilicet quibus prophetæ loquebantur,* ait Tertullianus, Apolog. cap. 21. *Nam & nunc adventum ejus expectant, nec alia magis inter nos & illos compulſatio eſt, quàm quod jam veniſſe non credunt.* 26. *Dicit ei Jeſus: Ego ſum, qui loquor tecum,* ipſe ego ſum Meſſias. Mirum ſanè eſt Jeſum ſe manifeſtaſſe mulieri fornicariæ haud multùm ſatagenti quis eſſet, cùm toties eluſerit Phariſæos apertam ab eo confeſſionem, quod eſſet Meſſias, quærentes. Nempè quia id malo animo; & licèt id ſatis intelligerent ex ejus operibus, ſtatuerant enim eum de medio tollere.

CAPUT XI.

Samaritani pro Meſſia Dominum agnoſcunt.

JOANNES, Cap. 4. ℣. 27—42.

27 ET continuò venerunt diſcipuli ejus: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

28 Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus:

29 Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?

30 Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

31 Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi manduca.

32 Ille

32 Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.
33 Dicebant ergo diſcipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?
34 Dicit eis Jeſus: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.
35 Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem.
36 Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.
37 In hoc enim eſt verbum verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.
38 Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.
39 Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.
40 Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.
41 Et multò plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus.
42 Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: † ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi. ¶ † Joan. 17. 8.

27 ET *continuò venerunt diſcipuli ejus*: intereà reverſi ſunt de civitate. *& mirabantur quia cum muliere loquebatur*; dicunt enim Hebræi, ne colloquaris cum fœmina in platea. *Nemo tamen* eorum *dixit*: *Quid quæris* ab ea? Cibum, an potum; *aut quid loqueris cum ea?* Reverentia enim vetabat eſſe curioſos; & perſuaſi erant de prudentia, & probitate ejus.

28. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in civitatem*; oblita negotii cujus cauſa venerat, quo oſtenditur animus ejus omnis accenſus rerum divinarum ſtudio. *Et dicit illis hominibus hujus civitatis*: 29. *Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci*. Ex his verbis cognoſcimus verè quinque viros habuiſſe; & tunc temporis conjunctam fuiſſe viro adultero, ut dixerat Dominus. *Numquid ipſe eſt Chriſtus?* credo equidem, nec vana fides eum eſſe Chriſtum. 30. *Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum*; etenim pariter à Samaritanis expectabatur, & deſiderabatur Chriſtus.

31. *Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes*: *Rabbi manduca*: ex cibis comparavimus pretio, & adduximus de civitate. 32. *Ille autem dicit eis*: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*. Mos eſt Hebræorum cibum id appellare, quo deſiderium animi expletur. ſenſus itaque verborum Domini eſt: eſurio, ſed edere non cupio; deſidero enim non cibo reficere vires, ſed paſcere doctrina Samaritanos, quorum converſio inſtat.

33. *Dicebant ergò diſcipuli* ejus, *ad invicem* non capientes verba illius: *Numquid aliquis* nobis inſciis, *attulit ei manducare?* Tunc liquidò loquens, 34. *Dicit eis Jeſus*: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*. nempè meum deſiderium eſt, *ut perficiam opus ejus*.

Videbat Dominus paratos Samaritanos ad eum audiendum; quod ſignificat diſcipulis ſuis. 35. *Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Obſervatum eſt in Chronologicis vulgatam verſionem eo in loco non exprimere fontem, qui habet ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι, nam τετράμηνον, non idem eſt quod quatuor menſes, ſed ſignificat ſpatium quadrimeſtre. Proverbialis eſt ſermo ut diximus; quaſi dixerit Chriſtus, inter vos tritus eſt ſermo, adhuc quadrimeſtre eſt ſpatium, per quod meſſis colligi poteſt, Meſſis venit, non præteriit; ita nunc celeritate & labore non opus eſt. Meſſis hordeacea inchoabatur in menſe Niſan, triticea tertio qui ſubſequebatur menſe, poſt diem Pentecoſtes, quæ ergo non perficiebatur niſi menſe quarto. Verùm dicit Dominus: huic proverbiali ſermoni non eſt locus; agitur enim de altera ſegete, nempè animarum, quæ moram non patitur. Harum meſſis ſic inſtat, ut ſtatim ſuſcipienda ſit. *Ecce dico vobis*: *Levate oculos veſtros*, non tantùm in

ſegetes triticeas & alias, ſed in vicos, & urbes, *& videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem*. Jam homines parati ſunt doctrinæ meæ accipiendæ; ergo nunc imbuendi doctrina, ut demeti ſolent ſegetes, cùm albeſcunt.

36. *Et qui metit, mercedem accipit*: vobis operariis non denegabitur merces; *& congregat fructum in vitam æternam*. Ex laboribus veſtris colligetis fructus, non quoſcumque, ſed perpetuos: vobis donabitur æterna felicitas. *Ut, & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit*. Ut non ſolùm illi, qui olim ſeminarunt, ſed & vos, qui non ſeminaſtis, metitis autem, gaudeatis.

37. *In hoc enim eſt verbum verum*. Tunc vetus proverbium locum habet. In hoc dicto invenitur ſermo verus; veriſſimum eſt, quod hoc dicto dicitur. *Quia alius eſt qui ſeminat, alius eſt, qui metit.* 38. *Ego* enim *miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis*. Ab antiquis prophetis ſubactus erat Eccleſiæ ager: ſcriptis ſuis excitaverunt deſiderium Chriſti, & huic excipiendo paraverant homines; ut Apoſtolis reſtaret demetenda meſſis, cujus jacta erant ſemina miniſterio prophetarum.

39. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcumque feci*; unde apparebat eum divina ſcientia pollere. 42. *Cùm veniſſent ergo ad eum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret* in civitate eorum, nec abiret citò. *Et manſit ibi duos dies*, quibuſcum illis collocutus eſt. 41. *Et multo plures* qui audierunt, *crediderunt in eum propter ſermonem ejus*. 42. *Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus quia hic eſt verè ſalvator mundi*. Hinc liquet de Meſſia creditum, quòd futurus eſſet mundi ſervator, ὁ σωτήρ.

CAPUT XII.

Cùm Dominus in Galilæam veniſſet, ibi in urbe Cana filium reguli ſanat.

JOANNES, Cap. 4. ℣. 43—54.

43 POſt duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam.
44 (Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet.
45 Cùm ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia
vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerunt ad
diem feſtum.
† Dom. 20 poſt Trin. 46 Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et † erat
quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.
47 Hic cùm audiſſet quia Jeſus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad
eum, & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: incipiebat enim
mori.
48 Dixit ergo Jeſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.
49 Dicit ad eum regulus: Domine, deſcende priuſquàm moriatur filius meus.
50 Dixit ei Jeſus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni, quem
dixit ei Jeſus, & ibat.
51 Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt,
dicentes, quia filius ejus viveret.
52 Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.
53 Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Filius tuus vivit: & credidit ipſe, & domus ejus tota. ¶
54 Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Jeſus, cùm veniſſet à Judæa in Galilæam.

Poſt

43 POST *duos autem dies exiit inde*: ex Samaritanorum regione, apud quos manſerat duobus diebus: *& abiit in Galilæam.* in vicos, & cæteras urbes Galilææ; non enim Nazarethum patriam ſuam petivit. Ambiguitas ineſt verbis Joannis; nam Nazareth pars erat Galilææ, ut qui hanc urbem peteret, abiret in Galilæam; ſed ambiguitas tollitur his quæ ſequuntur; & quæ exprimunt partem ſermonis, quam reticuit Evangeliſta. 44. *Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit, quia propheta in patria ſua honorem non habet.* Non multi fit; ideo fruſtrà populares ſuos ſuſcipit erudiendos. Itaque non frequenter ibat Nazarethum Dominus, ut alibi obſervaturi ſumus.

45. *Cùm ergo veniſſet in Galilæam*, in reliquas Galilææ civitates & vicos, præter Nazareth, *exceperunt eum Galilæi* hoſpitaliter, *cùm omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto* Paſchatis expellens vendentes Templo, & pro Chriſto palam ſe gerens. *Et ipſi enim venerant ad diem feſtum*, ut lex præcipiebat. 46. *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum.* Cùm peragraret Galilæam, venit in urbem Cana. *Et erat quidam regulus*, βασιλικὸς; *cujus filius infirmabatur Capharnaum*, id eſt vir de aula regia, miniſter aliquis Herodis Tetrarchæ; cujus aulici dici poterant *regii*, ut diſtinguerentur à Romanorum miniſtris. Joſephus Antiq. lib. 15. cap. 11. appellat miniſtros Herodis βασιλικούς. Non itaque voccem βασιλικὸς interpretari decet *regulum*, ſed cum Syro, *ſervum regis*.

47. *Hic regulus cùm audiſſet, quia Jeſus adveniret à Judæa in Galilæam*; fama enim Chriſtum in hos fines adventantem præcurrebat, *abiit ad eum, & rogabat eum ut deſcenderet* in Capharnaum, quæ erat declivior, Cana autem montoſa, *& ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori.* erat enim moriturus.

48. *Dixit ergo Jeſus ad eum: niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Arguit Judæos omnes adſtantes, qui inani curioſitate quærerent ſigna, vel forſan incredulitatem, ſive parvam fidem reguli, qui videbatur credere Jeſum niſi præſentem non poſſe filio ſuo ſanitatem conferre; ideo urgebat ut deſcenderet Capharnaum.

49. *Dicit ad eum regulus: Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus.* Ita non credebat poſse ab eo mortuum ſuſcitari. 50. *Dicit ei Jeſus: Vade, filius tuus vivit* ipſa hac hora qua loquor. *Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Jeſus, & ibat* revertens Capharnaum.

51. *Jam autem eo deſcendente*, cùm in itinere eſſet repetens Capharnaum, *ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt, dicentes, quia filius ejus viveret*, jam liberatus mortis periculo. 52. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima*, quæ noſtra eſt hora poſt meridiem prima, *reliquit eum febris.*

53. *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: filius tuus vivit.* congruebat tempus, quo Chriſtus eum benè animatum eſſe juſſerit. Ideò *& credidit ipſe* plena fide, *& domus ejus tota*: omnis ejus familia.

54. *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Jeſus, cùm veniſſet à Judæa in Galilæam.* Quod miraculum dicitur ſecundum per reſpectum ad primum ſignum, quòd in eadem urbe Cana fecerat Jeſus, aquam vinum faciens; neque enim ſecundum dicitur, quaſi non alia miracula præter illa duo patraſſet. Quare ex his verbis colligi non poteſt nondum edita fuiſſe omnia illa miracula, quæ vidimus facta in urbe Capharnaum ante primum Paſcha.

CAPUT XIII.

Phariſæi ineunt conſilium cum Herodianis quomodo Jeſum occidere poſſent, Jeſus hæc ſciens ſeceſſit ad mare. Multa turba eum ſecuta eſt.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 14-21.	MARCUS Cap. 3. ℣. 6-12.
1 *MM.* EXeuntes autem Phariſæi *Mc.* ſtatim cum Herodianis	14 Exeuntes autem Phariſæi,	6 Exeuntes autem Phariſæi ſtatim cum Herodianis
MM. conſilium faciebant adverſus eum, quomodo perderent eum.	conſilium faciebant adverſùs eum, quomodo perderent eum.	conſilium faciebant adverſùs eum, quomodo eum perderent.
2 Jeſus autem *Mt.* ſciens receſſit inde, & *Mc.* cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare, & multa turba à Galilæa, & Judæa ſecuta eſt eum.	15 Jeſus autem ſciens receſſit inde; & ſecuti ſunt eum multi,	7 Jeſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare: & multa turba à Galilæa & Judæa ſecuta eſt eum.

MAR-

MARCUS.

3 * 8 Et ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

4 * 9 Et dixit diſcipulis ſuis ut navicula ſibi deſerviret propter turbam, ne comprimerent eum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
5 Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas. *Mt.* Et curavit eos omnes.	& curavit eos omnes.	10 Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas.
6 *Mc.* Et ſpiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei; & clamabant dicentes:		11 Et ſpiritus immundi cùm illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes:
7 Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifeſtarent illum.	16 Et præcepti eis ne manifeſtum eum facerent.	12 Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifeſtarent illum.

MATTHÆUS.

8 * 17 Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem.

† *Iſa.* 42. 1. 9 * 18 † Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum: & judicium gentibus nuntiabit.

10 * 19 Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:

11 * 20 Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.

12 * 21 Et in nomine ejus Gentes ſperabunt.

DIXIMUS manum aridam ſanatam à Domino, cùm adhuc in Judæa verſaretur; quod miraculum cùm illi odium Phariſæorum conflaviſſet, Judæa cedere coactus eſt: rum etiam quia Phariſæi advertebant eum plures habere diſcipulos. Ita illud *exeuntes Phariſæi*, poſſemus intelligere eos ex Judæa veniſſe in Galilæam, ut quem capere non poterant in Judæa, ubi plurima eorum poteſtas, miniſterio aulicorum Herodis qui Galilææ princeps erat, Jeſum vinclis coercere poſſent & neci dare. Verùm ſi manus arida in aliqua Galilææ ſynagoga ſanata ſit, quod forſan pluribus placebit, patrato miraculo Phariſæi qui fortè adfuerant, ira & invidia inflammati adierunt miniſtros regios, ſive magiſtratus Galilææ; neque enim ibi valebant auctoritate, ut præſidio horum magiſtratuum, & miniſterio uterentur ad perdendum Jeſum, id eſt occidendum. Manum aridam ſanatam & conſilium illud Phariſæorum initum cum Herodianis adverſus Jeſum, proximè conjungit Matthæus, quia quæ interceſſerant, non enarranda ſuſcipiebat.

1 * 14 *Mt.* 6. *Mc. Exeuntes autem Phariſæi Mc. ſtatim cum Herodianis*; id eſt, ut puto, Herodis Tetrarchæ aulicis, miniſtris, *conſilium faciebant adverſus eum, quomodò perderent eum.* ut vel ipſi, Phariſæos dico, ſua poteſtate Hieroſolymis, vel in Galilæa adjuti ab Herodianis eum opprimere poſſent.

2 * 15 *Mt.* 7. *Mc. Jeſus autem Mt. ſciens, receſſit inde, Mc. & cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare.* Ut ſi opus eſſet, confeſtim poſſet ire trans lacum Tiberiadis, quæ regio ditionis Philippi erat. *Et multa turba à Galilæa, & Judæa ſecuta eſt eum.* Ergo, ut dixi, tunc ex Galilæa & Judæa ſecedebat.

3 * 8. *Et ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum*, adducti ejus miraculis.

4 * 9. Et

4 * 9. *Et dixit diſcipulis ſuis, ut navicula ſibi deſerviret*, præſto aſſiſteret, quam aſcendens liberaret ſe turba: *propter turbam, ne comprimerent eum.* 5 * 10. *Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas*, qui erant aliquo in cruciatu. Non ſolùm ejus attactus, ſed & conſpectus ejus vim habebat; nam 6 * 11. *Et ſpiritus immundi*, nempe dæmonia impura habentes, *cùm illum videbant, procidebant ei*, ante eum, *& clamabant dicentes:* 7 * 12. *Tu es* verè Meſſias, *Filius Dei*. Diximus Meſſiam creditum Filium Dei. *Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum;* pati enim eum oportebat, & reprobari à Judæis, antequam gloria coronaretur.

8 * 17. *Mt. Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem:* 9 * 18. *Ecce puer meus*, hocce vaticinium Iſaiæ profert Matthæus, occaſione, ut videtur, Phariſæorum & Herodianotum, quibuſcum Jeſus rixari nolens fugit. Tantam patientiam & prædictam modeſtiam ab Iſaia oſtendit Evangeliſta, *Ecce puer meus;* hoc eſt, ſervus meus; Chriſtus enim quatenus homo ſervivit patri ſuo. In verſione Græca eſt *παῖς*, quæ vox ſæpiùs denotat ſervum. Puer etiam Latinis non raò idem ſonat quod ſervus. *Quem elegi*, quem ſuſcepi, quem ſuſtento, ut oblectamentum meum. *Dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ.* Vidimus Deum ſapientia ſua, nempè Verbo ſuo oblectari. *Ponam ſuper eum ſpiritum meum.* Ipſe eſt, ſuper quem requieſcet ſpiritus meus; quod viſibiliter apparuit die quo baptizatus eſt Dominus. Donis ſpiritus quatenus homo replebitur. *Et judicium gentibus nuntiabit.* Ibi *judicium* משפט *miſchepath* ex conſuetudine Hebræorum accipiendum eſt pro norma, ſive lege vivendi. Itaque ſenſus loci eſt. Ipſe docebit gentes legem, nempè novam, ut liquet ex eo quod in Hebræo ſequitur apud Iſaiam. *Ac legem ejus longinquæ gentes exſpectabunt.*

10 * 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* Hæc allegat Matthæus, ut mitem oſtendat Dominum, qui cum Phariſæis noluerit pugnare: his ceſſerit fugiens. 11 * 20. *Arundinem quaſſatam non confringet.* Vel ſi incederet ſuper arundinem quaſſatam, non eam ultrà confringeret, tanta lenitate incedit. Per inceſſum autem ex hebraiſmo, omnes vitæ actiones notantur. *Et linum fumigans non extinguet;* nempè ellychnium obſcurè ardens, quod propè eſt ut extinguatur, non extinguet. His ſumma Domini in agendo lenitas declaratur; quam demonſtraturus erat uſque ad paſſionem, & reſurrectionem ſuam. *Donec ejiciat ad victoriam judicium.* Helleniſtæ τὸ לנצח nunc *εἰς τέλος*, nunc *εἰς νῖκος* reddunt; nimirum nomine Hebræo *victoria & finis*, ſignificantur. Ita ſenſus eſſe poteſt: donec tandem proferat judicium. Iſaias habet in fonte: *donec proferat ad veritatem judicium;* id eſt, verè tandem proferat judicium. Veritas apud Hebræos interdum idem ſonat, quod firmitas & ſtabiſitas, ſenſus Evangeliſtæ ſimul & Prophetæ eſt, Chriſtum manſuetudine ſimul & modeſtia benignitateque iſta ſua id effecturum tandem & certò, ut judicium proferat, id eſt Evangelium ſuum ubique agnoſcatur. Animadvertendum autem non integrum prolatum hic teſtimonium Iſaiæ. D. Hieronymus ſcribens Algaſiæ, putat quædam omiſſa in codice Matthæi vitio primi ſcriptoris. Apud Iſaiam legitur, cap. a. ℣. 4. *In veritate educet judicium. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium.* Quæ inter *judicium*, & *judicium* erant media, ſcriptoris errore ſublata ſunt, inquit Hieronymus. Quidam verò ſentire malunt certo conſilio à Matthæo omiſſa fuiſſe quæ deſunt. 12 * 21. *Et in nomine ejus gentes ſperabunt.* In fonte *& in doctrina ejus.* Vel *ad legem ejus gentes expectabunt*, ſcilicet ad gentes etiam attinebit regnum Chriſti, Evangelium ejus: *in nomine ejus;* id eſt, in eo ſpem ſuam collocabunt. Hocce vaticinium ipſe Paraphraſtes Chaldæus de Meſſia interpretatus eſt; ita ut cùm illud Jeſu accommodavit Matthæus, vindicaverit illi, quod Meſſiæ proprium Judæi vulgò credebant.

CAPUT XIV.

Dominus obruitur turba. Dæmonium ejicit. Arguit ineptiæ Phariſæos, qui cogitabant id factum dæmonis ope.

MARCUS, Cap. 3. ℣. 20—30.

1 * 20 ET veniunt ad domum, & convenit iterùm turba, ita ut non poſſent neque panem manducare.

2 * 21. Et

2 * 21. Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt.

MATTHÆUS, Cap. 12. ℣. 22—37.

LUCAS, Cap. 11. ℣. 14-31.

✠ Dom. 3. Quadrag. 3 * 22 Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus; & curavit eum ita ut loqueretur, & videret.
4 * 23 Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt filius David?

14 ✠ Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
5 Phariſæi autem audientes, *Mc.* & Scribæ, qui ab Hieroſolymis deſcenderant, dicebant:	24 Phariſæi autem audientes, dixerunt:	22 Et Scribæ qui ab Jeroſolymis deſcenderant, dicebant:	15 Quidam autem ex eis dixerunt:
6 *Mt.* Hic non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum, *Mc.* quoniam Beelzebub habet, & quia in *L* Beelzebub *Mc.* *L* principe dæmoniorum ejicit dæmonia.	Hic non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.	Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.	In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.
7 *L* Et alii tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.			16 Et alii tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.
8 *Mt.* Jeſus autem ſciens cogitationes eorum, *Mc.* convocatis eis, in parabolis dicebat illis:	25 Jeſus autē ſciens cogitationes eorum, dixit eis:	23 Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis:	17 Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum,
9 *Mt.* Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe non ſtabit; *Mc.* quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?	Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe non ſtabit,	Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?	dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.
10 *Mt.* Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt.	26 Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt:		
11 *L* Si autem & Satanas in ſe ipſum diviſus eſt: quomodo ſtabit regnum ejus?			18 Si autem & Satanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?

MARCUS.

12 * 24 Et ſi regnum in ſe dividatur, non poteſt regnum illud ſtare.
13 * 25 Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare.
14 * 26 Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
15 *Mt.* Quomodo ergo ſtabit regnum ejus? *L* quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia.	Quomodo ergo ſtabit regnum ejus?		quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
16 Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, *Mt.* *L* filii veſtri in quo ejiciunt ? Ideo ipſi judices veſtri erunt.	27 Etſi ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii veſtri in quo ejiciunt ? Ideo ipſi judices veſtri erunt.		19 Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt.
17 *L* Porrò ſi in digito Dei *Mt.* in ſpiritu Dei ejicio dæmones, *L* profectò *Mt.* *L* pervenit in vos regnum Dei.	28 Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.		20 Porrò ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei.
18. *Mt.* Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi priùs alligaverit fortem, & tunc domum illius diripiet?	29 Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi priùs alligaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet.	27 Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi priùs fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.	

L U C A S.

19 * 21 Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.

20 * 22 Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
21 *Mt.* *L* Qui non eſt mecum, contra me eſt; * & qui non *L* colligit mecum, diſpergit.	30 Qui non eſt mecum contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.		23 Qui non eſt mecum contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.
22 *Mt.* Ideo dico vobis: † Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.	31 Ideo dico vobis: Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.	28 Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemaverint.	24 *Cùm immundus &c. infra cap. ſeq. ubi ſunt verſus ſequentes 24. 25. 26. qui pertinent ad Evang. Dom. 3. Quadrag.* † *Hebr.* 6. 4. & 10. 26. 1. *Joan.* 5. 16.
23 Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.	32 Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.	29 Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum,	

M A R C U S.

24 Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.

25 * 30 Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

M A T T H Æ U S.

26 * 33 Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur.

27 * 34 Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.

Digitized by Google

28 * 35 Bonus homo de bono theſauro profert bona : & malus homo de malo theſauro profert mala.

29 * 36 Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

30 * 37 Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

1 * 20. *Mc.* ET *veniunt ad domum*, id eſt ad hoſpitium ſolitum. Si tunc in Galilæa degeret Dominus, intelligendum domicilium quod in urbe Capharnaum conduxerat. *Et convenit iterum turba, ita ut non poſſent* ipſe & diſcipuli ejus *neque panem manducare*. Non poterant cibum capere turba undique obſtante.

2 * 21. *Et cùm audiſſent ſui*, cognati & amici, *exierunt tenere eum*: advenerunt ut apprehenderent eum auxilii cauſa, ut à turba eriperent. Ea ſignificatio eſſe poteſt verbi κρατῆσαι, ſic cùm Chriſtus apprehendit manum puellæ, mortuæ excitaturus eam, dicitur quia ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς. Non igitur ut vincirent eum; quod innuere videtur vulgatus interpres prout Græcum codicem expreſſit, non benè, ut puto. *Dicebant enim*; id eſt, rumor exierat: *Quoniam in furorem verſus eſt*. Verba Græca ἐξέϛη. reddi poſſunt: *quoniam deliquium paſſus eſt*. eam ſignificationem enim tribuere poſſumus verbo ἐξίϛημι, ſignificat quidem dejici de ſtatu mentis, ſed & ſonat idem quod *deficere, corrumpi, dejici de ſuo ſtatu naturali*, ut videre eſt in lexicis. Cur in furorem verſus crederetur Dominus, & ideò vinciendus, nulla apparet cauſa. Ex eo autem quòd non potuiſſet panem guſtare obrutus turba, & hæc fierent media æſtate, ut liquet ex antè dictis, apertum eſt ei animum deficere potuiſſe; homo enim erat obnoxius deliquio.

3 * 22. *Mt. Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus*, naturæ vitio, aut morbo, læſis organis dæmonis malevolentia. *Et curavit eum, ita ut qui mutus fuerat & cæcus, loqueretur, & videret*; 4 * 23. *Et ſtupebant omnes turbæ*, ἐξίϛαντο, ſic admirabantur ut vix eſſent apud ſe. Id etiam ſignificare verbum [illegible], modò vidimus. *Et dicebant: Numquid hic eſt filius David?* Meſſias promiſſus Davidi, & ex ejus ſtirpe oriturus. Vox illa *numquid* dubitationem ſæpiùs, ſed quandoque affirmationem notat.

5 * 24. *Phariſæi autem audientes*, 22. *Mc. & Scribæ qui ab Hieroſolymis deſcenderant*, ubique Phariſæi & Scribæ laqueos Domino parantes, *dicebant*: 6 * *Mt. Hic non ejicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*, ope dæmonis inter dæmonia potentiſſimi. *Mc. Quoniam Beelzebub habet*. Beelzebub in eo eſt qui per eum operatur. *Et quia* & ſic *in L. Beelzebub Mc. L principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Non niſi auxilio hujus principis expellit dæmones. 7 * 16. *L Et alii tentantes*, explorantes an verè eſſet Chriſtus, *ſignum de cælo quærebant ab eo*, ſignum aliquod evidentius, quo conſtaret eum, non cum dæmonibus, ſed cum Deo habere commercium.

8 * 25. *Mt. Jeſus autem ſciens cogitationes eorum*; & verba quæ populo inſuſurrabant, & mentem qua id facerent, *Mc. convocatis eis in parabolis*, in proverbiis & comparationibus, *dicebat illis*. Judæi Græcè loquentes nomen משל *maſchal*, quod idem Hebræis ſonat, quod Latinis *proverbium*, ſæpiùs interpretantur παραβολὴν, unde factum Latinum nomen *parabola*, quo nomine & ſignificantur comparationes, quibus ſermo illuſtratur, Proverbium ergo allegans dicebat eis, *Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?* Quaſi dicat: ut vulgari fertur adagio, ſatanas non ſatanam ejicit. Ineptæ erant hæ Phariſæorum criminationes, tum rationi, tum conſcientiæ ſuæ dictamini adverſantes. 9 * *Mt. Omne regnum diviſum contra ſe*, in varias factiones ſciſſum, *deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit*. Etenim quæ domus tam ſtabilis, utor verbis Ciceronis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis, atque diſſidiis funditus poſſit everti. Abierat in proverbium apud Hebræos: *Omnis domus in qua eſt diſſentio, tandem deſtruitur*. Talm. Derech Eretz, cap. 5. 10 * 26. *Mt. Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt*: 11 * 18 *L Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* 12 * 24. *Mc. Et ſi regnum in ſe dividatur, non poteſt regnum illud ſtare*. 13 * 25. *Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare*. 14 * 26. *Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet*. 15 * *Mt. Quomodò ergo ſtabit regnum ejus?* Videret ipſe dæmon ſuum regnum brevi diſcordia dilapſurum: non ergo adverſus ſuum regnum ipſe ſtaret, *L quia* & tamen *dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia*; quod rationi adverſatur: veſtra igitur criminatio inepta eſt.

Addit argumentum efficaciſſimum Chriſtus: ſi non poteſt ejici dæmonium, niſi dæmoniorum ope; ergo & ipſi filii veſtri qui dæmones ejiciunt, commercium cum dæmonibus habent. Etenim ex Joſepho conſtat hiſce temporibus quibus in terris Dominus verſabatur, pleroſque Ju-

dæos

dæos dæmonas ejeciſſe. Sic loquitur Joſephus in Antiquitatibus, lib. 8. cap. 2. ubi agit de Salomone. *Incantationes enim*, ἐπῳδὰς, *compoſuit, quibus morbi pelluntur: & conjurationum modos ſcriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, ut in poſterum nunquam reverti audeant: atque hoc ſanationis genus nunc plurimum apud noſtrates pollet.* ex hoc Dominus colligit: 16* 19. *L. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia*, nec aliter ejici poſſint, *Mt. L. filii veſtri*, veſtrates, populares, *in quo ejiciunt?* Aliqui volunt Chriſtum intelligere ſuos diſcipulos, qui ad eum reverſi erant, quos edita à ſe miracula narrantes turba audierat. Verùm conſtat ex Actis, cap. 19. ꝟ. 13. fuiſſe inter Judæos exorciſtas, quoſcumque intelligat Chriſtus, ſic urgebat: non putatis in eo adjuvari ope dæmonum, *ideò ipſi judices veſtri erunt*: damnabunt vos ſuo exemplo, qui contenditis me non niſi in Beelzebub ejicere dæmonia. Sic autem Dominus ſub jugum miſit dæmonia, ut illa Chriſtianorum imperium pati cogerentur. *Edatur*, inquit Tertullianus in Apologetico, *hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Juſſus à quolibet chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.*

17* 20 *L. Porrò ſi in digito Dei*; id eſt, poteſtate Dei, vel potiùs ut Matthæus habet, *in ſpiritu Dei ejicio dæmonia, L. profectò Mt. L. pervenit in vos regnum Dei.* Argumentum eſt advenisse tempus Meſſiæ prædictum à prophetis, quo tempore dæmon princeps mundi hujus ejiceretur foras.

Novo iterum argumento pugnat Dominus, & comparatione utitur. 18* 29. *Mt. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis*, alicujus viri robuſti, *& vaſa ejus diripere*, inſtrumenta, res ejus, ſupellectilem, *niſi priùs alligaverit* hunc *fortem*, & vicerit eum, *& tunc domum illius diripiet*, diripere poterit?

Eandem comparationem poſitam à Domino refert Lucas verbis non multùm diverſis. 19* 21. *L. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, αὐλὴν, palatium, vel regiam, *in pace*, in tuto *ſunt ea quæ poſſidet*, tranquillè ac beatè ſuis bonis perfruitur. Scilicet dum ille fortior eſt, nemo eum deturbare poterit regno ſuo. 20* 22. *Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet*, omnia inſtrumenta, *in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.* His verbis ſatis luculenter indicat Dominus ſe quolibet principe dæmoniorum potentiorem eſſe: quippe qui poſſit huic regnum eripere, nempe excutere jugum quo premeret homines. Qui ſummum rebus alterius diſpendium adfert, oſtendit ſe non colludere cum eo, ſed hoſtem eſſe ejus, pariter & victorem.

21* 30. *Mt. 23. L. Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Proverbium, ut videtur Judaicum, in utramque partem uſurpatum. Nam & dici ſolebat, *qui non eſt contra vos, pro vobis eſt.* Favere vobis cenſendus eſt, qui vobis non adverſatur. Senſus autem Domini ibi eſt: ſatanas cujus virtute dicitis me ejicere dæmonia, non ſolùm mecum non eſt, aut mihi amicus non eſt, ſed etiam contra me eſt, & maximè mihi adverſatius, diſpergit oves Iſrael, quas ego congregaturus venio: avocat à Deo, ego verò peccatores ad Deum revoco.

22* 31. *Mt. Ideò dico vobis*; ex iis quæ probavi, concludo, vos perverſè agere contra dictamen conſcientiæ veſtræ, tribuentes dæmoni quod proprium Spiritus ſancti eſt, cujus ope me dæmonia expellere ipſi non ignoratis. Vos, inquam, admoneo quod: *omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus*, omne prāvum facinus, convitium quodvis, ſive maledictum; *ſpiritus autem blaſpemia non remittetur.* Convicium nempè illud quo tribuitur dæmoni, quod opus eſt ſpiritus, dum ſcilicet dicitur hæc à dæmone fieri, quæ præſtat Spiritus ſanctus. 23* 32. *Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis*, (ſic Chriſtus ſæpiùs loquitur ſe indicans) qui contra me oblocutus fuerit; dicens me voracem, potatorem vini, amicum peccatorum, *remittetur ei*, ut peccatum humanum: *qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum*, miracula mea vindicaverit dæmoni, *non remittetur ei*, difficillimè, ægrè, vix remittetur, nam peccatum illud oſtendit malam mentem & malitia obfirmatam, quæ nunquam reſipiſcet; quæ enim miraculis meis vinci deberet, his obfirmatur. Addit Dominus, quo ſpem remiſſionis adimat, *neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* 24* 29. *Mc. Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* 25* 30. *Quoniam dicebant: ſpiritum immundum habet.*

Ut intelligatur quid ſit illud, *neque in hoc ſæculo, neque in futuro &c.* advertendum eſt, Judæos certò crediſſe locum eſſe medium, in quo mortui pœnas darent, donec eis in iſto ſæculo, quod reſpectu præſentis futurum appellabant, peccata remitterentur; ſperabant enim nullum Iſraelitam in æternum fore miſerum. *Omnis Iſraelita*, inquiunt, *habet partem in futuro ſæculo. Tract. ſanhed.* cap. 11. Hæc nullus Judaicæ antiquitatis peritus negaverit, nempe medium locum inter æternas miſerias, & æternam felicitatem creditum à Judæis, in quo qui nec perfectè juſti ſunt, nec perfectè mali, ſed qui dubii ſunt, pœnas dant, & purgant crimina ſua, ſcilicet crediderunt id quod purgatorium dicimus. Non diffitentur viri docti inter heterodoxos hanc Judæorum doctrinam intuitum fuiſſe hoc in loco Dominum. Ex quo ergo Catholici

jure

jore ducunt argumentum pro purgatorio. Dicam iterum per futurum ſæculum עולם הבא *Olam habbo*, intelligunt Judæi, ſæculum animarum; hoc eſt, quod mox incipit poſt mortem, ut Elias interpretatur illas voces in ſuo Lexico, ubi notat & *futurum ſæculum*, intelligi dies Meſſiæ, aut tempus quod erit poſt reſurrectionem mortuorum.

26 * 33. *Mt. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur.* Hoc eſt, ſtatuite, dum de me loquimini, arborem quæ facit fructus bonos, eſſe bonam; aut oſtendite, malam arborem poſſe bonos fructus facere. Hac altera comparatione, ſive proverbiali loquendi conſuetudine iterum confutabat Phariſæos, quos increpat verbis duris.

27 * 34. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali?* quaſi dicat: Vos verò Phariſæi non poteſtis, qui ſitis mali, bonos fructus facere: ſive ex corde malo bona verba proferre, *ex abundantia enim cordis os loquitur*, ex eo quòd redundat in corde, nempe ex cogitationibus. Sicut ventriculus quod in ſe abundat, evomit, ita & cor.

28 * 35. *Bonus homo de bono theſauro*, ex penu & apotheca bonarum rerum *profert*, educit *bona: Et malus homo de malo theſauro profert mala.*

Argumento autem à minori ad majus demonſtrat quantis digni ſint ſuppliciis. 29 * 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum*, inutile, vanum; à fortiori blaſphemum, *quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii*, ob hoc judicandi ſiſtentur ante tribunal Dei. 30 * 27. *Ex verbis enim tuis*, non minus, quàm ex operibus *juſtificaberis*, id eſt juſtus declaraberis, ſi bona fuerint, *& ex verbis tuis condemnaberis*, dignus pœnis judicaberis, ſi illa mala.

CAPUT XV.

Non aliud ſignum dandum Judæis, quàm ſignum Jonæ. Immundus ſpiritus domum è qua ejectus, repetens. Beati qui audiunt verbum Dei.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 38 45.	LUCAS, Cap. 11. ℣. 29-32. & 24-26.
✠ *Feria 4. quat. temp. quadrag.* † 1. Cor. 1, 22. 1 *Mt.* TUnc reſponderunt ei quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, † volumus à te ſignum videre.	38 Tunc ✠ reſponderunt ei quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre.	
2 *L* Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt.	39 Qui reſpondens ait illis:	29 Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt:
3 *Mt.* Generatio mala & adultera *Mt. L* ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.	Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.	ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.
4 *L* Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti.		30 Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti. 31 *Regina Auſtri &c.* infrà.
† Jon. 2, 1. 2. 5 *Mt.* † Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.	40 Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.	
6 *Mt. L* Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione *Mt.* iſta, *Mt. L* & condemnabūt *Mt.* eam; *Mt. L* quia pœnitentiam egerunt *Mt.* in prædicatione *Mt. L* Jonæ, & ecce pluſquam Jonas hic.	41 Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce pluſquàm Jonas hic.	32 Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce pluſquàm Jonas hic.

HAR-

HARMONIA.

7 † Regina Auſtri ſurget in judicio cum *Mt.* generatione iſta, *Mt. L* & condemnabit *Mt.* eam; *Mt. L* quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquàm Salomon hìc.

8 *Mt.* Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, *Mt. L* quærens requiem, & non invenit.

9 *Mt.* Tunc dicit: *Mt. L* Revertar in domum meam unde exivi.

10 *L* Et cùm venerit, invenit eam *Mt.* vacantem, *Mt. L* ſcopis mundatam, & ornatam.

11 Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & *Mt.* intrantes *M. L* habitant ibi. † Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus; *Mt.* ſic erit & generationi huic peſſimæ.

MATTHÆUS.

42 Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquàm Salomon hic.

43 Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.

44 Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam.

45 Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus: Sic erit & generationi huic peſſimæ.

46 *Adhuc eo loquente &c. infra cap. ſequenti.*

LUCAS.

31 Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos; quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquàm Salomon hìc.

32 *Viri Niniv. &c. ſup.*

24 Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25 Et cùm venerit, inveniet eam ſcopis mundatam, & ornatam.

26 Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.

† 3. *Reg.* 10. 1. 2. *Par.* 9. 1.

† 2. *Petr.* 2. *Hebr.* 6. 4.

L U C A S.

12 * 27 Factum eſt autem, cùm hæc diceret: † Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti:

13 * 28 At ille dixit: Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

† *In feſto B. Mariæ ad nives, & in miſſ. vot. B. M.*

1 * 38 *Mt.* TUNC *reſponderunt ei quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre*: miraculum aliquod omni exceptione majus, quo probetur miſſio tua: & conſtet nobis te in Dei nomine veniſſe. 2 * 29. *L Turbis autem concurrentibus*, turbæ quæ frequens aderat, *cœpit dicere: Generatio hæc* Phariſæorum, & Scribarum; iſti Phariſæi, iſti Scribæ, *generatio nequam eſt.* mali & perverſi ſunt. 3 * 39. *Mt. Generatio mala, & adultera*, à majoribus ſuis degener, & à cultu Dei deficiens: adulterina, & ſuppoſititia ſoboles, quæ falsò parentem jactat Abrahamum. Eodem ſenſu quo apud Danielem, cap. 13. ℣. 56. dicitur *ſemen Canaan, & non Juda.* Generatio, inquam, iſta *ſignum quærit*, ſibi exhiberi pro ſuo arbitratu, non contenta hactenus exhibitis. *Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.* Oſtentum non illi dabitur ex cœlo, ut faſtidiosè poſtulat, ſed contra ex ipſis terris. Particula *niſi* in ſcripturis ſæpè non exceptiva, ſed adverſativa eſt, ut ſenſus ſit non dabitur ſignum de cœlo, ſed ſignum Jonæ; hoc eſt, ſignum non tantùm de terra, ſed de ſub terra; ſenſum quo id dicat, Dominus ipſe aperit.

4 * 30 *L Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis*: ſive oſtentum, quo agnoverunt Deum jam ad eos plectendos paratum, niſi reſipiſcerent: *Ita erit filius hominis*; id eſt, ipſe ego ero ſignum *generationi iſti.* 5 * 40. *Mt. Nam ſicut fuit Jonas in ventre Ceti*, nimirum alicujus piſcis magni, puta Lamiæ, vel Carchariæ, ut obſervat Bochartus in ſuo Hierozoico; etenim piſcis qui nobis vernaculè dicitur *Baleine*, anguſtiores habet fauces, ut hominem vivum deglutire poſſit. Sicut, inquam, fuit Jonas in ventre piſcis magni *tribus diebus, & tribus noctibus*, quibus tranſactis evomitus eſt vivus in terram, & probatum eſt hoc miraculo eum eſſe prophetam à Deo miſſum; *ſic erit filius hominis.* Id eſt, ſic ego ipſe ero *in corde terræ*,

in media terra, intra terram ſepultus *tribus diebus, & tribus noctibus*. Ex quo ſigno, quorum mens non læva fuerit, intelligent me verè à Deo miſſum. Dominus parte ſextæ feriæ, toto ſabbato, & parte primæ feriæ jacuit in ſepulchro, ita duabus tantùm noctibus, & die completo. Quomodo ergo tribus diebus, & tribus noctibus? Difficultas illa gravis ita viſa eſt Langio & aliis, ut ſtatuerint quia aliter ſolvi poſſe non crederent, Jeſum non feria ſexta ſed quinta paſſum eſſe, quod prorſus ſcripturæ repugnat. Paſſus enim Dominus hora nona quæ tertia noſtra eſt, quæ erat hora *paraſceves* ſabbati; feria autem ſexta dicebatur dies *paraſceves*. Præterea liquet, diem, qui diem emortualem Domini ſubſequutus eſt, fuiſſe ſabbatum, quo ut dicit Lucas mulieres ſiluerunt, id eſt quieverunt; tranſacto autem emerunt aromata.

Propoſita difficultas facilè ſolvi poteſt ſi advertatur Hebræos appellatione *diei ac noctis* naturalem diem declarare: *mane & veſpere dies unus*. Græci νυχθήμερον dicunt; ita Paulus 2. Corinth. cap. 11. ℣. 25. dicit ſe fuiſſe νυχθήμερον, in profundo maris, die ac nocte. De Anna dicitur Luc. cap. 2. ℣. 37. quòd obſecrationibus & jejuniis ſerviret in Templo nocte & die; id eſt, ſingulis diebus; ergo ut ſignificaret Dominus ſe futurum in ſepulchro τρεῖ νυχθήμερα, dixit ſe futurum tribus diebus & tribus noctibus, cui ſenſui implendo ſufficit eum ſepultum fuiſſe per tempus illud, cujus partes ad tria νυχθήμερα pertinerent. Ubi enim lex Moyſis dierum numerum exprimit, ut in Circumciſione, receptum apud interpretes etiam ſemihoram unius νυχθήμερου, diem facere: quia *dies legalis*, ajunt, *non computatur de tempore ad tempus*. Judæi dicuntur jejunaſſe tribus diebus, & tribus noctibus in lib. Eſther, cap. 4. ℣. 16. qui duabus tantùm noctibus, & uno pleno die jejunarint; nam Eſther die tertio regem adiit. Jeſus autem in Judæorum mentem revocabat antiquum typum; Jonas enim projectus in mare, ut ſedaretur tempeſtas, typus erat Chriſti; cujus unum caput daretur pro multis.

6 * 41 *Mt. 32. L Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione Mt. iſta; Mt. L & condemnabunt Mt. eam; Mt. L quia pænitentiam egerunt Mt. in prædicatione Mt. L Jonæ, & ecce pluſquam Jonas hic*: huc in loco. Quippe ego qui vos alloquor, Chriſtus ſum Filius Dei; & tamen generatio iſta non convertitur, ſed nec viſo reſurrectionis miraculo convertetur, cùm Gentes ad prædicationem Jonæ ad meliorem frugem ſe ſe receperint. Judicium divinum ſub forma judicii humani deſcribitur, in quo ſedent judices, ſtant teſtes, accuſatores & rei.

7 * 42. *Mt. 31. L Regina Auſtri*, νότου, id eſt meridiei, nimirum Æthiopiæ; cujus caput Meroe, juxta alios Sabæ in Arabia, *ſurget in judicio cum Mt. generatione iſta, Mt. L & condemnabit eam, Mt. L quia venit à finibus terræ*, ex regione longinqua; Æthiopia enim remotiſſima. Qui verò ſentiunt reginam illam Auſtri adveniſſe ex Sabæis, obſervant Sabæos Arabiæ adeoque terrarum extima, occupare ad Oceanum. Unde eſt quòd Pompejus Syria perdomita tam impensè optabat per Arabiam ad mare Erytræum penetrare, ut victor perveniret ad Oceanum, quo undique terra cingitur. Ultra autem Meroe caput Æthiopiæ ſunt ampliſſimæ regiones, ut illa urbs non haberi poſſit pro finibus terræ; *audire ſapientiam Salomonis*, ad proponendum quæſtiones difficiles: *Et ecce pluſquam Salomon hic.*

Chriſtus, uti cœperat, in parabolis, hoc eſt in proverbialibus loquendi formulis, comparationibus, & ſimilitudinibus compellans Phariſæos, addit ſimilitudinem eleganter depictam, qua ut mihi videtur (alii enim aliter interpretantur hunc locum) deſignat, quæ futura ſit conditio Judæorum pertinacium. 8 * 43. *Mt. Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida* inculta, deſerta, qui priùs hoſpitabatur in homine, quærens requiem ἀνάπαυσιν, habitandi locum, quo quieſcat, *& non invenit* excluſus domo ſua.

9.* 44. *Tunc dicit*: iterum vires tentabo. *Mt. L Revertar in domum meam, unde* vi coactus *exivi*. hoc contigit, quando Chriſtus in terris præſens expellebat dæmonem, & ille prorſus, ſi Judæi voluiſſent, ejectus eſſet. Agnoſce, lector, ſuperbiam dæmonis, non dicit ſe pulſum domo, ſed *exivi*; 10 * 25. *L Et cùm venerit, invenit eam Mt. vacantem*, nempe cùm me abeunte reverteur dæmonium ad laceſſendum Judæos, inveniet eos vacuos meo præſidio; non adero qui iterum expellam eum. Inveniet domum ſuam. *Mt. L ornatam, ſcopis mundatam*, nempè inveniet Judæos ad eum excipiendum diſpoſitos, & tales, quales ſibi præparatos eſſe homines deſiderat, pronos vitiis, & in malitia perſeverantes. Translatio ſumpta eſt à domo, quæ ut ſit præparata hoſpiti venienti, verritur, & ornatur.

11 * 45 *Mt. L 26 L Tunc* invitatus præparatione, & amœnitate domus *vadit*, non immotus manet, ſed quærit, *& aſſumit ſeptem alios*, id eſt, innumeros *ſpiritus ſecum, nequiores ſe* nocentiores, *& Mt. intrantes* vi facta, *Mt. L habitant ibi*, in domo, unde expulſi fuerant. *Et fiunt noviſſima illius hominis pejora prioribus.* Conditio ejus poſtremò pejor eſt. *Mt. Sic erit generationi huic peſſimæ*. Judæi, poſt Chriſti mortem duriori dæmonum jugo premuntur.

12 * 27. *Factum eſt autem, cùm hæc diceret* divinam præferentia ſapientiam, *extollens vocem quædam mulier de turba*, admirans ſapientiam, & potentiam Chriſti, viris aut blaſphemantibus, aut tacentibus, dixit: *Beatus venter*

ter

ter *qui te portavit, & ubera* beata, *quæ tu ſuxiſti*. Matrem Chriſti prædicat beatam. 13 * 28. *At ille dixit* reponens huic mulieri, *quinimè beati* illi cenſendi, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, ita audiunt, ut cuſtodiant. *fratribus* enim Domini, *id eſt, ſecundùm carnem cognatis qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio?* loquitur Auguſtinus: *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi feliciùs Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet*. Paulò antè dixerat idem Auguſtinus: *Beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti*.

C A P U T XVI.

Matrem & fratres ſuos Chriſtus dicit omnes qui voluntatem Dei Patris ſui faciunt.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 12. ℣. 46-50.	MARC. Cap. 3. ℣. 31-35.	LUCAS, Cap. 8. ℣. 19-21.
1 *Mt.* ADhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei:	46 Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.	31 Et veniunt mater ejus, & fratres:	19 Venerunt autem ad illum mater & frater ejus,
2 *L* Et non poterant adire eum præ turba; *Mc.* & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum.		& foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum.	& non poterant adire eum præ turba.
3 Et ſedebat circa eum turba: & dicunt: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te, *L* volentes te videre,	47 Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.	32 Et ſedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.	20 Et nuntiatum eſt illi: Mater tua & fratres tui ſtant foris volentes te videre.
4 *Mc.* Et reſpondens eis, ait: *MM.* Quæ eſt mater mea, *Mt.* & qui ſunt *MM.* fratres mei?	48 At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?	33 Et reſpondens eis, ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei?	21 Qui reſpondens, dixit ad eos:
5 *Mc.* Et circumſpiciens, *Mt.* & extendens manum in *Mc.* eos, qui in circuitu ejus ſedebant *Mt.* Diſcipulos ſuos, dixit: *MM.* Ecce mater mea, & fratres mei.	49 Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.	34 Et circumſpiciens eos qui in circuitu ejus ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.	
6 *Mt.* Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.	50 Quicumque enim fecerit voluntatē Patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. ¶	35 Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.	

L U C A S.

7 * † Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. † *Luc.* 11. 14.

1 * 46. *Mt.* ADHUC *eo loquente ad turbas*; cùm hos ſermones haberet, *ecce mater ejus, & fratres ejus*, id eſt cognati, propinqui; ſic Hebræi loquuntur. Abraham, & Loth Geneſeos, cap. 13. ℣. 8. dicuntur fratres, qui tantummodò cognati, cap. 29. ℣. 15. Laban appellat Jacob fratrem ſuum, cujus erat avunculus, *ſtabant foris quærentes loqui ei*, ut ſcirent, quæ eſſet valetudo ejus; cùm didiciſſent, ut conjecturæ locus

eus eſt, deliquium paſſum eſſe in ea domo, in qua tunc temporis verſabatur, & quæ ſic occupata erat, ut mater & cognati ad eum accedere non poſſent. 2 * *L. Et non poterant adire eum præ turba*, quæ obſidebat, fores. *Mc. Et foris ſtantes*, quia ingredi non poterant, *miſerunt ad eum vocantes eum.* miſerunt qui nuntiarent ſe adſtare foris, auxilii cauſa ſi indigeret. Non ergo importuni interpellabant ſermones ejus; nec ambitione & oſtentatione commoti acceſſerunt, ut cognatione ſua cognita fierent clariores.

3 * 32 *Mc. Et ſedebat circa eum turba* intenta Dei verbo audiendo. *Et dicunt ei*, rumor enim perlatus ad eos, qui Chriſto proximi erant, matrem ejus & fratres foris ſtare, quærentes eum. Ergo dixerunt illi: *Ecce mater tua, & fratres tui foris* ſtantes, quia ingredi non poſſunt, *quærunt te*, ut alloquantur, *L. volentes te videre.* Unde illud deſiderium matri videndi Jeſum? profectò quia audierat ægrotantem.

4 * 23. *Mc. Et reſpondens eis, ait MM. Quæ eſt mater mea, Mc. & qui ſunt MM. fratres mei?* non abnegat matrem, ſed urget antiquum propoſitum præferendi divina humanis. 5 * 34. *Mc. Et circumſpiciens*, 49 *Mt. & & extendens manum in Mc. eos, qui in circuitu ejus ſedebant diſcipulos ſuos*, manu deſignans quotquot verbis ſuis intentos videbat, *dixit: MM. Ecce mater mea, & fratres mei.* Significat Chriſtus quo quis Deo eſt obſequentior, ita & ſibi eſſe potiorem.

6 * 50. *Mt. Quicumque enim*, inquit, *fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & mater eſt*: hunc in fratris & matris loco habeo. 7 * 21 *L. Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei*, quo voluntas ejus ſignificatur, *audiunt, & faciunt*; & ita parent Dei voluntati. *Et hunc tibi proximum, hunc tibi conjunctiſſimum exiſtimes, quem optimum, quem diis ſimillimum inveneris.* ajebat Plinus Trajanum laudans.

CAPUT XVII.

Proponit Dominus parabolam hominis ſeminantis.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 13. ℣. 1-23.	MARC. Cap. 4. ℣. 1-25.	LUCAS Cap. 8. ℣. 4-18.
✠ Dom. Sex. 1 *L* CUM autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum: *Mt.* in illo die exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare, *Mc.* & iterùm cœpit docere.	1 In illo die exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare.	1 Et iterùm cœpit docere ad mare,	4 ✠ Cùm autem turba plurima conveniſcut, & de civitatibus properarent ad eum,
2 *Mt.* Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore, *Mc.* circa mare ſuper terram erat.	2 Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore:	& congregata eſt ad eum turba multa, ita ut navim aſcendens ſederet in mari, & omnis turba circa mare ſuper terram erat.	
3 Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua.	3 Et loquutus eſt eis multa in parabolis, dicens:	2 Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua.	dixit per ſimilitudinem:
4 Audite: Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum *L* ſemen ſuum.	Ecce exiit qui ſeminat ſeminare.	3 Audite; Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum.	5 Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuū.
5 *MM. L* Et dum ſeminat, *Mc. L* aliud cecidit *MM.* circa viam, *L* & conculcatum eſt; *MM.* & venerunt volucres cœli; *Mc. L* & comederunt *Mc. L* illud.	4 Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.	4 Et dum ſeminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt illud.	Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt; & volucres cœli comederunt illud.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
6 *Mc.* Aliud verò cecidit ſuper petroſa, ubi non habuit terram multam: & ſtatim exortum eſt, quoniam non habebat altitudinem terræ.	5 Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: & cōtinuò exorta ſunt, quoniam non habebant altitudinem terræ.	5 Aliud verò cecidit ſuper petroſa, ubi non habuit terram multam; & ſtatim exortum eſt, quoniam non habebat altitudinem terræ.	6 Et aliud cecidit ſupra petram, & natum
7 Et quando exortus eſt ſol, exæſtuavit: & eò quòd non habebat radicem, exaruit; *L* quia non habebat humorem.	6 Sole autem orto æſtuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.	6 Et quando exortus eſt ſol, exæſtuavit: & eo quòd non habebat radicem, exaruit.	aruit, quia non habebat humorem.
8 *Mc.* Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocaverunt illud, & fructum non dedit.	7 Alia autem ceciderunt in ſpinas: & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea.,	7 Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocaverunt illud, & fructum non dedit.	7 Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.
9 *Mc. L* Et aliud cecidit in terram bonam; *Mc.* & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem; & afferebat unum triginta: unum ſexaginta, & unum centum.	8 Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.	8 Et aliud cecidit in terram, bonam: & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem: & afferebat unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum.	8 Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.
10 *L* Hæc dicens clamabat, *Mc.* & dicebat: *MM. L* Qui habet aures audiendi audiat.	9 Qui habet aures audiendi, audiat.	9 Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.	Hæc dicens clamabat. Qui habet aures audiendi, audiat.
11 *Mc.* Et cùm eſſet ſingularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim: *L* Quæ eſſet hæc parabola; *Mt.* dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?	10 Et accedentes diſcipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?	10 Et cùm eſſet ſingularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.	9 Interrogabant autem eum Diſcipuli ejus: Quæ eſſet hæc parabola?
12 Qui reſpondens, ait illis: † Quia *MM. L* vobis datum eſt noſſe *Mt.* myſteria regni cœlorum, *Mc. L* myſterium regni Dei, *Mt.* illis autem non eſt datum.	11 Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum.	11 Et dicebat eis: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem	10 Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. † *Mat.* 16. 17. 1. *Cor.* 2. 10. 1. *Joan.* 2. 27.
13 Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.	12 Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.		
14 Ideo in parabolis loquor eis, *Mc.* qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt.	13 Ideo in parabolis loquor eis,	qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt.	
15 Ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.	quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt,	12 Ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata.	ut videntes videant, & audientes non intelligant.

M A T T H Æ U S.

† *Iſa. 6. 9. Joan. 12. 40. Act. 28. 26. Rom. 11. 8.*
16 * 14 Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicentis: † Auditu audie-
tis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.
17 * 15 Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audie-
runt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus au-
diant & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.
† *Luc. 10. 23.*
18 * 16 † Veſtri autem beati oculi, quia vident, aures veſtræ, quia au-
diunt.
19 * 17 Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & juſti cupierunt vi-
dere quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
20 *Mc.* Et ait illis: Neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?		13 Et ait illis: Neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?	
21 *Mt.* Vos ergo audite parabolam ſeminantis.	18 Vos ergo audite parabolam ſeminantis.		
22 *L* Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei.			11 Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei.
23 *Mc.* Qui ſeminat, verbum ſeminat.		14 Qui ſeminat, verbum ſeminat.	
24 Hi autem ſunt, qui circa viam, ubi ſeminatur verbum, & cùm audierint, confeſtim venit Satanas, & aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum; *L* ne credentes ſalvi fiant.	19 Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt.	15 Hi autem ſunt, qui circa viam, ubi ſeminatur verbum, & cùm audierint, confeſtim venit Satanas, & aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum.	12 Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.
25 *Mc.* Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminantur, qui cùm audierint verbum, † ſtatim cum gaudio accipiunt illud. († *Iſa. 58. 2. Joan. 5. 35.*)	20 Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud.	16 Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminantur, qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud.	13 Nam qui ſupra petram: qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent:
26 Et non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt: deinde orta tribulatione, & perſecutione propter verbum, confeſtim ſcandalizantur; *L* qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.	21 Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis, facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur.	17 Et non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt: deinde orta tribulatione, & perſecutione propter verbum, confeſtim ſcandalizantur.	qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.
27 *Mc.* Et alii ſunt, qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui verbum audiunt.	22 Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit,	18 Et alii ſunt, qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui verbum audiunt.	14 Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt;
28 Et ærumnæ, *Mt.* & ſollicitudo *Mc.* ſæculi, & deceptio † divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant *MM.* verbum, & ſine fructu efficitur. († *1 Tim. 6. 17.*)	& ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum, ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.	19 Et ærumnæ ſæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.	& à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes ſuffocantur, & non referunt fructū.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
29 *Mc.* Et hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt; *L* qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia; *Mt.* aliud quidem centeſimum; aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.	23 Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit & fructum affert, & facit; alium quidem centeſimum, allud autem ſexageſimum, allud verò trigeſimum.	20 Et hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, & fructificant; unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum.	15 Quod autem in bonam terram: hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. ¶

HARMONIA.	MARCUS.	LUCAS.	
30 *L* † Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit, ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.	21 Et dicebat illis: Numquit venit lucerna ut ſub modio ponatur, aut ſub lecto? nonne ut ſuper candelabrum ponatur?	16 Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit, ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.	* *Mat.* 5. 15.
31 † Non eſt enim occultum quod non manifeſtetur: nec abſconditum, quod non cognoſcatur; & *Mc. L* in palàm veniat.	22 Non eſt enim aliquid abſconditum quod non manifeſtetur, nec factum eſt occultum ſed ut in palàm veniat.	17 Non eſt enim occultum quod non manifeſtetur: nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palàm veniat.	† *Mat.* 10. 26
32 *Mc.* Si quis habet aures audiendi, audiat.	23 Si quis habet aures audiendi, audiat		
33 Et dicebat illis: *L* Videte ergo quomodo audiatis; *Mc.* in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.	24 Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.	18 Videte ergo quomodo audiatis.	
34 *Mc. L* † Qui enim habet, dabitur illi, & *Mc.* qui *Mc. L* non habet, etiam quod *L* putat ſe habere, *Mc. L* auferetur ab eo.	25 Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet etiam quod habet, auferetur ab eo.	Qui enim habet, dabitur illi; & quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab eo.	† *Mat.* 13. 12. & 25. 29.

1 * 4 *L* CUM *autem turba multa convenirent & de civitatibus properarent ad eum*, fama illius excitati; id eſt, oppidatim proficiſcerentur ad eum, *Mt. in illo die*, quo ipſe deliquium paſſus erat, *Exiens Ieſus de domo*, ubi obrutus fuerat turba: *ſedebat ſecus mare*, ut aere liberiori, & frigidiori recrearetur. 1. *Mc. & iterum cœpit docere*, varias parabolas proponens. 2 * 2. *Mt. Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ*, quæ ſecutæ erant domo exeuntem, & quæ de novo advenerant ex civitatibus vicinis. *ita ut*, ne & in littore maris obrueretur multitudine populorum, *in naviculam aſcendens ſederet* in navi, quæ in mari erat; *& omnis turba* populorum *ſtabat in littore* audiens; & ſic *Mc. circa mare ſuper terram erat*, dum Jeſus ex navi ſermonem faceret. 3 * 2. *Et docebat eos in parabolis multa*, ſcilicet parabolis doctrinam ſuam illuſtrabat, quò facilius caperetur. *Et dicebat illis in doctrina ſua*; hoc eſt, & inter docendum; ibi enim doctrinam accipio pro actione docendi; vel juxta ſuum docendi genus, nempè per parabolas dicebat illis. 4 * 3. *Audite: Ecce exiit ſeminans ſator ad ſeminandum L ſemen ſuum.*

5 * 4. *Mt.* 4. *Mc. L Et dum ſeminat*, *Mc. L aliud cecidit Mc. circa viam* publicam *L & ideò conculcatum eſt* à viatoribus. Præterea, *MM. & venerunt volucres cæli*: Ibi cœlum pro aere ponitur *MM. L & comederunt Mc. L illud*; etenim via trita, & dura non ſuſceperat ſemen; quod igitur exponebatur avibus.

6 * 5 *Mc. Aliud verò* ſemen *cecidit ſuper petroſa, ubi non habuit terram*, in qua ageret radices; *& ſtatim exortum eſt*, quia cùm non poſſet deorſum penetrare, vim ſurſum erexit. 7 * 6. *Et quando exortus eſt ſol, exæſtuavit*, ardore ſolis exuſtum eſt. *& eò quòd non habebat radicem, exaruit.* ex radice enim aſcendit humor, *L & quia non habebat humorem* in terra petroſa & arida.

8 * 7. *Mc. Et aliud cecidit in ſpinas*; in ter-

terram ſpinarum feracem, *& aſcenderunt ſpinæ*, ſimul cum ſemine exortæ, *& ſuffocaverunt illud*, in culmos excretum ſuppreſſerunt, *& ità fructum non dedit*. Hìc major ſpes affulſerat, quia radix erat, germen; culmus; ſed propter ſpinas ſpes illa fruſtranea fuit.

9 * 8 *L. Et aliud cecidit in terram bonam*, cultam, ſartam, non lapidoſam, non ſpinoſam, *& dabat fructum aſcendentem* è terra, firma radice nixum, aſſurgentem in liberam auram, *& creſcentem* ad plenam uſque maturitatem, *& afferebat unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum*.

10 * *Hæc dicens clamabat. 9. Mc. & dicebat: 9 MM. L. Qui habet aures audiendi*, ut audire poſſit, & cui à Deo donatum eſt, ut audita intelligat, *audiat*. Ultrò crederem hanc à Domino parabolam ſeminantis, ac colligentis fructum propoſitam in fine triticeæ meſſis, cùm incipiunt agricolæ novum ſemen terris mandare. Etenim, ut patet, ex ſerie rerum, quas enarrat Evangelium, hos omnes ſermones habuit aliquo tempore, poſt Pentecoſten. Igitur Dominus ex re præſenti & ſubjecta oculis, cùm cerneretur quem fructum darent mandata terræ ſemina, petivit parabolam. Sic rhetores docent ex rebus ſenſui ſubjectis aſſumendas eſſe ſimilitudines.

11 * 10 *Mc. Et cùm eſſet ſingularis*, καταμόνας, cùm eſſet ſolus, ſive ſoli eſſent cum eo diſcipuli, *interrogaverunt eum, hi qui cum eo erant duodecim* apoſtoli, *L. Quæ eſſet hæc parabola*: quid ſignificaret. etiam *Mc. dixerunt ei, quare in parabolis loqueris eis*, & non uteris ſermone apertiori. 12.* 11. *M. Qui reſpondens, ait illis: MM. L. Vobis datum eſt* à patre meo *noſſe Mc. myſterium regni cælorum*, arcana doctrinæ Evangelicæ, *Mc. L. myſterium regni Dei*. Regnum cœlorum & Dei idem eſt regnum. Aperuit corda veſtra Deus, ut doctrinam humanæ ſalutis, quam expono intelligatis. *Mc. illis autem* omnibus populis *non eſt datum*. non electi ſunt à Deo? ob pertinaciam indigni ſunt. eos intuetur Dominus, qui ſibi viderentur ſapientes, nec curarent doctrinam ejus quam faſtidierint, intelligere.

Ergo ſignificat Dominus, eos qui magnifaciunt dona Dei, locupletari novis donis, contemptores autem oblatæ gratiæ privari illo lumine, quod illis affulſerat. Ut verum ſit, quod vulgò dici ſolet. 13 * 12. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit* & diteſcet datis: *Qui autem non habet* dona cœleſtia, *& quod habet*, etiam donum quodcumque aliud *auferetur ab eo*; nempe rectus ſenſus; ita ut volut demens in ſuam perniciem poſteà ruat.

14 * 13. *Idèo in parabolis loquor eis*, *Mc. qui foris ſunt*, τοῖς ἔξω, qui ſunt extra familiam non de numero diſcipulorum, 15 * 12. *Mc. L. ut videntes videant, & non videant*; & *audientes Mc. audiant, & Mc. L. non intelligant*. Parabolæ enim, ſive ſimilitudines ſermonem apertiorem faciunt, modò illis animus attentus adjungatur; attentior enim fit ex difficultate. Ideo ipſa difficultas parabolarum illuſtrat ſermonem; quia eo animus ubi illum percipit, magis commovetur. His, inquam, qui attenti ſunt quantùm decet, parabolæ ſermonem reddunt ſignificatiorem, obſcurum verò iis qui mentem loquentis aſſequi non ſtudent, quales erant Judæi, in quos ergo quadrare verba Iſaiæ dicit Dominus. Vident, ait ille de Judæis, ſive videre poſſunt, & intelligere quod audiunt; ſed quia mentem non ſatagunt advertere ad veram ſententiam mei ſermonis, ſive ad finem parabolarum quas propono, ideò videntes non vident, & audientes non intelligunt. *Mc. Nequando convertantur, & dimittantur eis peccata*. ita fit, ut non convertantur, & propterea non dimittantur eis peccata.

Mirum ſanè eſt Judæos repudiaſſe Chriſtum, in quem eorum ſuſpiria; ſed & id erat prædictum à prophetis, ut ipſe Chriſtus eo in loco declarat. 16 * 14. *Mt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis*. Id quidem dictum apud Iſaiam de hominibus ſui temporis; ſed ita ut illi gererent imaginem Judæorum, quos Dominus tunc alloquebatur, in quibus multò etiam pleniùs, quàm in antiquis Judæis eadem verba implerentur. Vel ſenſus eſt, non minùs jam impletur, quàm olim.

17 * 15. *Incraſſatum eſt enim* ἐπαχύνθη, *cor populi hujus*, pinguefactum. Videlicet ut cor nimia pinguedine offuſum hebetatur, aut etiam ſuffocatur: ſic mens deliciis ebria hebetatur, aut etiam excæcatur. Sic in Deuter. cap. 32. ℣. 15. *incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum*. Itaque Iſaias notabat ſocordiam quæ ex rebus ſecundis naſcitur. *Et auribus graviter*, id eſt obtusè *audierunt*. ſurdaſtri fuerunt ſorditate animi affectata. *Et oculos ſuos clauſerunt*. ergo propria ſua malitia excæcati. non vident quia non volunt videre; ita ſenſus verborum ſequentium apertus. *Nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos*. Hæc omnia obfirmatæ mentis in peccato affecta ſunt. Ex eo, inquam, quòd eſſet incraſſatum cor Judæorum, non intellexerunt parabolas Chriſti, nec aures dociles præbuere, ut converterentur, & ſanarentur.

18 * 16. *Veſtri autem beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt* me loquentem, & docentem. 19 * 17. *Amen quippe dico vobis*; verè enim dico vobis, *quia multi prophetæ, & juſti*, horum enim animus in Meſſiam convertebatur, *cupierunt videre quæ*

vide-

videtis, & non viderunt ; & audire quæ auditis, & non audierunt ; mortem enim oppetiere, antequam ego naſceres. *Præſcientes per ſpiritum adventum meum*, utor Irenæi verbis, lib. 4. cap. 24. *oraverunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum ſuum, & audirent.*

20 * 18. *Et ait illis Jeſus, Neſcitis parabolam hanc ?* Parabolæ tam claræ ſenſum non percipitis ? *Et quomodo omnes alias meas parabolas cognoſcetis ?* Ergo mentem advertite. 21. * 19. *Vos ergo audite parabolam ſeminantis* : Intelligite ſignificationem illius.

22 * *L Eſt autem hæc parabola* ſeminantis quam propoſui, ſignum, ſive imago ex qua intelligere poteſtis multa quæ ſcire refert. *Semen eſt verbum Dei* : 23 * 14. *Mc. Qui ſeminat, verbum ſeminat* : Nempe ſator ſeminis ille eſt, qui verbum annuntiat : homines agri, qui ſemen excipiunt. 24 * 15. *Hi autem ſunt, qui circa viam, ubi ſeminatur verbum*, hi autem homines qui dicuntur ſeminari juxta viam, ii ſunt qui audiunt verbum Dei, *& cùm audierint, confeſtim venit ſatanas*, tanquam avis, *& aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum*, procurata oblivione, alia vana animo objiciens, *L ne credentes ſalvi fiant*. Ne cùm crediderint, ſerventur.

25 * 16. *Mc. Et hi ſunt ſimiliter, qui ſupra petroſa ſeminantur*. Qui deſignantur illo ſemine, quod in petroſa cecidit, hi ſunt, *qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud* : Avidè audiunt, ſed audita animo non recondunt. 26 * 17. *Et non habent radicem in ſe* : ſunt veluti ſeges, quæ radices non egit, & ideò areſcit. Oratio quæ ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet : remedia non proſunt niſi immorentur, ajebat Seneca. Non conſtantes, *ſed temporales ſunt*. non multo tempore perſeverant. ſtatim amplectuntur meam doctrinam : *deinde orta tribulatione, & perſecutione propter verbum* : id eſt ob Evangelii confeſſionem, confeſtim ſcandalizantur ; adverſitate velut offendiculo turbantur, & impediuntur, quominus pergant Evangelio adhærere. *L qui ad tempus* tantummodò *credunt & in tempore tentationis recedunt*. in periculis enim probatur fides.

27 * 18. *Mc. Et alii ſunt, qui in ſpinis ſeminantur*. Nempe aliis contingit, quod ſemini ſeminato in locis ſpinarum feracibus. *Hi ſunt, qui verbum* Evangelii *audiunt*. 28. * 19. *Et ærumnæ Mt. & ſollicitudo Mc. ſæculi*, nimia cura rerum, quæ ad hoc ſæculum pertinent, *& deceptio divitiarum*, id eſt fallaces divitiæ, quæ perſtringunt oculos, & faſcinant, *& circa reliqua concupiſcentia* : & cæterarum rerum cupiditates, verbi gratia honoris, cibi, potus, voluptatum, *introeuntes ſuffocant MM. verbum* quod audierunt, *& ſine fructu efficitur*, ut ſegetem naſcentem ſpinæ opprimunt, ne creſcat. Deſideria inutilia & nociva obruunt, & extinguunt conatus, curas, & affectus omnes vitæ melioris.

29 * 20 *Mc. Et hi qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt* : qui poſſunt comparari jacto ſemini in terram bonam ii ſunt, *L qui in corde bono, & optimo* velut in agro feraci, *audientes* quod illis inſeminatur, *verbum retinent*, in ſe recondunt, ut radices agat : removent curas alias, quibus ſuffocaretur, *& ſic fructum afferunt in patientia*, tolerando tribulationes, & perſeverando in virtutis via, *Mt. aliud quidem*, ſive, ut dicit Marcus, *unum* nempè granum, unum ſemen affert *centeſimum fructum*, producit centena grana : *aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.*

30 * 16 *L Nemo autem lucernam accendens operit eam vaſe* : non ponit eam ſub modio, ut loquitur Marcus ; *aut ſubtus lectum ponit ; ſed ſuper candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen* ; ſive ut ejus lumine colluſtrentur ædes. Hoc quod alibi profert Matthæus, afferunt Lucas & Marcus, quaſi ea occaſione dictum à Domino. Potuit quidem Dominus proverbium illud, & ſimilia, ut fieri ſolet pro re nata, ſenſibus diverſis : qui tamen ſub eandem dicti generalitatem veniant, aptare. Hoc autem proverbio ſignificat Dominus doctrinam ſuam ſalutarem non eſſe occultandam.

31 * 17. *Non enim occultum, quod non manifeſtetur* aliquando, *nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & Mc. L in palàm veniat*. Si quidem quod vobis dico clam ; prædicabitur ſuper tecta.

32 * 23. *Mc. Si quis habet aures audiendi audiat*. Qui poteſt, mentem advertat, etenim qui non intelligentes audiunt, ſunt ſurdis ſimiles. *ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖς ἐοίκασι*, inquit Clemens Alexandr. lib. 5. Stromatum. 33 * 24. *Et dicebat illis* : *L videte ergo quomodo audiatis*, quantum enim attentionis in audiendo verbo adhibueritis, tantum inde utilitatis referetis, *Mc. in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis*. quantum habebitis fidei, tantum & intelligentiæ myſteriorum vobis addetur. 34 * 25. *Mc. L qui enim habet dabitur illi* ; hujuſce enim dicti probabitur ea in re veritas ; quòd plus gratiæ quis habeat, major illi detur gratia, *& Mc. qui Mc. L non habet, etiam quod putat ſe habere*, & magni penſitat, *Mt. L auferetur ab eo.*

CA-

CAPUT XVIII.

Parabola Zizaniorum, ſeminis ultrò germinantis, grani Sinapis, & fermenti, theſauri abſconditi, pretioſæ margaritæ, & ſagenæ.

Zizania.

MATTHÆUS Cap.13. ℣.24–52.

† Dom.5. poſt Epiph.
1 * 24 ALiam parabolam propoſuit illis, dicens: † Simile factum eſt re-
gnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſeme in agro ſuo.
2 * 25 Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superſe-
minavit zizania in medio tritici, & abiit.
3 * 26 Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparue-
runt & zizania.
4 * 27 Accedentes autem ſervi patris familias, dixerunt ei: Domine, non-
ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?
5 * 28 Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei:
Vis, imus, & colligimus ea?
6 * 29 Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum
eis & triticum.
7 * 30 Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis di-
cam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad
comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. ¶

Semen ultrò germinans.

MARCUS, Cap.4. ℣.26–34.

8 * 26 Et dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo jaciat
ſementem in terram,
9 * 27 & dormiat, & exurgat nocte & die; & ſemen germinet, & incre-
ſcat, dum neſcit ille.
10 * 28 Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam,
deinde plenum frumentum in ſpica.
11 * 29 Et cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.

Sinapi.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS Cap.13. ℣.18–22.
12 *Mt.* Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: *Mc.* Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?	31 Aliam parabolam propoſuit eis, dicens:	30 Et dicebat: Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?	18 Dicebat ergo: Cui ſimile eſt regnū Dei? & cui ſimile æſtimabo illud?
✠ Dom.6. poſt Epiph. 13 *Mt.* Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo.	✠ Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo,	31 Sicut granum ſinapis, quod cùm ſeminatum fuerit in terra,	19 Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum,

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
14 Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, *Mc.* quæ ſunt in terra.	32 Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus:	minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra.	
15 Et cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cœli habitare; *Mt.* & habitent in ramis ejus.	cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.	32 Et cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cœli habitare.	& crevit, & factum eſt in arborem magnam: & volucres cœli requieverunt in ramis ejus.

Fermentum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	LUCAS.
16 *Mt.* Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cœlorum *Mt. L* fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ *Mt.* ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.	33 Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum eſt cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.	20 Et iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnũ Dei? 21 Simile eſt fermento quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur totum.
17 Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas;	34 Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas;	

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
18 *Mc.* Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.		33 Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.
19 Sine parabola autem non loquebatur eis.	& ſine parabolis non loquebatur eis.	34 Sine parabola autem non loquebatur eis:
20 *Mt.* Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: † Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi; *Mc.* ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.	35 Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi, ¶	ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.

† Pſal. 77. 2.

MATTHÆUS.

21 * 36 Tunc dimiſſis turbis, venit in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.

22 * 37 Qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis.

23 * 38 Ager autem, eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filii regni. Zizania autem, filii ſunt nequam.

24 * 39 Inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt diabolus. † Meſſis verò, conſummatio ſæculi eſt. Meſſores autem, angeli ſunt. † Joel. 3. 13. Apoc. 14. 15.

25 * 40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi.

26 * 41 Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem:

27 * 42 Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. † Sap. 3. 7. Dan. 12. 3.

28 * 43 † Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Thc-

Theſaurus abſconditus, Pretioſa margarita, & Sagena.

MATTHÆUS.

* Com. Virgin. 44 * Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro: quem, qui
invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ
habet, & emit agrum illum.
45 Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bo-
nas margaritas.
46 Inventa autem una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ
habuit, & emit eam.
47 Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni
genere piſcium congreganti:
48 Quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus litus ſedentes, elege-
runt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.
49 Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt angeli, & ſeparabunt malos
de medio juſtorum:
50 Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.
51 Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam.
52 Ait illis: Ideò omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini
patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo novo & vetera. ¶

1 * 24. *Mt.* ALIAM *parabolam propoſuit illis* non abſimilem præcedenti, in qua, ut præmonuerat Evangelium non omnibus auditoribus fore utile, ſive non omnes, quibus inſeminaretur, fructum allaturos; ita in iſta oſtendit non omnes in Eccleſia ſanctos fore, ſed bonos malis ſemper permixtum iri, *dicens: ſimile factum eſt regnum cœlorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*. Id eſt tale quid accidit in Eccleſia, quale ſi quis bonum ſemen ſerat, & quis ſuperſeminet zizania. 2 * 25. *Cùm autem dormirent homines*, ſcilicet nocte, *venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici*, in agro, ubi ſeminatum triticum, *& abiit*, ne deprehenderetur.

3 * 26. *Cùm autem crevisſet herba, & fructum feciſſet*, ſpicam & grana cœpiſſet oſtendere, *tunc apparuerunt & zizania*, quæ in prima herba vix diſcerni poterant. 4 * 27. *Accedentes autem ſervi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?* hebraiſmus pro, certè tu optimum ſemen ſeveras. *Unde ergo habet zizania?* 5 * 28. *Et Dominus ait illis: Inimicus homo hoc fecit*: ipſe ſuperſeminavit malum ſemen, unde iſta omnis noxia fructificatio. *Servi autem dixerunt ei: vis, imus, & colligimus ea?* Eamus, & colligamus ea zizania.

6 * 29. *Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania*, quæ permixta ſunt, *eradicetis ſimul cum his & triticum*, quod avulſum, cùm nondum maturum eſt, inutile eſſet. Ergo 7 * 30. *Sinite utraque creſcere ad meſſem*, donec maturuerint, *& in tempore* præſtituto *meſſis dicam meſſoribus meis, Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum*. Sic in fine mundi, cùm advenerit tempus, quo ſanctos colliget Deus, ſeparabuntur boni à malis, quibus intereà permixti ſunt; & ideò malis parcit Deus propter electos.

Semen ultrò germinans.

8 * 26. *Mc. Et dicebat* Dominus, ut doceret efficaciam verbi in bona terra: *Sic eſt regnum Dei*, ita eſt de Evangelio, *quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram*, diſcedat, & alia agat 9 * 27. *Et dormiat, ac exurgat nocte & die*, ſegetem Deo committens; *& non ideò minùs germinet, & increſcat, dum neſcit ille*, ſive dum alia cogitat. 10 * 28. *Ultrò enim*, ſive ſponte ſua *terra fructificat*, frugem profert, *primùm herbam*, ſeges vocatur herba, cùm primùm apparet, *deinde ſpicam* virentem, ſed inanem, *deinde plenum frumentum in ſpica*, plenè formatam, & ſimile huic, quod fuerat ſeminatum. 11 * 29. *Et cùm produxerit fructus*, ad maturitatem pervenerit, *ſtatim* agricola *mittit falcem, quoniam adeſt meſſis*. His ſignificabat Dominus fructum ſeminati Evangelii non quidem tunc tempori quo loqueretur, apparere, qui intercà paulatim produceretur.

Sinapis.

12 * 31. *Mt. Aliam parabolam propoſuit eis*, cujus parabolæ ſcopus non alius videtur quàm ſuperioris, & ſubſequentis; ſcilicet, ne quis flocci fa-

faceret exiguum numerum eorum qui crederent Evangelio, quoniam fore erat, ut creſceret, & totum mundum impleret. Itaque proponit hanc parabolam, *dicens*, 13 * *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo*. Huic parvo numero credentium quo nunc conſtat regnum cœlorum, eccleſia mea, continget, quod grano ſinapis, 14 * 32. *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, Mc. quæ ſunt in terra*. Sic habebatur à Judæis, granum enim ſinapis pro re minima proverbialiter dicitur apud Rabinos. Hinc ubi de cibis vetitis agunt Talmudici, dicunt; quicumque comedit ſeorſim animalculum aliquod immundum totum, is vapulat, licèt minus fuerit quàm granum ſinapis. Profert alia teſtimonia ex Rabinis Buxtorfius in magno Lexico, in voce חרדל *charedal*, id eſt ſinapi. Præterea granum ſinapis minimum appellari poteſt, proportione; nullum enim tam parvum tantam rem producit. 15 * 32. *Et cùm ſeminatum fuerit, aſcendit*, creſcit, *& fit majus omnibus* aliis *oleribus*: & fit arbor, ut ait Matthæus; Marcus verò, *& facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cæli* quæ in aere volitant, *latitare*, etiam *Mt. & habitent in ramis ejus*, hoc eſt ſedeant, & requieſcant in ramis ejus. Ad illud illuſtrandum facit quod Buxtorfius loco allegato promit ex Talmude. Fuit olim in Sichen caulis ſinapis, qui tres habuit ramos. Avulſus fuit unus ex illis, & tegebant ex eo tugurium, vel umbraculum figulorum (ſub quo nempe æſtate laborabant) inventique ſunt in eo tres cabi ſeminis ſinapis.

Fermentum.

16 * 3. *Mt. Aliam parabolam locutus eſt illis* qua idem inculcat, Eccleſiæ nempè, vel doctrinæ Evangelicæ vim & incrementum. *Simile eſt regnum cælorum Mt. L fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ Mt. ſatis tribus*. licèt maſſa ejus modica ſit, attamen poteſt etiam ſatis tribus farinæ vim ſuam communicare, modò his permiſceatur. *Donec fermentatum eſt totum*: id eſt donec tota farina accipiat vim à pauco fermento; neque enim huic omni vis fermenti ſtatim communicatur. Aliquod temporis intervallum requiritur. ſimiliter doctrina Evangelica quæ nunc paucos ſectatores habet, omni mundo poſtea communicabitur.

17 * 34. *Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas*. 18 * 33. *Mc. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum* Dominus, *prout poterant audire*, ſe accommodans intellectui eorum, ſive diverſas parabolas proponens, ut ſaltem aliquas intelligerent. *Apud antiquos*, ait Seneca, *nondum captabatur plauſibilis oratio; illi qui ſimpliciter, & demonſtrandæ rei cauſa loquebantur; parabolis referti erant, quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa, qua poetis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & differentem & audientem in rem præſentem adducant*. Maximè hoc verum eſt de Palæſtinis, Syris, Arabibus, cæteriſque populis, quos Orientalium fert tellus, à quibus ſapientia omnis deſcendit. In codice *tota* Talmudis dicitur, cap. 9. quòd mortuo R. Meir defecerint, qui homines erudirent parabolis.

19 * 34. *Sine parabola autem non loquebatur eis*. Tunc temporis, in hac occaſione uſus eſt multis parabolis; tum quia illuſtrant ſermonem, quatenus veritatem ſenſibus inconſpicuam rerum corporearum ſimilitudine, quaſi corpoream faciunt; tum quia ipſa difficultate quæ ineſt parabolis, fit animus attentior, ut diximus ſuprà, & ideò ſententiæ, quam occultant, ſive adumbrant, percipiendæ magis idoneus: ſed & ipſa difficultate, qui digni ſunt ut ſuo permittantur errori, juſto ſupplicio excæcantur, ut verum non videant.

20 * 35. *Mt. Ut impleretur quod dictum erat per prophetam* authorem pſalmi 77. *dicentem: Aperiam in parabolis os meum*. Accommodatio eſt verborum pſalmiſtæ ad res multò excellentiores, quàm quas ille proferebat; quæ tamen, ut cæteræ omnes prophetiæ, latentes rerum Meſſiæ figuras continebant. Quare *ut*, ἵνα, hìc potiùs eventum, quàm finem denotat; quaſi dicat, & ſic præſtantiſſima ratione impletum fuit, quod dixerat pſalmiſta, *aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi*. Effabor חידות *chidoth*, ænigmata, id eſt arcana quæ *à conditione mundi*, à jactis mundi fundamentis non revelata ſunt. Exponebat enim Chriſtus myſteria regni cælorum, quæ ab initio variis ænigmatibus ſignificabantur, ſed occultè. *Mc. Seorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia*: plano ſermone, non figurato explicabat, quod dixerat coram populo in parabolis.

Explicatio Zizaniorum.

21 * 36. *Tunc dimiſſis turbis, venit in domum*. A littore maris reverſus eſt in urbem, & intravit in domum ſuam. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: ediſſere nobis*, expone nobis *parabolam Zizaniorum agri*: quid hac parabola volueris ſignificatum? Tunc temporis cùm Dominus dimiſiſſet turbas, videtur expoſuiſſe & parabolam ſeminantis; cùm enim has omnes parabolas juxta mare propoſuit, vix poterat ſeorſim cum diſcipulis colloqui.

22 * 37. *Qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis*. In hac, inquam, parabola ipſe ego ſum; qui ſemino. 23 * 38. *Ager autem eſt mundus*. Ipſe piorum hominum cœtus, quem collegi. *Bonum verò ſemen, hi ſunt filii regni*, qui digni ſunt regno meo,

Digitized by Google

meo, quos inſerui Eccleſiæ meæ. *Zizania autem filii ſunt nequam*, *filii τοῦ πονηροῦ*, diaboli. 24 * 39. *Inimicus autem qui ſeminavit ea*, *eſt diabolus* qui malos in Eccleſiam inducit, ſi poſſit bonos ſocietate eorum corrumpere. *meſſis verò conſummatio ſæculi eſt*, tempus judicii univerſalis, *meſſores autem angeli ſunt*, qui miniſtri Dei ſunt.

25 * 40. *Sicut ergo colliguntur Zizania*, *& igni comburuntur*, poſtquam ſeparata ſunt à tritico; nulli etenim alteri uſui deſtinantur. *Sic erit in conſummatione.* Cùm tempus advenerit judicii. 26 * 41. *Mittet Filius hominis*, qui conſtitutus eſt judex, *angelos ſuos* miniſtros ſuos, quippe Deus qui angelos miniſtros habeat; alioquin Dominus angelos eſſe ſuos non diceret. *Et colligent de regno ejus omnia ſcandala*, autores ſcandalorum, qui falſa doctrina, aut impura vita aliis cadendi, aut peccandi præbuerint occaſionem. *Et eos qui faciunt iniquitatem.* tum eos à quibus ad faciendum malum alii adducuntur, tum qui ipſi faciunt. 27 * 42. *Et mittent eos in caminum ignis.* Sicut zizaniis accenditur caminus, fornax, ita illi in gehennam ignis conjicientur. *Ibi erit fletus*, *& ſtridor dentium*, ubi ſunt pœnæ intolerabiles, & ineluctabiles. 28 * 43. *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.* id eſt tunc cùm Eccleſia ab omni malorum hominum contagio erit purgata, fulgebunt in gloria, in cœlo, ubi cum Deo patre regnaturi ſunt. *Qui habet aures audiendi*, *audiat.* quaſi dicat, hæc diligenter apud vos expendite.

Theſaurus abſconditus.

29 * 44. *Mt. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.* quo ſtudium apoſtolorum accenderet Dominus erga Evangelium ſuum, pretium ejus eſſe ſummum admonet, & ideò præponendum cæteris rebus. *Quem theſaurum qui invenit homo*, *abſcondit*, rurſus ingeſta terra obtegit, *& præ gaudio illius vadit*, *& vendit univerſa quæ habet*, *& emit agrum illum*, ut ſolus theſaurum poſſideat.

Margarita pretioſa.

30 * 45. *Iterùm ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori*, *quærenti bonas margaritas.* Idem accidere debet in regno cœlorum inveniendo, acquirendoque, ac ſi quis mercator quærens margaritas aliquam invenerit magni pretii. 31 * 46. *Inventa autem una pretioſa margarita*, *abiit*, *& vendidit omnia quæ habuit*, *& emit eam*, pluris illam unam faciens: paratus quidquid obſtat relinquere. quod facere decet ad requirendum regnum Dei.

Sagena.

32 * 47. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum* Eccleſiæ, *ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti*; everriculo, quod retis eſt genus, omne genus piſcium, nempe quidquid obvium eſt, ſecum trahens. 33 * 48. *Quam*, *cùm impleta eſſet*, *educentes*, *& ſecus littus ſedentes*, ut ſolet fieri à piſcatoribus, *elegerunt bonos in vaſa*, ut ſervarent; *malos autem foras miſerunt*, abjecerunt. Quo tendat hæc ſimilitudo, ipſe Dominus pateſacit. 34 * 49. *Sic erit in conſummatione ſæculi*: *Exibunt angeli*, prodibunt à me judice emiſſi, *& ſeparabunt malos de medio juſtorum*: ut zizania ſeparantur à tritico. 35 * 50. *Et mittent eos in caminum ignis*: in gehennam ignis *ibi erit fletus*, *& ſtridor dentium.* omnimodo Chriſtus inculcat horrorem pœnarum æternarum.

36 * 51. *Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei*: *Etiam.* An aſſecuti eſtis, inquit Chriſtus apoſtolos alloquens, ſenſum parabolarum, quas audiſtis? *Etiam*, reſpondent; nam & poſtremas, licèt illas non expoſuiſſet, ex aliarum parabolarum expoſitione intelligere poterant.

37 * 52. *Ait illis* Dominus: *Ideò omnis ſcriba*, omnis doctor, omnis ſapiens. in ſacris enim paginis vox illa idem ſonat quod literatus, doctor, ſapiens, *doctus in regno cœlorum*, qui doctrinam regni cœlorum didicit, & ad illam docendam idoneus eſt, *ſimilis eſt*, ſive potiùs ſimilis eſſe debet homini patrifamilias, *qui profert*, promit convivis ſuis *de theſauro ſuo* è penu, ſive promptuario, ubi annonam providè repoſuerat, *nova & vetera*, novas & veteres fruges; omnem ciborum varietatem, pro perſonarum & temporum qualitate; quæcumque novit eis grata. Sic plures parabolas propoſuerat Chriſtus, ut his, vel illis auditores ejus delectarentur, & ad credendum adducerentur.

CAPUT XIX.

Dominus ſabbato docet in ſynagoga urbis Nazareth. Contemnitur à popularibus, qui vitæ ejus inſidiantur.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 13. ℣. 53-58.	MARC. Cap. 6. ℣. 1-6.	LUCAS, Cap. 4. ℣. 16-30.	
1 *Mt.* ET factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus parabolas iſtas, tranſiit inde.	53 Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus parabolas iſtas, tranſiit inde.	1 Et egreſſus inde,		
2 *L* † Et venit Nazareth *MM.* in patriam ſuam, *L* ubi erat nutritus; *Mc.* & ſequebantur eum diſcipuli ſui.	54 Et veniens in patriam ſuam,	abiit in patriam ſuam, & ſequebantur eum diſcipuli ſui.	16 Et venit Nazareth, ubi erat nutritus,	† *Ioan.* 4. 43.
3 *L* † Et intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam, *Mc.* & cœpit in ſynagoga docere: *L* † & ſurrexit legere.	docebat eos in ſynagogis eorum,	2 Et facto ſabbato cœpit in ſynagoga docere:	& intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere.	† 2. *Eſd.* 8, 5

L U C A S.

4 * 17 Et traditus eſt illi Liber Iſaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat:

5 * 18 † Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde. † *Iſa.* 61. 1. 2.

6 * 19 † Prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos, in remiſſionem † prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. † *Iſa.* 42. 7. † *Levit.* 25. 10

7 * 20 Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

8 * 21 Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	
9 *L* Et omnes teſtimonium illi dabant † & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, *Mc.* & in doctrina ejus.	ita ut mirarentur,	& multi audientes admirabantur in doctrina ejus.	22 Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius,	† *Iſa.* 50. 4. *Ioan.* 6. 42.
10 Dicentes: Unde huic hæc omnia? Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi: & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?	& dicerent: Unde huic ſapientia hæc, & virtutes?	dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi; & virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?	& dicebant:	
11 Nonne hic eſt faber? *Mt.* Nonne hic eſt fabri filius? *L* Nonne hic eſt filius Joſeph?	55 Nonne hic eſt fabri filius?	3 Nonne hic eſt faber,	Nonne hic eſt filius Joſeph?	

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
12 *Mt.* Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus, Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas?	Nonne mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus, Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas?	filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſeph, & Judæ, & Simonis?	
13 Et ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergo huic omnia iſta? *MM.* Et ſcandalizabantur in *Mc.* illo.	56 Et ſorores ejus, nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergo huic omnia iſta? 57 Et ſcandalizabantur in eo. Jeſus autem dixit eis:	nonne & ſorores ejus hic nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur in illo.	
a Fer. 2. infrà l. hebd. 3. Quadr. 14 *L* Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura te ipſum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.		4 Et dicebat illis Jeſus:	23 Et ait illis: *a* Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura te ipſum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.
15 Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua, *MM.* non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, *Mc.* & in cognatione ſua.	Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.	Quia non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.	24 Ait autem: Amē dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

LUCAS.

† 3. Reg. 17. 9. Iac. 5. 17. 16 * 25 In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus † Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex: cùm facta eſſet fames magna in omni terra.

17 * 26 Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

18 * 27 Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo propheta: & nemo eorum mundatus eſt, † niſi Naaman Syrus. † 4. Reg. 5. 14.

19 * 28 Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes.

20 * 29 Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

21 * 30 Ipſe autem tranſiens, per medium illorum ibat. ¶

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
22 *Mc.* Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit.	58 Et non fecit ibi virtutes multas,	5 Et non poterat ibi virtutem ullam facere niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit.
23 Et mirabatur *MM.* propter incredulitatem *Mc.* eorum, & circuibat caſtella in circuitu docens.	propter incredulitatem illorum.	6 Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat caſtella in circuitu docens.

EA omnia quæ ſex ſuperioribus capitibus complexi ſumus, tum dicta, tum facta ſunt à Domino unius, aut alterius diei ſpatio. Ex Judæa & Galilæa videramus fugientem ultra mare; ubi cùm aliquantiſper delituiſſet, reverſus Capharnaum occaſione dæmonii quod expulit, Phariſæos qui id dæmoniorum virtuti tribuerant, acriter inſectatus eſt; quorum iram

cùm

cùm ſibi declinandam eſſe ſciret. poſtquam hoc, aut altero die varias & diverſas parabolas propoſuit; inimicorum conſpectui ſe ſubmovit. Sic magna ſua ſapientia, donec dies paſſionis adventaret, hic & illic de improviſo apparebat prædicans, & edens miracula; poſteà quaſi evaneſcebat ex oculis. 1 * 53. *Mt. Et factum eſt cùm conſummaſſet Jeſus parabolas iſtas;* nempe poſtquam illas propoſuiſſet, & expoſuiſſet, *tranſiit inde*, ut declinaret inſidias Phariſæorum, vel quia inſtabat feſtus dies, ad quem celebrandum debebat aſcendere Hieroſolymam. 2 * 16 *L. Et venit Nazareth, MM. in patriam ſuam L. ubi erat nutritus.* Huc divertit profectus in Judæam ut intereſſet feſto Tabernaculorum, *Mc. & ſequebantur eum diſcipuli ſui* teſtes operum ejus, & dictorum.

3 * *L. Et intravit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam.* hac enim die adibat cum Judæis ſynagogam, *& cæpit in ſynagoga docere.* Nam qui aliqua doctrina pollere videbantur, cujuſcumque tribus eſſent & conditionis, rogabantur de ſcripturis quæ tunc legerentur, diſſerere. Jam audierant Nazarethani de miraculis, quæ fecerat in Capharnaum; non mirum ergo, ſi cuperent etiam aliquid ab eo audire. *L. Et ſurrexit legere.* Probat Ligthfootius prolatis teſtimonis ex libris Judæorum legem & prophetas legi non ſolere niſi à ſtantibus. quem morem Chriſtus ſecutus, *ſurrexit legere*, & ſedens docuit. Ille qui legebat in prophetis vocabatur *Maphtir*, atque ad munus illud deſignabatur ab Archiſynagogo. Alius legebat, alius interpretabatur, neque enim ſine interprete legebantur Lex Moyſis & Prophetæ. lectoris & interpretis vicem egit Chriſtus; & ut viro primario prima lectio legis delata eſt, juxta morem, qui apertus eſt in illis verbis Maimonidis Tractatu *Chelim*, n.2. cap.4. *His igitur oportet omnes Iſraelitæ plurimum habeant honorem*, loquitur de ſacerdotibus, *& cunctis in rebus primas deferant. Hi primi lectionem legis incipient, primi gratiarum actionem habebunt, porrò primi portionem rerum optimam auferent.*

4 * 17. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ.* ſanè ab eo qui miniſter erat ſynagogæ, dictus *Chazan*, cujus erat proferre libros ſacros legendos; qui procul omni dubio protulit illi libros, qui tunc temporis legebantur in ſynagogis. Notum eſt quinque libros Moſis ſic diſtributos à Judæis, ut in diebus ſabbati ſpatio unius anni integri legerentur. Ex aliis verò codicibus ſcriptutarum modò hujus, modò alterius prophetæ, librorum hiſtoricorum, & hagiographorum ſectio aliqua adjungebatur lectioni librorum Moyſis, cum quibus videbatur habere affinitatem. *Et ut revolvit librum*, nam Hebræorum, ut & Latinorum, libri erant volumina; id eſt non erant diſtinctis foliis compacti, ut nunc ſunt libri noſtri, ſed uno terete baculo circumvoluti, & complicari in cylindri formam, quod vox Hebræa מגלה *megilla*, ſignificat. Volumina quorum uſus erat in ſynagogis illigabantur duobus teretibus baculis; qui capulos habebant quos manu tenens qui legebat, poterat convolvere, vel evolvere librum, pro ut opus erat. Hæc ſatis clarè appoſitum ſchema oſtendit.



Vulgo ſentiunt interpretes caſu traditum Domino librum Iſaiæ, ſive potiùs divina providentia procurante, ut ille traderetur, ubi clariſſimè de Chriſto prophetatum erat. Verùm magis eluxit divina providentia, ſi hoc ſabbato legeretur pars illa Iſaiæ in qua *invenit locum, ubi ſcriptum erat: ſpiritus Domini ſuper me.* Sic incipit caput ſexageſimum primum Iſaiæ, quod legebatur ſabbato primo, aut ſecundo menſis Tiſri, ut videre eſt in lectionariis Judæorum, id eſt: in diſtributione illa, qua partitiones legis, & prophetarum ſingulis hebdomadis legunt in ſuis ſynagogis. Hanc diſtributionem ſubjicit Ligthfoot: ex quo eam deduxi in Kalendarium Hebraicum, quod ordinavi in libris de Templo, & in apparatu biblico; antiquam autem eſſe convenit inter Judæos, traditam à primis doctoribus. ita nullus dubitandi locus quin uſitata fuerit tempore quo Dominus in terris verſabatur. Hoc autem anno vitæ ejus, circa quem hæremus æræ chriſtianæ trigeſimo primo, duo illa ſabbata in quibus Iſaias prælegebatur, incidebant, primum in octavam diem Septembris, alterum in decimam quintam. Congruit illud

tempus parabolis ſementis, quas modò propoſuerat Dominus, ab ipſis rebus præſentibus, ut ſapientiam ejus decebat. Etenim in menſe Tiſri ſemen terræ mandabatur, ut videre eſt in illis verbis paraphraſæos Chaldaicæ in Eccleſiaſtem, cap. 11. ℣. 2. *Da portionem bonam ſeminis agro tuo in Tiſri, & ne cohibearis à ſeminando etiam in Cisleu.*

Singula verba prophetæ expendamus, quæ Jeſus de ſe dicta eſſe infrà ſignificat. cùm evolviſſet librum ſibi traditum in ea parte quæ tunc legebatur, invenit 5 * 18. *Spiritus Domini ſuper me.* videtur Iſaias hæc de ſe dicere; ſed ſicut liberatio ex captivitate Babylonica imago & pignus fuit liberationis animarum, quam facturus erat Meſſias; ita & quæ Iſaias de ſe dixerat, directa ſunt à Deo ut Chriſto excellentiùs convenirent. Etiam Kimhi ad Meſſiam hæc aptat. Alio modo ſuper Chriſtum, quàm ſuper Iſaiam erat ſpiritus Dei, qui corporali ſpecie deſcenderat ſuper eum, cùm baptizatus eſt.

Propter quod unxit me, id eſt quia, vel eò quòd deſtinavit me, conſecravit me ad evangelizandum. Genus loquendi inde ſumptum, quòd & reges, & ſacerdotes unctione inaugurari ſolerent. *Evangelizare pauperibus miſit me*, afflictis, manſuetis dare bonum nuntium melioris ſortis. *Sanare contritos corde:* ad ſanandum fractos animo, deſperabundos ob gravia peccatorum ſuorum vulnera, & onere peccatorum gravatos.

6 * 19. *Prædicare captivis remiſſionem*, ut ſignificem captivis ſe recuperaturos proximè liberationem, ſed ſublimiorem, quàm quæ expectabatur à Judæis carnalibus qui ſperabant fore ut ſub Meſſia excuterent jugum Romanorum, & alterius cujuſcumque principatus ſub Gentibus. *& cæcis viſum*, nempè aperiendos carceres, qui tenebræ vocantur in ſcripturis; & in quibus incarcerati, cùm nulla luce fruantur, quaſi cæci ſunt. *dimittere confractos in remiſſionem.* Hoc videtur à Chriſto, vel ab Evangeliſta additum Iſaiæ, ut explicarentur ſuperiora; ſententia enim eadem eſt, ut dimittantur liberi qui verſantur in ſummis anguſtiis captivi.

Prædicare, κηρύξαι, annum Domini acceptum, annum beneplaciti. Similitudo ſumpta ab anno Jubilæo, qui per præconem buccinæ ſono indici ſolebat. Annus autem Jubilæi erat annus acceptus; Hebræi enim, qui ſervi facti erant, dimittebantur liberi, & recuperabant poſſeſſiones, unde ejecti fuerant: quod typus erat anni illius gratiſſimi, quo ſub Meſſia ſeſe largiſſimè effunderet divina bonitas.

Et diem retributionis, ultionis, quam Chriſtus repeteret non ab hominibus quos pro hoſtibus habebant Judæi, ſed à dæmoniorum principe quem expulit. Hæc particula, *dies retributionis*, legitur in Hebræo fonte Iſaiæ; in nullis autem Græcis codicibus novi Teſtamenti, neque in Syro eſt.

7 * 20. *Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro*, à quo acceperat. Totam lectionem hujuſce ſabbati non inſeruit ſuo Evangelio Lucas, ſed illam ſolam pericopem, quam de ſe Jeſus interpretatus eſt. Cùm autem functus eſſet lectoris officio, jam interpretem egit, *& ſedit*, ut ſolebant doctores, *& omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.* intenti ora tenebant. 8 * 21. *Cæpit autem dicere ad illos*, vicem jam interpretis agens: *Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.* Hoc quod modò legi, impleri hodie cernitis, me audientes. Meſſiam apertè ſe declarabat.

9 * 22. *Et omne teſtimonium illi dabant*, nempè ſapientiæ, & doctrinæ ejus: communi conſenſu dicta ab eo approbabant. *Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Mirabantur quantum gratiæ ineſſet ſermonibus ejus. *Mc. & in doctrina ejus*, & ob doctrinam ejus attoniti erant 10 * *dicentes: Unde huic hæc omnia?* & tanta doctrina, & gratia, & efficacia, *& quæ eſt illa ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales*, tot tantaque miracula, *quæ per manus ejus efficiuntur.*

11 * *Nonne hic eſt faber?* 55 *Mt. Nonne hic eſt fabri filius? L. Nonne hic eſt filius Joſeph?* Qui nobis omnibus notus vixit faber; cujus ipſe filius artem exercuit. Alii ferrariam, alii lignariam fuiſſe hanc artem dicunt; nullo ſubnixi argumento. *Filius Mariæ?* Novimus & matrem ejus. tota ejus familia nobis haud ignota eſt, nimirum nobis Nazarethanis ea ætate viventibus. 12. * *Mt. Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus*, Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas; id eſt, pro conſanguineis hos, & tales habet. 13 * 56. *Et ſorores ejus*, cognatæ, propinquæ, *nonne omnes apud nos ſunt?* nobiſcum habitant omnes obſcuræ conditionis. *Unde ergo huic omnia illa*, homini obſcuro & genere, & conditione? neque enim antehac Nazareth abfuit, neque domi à ſuis potuit iſta diſcere, cùm nullus eorum litteris ſupra plebem imbutus ſit. 57. *MM. Et ſcandalizabantur Mc. in illo.* Humilitas generis, & conditionis ejus ſcandalum, id eſt offendiculum illis erat. quominus admiratio in reverentiam tranſiret, obſtabat natalium ſors illis cognita; nolebant itaque agnoſcere doctrinam ejus eſſe divinam.

14 * 23. *L. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, παραβολὴν*, id eſt proverbium. dicitis, inquam, illud proverbium vulgi ore tritum: *Medice cura teipſum:* id eſt, tua tuoſque, ſive tuam familiam, ac patriam, quæ tibi cara ſit. *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Ex hoc loco patet neutiquam ſervatum à Luca ordinem temporum. Hanc enim hiſtoriam,

cui

Digitized by Google

cui incumbimus, refert ad primam poſt baptiſmum in Galilæam profectionem, quo tempore nondum Capharnaum deſcenderat; quapropter incolæ urbis Nazareth tunc non poterant objurgare Dominum, quòd in patria miracula non faceret, quæ audierat patraſſe in Capharnaum; nondum enim ſe receperat in hanc urbem. Nulli ergo mirum videatur ſi Beatum Lucam veluti corridamus; aliter enim quæ diverſis locis ab eo ſparſa ſunt, colligi non poterant, & reddi ſuis temporibus & locis, quorum ab illo non habitam eſſe rationem res ipſa quam tractamus, oſtendit.

15 * 24. *Ait autem: Amen dico vobis*, quod & vulgari proverbio dicitur. *quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua*; gratus eſt ſuis popularibus; imò ſæpiùs ab illis contemnitur. ſic proverbio quod Nazarethani objiciebant, proverbium aliud opponit. *MM. Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua; & in domo ſua, Mc. & in cognatione ſua.* nempe à civibus ſuis, à ſuis domeſticis, proximis, cognatis parvi fit.

16 * 25 *L. In veritate dico vobis*, vera loquor. *Multæ viduæ*, egenæ ſcilicet & famelicæ *erant in diebus Eliæ, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex*, non pluit. Clauſæ dicuntur cataractæ cœli, cùm pluere deſiit; quæ apertæ dicuntur, cùm pluit. In hiſtoria regum, lib. 3. cap. 17. & 18. trium tantùm annorum, quibus clauſum eſt cœlum, mentio fit, addidit ſex menſes ex traditione & ex opinione recepta. *Cùm facta eſſet fames magna in omni terra*, quia toto illo tempore cœlum fuerat, quaſi æneum; hoc eſt, velut ſi æneum eſſet, nullum dederat imbrem. 17 * 26. *Et ad nullam illarum* viduarum, quæ ubique erant, *miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ*, quæ ad urbem Sidoniam pertinet, *ad mulierem viduam*, quam licet alienigenam Deus præpoſuit mulieribus Iſraeliticis; ut non mirarentur Nazarethani, ſi Capharnaum, & alias civitates patriæ ſuæ præferret. 18 * 27. *Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Elizæo propheta*; tempore prophetæ Elizæi: *& nemo eorum mundatus eſt* à pollutione lepræ: *niſi Naaman Syrus* vir alienigena, non Iſraelita.

19 * 28. *Et repleti ſunt omnes, qui erant in ſynagoga ira, hæc audientes.* quibus ſignificabat Jeſus nullum à ſe ſignum edendum in patria ſua, nec conferendum beneficium. 20 * 29. *Et ſurrexerunt*: ſurgentes è ſubſellis ſynagogæ, inde egreſſi ſunt, *& ejecerunt*, expulerunt *eum extra civitatem* tanquam hoſtem. *Et duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum*: non judicii more, ſed motu concitatæ plebis, quæ ſe deſpectam credebat, & ſpe cadebat; quam conceperat nobilitari poſſe Jeſu cunabulis.

22 * 30. *Ipſe autem* nihil læſus à turba undique obſtante, quaſi mentem, ſive oculos illis eripuiſſet, *tranſiens, per medium illorum ibat.* Paucioribus, & elegantioribus verbis ſignificari non poterat, Jeſum per medios hoſtes potuiſſe abire illæſum.

21 * 5 *Mc. Et non poterat ibi virtutem ullam facere*: imperrare à ſe non poterat ut virtutem aliquam faceret. refugiebat animus ejus, ſive res ipſa non ferebat. *niſi paucos*, id eſt tamen paucos *infirmos impoſitis manibus ſanavit.* Non *fecit ibi virtutes multas*, ut habet Matthæus; id eſt non plura edidit miracula, quia non decebat ob affectus carnales civium. 23 * 6 *Mc. Et mirabatur* ſe non eſſe propenſum ad facienda in patria ſua miracula, *MM. propter incredulitatem eorum*; quæ illi mira videbatur. Igitur patriam deſerens *Mc. & circuibat caſtella*, vicos, *docens* eos quorum animi non æquè eſſent pravis affectibus occupati.

CAPUT XX.

Inſectatur Dominus Phariſæos, & vitia eorum arguit.

LUCAS, Cap. 11. ℣. 35—54.

33 † NEmo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. † Com. Conf. J. Pont.
44 Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex; totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.
35 Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.
36 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam par-

tem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. ¶

37 Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit.

38 Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium.

39 Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate.

40 Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod deintus eſt, fecit?

41 Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.

42 Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

43 Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro.

44 Væ vobis, quia eſtis ut monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes ſuprà neſciunt.

45 Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

46 At ille ait: Et vobis Legiſperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.

† Con. pl. r. matt. (?) 47 † Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem veſtri occiderunt illos.

48 Profectò teſtificamini quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra.

49 Propterea & ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur:

50 Ut inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi, à generatione iſta:

† Gen.4. 8. 2. Paral.24. 22. 51 † A ſanguine Abel, uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. ¶

52 Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.

53 Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi & Legiſperiti graviter inſiſtere, & os ejus opprimere de multis,

54 Inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accuſarent eum.

CUM inſtitit feſtum ſolemne Tabernaculorum, Dominus aſcendit Hieroſolymam, quippe legi ſubditus. Dum autem in ea urbe commoraretur, aut in vicinia ejus, crebros habere potuit cum Phariſæis ſermones. Viſum ergo eſt referre ad illa tempora inſectationes adverſus Phariſæos, quas apud Lucam legimus. Phariſæos quidem non ſemel inſectatus eſt Chriſtus, ideo non diſſimilia occurrunt aliis temporibus, & diverſis occaſionibus dicta; ſed eadem ſæpiùs inculcare potuit Dominus. Textus Evangeliſtarum permiſcere, animus refugit; ideo cùm licet, ſeorſim propono. Quia ergo hocce tempus ad quod pervenimus, nullum aliud factum, vel dictum Domini neceſſariò occupabat, quædam ex Luca placuit inſerere huicce loco Harmoniæ noſtræ.

33. *Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum; ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Hæc pro-

proverbiali formula ſignificat Dominus teneri propalare doctrinam ſuam : quaſi dicat : quamvis plerique nihil prædicatione mea moveantur, non idcircò tamen debeo occultare ſapientiam meam, & otioſus à prædicatione ceſſare. Quæ autem ſubjicit Dominus, oſtendunt ab illo perſtrictam malam mentem Phariſæorum, quæ in cauſa erat, ut ſine fructu eos compellaret. Non ſanum erat judicium eorum, quia malis affectibus corruptum.

34. *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus.* Oculus lux eſt corporis, qua monſtratur ubi pes figendus, aut unde retrahendus. *Si oculus tuus fuerit ſimplex* : hoc eſt integer, ſanus (jam obſervatum eſt Helleniſtis vocem ἁπλοῦς idem ſonare, quod תם *tam*, Hebræis) *totum corpus tuum lucidum erit* : non poteris errare, nec offendere, ut contingit cùm oculis vales. *Si autem nequam fuerit*, malus, *etiam corpus tuum tenebroſum erit*, huic obtinget quod iis, qui in tenebris ambulant. 35. *Vide ergo*, cave *ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint* : cavendum ne judicium, quod eſt in homines inſtar oculi, & lucis obtenebretur. 36. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum*, cùm oculi ſani erunt, *erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te*, fons habet *ut cùm lucerna fulgore illuminat te*; quod clarius eſt; neque enim corpus illuminare poteſt, ſed illuminatur. Senſus eſt : totum corpus tuum lucidum erit, ſicut cùm fulgore lucernæ colluſtratur.

37. *Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut pranderet apud ſe.* Forſan hæc tranſacta ſunt Hieroſolymis, aut in vicinia, ubi lubentiùs Phariſæi ponebant domicilia. *Et ingreſſus* Jeſus domum Phariſæi *recubuit*, ut mos erat ad menſam recumbere; non enim more noſtro ſedentes comedebant Judæi. 38. *Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere*, hoc eſt cogitare, *quare non baptizatus eſſet ante prandium*, id eſt, non ſe abluiſſet, antequam menſæ accumberet. Non enim manducant Judæi niſi multoties vel merſatione, vel affuſione manum totam & brachii partem cubito tenus purgaverint ab omni ſorde. Ex Judaico dogmate illotis omnis cibus erat immundus.

39. *Et ait Dominus ad illum*, cujus interiores cogitationes intuebatur, *nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis & catini, mundatis* : ſcilicet dum externis ablutionibus adeò ſtudetis, non aliud agitis, quàm ſi pocula prolueritis ab extra, & ex interiori non amoveatis ſordes. Corpus purgatis, *quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate.* Animus veſter ſcatet vitiis : rei eſtis rapinarum, & omnis iniquitatis.

40. *Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt*, corpus ſcilicet, *etiam id quod deintus eſt, fecit*, animum nempe, qui quantò nobilior, eò potior ei cura impendenda eſt. Stulti ergo vos, qui, quaſi curæ veſtræ non commiſſus eſſet animus, de mundando corpore tantummodò ſollliciti eſtis.

41. *Verumtamen* ſi verè mundi eſſe ambiatis, *quod ſupereſt*, quæ habetis malè parta, pleni enim eſtis rapina, & abundant ſpoliis pauperum domus veſtræ, *date eleemoſynam : & ecce omnia munda ſunt vobis.* Sic ſordes removebitis ab animis veſtris. In fonte eſt πλὴν τὰ ἐνόντα, ubi κατὰ ſubintellectum plerique opinantur, ut ſenſus ſit : quantum in vobis eſt, vel pro facultatibus, date eleemoſynam. Alii nullam ſubintelligi volunt propoſitionem, & τὰ ἐνόντα poſitum putant pro τὰ ὑπάρχοντα. Id eſt, ut loquitur Tertullianus, quæ habetis, quæ penes vos ſunt, date in eleemoſynam; ut fiat alluſio ad id quod dixerat τὸ ἔσωθεν ὑμῶν, *quod intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina.* Has ergo rapinas, ſive bona malè parta date in eleemoſynam. Non pauci illud *quod ſupereſt* interpretantur, quaſi ſolùm diceret Dominus opes, quæ ſuperſunt non neceſſariæ, eſſe erogandas in eleemoſynam; ſed aliam eſſe mentem ejus res ipſa monet. Ea, in, quam, eſt loci hujus ſententia : rapinarum ſordibus ſordidus eſt animus veſter, removete has ſordes, dando pauperibus quod rapuiſtis.

42. *Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis*, vel exigitis, vel perſolvitis, vel deciditis ex lege Dei perſolvendas eſſe *mentham, & rutam, & omne olus*, omne olerum genus, & nullius pretii herbas, quarum itaque decimatio inutilis eſt, & quæ lege præſcripta non erat, ſed decretis doctorum, ut Maimonides docet, cap. 2. *de decim.* *Quamvis*, inquit, *olera ſint cibus hominis, tamen illa decimationi non ſunt obnoxia, niſi ex illorum decreto, quia dictum eſt*, Deuter. cap. 14. ℣. 21. *de decima proventus ſeminis tui, Ubi id quod proventus nomine venit, & huic ſimile intelligendum eſt, ſed olera ſub hoc non intelliguntur.* Arguit ergo Phariſæos Dominus quòd diligentes eſſent in iis quæ Deus non præceperat; & præterirent mandata ejus. *Et præteritis judicium, & charitatem Dei*, id eſt res majoris momenti. *Hæc oportuit facere*, quoniam ſic traditum eſt, ut ex omni agrorum proventu decimæ offerantur; *& illa non omittere* æquitatis naturalis officia. Lex non ita exigit inutiles decimas, ut judicium æquum & dilectionem Dei. Sic væ vobis, qui in iis religioſi eſtis, quæ lex non præcipit; & negligitis juſſa ejus.

Inſectatur Dominus vitia Phariſæorum, quod cùm non ſemel fecerit, non mirum eſt eaſdem objurgationes pluribus in locis occurrere. 43. *Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro.* Taxat Dominus eorum ambitionem. 44. *Væ vobis, quia eſtis ut monumenta, quæ non apparent.* quæ

non ſunt ſignata, ſive nota non ſunt, *&* ideò *homines ambulantes ſuprà neſciunt;* ita inſcii polluuntur legali immunditie. Idcircò, ut alibi dicemus, dealbabantur ſepulchra, quia attactus mortuorum polluebat. Phariſæi erant ſpecioſi, ſed tantùm decora pelle; ita ſimiles monumentis, quæ nullo ſigno diſtinguuntur; ita potentia cadavera in illis contineri nemo adverrit. vobis pariter inſunt vitia quæ larva pietatis occultatis.

45. *Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.* Plerique ex Phariſæis etiam Legiſperiti; ſtudio enim legis dediti erant. ideo Legiſperitus ſibi dictum putat quod Dominus dixerat in Phariſæos. 46. *At ille ait: Et vobis væ Legiſperitis! quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt*, graviora facitis Dei mandata, additis innumeris decretis, *& ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.* Vobiſmetipſis indulgetis. ſic plerique hunc locum interpretantur; ſed verior ſenſus mihi ille videtur, Phariſæos ne digitum unum admovere voluiſſe, ut ſublevarentur onera ſtatutorum ſuorum: nolunt ullomodo illa relaxare, ſive leviora facere; nam mandatis legis addictiſſimi erant, nec ſibi indulgebant.

47. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum*: qui curatis ut ædificentur: *Patres autem veſtri occiderunt illos*, ſcilicet ipſi Judæi ex quorum ſanguine orti eſtis, hos prophetas occiderunt. 48. *Profectò teſtificamini.* operibus veſtris oſtenditis *quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum;* eadem agentes, *quoniam ipſi quidem eos occiderunt.* non dicit apertè, vos quoque eos occiditis, quod faciendum ab illis prævidebat, ſi quidem per manus eorum tradendus eſſet ad mortem. utitur ſermone figurato, *vos autem ædificatis ſepulchra eorum*, nam qui odio ſunt, ædificantur cum gaudio ſepulchra eorum. Aliqui interpretes ſic locum hunc exponunt, ſed ex Matthæo, qui eaſdem inſectationes adverſus Phariſæos refert, cap. 23. ℣. 19. (potuit autem Dominus non ſemel eadem vitia inſectari) apertum eſt quòd Phariſæi ædificarent ex animo ſepulchra prophetarum & ornarent monumenta juſtorum. Sed innuit Dominus, ſive cogitandum relinquit; quod illi qui dicerent: *ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum*, meditarentur tamen occidere prophetam, nempe Chriſtum, cui inſidias ſtruebant. ita væ illis qui patres ſuos homicidas quos arguebant, imitarentur.

49. *Propterea & ſapientia Dei dixit.* Subobſcuris verbis Dominus, prædicit paſſiones ſuas, quarum Phariſæi futuri erant auctores. *Sapientia Dei dixit*, id eſt, ego qui ſum ſapientia Patris, dico, *mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur.* Quin Jeſus ſit iſta ſapientia dubitare, non ſinit Matthæus, rem eandem narrans forſan in alia occaſione, cap. 23. ℣. 34. ubi Jeſus dicit de ſemetipſo, quod eo in loco Lucæ dicit nomine Sapientiæ: *Ideò dico vobis: ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapienſes & ſcribas & ex illis occidetis &c.* Tum & alluſio fit ad verba illa 2. Paralip. cap. 24. ℣. 19. quæ ſubjicimus: *mittebatque eis prophetas ut reverterentur ad Dominum &c.* locum enim illum indicat Chriſtus ſequentibus verbis.

50. *Ut inquiratur ſanguis omnium prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi*, à mundo condito, *à generatione iſta.* Id eſt, ut generatio iſta det pœnas omnis effuſi ſanguinis. ſic loquebantur Hebræi: *Sanguinem requiram de manu ejus;* id eſt, hunc plectam ob ſanguinem qui effuſus fuit. 51. *A ſanguine Abel*, quem occidit frater ejus impius Cain, figura malevolorum Judæorum, qui Jeſum fratrem ſuum occiderunt. *Uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem*: inter altare holocauſtorum ſitum in medio atrii ſacerdotum, & inter ipſam ædem ſacram Templi, nempe illud ædificium, ubi ſanctum, & ſancta ſanctorum. Zacharias ille alius non eſt quàm Joiadæ ſummi ſacerdotis filius, qui, ut videre eſt lib. 2. Paralipomenon, cap. 24. interfectus eſt in atrio domus Domini. Sic convenit locus. Ille quidam Zacharias dicitur in Paralipomenis Joiadæ, non Barachiæ filius; verùm apud Hebræos propria nomina ſæpè mutabantur in alia ejuſdem, aut vicini ſignificatus; quod maximè uſurpari cœptum in nominibus, in quibus aliquot litteræ nominis ineffabilis *Jehova* exſtarent, quale eſt nomen יהוידע *Johiada*. Sic pro *Juda* quidam malebant Thaddæum dicere, quia Judæ nomen à litteris nominis ineffabilis incipit. Sic rex Joiakim idem dictus Eliakim 4. Reg. cap. 23. ℣. 3. & 2. Paralip. cap. 36. ℣. 4. Sicut autem Thaddæus idem valet, quod *Judas;* Eliakim idem quod *Joiakim*, ita eadem eſt ſignificatio utriuſque nominis *Barachiæ* & *Joiadæ*. Nam *Joiada* ſignificat *confeſſorem Domini*, & *Barachias*, *benedicentem Dominum.* veriſimile eſt ergo pro Joiada, uſurpatum quandoque nomen Barachiæ, Joſephus, lib. 5. de bello, cap. 1. memorat à Zelotis, paulo antè, rapta Hieroſolyma à Tito, occiſum in atrio Templi Zachariam filium Baruchi, virum probum. Sunt qui autumant de iſto Baruchi filio fieri ſermonem eo in loco, quem tractamus, ſed hic attingi hiſtoriam Zachariæ qui fuit filius Joiadæ, demonſtrant illa quæ morti ejus præmittuntur, & conſona ſunt his quæ dicit Dominus. *Mittebatque eis prophetas ut reverterentur ad Dominum, quos proteſtantes, illi audire nolebant;* inquit ſcriptor Paralipomenorum, lib. 2. c. 24. ℣. 19. antequam enarret mortem filii Joiadæ, de qua ſtatim ſubjicit idem ſcriptor: *Qui cùm moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat.* Et hoc eſt,

quod

quod dicit Dominus: *ita dico vobis requiretur ab hac generatione.* Sicut ſanguis veterum Prophearum, ita ſanguis meus quem effundet, requiretur ab iſta generatione, & meritò; dicebant enim Judæi ad Pilatum: *ſanguis ejus ſuper nos.* pœnas autem dicto acerbiores dederunt deleta urbe, everſo Templo, diſſipata gente.

52. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ.* Mos erat apud Hebræos eum cui poteſtatem dabant legem & Prophetas interpretandi, clave data, quaſi in poſſeſſionem muneris mittere. Inſigne doctoratus iis erat Clavis cum Pugillaribus. Ita de R. Samuele dicunt: Poſt mortem ejus poſuerunt Clavem & Pugillares ejus in loculo ejus, eo quòd non meruerat habere filium, cui ſcilicet relinqueret doctoratus inſignia. Clavis dicitur Rabbinis מפתחא à verbo פתח *aperire.* Dicunt ſæpè Rabbini, talis, vel talis *aperuit*, nempe expoſuit textum ſcripturæ. Exprobratio ergo ea eſt Domini: vos Legiſperiti tuliſtis ſive ſuſtuliſtis, ἤρατε, id eſt accepiſtis clavem ſcientiæ ad aperiendas ſacras ſcripturas; tamen *ipſi non introiſtis*, ut ſigna temporum Meſſiæ dignoſceretis; *& eos qui introibant*, id eſt paratos introire, *prohibuiſtis*, avocantes eos à ſermonibus meis, quibus ex ſcriptura me Chriſtum probo. Sunt qui illud *tuliſtis* interpretantur *ſubripuiſtis.*

53. *Cùm autem hæc ad illos diceret*, quibus certè urebantur, *cœperunt Phariſæi graviter inſiſtere.* Legit vulgatus interpres δεινῶς ἐνέχειν in quibuſdam codicibus eſt δεινῶς ἔχειν. Sic legit Syrus interpres; unde reddidit: cœperunt Scribæ & Phariſæi ægrè habere & indignari. Juxta lectionem vulgati interpretis ſenſus eſt: cœperunt interrogando premere, vindictæ ſtudio urgere, καὶ ἀποστοματίζειν, quod verbum idem interpres reddit *& os ejus opprimere.* Scilicet quandoquidem libertatem Chriſti ferre non potuerunt, præſertim qua in carpendis ipſorum vitiis utebatur, cœperunt os ipſi obturare, ſive ut Syrus dicit, ſermones ejus impedire. Sed Græcum verbum ſignificare poteſt, Phariſæos & Scribas ab ore ejus loquelam de multis rebus elicere fuiſſe conatos; id eſt ad loquendum prolicere, & provocare eum; quo ex aliqua (ut ſpesabant) minùs cauta reſponſione poſſent ei accuſationem ſtruere. Verbum ἀποστοματίζειν vox eſt de ſchola ſumpta, quæ hancce ſignificationem habet; quòd ſequens verſiculus confirmat. 54. *Inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere*, θηρεῦσαι, venari, vel aucupari *de ore ejus, ut accuſarent eum*, quod in malam partem verti poſſet, ſi quid contra Deum, legem, aut Cæſarem protuliſſe videretur. Ea mens eſt malorum; unde Sirach, ſive Eccleſiaſticus, cap.8. ℣.14. monet: *Ne contra faciem ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo.* Adverſus hos inſidiatores, aucupes ſyllabarum turabatur ſe magnus Auguſtinus hiſce verbis Conc. in pſalm.55. *In Deo laudabo ſermones meos. Quidquid bonum dixi, quidquid verum dixi, quidquid fortè aliud dixi quod dicere non debui, homo dixi, ſed ſub Deo dixi.* Scribebat B. Ambroſius Sabino, lib.8. epiſt.73. *Si verba alicubi movent, non præjudicant fidei: etenim ſermonem dubium mens non dubia obumbrat, & defendit à lapſu.*

CAPUT XXI.

Confirmat ſuos diſcipulos Dominus adverſus omnem hominum metum. His adimit ſollicitudinem nimiam de corporis alimentis.

LUCAS Cap. 12. ℣. 1—31.

1 MUltis autem turbis circumſtantibus, ita ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: † Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. † *Com. plur. mart.*
2 Nihil autem opertum eſt, quod non reveletur: neque abſconditum, quod non ſciatur.
3 Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.
4 Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant.
5 Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occi-

derit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.
6 Nonne quinque paſſeres væneunt dipondio, & unus ex illis non eſt in
oblivione coram Deo?

7 Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere:
multis paſſeribus pluris eſtis vos.

8 Dico autem vobis: Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram homi-
nibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. ¶

9 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Ange-
lis Dei.

10 Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei au-
tem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur.

11 Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus & poteſta-
tes, nolite ſolliciti eſſe qualiter, aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis.

12 Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos
dicere.

13 Ait autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo ut dividat
mecum hæreditatem.

14 At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem
ſuper vos?

15 Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non
in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet.

† Eccl. 11. 19. 16 Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: † Hominis cujuſdam di-
vitis uberes fructus ager attulit:

17 Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quò con-
gregem fructus meos?

18 Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majora faciam: &
illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea,

19 Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plu-
rimos: requieſce, comede, bibe, epulare.

20 Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te:
quæ autem paraſti, cujus erunt?

21 Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.

† Pſal. 54. 23. Matth. 6. 25. 1. Petr. 5. 7. 22 Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideò dico vobis; † Nolite ſolliciti eſſe
animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

23 Anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum.

24 Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt; quibus non
eſt cellarium neque horreum; & Deus paſcit illos: quantò magis vos plu-
ris eſtis illis?

25 Quis autem veſtrùm cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cu-
bitum unum?

26 Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis?

27 Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico
autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis.

28 Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mitti-
tur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos puſillæ fidei?

29 Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in
ſublime tolli:

30 Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quo-
niam his indigetis.

31 Ve-

31 Verumtamen quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

RES illæ videntur connexæ cum iis, quæ præcedunt, ſaltem nulla ratio cogit eas divellere; quapropter cùm in codice ſint conjunctæ, prout ſe ſubſequuntur, ita & ſubjungimus. ſiquidò dicit Evangeliſta hunc à Domino habitum ſermonem poſt objurgatos Phariſæos.

1 *Multis autem turbis circumſtantibus, ita ut ſe invicem conculcarent*, ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, cùm coacta eſſet multorum millium turba. Forſan abierant Phariſæi, ubi viderunt omnem criminandi materiem ſibi eripi. *cœpit* Jeſus *dicere ad diſcipulos ſuos: Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis*. Vicini à vicinis ſolent mutuare fermentum; an Judæo liceret uti Samaritanorum & ethnicorum fermento, quærunt Talmudici. *Attendere autem à fermento alicujus*, quod alibi dicitur *cavere à fermento*, eſt loquendi formula proverbialis, qua ſignificatur nihil commercii habendum cum aliquo, in iis maximè ubi contagio timenda eſt; etenim ut commixtione fermenti maſſa farinæ acceſſit, ita colloquia mala bonos mores corrumpunt: ſumuntur enim vitia à converſantibus. Monet itaque ſuos diſcipulos, ut Phariſæos fugiant, ne inficiantur lue eorum, quæ eſt hypocriſis; quorum ſcilicet mores ſunt perſonati. Magna erat opinio ſanctitatis eorum, quæ cùm pleroſque ab Evagelio avocaret; larva illa ſanctitatis hiſce hypocritis detrahenda erat.

2. *Nihil autem opertum eſt, quod non reveletur.* Intelligi poteſt: Perverſi mores Phariſæorum non ſemper latebunt. Magis autem hæc cohærent cum ſequentibus ſi ſic accipiamus, quaſi Dominus dicat: Etiamſi conentur tenebras offundere Evangelio, ne appareat, tamen toto in mundo prædicabitur ejus doctrina, ſcilicet Evangelium, quod nunc opertum eſt, revelabitur, & quod nunc arte Phariſæorum qui omnes à me abducunt, ignoratur, aliquandò ſcietur. 3. *Quoniam quæ in tenebris dixiſtis*, clam; metu Phariſæorum, *in lumine dicentur*. Id eſt palàm, apertè: *& quod in aurem locuti eſtis in cubiculis*, ſecretò, ne multi reſcirent, *prædicabitur in tectis*, ut omnes audire poſſint.

Ergo ſermo Domini, quem habuit ex Evangeliſta, cùm advertiſſet ſibi inſidiantes Phariſæos, eò tendit ut diſcipuli ejus ab Evangelii prædicatione non deterrerentur. 4. *Dico autem vobis amicis meis*, dum Phariſæos mihi inſidiantes videtis: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus*; qui jus habent in corpus; quo jure non caruiſſe Phariſæos colligere poſſumus ex hoc loco; *& poſt hæc non habent amplius quid faciant.* quid enim mali pati poteſt mortuus ab hoſte; unde de chriſtiano olim dicebatur: *Occidi poteſt, vinci non poteſt.* Nec mortem timet imbutus certa fide reſurrectionis. *Spes reſurrectionis faſtidium mortis*, ajebat Tertullianus. Ignavum ducebant martyres vitæ redituræ parcere; inde ruendi in martyrium mens illis prona. 5. *Oſtendam autem vobis quem timeatis*, quem verè debeatis timere. *Timete eum qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem* ſuperſtitem animum *mittere in gehennam* cruciandum: *ita, aio*, certè *dico vobis, hunc timete.*

6 *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio*, minutis aſſibus. Paſſer vilis avicula eſt, attamen *& unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo*, quantò magis vòs curæ Deo eſtis. 7. *Sed & capilli*, etiam capilli *capitis veſtri*, pars vilior corporis, *omnes numerati ſunt*, ut unus ſine Dei voluntate cadere non poſſit. *Nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris vos eſtis*, pretioſiores & cariores Deo eſtis.

8. *Dico autem vobis: Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus*, audacter ſe profitebitur meum diſcipulum, *& Filius hominis confitebitur illum*, id eſt, ego ipſe confitebor eum *coram angelis Dei*, in judicio univerſali, cùm angeli bonos & malos ad judicium meum adducent. Hæc alia occaſione dicta iterum potuere à Domino inculcari, cùm confirmandi eſſent diſcipuli adverſus terrores, quos Phariſæi incutiebant. 9. *Qui autem negaverit me coram hominibus* metu hominum, *negabitur coram angelis Dei.* Ad hos dicam: neſcio vos; nec partem regni cœleſtis habebunt cum amicis meis. Clemens Alexandrinus eleganter exhibet mundum tanquam ſtadium, in quo decertatur. Agonotheta inquit, eſt omnipotens Deus: bravia, ſeu præmia diſtribuit unigenitus Dei Filius: ſpectatores autem ſunt angeli.

10. *Et omnis qui dicit verbum*, id eſt quidpiam *in Filium hominis*, in me, *remittetur ei*: peccatum enim illud humanum eſt: *ei autem qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit*, tribuens opera mea quæ ſunt Spiritus ſancti, diabolo, *non remittetur.* argumentum enim eſt invictæ pertinaciæ; & obſtinatæ malitiæ. Hi ſoli quorum mens omni pravo affectu erat corrupta, qui obſiſtebant conſcientiæ ſuæ teſtimonio, poterant dicere, quòd Jeſus cum dæmonibus ſtaret.

11. *Cum autem inducent vos*, cùm adducent vos propter confeſſionem mei nominis *in ſynagogas*, in conventus Judæorum, *& ad magiſtratus*, ἡγεμόνας, præſides, *& poteſtates*, reges & alios penes quos eſt poteſtas, *nolite ſolliciti eſſe*

qua-

qualiter, aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis, quomodo propugnaturi ſitis doctrinam, quam profitemini. 12. *Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere.*

13. *Ait autem ei quidam de turba:* cum habens vel pro Legiſperito, vel pro ſummo arbitro, quippe qui Meſſiam crederet, *dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem;* ne plus juſta parte detineat, & ut diviſionem admittat æquis conditionibus. 14. *At ille dixit illi: Homo*, ita compellat ignotum pro more linguæ: *Quis me conſtituit judicem* litium veſtrarum de rebus terrenis, *aut diviſorem ſuper vos?* regnum Chriſti non erat de hoc mundo, penes quidem eum erat hæc poteſtas, ſed uti nolebat. Non erat à Chriſti officio alienum homines monere officii ſui de dividenda hæreditate, quod ille petiverat; ſed advertebat Dominus mentem ejus, & id unum quærere, ut terrena hæreditate denegata poſſet potiri, haud ſollicitus de vitæ cœleſtis bonis.

15. *Dixitque ad illos*, ad diſcipulos ſuos: *Videte, & cavete ab omni avaritia*, ab immodica cupiditate acquirendi: *quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt*. Sic fontem aliqui exprimunt: videte, & cavete ab avaritia; quia non in abundando cuiquam vita ſibi eſt è facultatibus ſuis. Vel quia non abundantia eorum quæ quis poſſidet, ſit vita ejus: id eſt ex eo quod abundet divitiis, vita ejus non longior eſt. Veritatem illam confirmat Dominus ſequenti ſimilitudine.

16. *Dixit autem ſimilitudinem ad illos dicens: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit*, multos proveatus protulit; 17. *& cogitabat* anxius *intra ſe, dicens: Quid faciam;* creſcentem ſequitur cura pecuniam, *quia non habeo quo congregem fructus meos*, quorum tanta abundantia eſt. 18. *Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majora faciam*, ut ſufficere poſſint: *& illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi*, proventus, τὰ γενήματά μου, fructus terræ meæ, *& bona mea*, & cætera quæ jam collegeram. 19. *Et dicam animæ meæ*, tuncque mihi ipſe plaudens dicam: *Anima, tu habes multa bona in annos plurimos*, alloquitur ſeipſum, jam *requieſce* ſcilicet à labore, *comede, bibe*, fruere bonis, *epulare.*

20. *Dixit autem illi Deus* vel per morbum, vel per conſcientiam. *Stulte*, qui confidis in divitiis, quas tam inani labore collegiſti, *hac nocte* qua hæc animo tuo cogitas, *animam tuam repetunt à te* miniſtri mei, vel à te repetitur anima tua, id eſt, vita tua: *quæ autem paraſti, cujus erunt?* cui cedent? Non tibi certè, qui iſta moriturus non auferes. 21. *Sic eſt qui ſibi theſaurizat*, convenit hæc ſimilitudo in eum, qui divitiis colligendis incumbit, *& non eſt in Deum dives*, & non laborat, ut apud Deum ſibi in cœlis theſaurum habeat repoſitum. Adverſus nimiam divitiarum cupidinem utilis eſt aſſidua mortis cogitatio; facilè enim contemnit omnia qui ſe ſemper cogitat moriturum.

22. *Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideò dico vobis: Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ*, non ſolùm de divitiarum abundantia, ſed etiam de eſca & alimentis, *quid manducetis*, ut anima vivat, ſive ut vitam alatis: *neque corpori, quid induamini*. 23. *Anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum*. Deus eſt qui vitam & corpus nobis dedit, quæ pluris ſunt, deditque nobis nihil ſollicitis, quin neque exiſtentibus, quidni igitur dare poſſit, & velit bona, quæ ad utrumque tuendum ſunt neceſſaria; quæ ſequuntur oſtendunt hunc eſſe ſenſum verborum Domini. 24. *Conſiderate corvos*, volucres omnes, *quia non ſeminant, neque metunt*, nullius fundi domini ſunt, *quibus non cellarium*, cella penaria, *neque horreum; & tamen Deus paſcit illos*, victum eis ſufficit. *Quantò magis vos pluris eſtis illis*, & ideò potior cura de vobis Deo. Corvos Deo eſſe curæ ſacra ſcriptura teſtatur, pſal. 146. ℣. 9. Plerique putant corvos poſitos pro quacumque avi. Verùm Hebræi ſcriptores obſervant corvos, cùm pullos excludunt, albos prodire, quales cùm vident parentes, fugam capeſſunt; illi autem ora aperiunt, & Deus benedictus & excelſus muſcas iis mittit, quæ in ora ingredientes ſunt ipſis pro cibo, donec nigreſcant; & tùm demum parentes redeuntes alunt eos; ideò in illis avibus potiſſimùm cernitur Dei providentia.

25. *Quis autem veſtrùm cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* in fonte ἡλικίαν, quæ vox ætatem & granditatem ſignificat. Senſus ergo eſt, quis poteſt uno cubito facere ætatem longiorem, ut diutiùs vivat; vel granditatem ſuam altiorem, ut grandior ſit.

26. *Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis?* de vitæ & corporis conſervatione, de qua ſermo eſt; minus eſt enim ſtaturæ aliquid adjicere, quàm vitam conſervare. Si illud non eſt in veſtra poteſtate: certè nec hoc quidem eſt. 27. *Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut unum ex iſtis*. Hæc nullis indigent gloſſematibus: ſimilis Domini ſermo occurrit apud Matthæum, ubi expoſitus eſt. 28. *Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro*, ſi lilia; herba quæ hodie floreſcit in agro, *& cras in clibanum mittitur*, ut accendatur, *Deus ſic veſtit: quantò magis vos puſillæ fidei*, vos qui nimiùm anxii eſtis de eſca & veſtimentis.

29. *Et vos* ergo *nolite quærere* cum anxietate *quid manducetis, aut quid bibatis*, quaſi Deus veſtiùm curam non gereret; *& nolite in ſublime tolli* μετεωρίζεσθε, id eſt animo ſuſpendi, ac

inſtar

inſtar exhalationum in ſublimi pendentium huc & illuc diſtrahi; quod perinde eſt, ac ſi quis ex vento, aut aere paſtum quæreret. *μετεωρίζεσθαι*, ſignificat animum habere ancipitem, & ſollicita dubitatione ſuſpenſum, quò res eva ſura ſit: ſicut quæ in ſublimi ſuſpenſa ſunt, facili momento huc illuc impelluntur. Unde antiquo more dicebatur: qui expectat, pendet animi. Horatius canebat, *ne trepides in uſum poſcentis ævi pauca*. Turbo quidam animos noſtros rotat & involvit, & nunc in ſublime allevatos, nunc in infima alliſos rapit, aiebat Seneca. 30. *Hæc enim omnia gentes mundi*, mundo addictæ *quærunt* cum ſollicitudine. *Pater autem veſter*, Deus quem agnoſcitis pro veſtro patre, *ſcit quoniam his indigetis*, in eum ergo omnes curas & cogitationes veſtras rejicite. 31. *Verumtamen* loco rerum terrenarum *quærite primùm* ante omnia *regnum Dei*, *&* *juſtitiam ejus*, ſtudere doctrinæ Evangelicæ, & vitam ex illa componite: *&* *hæc omnia* de quibus ſollicici eſtis, *adjicientur vobis*, abundanter vobis ſuppetent.

CAPUT XXII.

Dominus pergit rerum terrenarum ſollicitudinem diſcipulis adimere, ſimul docet eos ſemper eſſe vigilandum.

LUCAS, Cap. 12. V. 32—59.

32 * Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare * Com. Conf.
vobis regnum. Pent.
33 † Vendite quæ poſſideris, & date eleemoſynam. Facite vobis ſaccu- † Matt. 6. 20.
los qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis: quò fur & 19. 21.
non appropiat, neque tinea corrumpit.
34 Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. ¶
35 * Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; * Com. Conf.
36 Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando rever- Pent.
tatur à nuptiis: ut cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.
37 Beati ſervi illi, quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico
vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.
38 Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigila venerit, & ita in-
venerit, beati ſunt ſervi illi.
39 † Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur ve- † Matt. 24. 43.
niret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam.
40 Et vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. ¶
41 Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an &
ad omnes?
42 Dixit autem Dominus: † Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & pru- † Apoc. 16. 15.
dens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempo-
re tritici menſuram?
43 Beatus ille ſervus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem.
44 Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia quæ poſſidet, conſtituet illum.
45 Quòd ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus ve-
nire: & cœperit percutere ſervos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:
46 Veniet dominus ſervi illius, in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, &
dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.
47 Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præpa-
ravit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis:

48 Qui

Digitized by Google

48 Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni
autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendave-
runt multum, plus petent ab eo.
49 Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?
50 Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor uſque dum
perficiatur?
51 Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſepa-
rationem:
52 Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi, tres in duos, & duo
in tres dividentur:
53 Pater in filium, & filius in patrem ſuum; mater in filiam, & filia in
matrem; ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.
54 Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occa-
ſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.
55 Et cùm auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit.
56 Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus
quomodo non probatis?
57 Quid autem & à vobis ipſis non judicatis quod juſtum eſt?
58 Cùm autem vadis cum adverſario tuo ad principem, in via da ope-
ram liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exa-
ctori, & exactor mittat te in carcerem.
59 Dico tibi, non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas.

QUÆ in eodem capite Lucæ ſequuntur, inſero huic loco; ea ſola ratione, quòd ſine cauſa non credam diſſocianda eſſe, quæ conjuncta ſunt in Evangeliſtis. Non ſolum autem loco, ſed & rebus proxima ſunt; pergit enim Dominus adimere nimiam ſollicitudinem divitiarum, quarum contemptum, & fugam ſuadet. 32. *Nolite timere puſillus grex*, ne vobis vitæ neceſſaria deſint pauperibus & deſpectis, *quia complacuit εὐδόκησεν*, libuit, viſum eſt *patri veſtro dare vobis regnum* cœleſte, æternum: quantò magis ergo dabit ævi hujus brevis viaticum. Dominus appellat ſuos, puſillum gregem; qua appellatione olim & nunc Hæretici pugnant adverſus Catholicos, qui ubique terrarum reperiuntur; ſed pugna illa non eis cedit. Fruſtrà enim, ut monet B. Auguſtinus, ſe paucitate commendat; tunc enim quando alloquebatur Dominus diſcipulos, naſcebatur Eccleſia; nondum in hanc univerſitatem excreverat, qua dignoſcitur ab hæreticorum cœtibus, qui certis in locis latent, non apparent ubique.

33. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam;* tantùm abeſt ut ſolliciti ſitis de divitiis congerendis, quin imò, vendite quæ poſſidetis. Scilicet hoc animo eſtote, ut ſi res poſtulet; omnia vendatis, ut Chriſtum retineatis. *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt*; è quibus ergo pecunia perdi nequit, *theſaurum non deficientem in cœlis*, cujus opes utiles ſint regno cœleſti comparando, *quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit*. Qui theſaurus non poſſit furto ſubripi, neque conſumi à tineis. 34. *Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit*. Huc enim quiſquis ſuis affectibus tendit, ubi ſuam felicitatem collocavit; omnia enim fiunt beatitudinis cauſa; ita qui ſe beatum credit poſſeſſione rerum fluxarum, non poteſt amare cœleſtes & æternas.

35. *Sint lumbi veſtri præcincti*: ſtrenui ſitis, & parati ad capeſſenda mandata Domini. Orientalibus & dominis & ſervis erant oblongæ veſtes, quæ itineris facilitati, niſi altè cingerentur, obſtabant. *Et lucernæ ardentes*, ſint accenſæ *in manibus veſtris*. Hæc pertinent ad ſimilitudinem ſequentem. Nam qui Dominum expectant, ad miniſterium altè cincti ſunt, & ſi nox eſt, lumina habent parata, ne quid in mora ſit, cùm Dominus advenerit. Illud autem *in manibus veſtri* multi quidem codices Latini legunt, ſed & abeſt à multis, & antiquiſſimis. Græci libri conſtanter rejiciunt. Syrorum exemplaria non legunt. Patrum vetuſtiſſimi non agnoſcunt. Ita ſolùm admonet Dominus, ut lucernæ ardeant, ſive accenſæ ſint, ut quos excitat, parati ſint Domino excipiendo.

36. *Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis*, à convivio nuptiali, quod ſolebat nocte celebrari: *ut cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei*. Nulla res magis ingerit

con-

contemptum divitiarum, ſalutis verò unius curam, quàm incerta hora mortis, qua ſiſtendi ſumus coram Domino, apta igitur propoſito illa ſimilitudo, qua Dominus utitur.

37. *Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes*, paratos ad illum excipiendum. *Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens,* ſuis ipſe ſervis miniſtraturus, circumcurſitando, dum ipſi: vel, adveniens, παρελθὼν, præter expectationem, verbum illud ea ſignificatione ſumitur apud Demoſthenem, *miniſtrabit illis*. Tantæ charitatis erga ſervos fideles nullum humanum exemplum habemus: ſolus ſummus Dominus tanto honore afficit ſervos ſuos. 38. *Et ſi venerit in ſecunda vigilia* nocturna, intempeſta nocte, *& ſi in tertia vigilia venerit*, poſt medium noctis, *& ita invenerit, beati ſunt ſervi illi*, quos non deprehenderit Dominus imparatos. Notum, antiquos tempus noctis in quatuor vigilias ſolitos diſtribuere.

Semper eſſe vigilandum Chriſtus probat altera ſimilitudine. 39. *Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam* à furibus, qui ut domum intrent, perfodiunt parietes noctu. Similiter 40. *Et vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*: ego ipſe veniam judicaturus vos.

41. *Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes?* An iſta parabola nos ſolos tangit? Non clarè reſpondet ad quæſtionem; ſed aliam adjicit ſimilitudinem, quæ propriè reſpicit paſtores. 42. *Dixit autem Dominus. Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator*, œconomus, *& prudens*, quem ob prudentiam & fidelitatem *conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram*, ut admetiatur cuique in ſingulos menſes certam menſuram, σιτομέτριον, juxta Gloſſas, *cibarium diarium*, ſive cibi demenſum in diem. Nempè quem putatis alium conſtituendum à Domino œconomum, quàm qui noverit munus ſuum obire, cuique admetiens cibarium diarium. Paſtores ſunt œconomi, quorum curæ Eccleſia committitur. *Beatus ille ſervus, quem cùm venerit Dominus, invenerit ita facientem*: obeuntem prudenter & exactè munera ſua. 44. *Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum.* His verbis Dominus promittit apoſtolis confirmationem præfecturæ à ſe commiſſæ, cum majoris adhuc dignitatis augmento.

45. *Quòd ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire; &* dum abeſt, *cœperit percutere ſervos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari*; quia id impunè facere ſe poſſe credit, abſente Domino. 46. *Veniet Dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & dividet eum*: id eſt eximet eum, ſegregabit, ut vertit Tertullianus, è numero ſervorum ſuorum fidelium; *partemque ejus cum infidelibus ponet*, adnumerabit ſervis malis.

47. *Ille autem ſervus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit* quæ officii ſui erant, *& non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis.* Hæc Chriſtus dicit ut intelligant Apoſtoli, quibus voluntatem ſuam notam fecerat, magis plectendos eſſe, ſi illam non impleant. 48. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis*, peccavit, ſed ignorans, ideò *vapulabit paucis.* In genere pronuntiat Dominus à quoque exigi pro ratione accepti. *Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.*

49. *Ignem veni mittere in terram*, ut omnia ferveant zelo charitatis; *& quid volo niſi ut accendatur?* Quoniam videbatur Dominus ſpem feciſſe pacis, gaudii, conviviorum, ne hæc malè interpretarentur diſcipuli, expectantes bona præſentia; denuntiat quam velit eſſe eorum conditionem in terra, ubi perpetuis bellis exagitandi eſſent. Ignis quem venit accendere, eſt bellorum æſtus, ut ſequentia denotant; qui ignis juxta lectionem hodiernam codicis Græci jam accenſus erat. Etenim jam diſſidebant inter ſe Judæi occaſione ejus, cùm alii eum pro Chriſto agnoſcerent, alii repudiarent. Sed ipſe roborat diſcipulos exemplo ſuo ſignificans, quas ipſe toleraturus eſſet ærumnas.

50. *Baptiſmo habeo baptizari*, ſic appellat Paſſionem ſuam, in qua ſuo ſanguine perfundendus erat. *Et quomodo coarctor*, συνέχομαι, *uſquedum perficiatur?* quantum laboro ut perficiatur? In verbo συνέχομαι, videtur tacita eſſe quædam ſimilitudo, ſumpta à prægnante muliere, quæ ita partitudinem horret, ut tamen velit quàmprimùm faſce ſuo levari.

51. *Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, ſed ſeparationem*, quia prout hi & illi Evangelium ſectabuntur, aut reſpuent, in diverſas abibunt partes. 52. *Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi; tres in duos, & duo in tres dividentur;* 53. *Pater in filium, & filius in patrem ſuum; mater in filiam, & filia in matrem; ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.* Eadem occurrunt in Matthæo, quæ iterum hìc inculcata ſunt à Domino.

54. *Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.* Ex hoc ſigno colligitis imbrem imminere. 55. *Et cùm auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit*, ideò benè judicatis. 56. *Hypocritæ*, id eſt hos turbæ permixti Phariſæi, *faciem cœli & terræ noſtis probare*, conſtitutionem cœli & terræ futuram

ex

ex ſignis quibuſdam poteſtis judicare. *hoc autem tempus quomodo non probatis?* adventum Meſſiæ, qui certa habet ſigna à prophetis prænuntiata, quomodo non agnoſcitis, δοκιμάζετε, exploratis. 57. *Quid autem & à vobis ipſis* citra operam judicis *non judicatis quod juſtum eſt?* Non opus eſt à cœlo & à terra peti argumenta, neque etiam antiqua vaticinia repetere. ex his quæ ſubjacent oculis veſtris judicate, & facilè advertetis me eſſe Chriſtum Dei. In linguis autem orientalibus *verum* & *juſtum* eadem notione continentur, & paſſim confunduntur; ibi ergo *juſtum* ſonat *verum*.

58. *Cùm autem vadis cum adverſario tuo ad principem* ἐπ' ἄρχοντα, ad magiſtratum, judicem, *in via da operam liberari ab illo, tranſige ne fortè trahat te ad judicem*, cauſa tua cadas, & judex *trahat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Præmonet Dominus, ut dum tempus eſt, controverſiam qua adverſus eum iniqua conditione contendebant, Judæi componant. 59. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas.* Uſurpat quidem eandem ſimilitudinem Matthæus, ſed ut fieri ſolet, ſenſu planè non eodem; agit enim de mutuis hominum offenſis; in eo autem loco quem tractamus, ſermo eſt de lite quam Judæi Domino intendebant.

CAPUT XXIII.

Dominus in die feſto qui & ſabbatum erat, languidum ſanat Hieroſolymis juxta piſcinam probaticam.

JOANNES, Cap. 5. ℣. 1—16.

† *Levit. 23. 5. Deut. 16. 1.* * *Fer. 6. quat. temp. quadrag.*

1 † POſt hæc erat * dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſo-
lymam.
2 Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebrai-
cè Bethſaida, quinque porticus habens.
3 In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum,
aridorum, expectantium aquæ motum.
4 Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, &
movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem a-
quæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.
5 Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infir-
mitate ſua.
6 Hunc cùm vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet quia jam multum
tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?
7 Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cùm tur-
bata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante
me deſcendit.
8 Dicit ei Jeſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.
9 Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & am-
bulabat. Erat autem ſabbatum in die illo.
10 Dicebant Judæi illi qui ſanatus fuerat: † Sabbatum eſt, non licet ti-
bi tollere grabatum tuum.
11 Reſpondit ei: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum
tuum, & ambula.
12 Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tol-
le grabatum tuum, & ambula?
13 Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Jeſus enim de-
clinavit à turba conſtituta in loco.

† *Exod. 20. 11. Jerem. 17. 24.*

14 Poſteà

14 Poſteà invenit eum Jeſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.
15 Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jeſus eſſet, qui fecit eum ſanum. ¶
16 Propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbato.

1 POST *hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam.* Feſtum illum diem non fuiſſe Paſcha evicimus in chronologicis. Unus videtur fuiſſe ex obſcurioribus: quem ideò non nominaverit Evangeliſta. Puto fuiſſe feſtum ſortium minus, quod agebatur decima quinta die menſis Adar, quæ dies anno Æræ Chriſt. 32. ſabbatum fuit. Ut id credam adducor non ſpernendis argumentis. 1. Feſtus ille dies in quo Dominus languidum ſanavit, quiſquis fuerit, incidebat in ſabbatum; à Paſchate autem primo ad ſecundum, toto illo tempore nullum aliud in ſabbatum incidebat, quàm feſtum Sortium minus; dictum Judæis *purim*, quod nominare non ſatagebat Joannes, quia minus ſolenne, & illud explicare Chriſtianis non intererat. 2. In ſermone quem Dominus habuit ipſa die, qua ſanavit languidum locutus eſt de Joanne præcurſore ſuo, ut de viro jam mortuo; *ille erat lucerna ardens & lucens &c.* circa autem illud tempus, nempe paulo ante diem decimam quintam Adar præcurſorem occiſum eſſe ſic comprobamus. Hæc quæ narrat Joannes Evangeliſta circa ſanatum languidum de quo ſermo eſt, non multo tempore Paſcha præceſſerunt; hiſtoriæ enim languidi ille ſubtexit capite ſequenti ℣. 1. *Poſt hac abiit Jeſus trans mare Galilææ: erat autem proximum Paſcha*, his autem diebus ex eodem Evangeliſta Dominus quinque millia hominum pavit quinque panibus, quod miraculum tres primi Evangeliſtæ ſubjiciunt opinioni illi quam Herodes habuit, Joannem quem occiderat ſurrexiſſe à mortuis, & vivere in Jeſu; tuncque mortem Joannis enarrant, ut veriſimillimum ſit non ante multos dies occiſum Joannem ab Herode.

Quiſquis ſit ille feſtus dies, huic interfuit Dominus; neque enim Hieroſolymam aſcendebat ad ſolos dies agendos, in quibus omnes Iſraelitæ tenebantur apparere in Templo. Ex Joanne Evangeliſta, anno ſequenti in encæniis Hieroſolymam venit. Quiſquis, inquam, fuerit dies feſtus ille, rem ipſam expendamus quæ in ipſo fieri contigit.

2. *Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens.* Græcus codex non conſentit cum Latino vulgato. *Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα*, quod ſic vertendum: eſt autem Hieroſolymis apud probaticam piſcina. Præterea Græcus codex habet *Βηθεσδὰ*, *Bethesda*, vulgatus *Bethſaida*, conſentiunt viri periti ſcripturam illam propter horum nominum affinitatem à librariis, & aliis Hebrææ linguæ imperitis depravatam eſſe, etſi legatur apud Tertullianum, & in Theophilacto Romanæ editionis. Conſtat enim regionem fuiſſe in urbe ſancta, quæ à Joſepho appellatur *Βεζεθὰ*, *Bezetha*, ubi erat forum pecuarium, ſive forum ovium: unde nomen ſuum acceperat hæc regio derivatum, ut puto, ab Hebræo בית-הצאן *Beth-hazon*, id eſt, *domus*, ſive locus *ovis*. Græcis autem ovis dicitur *πρόβατον*, unde vox *προβατικὴ* facta eſt; ut *probatica* Evangeliſtæ ſit macellum ovium, cui vicina piſcina dicebatur probatica; aut piſcina illa cujus aquam quandoquè Angelus movebat, erat in probatica nempe in macello ovium, vel juxta illud macellum. Erat in hac regione porta ovis, quæ in codice Hebræo, lib. 2. Eſdræ cap. 3. ℣. 1. appellatur בית חסרא *ſchaar hazon*, id eſt porta gregis, ſive ovis, & in Græca verſione, *πύλη προβατικὴ*, quam Eliaſib ſacerdos magnus exſtruxiſſe dicitur. Quapropter quidam interpretes volunt Piſcinam de qua ſermo, ideò *Probaticam* appellatam, quia eſſet ad *Portam Probaticam*, hoc eſt ad portam gregis; vel ſi lectio Græca probatur, piſcinam illam quæ erat in probatica, fuiſſe juxta portam gregis. Verùm non tam portam, quàm certam regionem denotari hac voce *προβατικὴ*, ſuadet quod dicit Evangeliſta, Probaticam appellatam fuiſſe *Bethſaida*, Græce *Βηθεσδὰ*; illa enim vox *Βηθεσδὰ* ſono non multum differt à *Βεζεθὰ*, quo nomine, ut diximus Joſephus appellat regionem, ubi omnium conſenſu, ſita eſt illa piſcina. Attamen alii ab alia origine derivatum putant nomen *Βηθεσδὰ*, nimirum à בית חסרא *Beth-cheſeda*, aut *Betheſeda*, quod ſonat *domus miſericordiæ*, ob collata ægris in hac piſcina beneficia. Alii derivant à בית-אשדא *Beth-eſda*, id eſt, *domus effuſionis*, non à fundendo victimarum ſanguine, neque enim *ibi*; ſed apud altare mactabantur hoſtiæ, ſed ab aquæ ductu, cujus forſan author Ezechias, qui dicitur introduxiſſe aquas in civitatem 4. Reg. cap. 20. ℣. 20.

Piſcina probatica, aut piſcina ad probaticam, quæcumque ſit etymologia nominis ejus, quinque porticus habebat. Porticus autem ſunt extructiones fornicatæ, ubi ambularent homines & morarentur, quæ fuerit harum porticuum diſpoſitio divinare non poſſumus; an piſcina illa quinque habuerit angulos, & quinque latera,

ra; & juxta quæque latera una porticus fuerit; an quadrangularis cùm eſſet piſcina, juxta illam fuerit porticus quintuplex. Porticus duplicatæ, triplicatæ dicebantur pro numero ambulacrorum, quæ diſtinguebant columnæ.

3. *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum*, id eſt, paralyticorum, quibus pars aliqua corporis exaruiſſet inutilis ad uſum facta, *expectantium aquæ motum*, quo motu indicabatur aquis piſcinæ inditam fuiſſe virtutem ad ſanandum.

4. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus*. Certo tempore, vel interdum præter expectatum, ut videtur; alioquin non jacuiſſent in his porticibus, niſi cùm inſtaret illud tempus, *& movebatur aqua*, ἐταράσσετο τὸ ὕδωρ, turbabat aquam angelus; & hoc motu intelligebatur angeli præſentia; *& qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ* factam præſente angelo, *ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate*. Tantæ rei nulla eſt mentio in veteri Teſtamento, nec, quod mirum, apud Hebræos qui tamen omnes Hieroſolymæ laudes minutatim proſequuntur. Hujus ſilentii hæc forſan cauſa fuit, quòd medicatrix aquarum virtus Meſſiæ advenientis indicium haberetur. Non dubito quin typus fuerit; quo tempore inſtitutus neſcio, credo paucis ante Jeſum natum annis, cujus temporis acta non habemus, niſi pauca in Joſepho. Hoc autem typo admonebantur Judæi paratos eſſe debere ad illud momentum, quo adventante Meſſia contendere quiſque deberet, ut prior eſſet in requirendis ejus beneficiis. Quidam falsò comminiſcuntur in hanc piſcinam ſanguinem victimarum Templi defluxiſſe; etenim deferebatur in torrentem Cedron, ut in libris de Templo declaramus. Ergo piſcina de qua nunc ſermo, erat aquarum congeries vel è cœlo, vel ex aliquo fonte, deſtinata, ut aliqui volunt, potandis, & lavandis pecoribus, quæ in proximo macello vænibant; ob virtutem autem extraordinariam aquarum ſuarum iſta piſcina porticibus fuerat exornata.

5. *Erat autem quidam homo ibi* juxta hanc piſcinam *triginta & octo annos habens in infirmitate ſua*, infirmus, ſive agens in morbo à triginta, & octo annis. 6. *Hunc autem cùm vidiſſet Jeſus jacentem*, decumbentem, quod ſe movere nequiret, *& cognoviſſet quia jam multum tempus haberet*, morbi forſan & ætatis; ut duo hæc miraculum illuſtre redderent, quòd diutino laboraſſet morbo, & grandævus eſſet, *dicit ei: Vis ſanus fieri?* rogat, non quòd de ea re dubitaret, cùm eo fine illic jaceret, ſed ut in homine excitaret ſenſum debilitatis inopiæque ſuæ, & deſiderium ſanitatis, quo paratior fieret ad ſuſcipiendam gratiam; deinde ut eum attentum redderet ad miraculum, miraculique auctorem.

7. *Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo*. Sic reſpondet ægrotus ignorans quid agere vellet Dominus; quaſi dicat; vellem quidem ſanus fieri; & ob hanc cauſam tot annis in his porticibus conſeneſco; ſed neminem habeo, adeo pauci ſunt miſericordes, *ut cùm turbata fuerit aqua*, ſalutari momento, ociùs *mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius* agilior, aut adjutus *ante me deſcendit* prior; ita percipit beneficium quo ego privor.

8. *Dicit ei Jeſus: Surge*, jam enim es ſanatus mea præſentia, nec expectandus tibi Angelus, *tolle grabatum tuum, & ambula*, certum ſignum te morbo tuo perfectè eſſe ſanatum. 9. *Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille*, verbo Domini confeſtim ſanatus eſt, *& ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat*.

Erat autem ſabbatum in die illo, quo languidum Jeſus ſanavit. Cùm Evangeliſta nullo modo indicet alio quàm feſto die ſanaſſe languidum, veriſimile eſt feſtum illum diem in ſabbatum incidiſſe; & ideò in Sortium feſtum minus, ut diximus.

10. *Dicebant ergo Judæi illi* homini *qui ſanatus fuerat: ſabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum*. Contra canones Judæorum erat res vel minutiſſimi ponderis (extra caſum neceſſitatis) portare ſabbato à loco in locum, præſertim è loco privato in publicum. Lex etiam id vetabat: *Nolite portare pondera in die ſabbati*, dicit Jeremias, cap. 17. ℣. 21. 11. *Reſpondit eis: qui me ſanum fecit*, ut divina virtute me ſanavit, *ille mihi* divina pariter, credo, auctoritate, *dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula*. An non liceat hujus mandata faceſſere, qui tali virtute ſe ſabbati dominum oſtendit.

12. *Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula?* Quærunt non quod mirentur, ſed quod calumnientur. Suſpicor non ignotum prorſus fuiſſe miraculi authorem; ſed non attenti erant ad beneficium collatum ab eo quem oderant, etenim in opere ejus ea tantùm intuebantur, ex quibus arriperent criminationis materiem: quod malevolorum eſt.

13. *Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Jeſus enim declinaverat à turba conſtituta in loco*. Subduxerat ſe non tam turbam declinans quàm invidiam Judæorum.

14. *Poſteà invenit eum Jeſus in Templo*, gratias Deo reddentem in loco ſacro, ut mos erat. Sic claudus, Actuum cap. 3. ℣. 8. ubi ſanatus eſt, Templum ingreditur laudans Deum. *Et dixit illi: Ecce ſanus factus es; jam noli peccare:* cave aliquid committas quale ante triginta octo annos; videtur enim Chriſtus innuere olim ab eo aliquod malum facinus admiſſum; & hoc divinitatem ſuam demonſtrat cùm ea videret quæ etiam

ante-

antequam ipſe caro factus eſſet, clam acciderant. Lex inter cætera morbos minabatur tranſgreſſoribus; quæ pœnarum genera dicuntur ab Hebræis per manus Dei irrogata. *Ne deterius aliquid contingat tibi.* Cave, inquam, ſimiliter pecces, ne gravius puniaris.

15. *Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jeſus eſſet, qui fecit eum ſanum:* non eum ut accuſaret, ſed ut prædicaret. 16. *Propterea*, id eſt eo prætextu *perſequebantur Judæi*, verbis & factis Jeſum, *quia hæc faciebat in ſabbato.* Religionem ſabbati oſtendebant ſuæ malignitati.

CAPUT XXIV.

Quòd languidum ſanaſſet in die ſabbati quærentibus Judæis ſic reſpondet Dominus ut indicet id ſibi licitum, quia Deus ſit; Deus enim jugiter operatur.

JOANNES, Cap. 5. ℣. 17–29.

17 JEſus autem reſpondit eis: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.
18 Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolùm ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaque Jeſus, & dixit eis:
19 Amen, amen dico vobis: non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.
20 Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.
21 Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic & Filius, quos vult, vivificat.
22 Neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio,
23 Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.
24 Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam.
25 † Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. † *In Commemor. omnium def.*
26 Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo:
27 Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt.
28 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei:
29 Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii. ¶

17 JESUS *autem reſpondit eis* quærentibus quòd in die ſabbati languidum ſanaſſet: *Pater meus uſque modò operatur.* Deus pater meus non ceſſat vi ſua homines, & omnia animantia ipſis etiam ſabbatis, educere in vitam; idque continenter à creatione mundi, *ἕως ἄρτι*, quod Latinus interpres reddit hic *uſque modo*, alibi *uſque nunc*, alibi *uſque ad huc*, id eſt, *uſque in hunc diem.* Recepta ſententia utebatur Jeſus ad confutandos Judæos obloquentes;

etenim, ut ait Philo in Allegoriis, nuſquam ab opere ceſſat Deus; proprium illi eſt ſemper operari, ut igni ardere, nivi refrigerare; ipſe enim auctor, ſive principium eſt omnis operis, *ἄναρχον ἀρχὴ τῶν ἔργων*. Chriſtus, inquam, ſignificat, cùm Deus auctor ſabbati, etiam in ſabbatis ad ſalutem hominum promovendam operetur, non illicitum ſibi operari, hominem ſanando in die ſabbati. Pater meus operatur in ſabbatis, *& ego operor*. Dominus non dicit ſe operari auctoritate Dei, ut dicunt Sociniani; ſive ſe eſſe inſtrumentum, quo uteretur Deus ad ſanandum, ſed ex eo quòd Deus operetur in ſabbatis, deducit, & ſibi pariter licitum eſſe operari, quod jure non ſibi ſumeret, niſi Deus fuiſſet. eo ſenſu Judæi intelligebant eum ſe gerere pro Deo, ſe filium Dei dicere, & æqualem Deo; ut demonſtrant quæ ſequuntur.

18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere:* magis accendebatur eorum invidia. *quia non ſolùm ſolvebat ſabbatum* medendo, ut opinabantur, *ſed & patrem ſuum*, *Ἴδιον*, id eſt proprium, non communiter cum Judæis, qui Deum patrem ſuum appellabant, ſed ſupra cæteros peculiarem ſibi non ſola gratia, ſive adoptione, ſed generatione, ſeu natura, *dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Itaque liquet Judæos verba Chriſti accepiſſe eo ſenſu, quem illis indimus. Si errarent, cur Evangeliſta non corrigit errorem, & ſinit nos falli? Cur, inquam, ipſe Dominus, ſi malè intellexerunt verba ejus, errorem confirmat? *Reſpondit itaque Jeſus, & dixit eis;* Quid? Proculdubio ſi vera generatione Dei non eſſet filius, jure querebantur Judæi eum ſibi arrogare divinam naturam; hanc ergo protinus de ſe amovere debuiſſet opinionem; verùm illam confirmat quia id ſumeret quod ſibi proprium erat.

19. *Amen, amen dico vobis:* id eſt verè dico vobis: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*. Debuit Dominus declarare non à Deo natura genitum eſſe, ſed illi præ cæteris hominibus eſſe carum; & in eo quod operatus ſit, juſſis ejus obſequi; ſi Judæi non in bonam partem acceperant verba ejus. Tantum autem abeſt ut id faciat; magis, magiſque confirmat ſe eſſe natura filium Dei; quia ſcilicet eadem faciat quæ Pater. ea enim eſt conditio veræ generationis, ut pater generet ſimilem filium, qui ejus naturam referat, & imitetur opera ejus. *Quæcumque enim ille* qui genuit, *fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*. Hæc declarant communionem ejuſdem naturæ in Patre & Filio. An Jeſus, merus homo ita locutus eſſet? Verba illa non huic congruunt niſi qui verè filius eſt Dei, & ideo Deus.

Magis magiſque inculcat Dominus, ſicut operatur Deus, & ſe operari, ſive id ſibi proprium eſſe, ut quæ operatur Deus, & ipſe operetur: nimirum communem eſſe ſibi & Deo patri naturam. Perſtat autem in eadem ſimilitudine patris, qui quam artem ipſe exercet, eandem docet filium.

20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*, ut filius ſimiliter faciat: *& majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini*. Deus uſque in hunc diem etiam ſabbatis ſervat homines, & ejus exemplo ſervavit languidum; ſed ex aliis majoribus operibus adhuc magis patebit, quod Deus pater operatur, & operetur filius ejus. 21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic & Filius, quos vult vivificat*. Iſta non ſolùm cum Deo patre concordiam indicant, & eum non operari niſi ex juſſis ejus, ut fieri ſolet à quocumque homine pio, ſed demonſtrant divinas & ſummas proprietates Dei Chriſto competere, ut auctor vitæ ſit; nec tantùm ſanare poſſit languidos, ſed & mortuos ad vitam revocare; quod re comprobavit, dum Lazarum & filium viduæ Naim, & alios à morte excitavit. An talis ſermo aptus erat ad corrigendum errorem Judæorum, ſi errabant credendo Jeſum ſe verè æqualem Deo facere. *Sic & Filius quos vult vivificat*. Loquitur cum imperio; ſi ergo licèt merus homo, hæc de ſe dicebat; modeſtiores Apoſtoli ejus, quos cùm populus ſuſpiceret ob ſanatum claudum, ajebant Act. cap. 3. ℣. 12. *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?*

Judæi qui ſecundùm faciem judicabant, Jeſum deſpectui habebant ut pauperis fabri filium; & ideò putabant injuriis opportunum; ipſe verò docet eos veriora ſentire, ſine ambagibus patefaciens ſe Chriſtum miſſum à Deo, omni auctoritate præditum, cui omnis honor debeatur, & obſequium, ut ſupremo judici. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*. Nullam exceptionem temporis hæc verba permittere dicit Tertullianus adverſus Praxeam, cap. 16. à rerum primordio contendit Filium exercuiſſe hanc poteſtatem. *Filius itaque eſt*, inquit, *qui ab initio judicavit, turrim ſuperbiſſimam elidens, linguaſque diſpertiens, orbem totum aquarum violentia puniens, pluens ſuper Sodomam & Gomorram ignem & ſulphurem: Dominus à Domino: Ipſe, & ad humana ſemper colloquia deſcendit; ab Adam uſque ad Patriarchas & Prophetas in viſione, in ſomnio, in ſpeculo, in ænigmate, ordinem ſuum præſtruens ab initio ſemper, quem erat perſecuturus in finem*.

Ipſe ego, ait Dominus, quem deſpicitis vos, judicaturus ſum, judex vivorum & mortuorum. 23. *Ut omnes honorificent Filium ſicut & honorificant Patrem*; deferant filio honorem ut ſupremo judici. Ubique Jeſus ſe gerit pro ſummo judice qui hunc morti addicit, hunc liberat, ut ipſe dicit Matth. cap. 25. ℣. 3. *Cùm au-*

tem

tùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Et reſpondens dicet illis &c.... Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Scilicet Jeſu pronuntiante judicium, quo in ſenſu pater non judicabit, ſed omne judicium dedit Filio. Redeamus ad Joannem apud quem Jeſus pergit loqui.

Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. Hæc in Judæos Chriſtus à quibus ſpernebatur ut unus è multis. Non poterat liquidiùs ſe declarare miſſum à Deo. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me*, nempe Deo Patri à quo me miſſum eſſe opera quæ ego facio oſtendunt, *habet vitam æternam*, erit particeps vitæ æternæ, *& in judicium non venit*, non judicabitur; id eſt, non damnabitur ab eo, cui judicium datum, *ſed tranſiit* id eſt tranſibit *à morte in vitam* æternam & felicem.

25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt.* proximè imminet, *quando mortui audient vocem Filii Dei*, meam, *& qui audierint, vivent.* Ego voce & juſſu tevocabo mortuos ad vitam, ut conſtet me eamdem cum Deo Patre poteſtatem habere. 26. *Sicut enim pater habet vitam in ſemetpipſo*, jus dandæ vitæ penes ſe habet: ipſe auctor & fons eſt vitæ: *ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*, ut ipſe auctor ſit vitæ: vivificare poſſit.

27. *Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt.* etiam in ea conditione quam deſpicitis, nempè quatenus homo eſt, judicabit. Ego ipſe Filius hominis, etiam ut homo rex conſtitutus ſum, exaltandus quia humiliatus ſum. Nimirum quia *humiliavit ſemetipſum .... Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, ut dicit Paulus ad Philippenſes ſcribens, cap. 2. ℣. 8. 9. 10.

28. *Nolite mirari hoc* quod dixi, *quia venit hora in qua* patebit veritas ſermonis mei. quando *omnes qui in monumentis ſunt*, quotquot mortui ſunt, *audient vocem Filii Dei*, qua ad judicium vocabo eos. 29. *& procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*, cujus meo judicio digni erunt. *Qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii*, reſurgent ut condemnentur. Ergo de me ex illo habitu in quo ſum, opinionem ne habeatis. ipſe enim quem judicatis, omnium ſupremus ſum judex. Opera quæ faciebat, demonſtrabant non inanem oſtentare dignitatem, & poteſtatem.

CAPUT XXV.

Exprobrat Dominus Judæis quòd nec ſibi, nec Joanni, nec Moyſi credere vellent.

JOANNES, Cap. 5. ℣. 30—47.

30 NON poſſum ego à meipſo facere quidquam. Sicut audio, judico:
& judicium meum juſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam,
ſed voluntatem ejus, qui miſit me.
31 Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non
eſt verum.
32 Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me: & ſcio quià verum eſt
teſtimonium, quod perhibet de me.
33 Vos miſiſtis ad Joannem: & teſtimonium perhibuit veritati.
34 Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc dico ut vos
ſalvi ſitis.
35 Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam
exultare in luce ejus.
36 Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ de-

dit mihi Pater ut perficiam ea ; ipſa opera , quæ ego facio , teſtimonium
perhibent de me, quia Pater miſit me :
37 Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque vo-
† Deut.4.12. cem ejus unquam audiſtis, † neque ſpeciem ejus vidiſtis.
38 Et verbum ejus non habetis in vobis manens : quia quem miſit ille ,
huic vos non creditis.
39 Scrutamini Scripturas , quia vos putatis in ipſis vitam æternam habe-
re : & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me:
40 Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.
41 Claritatem ab hominibus non accipio.
42 Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.
43 Ego veni in nomine Patris mei , & non accipitis me : ſi alius venerit
in nomine ſuo, illum accipietis.
† 1.Cor.4.5. 44 Quomodo vos poteſtis credere , qui gloriam ab invicem accipitis : †
& gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?
45 Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem, eſt qui ac-
cuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.
† Gen.3.15. 22.18. 49.10. Deut.18.15. 46 Si enim crederetis Moyſi , crederetis forſitan & mihi : † de me enim
ille ſcripſit.
47 Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis ?

MOYSES ſcripſerat in Deuteronomio , cap.18. prophetam, nempè Meſſiam ſuſcitatutum de medio Iſraelitarum : Deum inducit loquentem de iſto propheta. *Ponam verba mea , in ore ejus , loquetur ad eos omnia quæ præcipero illi . Qui autem verba ejus , quæ loquetur in nomine meo , audire noluerit , ego ultor exiſtam.* Diſertè ſignificat Dominus à ſe nihil fieri, quod non viderit Deum patrem facientem ; & ipſa opera ejus quæ divina erant, & eadem quæ ipſe Deus Pater faceret , demonſtrare in alio nomine quàm Dei non loqui ; ut haberi non poſſit pro falſo propheta , quem deſcribit Deus eodem loco Deuteronomii . *Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo , quæ ego non præcepi illi ut diceret , aut ex nomine alienorum Deorum , interficietur .* Nihil , inquam, à ſe fieri niſi ex voluntate patris affirmat Dominus, convertit animos Judæorum ad illa Deuteronomii ; concludens quòd ſi Moyſi crederent, & illi crederent .

30. *Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam.* Id eſt non facio, niſi quod præcipit mihi Pater . Hæc loquitur gerens ſe prophetam illum de medio Iſraelitarum ſuſcitandum juxta Moyſis vaticinium. ita argumentum ex verbis illius duci non poteſt adverſus divinam ejus naturam. *Sicut audio , judico .* Id eſt , judico ut Pater mihi ſuggerit : omnia ex ejus judicio facio. *Et judicium meum juſtum eſt* , ideò æquum eſt : *quia non quæro voluntatem meam , ſed voluntatem ejus qui miſit me* . Dici non poteſt me loqui in alio nomine , purà alienorum deorum. Jeſus non ampliùs ſatagit ſe æqualem Deo demonſtrare , quod ſibi jure iniquo arrogare Judæi opinabantur ; id unum probandum ſuſcipit , quòd cujuſcumque naturæ & conditionis ſit , non debeant eum repudiare, ſiquidem Deus eum miſerit. quem , inquam, nolebant agnoſcere Deum, ſe Deo acceptum probat. Occupat autem id quod reſpondere poterant Judæi ; nempe ſibi ipſi teſtimonium perhibere.

31. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo , teſtimonium meum non eſt verum.* veſtra opinione , quos video intra voſmetipſos queri, quod mihi teſtimonium perhibeam. Verum non ego ſolus, ſed Deus Pater, & Joannes Baptiſta teſtimonium mihi perhibent. 32. *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Intelligit Patrem , vel potiùs Joannem Baptiſtam ; quia de eo ſunt , quæ proximè ſequuntur . *Et ſcio quia verum eſt teſtimonium , quod perhibet de me .* Dicit Dominus *ſcio* ; nam ipſi Judæorum primores non crediderunt Joanni.

33. *Vos miſiſtis ad Joannem* ; publica nempe auctoritate , nomine Synedrii magni, ut vidimus. *& teſtimonium perhibuit veritati .* Modeſtè dictum. non dixit, mihi perhibuit teſtimonium , ſed veritati , legitimè compellatus. 34. *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio ſed hæc dico ut ſalvi ſitis .* Scilicet non opus habeo teſtimonio Joannis. ſic ſe ſubjicit hominis teſtimonio , ut ſemper innuat ſe majorem eſſe quàm Judæi opinarentur ; etenim ſi homo merus, cur non opus haberet hominis teſtimonio ? quaſi dicat , ſed de Joanne loquor , me vobis attemperans, ut teſtimonium ejus de me quod audiviſtis , excitet veſtram ſocordiam .

Itaque Dominus laudat , Joannem , ſi fortè

teſti-

teſtimonium ejus Judæi penſitarent. 35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Illud *erat* denotat tunc temporis quo loquebatur Dominus jam occiſum fuiſſe Joannem; quod ſequenti capite clariùs videbimus. Solebant Judæi virum quemlibet vita & ſcientia illuſtrem, *lucernam* vocare. Hinc tituli Rabbinorum, *lucerna legis*, *lucerna lucis*, *lucerna loci ſui*. Joannes erat λύχνος ὁ καιόμενος, lucerna accenſa, & ideo lucens. Hic καίεσθαι, nihil aliud in Evangeliſtarum lingua ſignificat, quàm *accendi* (ut videre eſt Matth. cap. 5. ℣. 15. Luc. cap. 12. ℣. 35. Apoc. cap. 4. ℣. 5. & cap. 8. ℣. 10.) *Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce ejus.* Hoc eſt aliquo tempore placuit vobis Joannes. Neque enim, ut diximus, per aliquot dies & menſes prædicavit, antequam Jeſus baptizaretur, ſed uno, aut altero anno præcucurrit. Magno gaudio, ait Dominus, ad eum confluxiſtis; ſed ubi vitia veſtra liberè increpuit, jam cœpiſtis aſpernari; (eum enim & in vincula conjecerunt, ut evict) nec multi feciſtis teſtimonium, quod mihi perhibuit.

Sed ſoli teſtimonio Joannis, quem & audire noluiſtis, non innitor. 36. *Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne*, id eſt, teſtimonium majus teſtimonio Joannis, cui teſtimonio refragari non poteſtis. *Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea*, quæ voluntate ejus perficio: *ipſa*, inquam hæc, *opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me.* Loquitur de miraculis ſuis, quæ cùm dæmonum ope non patraret, conſtabat non alio nomine, quàm Dei Patris à ſe fieri; & ideò ex illis operibus liquere, quòd miſſus eſſet à Patre.

37. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*, cùm vox ejus audita eſt de cœlo, eo die quo baptizatus ſum à Joanne. *neque vocem ejus audiſtis* unquam tam claram. *neque ſpeciem ejus vidiſtis* ita manifeſtam. Cœli enim diſrupti ſunt, & Spiritus ſanctus deſcendit corporali ſpecie. Figuratus eſt ſermo ille, quaſi ſi diceret Dominus: cogitate an unquam vocem Dei audivetitis? Audiſtis quidem cùm Deus dixit de me, *Hic eſt filius meus*; evanuit autem ex memoria veſtra vox illa. Alii verò ſic exponunt hunc locum: vocem Dei non audiſtis terribilem qualis audita eſt in Monte Sinai, neque ſpeciem ejus vidiſtis, ignem ſcilicet, lampades & fulgura. Alludere enim videtur Dominus ad verba Deuteronomii, cap. 18. ℣. 16. ubi cùm territus populus diceret, *ultrà non audiam vocem Domini, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar*, ſtatim ſubjicit Deus: *benè omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis* ſcilicet Chriſtum, *& ponam verba mea in ore ejus.* quod Dominus innuit re illis obtigiſſe. quaſi dicat: obtinuiſtis jam id quod olim ex timore petiiſtis, ut ſcilicet non ampliùs terribilem illam Patris vocem audiretis, nec ſpeciem terribilem videretis; ſed non vultis audire prophetam, quem ipſe vobis promiſit, & vos audituros ſpopondiſtis. Hoc eſt enim id, quod adjicit. 38. *Et verbum ejus*, ſeu mandatum, quod tunc impoſuit Deus de illo ſcilicet propheta audiendo, *non habetis in vobis manens: Quia quem miſit ille, huic vos non creditis.*

Dominus antiqua vaticinia quaſi digito indicans, hortatur Judæos ut illa attento animo expendant. 39. *Scrutamini*, inquit, *ſcripturas.* Verbum ἐρευνᾶτε, vulgo accipitur imperandi modo; ſed B. Cyrillus monet hæc potiùs, indicandi modo intelligenda; quæ ſequuntur enim, indicant Judæos ſcrutari, id eſt, diligenter ſtudio ſcripturarum incumbere, de illis diſceptare; *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere*, quòd demonſtrent veram vitæ æternæ ſemitam. *Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*, illæ omnes teſtantur me Meſſiam eſſe tandiu expectatum. Ergo ex illis diſcite quis & qualis futurus ſit Meſſias. Quæ de Meſſia habent, mihi illa propria ſunt, attamen licet ego manifeſtè ſim Meſſias. 40. *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Me floccifacitis, de quo non queror mei cauſa. 41. *Claritatem* enim *ab hominibus non accipio.* Non curo quid homines de me ſentiant. Ego quæ dico, de mea auctoritate non dico appetitu honoris à vobis adipiſcendi. 42. *Sed* ideò hoc dico, quia *cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Habetis in ore, non in animo pietatem, & ſtudium gloriæ divinæ, cujus prætextu mecum contenditis; ac propterea me non recipitis, quamquam tot teſtimoniis ornatum.

43. *Ego veni in nomine patris mei*, quod demonſtrat opera mea: *&* tamen *non accipitis me.* quem ergo recipietis? *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Species eſt ſarcaſmi. ſignificat Judæos ineptire, qui venientem in nomine Patris, ſcilicet cum divina poteſtate repudiarent.

44. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Tangit ulcus Phariſæorum, & aliorum qui primates erant inter Judæos. Non ſemel obſervatum eſt Jeſum humilem & pauperem diſplicuiſſe his ſuperbis & ambitioſis. Vani erant, ambientes laudari ab hominibus: cùm ergo adduxiſſent animum ſuum credere, deteri gloriam ſuam, ſi Joannes & ipſe Jeſus magni fieret, à quo ſua vitia exprobari intelligebant, è re ſua putabant Joanni pariter & Jeſu adverſari, utrumque peſſumdare. Ita non poterant credere occupati malo affectu, neutiquam de gloria Dei ſatagentes. *Obſtaculum veritatis eſt tumor mentis*, ait Gregorius magnus, *quia dum inſtat, obnubilat.*

45. *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem.* animum meum ex veſtro æſtimantes. *Eſt qui accuſat vos Moyſes.* Ipſe Moyſes *in quo vos ſperatis*, quem exiſtimatis fore patronum, ſeu defenſorem veſtrum apud Deum; ipſe, inquam, Moyſes accuſabit vos; non enim huic creditis. 46. *Si enim crederetis Moyſi*, ſcriptis ejus; *crederetis forſitan & mihi.* particula *ἂν* melius redderetur eo in loco *utique*, rem enim non in dubium vocat Chriſtus, ſed affirmat. vel particula *ἂν* redundat inſtar expletivæ particulæ. *De me enim ille ſcripſit*, tanquam de fine, & ſcopo totius legis. Signa vobis dedit, quibus veros prophetas a falſis dignoſceretis; ſigna autem veri prophetæ in me eximie conveniunt. 47. *Si autem illius litteris non creditis*, quem tanti facitis, *quomodo verbis meis credetis*, qui opinione veſtra ſum homo nullius exiſtimationis?

Vulgare eſt effatum apud Judæos omnes prophetas non prophetaſſe, niſi ſuper annis redemptionis, & ſuper diebus Meſſiæ, ut dicit R. Salomon ſuper caput nonum Zachariæ, quod & legitur in tractatu *Sanhedrin*. Verba in hanc rem luculenta Abravanelis clariſſimi Rabini exſcribam, & vice coronidis huic capiti attexam, ex libro de Principiis Religionis, cap. 14. *Adventus Meſſiæ expoſitus eſt in lege, prophetis, & hagiographis; Dominus enim noſter Moſes, & omnes prophetæ qui eum conſecuti, de illo teſtantur; & qui hoc modo ſecuti ſunt per Spiritum ſanctum, omnes illi conveniunt, prænuntiant atque loquuntur de adventu regis Meſſiæ; ſicuti etiam idem probavi perfecte, atque perſpicua demonſtratione in tractatu* Maſmia jeſchuha, *quem de adventu Meſſiæ concinnavi. Quapropter qui negat ejus adventum, certè is negat ipſam legem, prophetas ac hagiographos, quia illi omnes de eo teſtati ſunt. Et propter hanc probationem oportet hanc fidem numerare inter articulos legis.*

CAPUT XXVI.

Cùm in Galilæam Dominus reverſus eſſet, Herodes audiens quæ ab eo patrarentur, putavit ipſum eſſe Joannem Baptiſtam, quem decollaverat in Herodiadis gratiam, qui ſurrexiſſet à mortuis.

HARMONIA.	MARC. Cap. 6. ℣. 14-29.	MAT. Cap. 14. ℣. 1-12	LUCAS Cap. 9. ℣. 7-9.
1 *Mt.* IN illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jeſu.	14 Et audivit rex Herodes,	1 In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jeſu.	7 Audivit autem Herodes Tetrarcha.
	MARCUS.		LUCAS.
2 *L.* Audivit omnia quæ fiebant ab eo, *Mc.* manifeſtum enim factum eſt nomen ejus, *L.* & hæſitabat, eò quòd diceretur à quibuſdam:	(manifeſtum enim factum eſt nomen ejus) & dicebat:		omnia quæ fiebant ab eo, & hæſitabat eò quòd diceretur 8 A quibuſdam:
3 Quia Joannes ſurrexit à mortuis: *Mc.* & propterea virtutes operantur in illo.	Quia Joannes Baptiſta reſurrexit à mortuis. & propterea virtutes operantur in illo.		Quia Joannes ſurrexit à mortuis:
4 *L.* A quibuſdam verò: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia Propheta unus de antiquis ſurrexit: *Mc.* alii verò dicebant: Quia Propheta eſt, quaſi unus de Prophetis.	15 Alii autem dicebant: Quia Elias eſt. Alii verò dicebant: Quia Propheta eſt, quaſi unus de Prophetis.		à quibuſdam verò: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia Propheta unus de antiquis ſurrexit.
5 *L.* Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.			9 Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.
		MATTHÆUS.	
6 *Mt.* Et ait pueris ſuis: *Mc.* Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit.	16 Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit.	2 Et ait pueris ſuis:	

HAR-

HARMONIA.	MARCUS.	MATTHÆUS.
7 *Mt.* Hic eſt Joannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.		Hic eſt Joannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.
8 Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & poſuit in carcerem *MM.* propter Herodiadem uxorem *Mc.* Philippi *MM.* fratris ſui, *Mc.* quia duxerat eam.	17 Ipſe enim Herodes ✠ miſit ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.	3 Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum; & poſuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris ſui. ✠ *In decoll. S. Joannis B.*
9 *MM.* Dicebat enim *Mt.* illi Joannes: *MM.* Non licet tibi habere *Mc.* uxorem fratris tui.	18 Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.	4 Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.
10 *Mt.* Et volens illum occidere, timuit populum; quia ſicut prophetam eum habebant.		5 Et volens illum occidere, timuit populum; quia ſicut prophetam eum habebant.

M A R C U S.

MARCUS.	MATTHÆUS.
11 * 19 Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.	
12 * 20 Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum; & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.	
13 * 21 Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ:	
14 * 22 Cùmque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus; Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi:	6 Die autem natalis Herodis, ſaltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.
15 * 23 Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.	7 Unde cum juramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo.
16 * 24 Quæ cùm exiiſſet dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptiſtæ.	
17 * 25 Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem.	8 At illa

HARMONIA.	MARCUS.	
18 *Mt.* Præmonita à matre ſua, Da mihi, inquit, hìc in diſco caput Joannis Baptiſtæ.	petivit dicens:	præmonita à matre ſuâ, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Joannis Baptiſtæ.
19 *Mc.* Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.	Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.	
20 *MM.* Et contriſtatus eſt Rex; propter *Mt.* juramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, juſſit dari, *Mc.* noluit eam contriſtare.	26 Et contriſtatus eſt Rex: propter juſjurandum, & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare.	9 Et contriſtatus eſt Rex: propter juramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, juſſit dari.
21 Sed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco. Et decollavit eum in carcere.	27 Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco. Et decollavit eum in carcere.	10 Miſitque, & decollavit Joannem in carcere.

Digitized by Google

HARMONIA.	MARCUS.	MATTHÆUS.
22 Et attulit caput ejus in diſco ; & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.	28 Et attulit caput ejus in diſco : & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.	11 Et allatum eſt caput ejus in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.
23 Quo audito, diſcipuli ejus venerunt, & *MM.* tulerunt corpus ejus, *Mt.* & ſepelierunt illud, *Mc.* & poſuerunt illud in monumento ; *Mt.* & venientes nuntiaverunt Jeſu.	29 Quo audito, diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus : & poſuerunt illud. in monumento. ¶	12 Et accedentes diſcipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & ſepelierunt illud : & venientes nuntiaverunt Jeſu.

POST illos ſermones quos ſuperioribus capitibus Dominus habuit occaſione languidi quem ſanaverat in die ſabbati, ex Judæa tranſiit in Galilæam. *Poſt hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ*, ait Joannes Evangeliſta, cap. 6. ℣. 1. Non memorat quod factum eſt, antequam Dominus Judæa ſecedens, etiam ex Galilæa cederet ultra mare Galilææ abiens. ubi omnes Evangeliſtæ concorditer narrant quinque panibus turbam à Domino paſtam. Videlicet eo tempore quo ex Judæa ingreſſus in Galilæam edidit de more miracula & prædicavit, fama ejus pervenit ad aures Herodis, qui, ut videtur, non ante multos dies occidi juſſerat Joannem Baptiſtam ; unde Dominus in ſuperiori ſermone loquutus eſt quaſi de viro extincto : *Ille erat lucerna ardens &c.* Omnia conveniunt. credo circa initium anni trigeſimi ſecundi æræ Chriſtianæ, Herodem ubi Roma reverſus eſt, illicitas nuptias iniiſſe cum Herodiade ; quas recentes protinus præcurſor arguens, in carcerem conjectus eſt, & mox vitam amiſit. Herodes autem qui Galilæa abfuerat, anno præcedenti Romam profectus, quando ſcilicet Jeſus cœpit innoteſcere, non audierat de illo, niſi poſtquam occidit Joannem quem in Jeſu denuo vivere conjectavit.

1 * 1. *Mt. In illo tempore* quo Jeſus ex Judæa diſcedens, venerat in Galilæam docens & miracula edens, *audivit Herodes Tetrarcha* Galilææ *famam Jeſu*. Qui fieri potuiſſet, ut tam ſerò Jeſus innoteſceret ? Sed ut dixi, forſan annus ſuperior occupatus fuerat profectione ejus Romam, commoratione in hac urbe, & in Galilæam reverſione.

2 * 7 *L. Audivit*, inquam Herodes, *omnia miracula quæ fiebant ab eo* in Galilæa & Judæa, *Mc. manifeſtum enim factum eſt nomen ejus*. Tunc enim ei innotuit Jeſus. *Et hæſitabat* anxius, quis ille eſſet, *eò quòd diceretur à quibuſdam*. 3 * 8. *Quia Joannes ſurrexit à mortuis*. Ante ergo, quàm Joannem occidiſſet, de Jeſu non audiverat Herodes; neque enim iſta de reſurrectione Joannis opinio incidiſſet in animum illius ; idcirco adduxit animum ſuum ut crederet, Joannem excitatum à mortuis ſub alio nomine in terris verſari, & Jeſum appellari ; quod & aulici ejus credebant, quibus ignotus fuerat Jeſus, in Romano enim itinere fuerant. Igitur de Joanne dicebant, *Mc. & propterea virtutes operantur in illo*, pollet virtutibus, quia reipſa Joannes eſt, cujus virtutes ſe exerunt in illo homine Jeſu dicto.

Inter varias Hebræorum de anima ſententias, antiquitus fuere qui tranſitionem in alia corpora docerent. Quin & Hebræorum nonnulli tradiderunt Phineæ, & Eliæ eandem fuiſſe animam : alii eandem Adami, Davidis & Meſſiæ. Illam animarum de corpore in corpus tranſmigrationem à Phariſæis creditam docet nos Joſephus. Scribit enim Antiq. lib. 18. cap. 2. eos opinatos facilem eſſe piis ad vitam reditum ; quod & ipſe ſentiebat docens, lib. 3. de bello, cap. 14. animas pias volventibus ſæculis caſta corpora juberi incolere ; quod iterat ſcribens contra Apionem. Sic ſua & aliorum ſententia David Kimchi ad cap. 4. Malachiæ ſcribit, Prophetam Eliam venturum in novo corpore, vetere pridem reſoluto. Rab. Elias in ſuo Lexico in voce *Gilgul* obſervat auctores Cabaliſticos, qui de revolutione animarum diſſerunt, ſtatuere quamque animam volvere ſe per corpora trium filiorum hominis. Unde ſic dicunt quòd anima primi hominis volutaverit ſe in corpore David regis, & inde reverſura ſit in corpus Meſſiæ, idque ſignificari per literas, quæ ſunt in voce אדם *Adam*, quarum unaquæque integram vocem conſtituat *Adam, David, Meſſiat*.

Itaque Herodes & alii credebant animam Joannis novum aſſumpſiſſe corpus, vel rediiſſe in primum. 4. * *L. A quibuſdam verò* dicebatur : *Quia Elias apparuit* in novo corpore, juxta opiniones quæ invaſerant mentes Judæorum. *Ab aliis autem quia propheta unus de antiquis* illis celeberrimis *ſurrexit*, in vitam rediit, *Mc. alii verò dicebant : Quia ipſe* Jeſus *propheta eſt, quaſi unus de prophetis*, ὡς εἷς τῶν προφητῶν. Particula ὡς quandoque non ſimilitudinem tantùm, ſed & veritatem notat, ut apud Matthæum, cap. 21. ℣. 26. *Omnes enim habebant Joannem ſicut prophetam*, ὡς προφήτην, id eſt verè prophetam.

5 * 9. *L. Et ait Herodes* : loquens juxta illas præconceptas opiniones de animarum tranſmigra-

gra-

Digitized by Google

gratione: *Joannem ego decollavi*, caput illi amputatum eſt juſſu meo: jam comparere non poteſt. *Quis eſt autem iſte de quo talia audio?* Magna illi erat de Joanne opinio, nec tanta ab alio fieri poſſe credebat. *Et quærebat videre eum*, incertus num ipſe eſſet Joannes. Etenim 6 * 2 *Ms. Et ait pueris ſuis*, ſervis, miniſtris, *Mc. Quem ego decollavi Joannem*, ſane *hic à mortuis reſurrexit*. Credo equidem. 7 * *Ms. Hic eſt Joannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis: & ideò virtutes operantur in illo*, exerunt ſe in illo homine.

8 * 3. *Herodes enim* neci dederat Joannem Baptiſtam ea occaſione, *cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui*, quam ſuam fecerat; *& de omnibus malis* cæteris, *quæ fecit Herodes, adjiecit*, ut idem Evangeliſta dicit, *& hoc* novum facinus *ſuper omnia* facinora, *tennit Joannem*, apprehendi juſſit, *& alligavit eum: & poſuit in carcerem. MM. propter Herodiadem* (ejus tum cauſa, tum impulſu) *uxorem Mc. Philippi MM. fratris ſui, Mc. quia duxerat eam.*

Quis ſit ille Philippus, ambigitur. Nomen illud abeſt à codice Latino Matthæi. In Græco autem reperitur, & apud Marcum in utroque codice. Potuiſſet tamen irrepſiſſe ex gloſſemate viri, qui non alium agnoſcens fratrem Herodis Antipæ, quàm Philippum Tetrarcham, nomen ejus margini codicis appoſuerit. Ex Joſepho, lib. 18. cap. 7. Antiquit. cujus ſumma fides perſpecta eſt, tum etiam Herodianæ familiæ intima cognitio, Herodias illa uxor erat Herodis cujuſdam fratris Herodis Tetrarchæ; ſed ille ex alia genitrice, nempè Simonis Pontificis filia natus erat. Incertum eſt an etiam appellaretur Philippus; ſed certè alius eſt ab eo Philippo qui erat Traconitidis Tetrarcha; neque enim potentiſſimus princeps paſſus eſſet ſine vi armorum rapi propriam uxorem; aut raptam armis repetiviſſet, ſaltem res acta ſilentio non fuiſſet. Plures uxores duxerat Herodes magnus, & inter illas Mariamnem Aſmoneam, & alteram Mariamnem filiam Simonis, ut videre eſt in Herodiadarum ſtemmate, quod hic exhibemus ad locum in quo verſamur, illuſtrandum. Nec mirum videri debet, ſi ille Herodes nulla dignitate inſignitus ſit; privatus autem magis fuit injuriæ idoneus; nam Joſephus, lib. 1. de bello cap. 19. ſcribit Mariamnem filiam Simonis Pontificis, matrem ejus & uxorem Herodis magni patris ejus, deprehenſam ream maleficiorum quæ parata fuerant in conjugem ſuum, quod tortis quæſtione fratribus ejus, demonſtratum eſt. *Rex autem*, inquit Joſephus, *matris audaciam filii quoque pœna exercuit. Nam quem illa pepererat Herodem patri ſucceſſorem ſcriptum, ex teſtamento delevit.* Ita ille Herodes ferè ignotus vixit; & ſpretus eſt ab Herodiade uxore ambitioſa.

Herodiadarum ſtemma ex Joſepho.

Uxores Herodis ſub quo Jeſus natus eſt.	*Filii Herodis qui nati ſunt ex illis uxoribus.*		
DORITE.	ANTIPATER.		
MARIAMNE Aſmonea.	ALEXANDER. ARISTOBULUS.	AGRIPPA etiam Herodes dictus Judææ Rex ſub Cajo & Claudio Imperatoribus. HERODES Rex Chalcidis. HERODIAS quæ nupſit patruis ſuis, & ipſa cujus nuptias Joannes Baptiſta inſectatus eſt...	SALOME filia Herodiadis ex primo marito.
MARIAMNE Simonis Pontificis filia.	HERODES maritus Herodiadis, quæ & nupſit Herodi Antipæ. Hunc Herodem Marcus appellat Philippum.		
MALTACE Samaritana.	ARCHELAUS qui mortuo Herode patre, ſtatim in Judæa regnavit, poſtea in exilium pulſus eſt. PHILIPPUS Tetrarcha Ituræ, & Thraconitidis. Joſephus hunc Philippum facit fratrem Archelai; alibi tamen non Philippum, ſed Antipam ſcribit natum ex Maltace.		
CLEOPATRA Hieroſolymitana.	ANTIPAS dictus quoque Herodes, Tetrarcha Galilææ qui Herodiadi uxori fratris ſui nupſit, ejecta prima conjuge Aretæ regis Arabum filia. Quibuſdam in locis Joſephus Antipam natum ſcribit ex Maltace, ut dixi; ex Cleopatra verò natos Herodem nempe Antipam & Philippum: ſed Joſephi corruptos eſſe codices evincit Lancellotius in Chronologia ſua, qui Herodianum ſtemma, quale proponimus, ordinat. Totam autem progeniem Herodis hic non exhibemus; novem enim duxerat uxores; ſed plura ſcire non intereſt.		

9. * 4 *Mt.*

9 * 4 *Mt.* 18 *Mc. Dicebat enim Mt. illi Joannes: MM. Non licet tibi habere Mc. uxorem fratris tui* viventis; neque enim ſcribit illum Herodem tunc mortuum Joſephus. Pactas autem has nuptias aſtruit eo tempore, quo Tetrarcha Romam iter faciens adierat hunc Herodem, qui nullo principatu donatus fuerat; ita idoneus ut dixi, cui impunè inferretur atrox injuria. Uxori fratris ſui nubere vetatur in Levit. cap. 18. ℣. 16. niſi ubi defunctus erat ſine liberis. Ideò Tertullianus ſupponens jam primum conjugem mortuum, ait idcircò has nuptias cum fratris conjuge illicitas, quia prior maritus non deceſſerat ſine liberis.

10 * 5 *Mt. Et volens illum occidere*, nam recentibus, ut dixi, nuptiis ardebat novo amore Herodes, ut ferre non poſſet objurgationes Joannis. Attamen *timuit populum; quia ſicut prophetam eum habebant.* 11 * 19. *Herodias autem* non ideò minus *inſidiabatur illi: & volebat occidere eum*, hoc eſt perſuadere Herodi ut occideret, *nec poterat*, quia multi fecerat illum ipſe Herodes. 12 * 20. *Herodes enim metuebat*, verebatur *Joannem, ſciens eum virum juſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum* συνετήρει, quod verbum melius redditum fuiſſet, obſervabat, verebatur, *& audito eo multa faciebat, & libenter audiebat.* Verbum συνετήρει ſonare etiam poteſt *conſervabat eum*, ſcilicet ab inſidiis Herodiadis uſque ad tempus natalitiorum. 13 * 21. *Et cùm dies opportunus* perficiendis malis conſiliis accidiſſet; ſive potiùs dies ſolemnis, nam Græca vox εὔκαιρος, reſpondere videtur Hebræorum יום טוב *jom tob*; id eſt *dies bonus*, ſive feſtivus, εὔκαιρος, in Gloſſariis eſt dies vacua laboribus, à quibus abſtinetur ut hilaritati, & feſtivitati tempus detur. Cùm, inquam, dies ille *accidiſſet* opportunus, vel dies hilaritatis; *Herodes enim natalis ſui cœnam fecit*, fons Græcus habet τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ, in natalitiis ejus. Vetera exemplaria vulgatæ habent *in natali ſuo*. Fortè erat *natalitiis ſuis*, cùm errante calamo ſcriptum eſt *natalis*, idem ſenſus; nam *natalitia* ſunt convivia luxurioſa ad celebrandum natalem diem peculiariter ſtructa, natalitia ergo dedit Herodes *principibus & tribunis*, τοῖς μεγιστᾶσιν καὶ τοῖς χιλιάρχοις, magnatibus, & primis exercitus ſui ducibus, *& primis Galilææ* proceribus. 14 * 22. *Cùmque introiſſet filia Herodiadis*, quæ ex primo & legitimo conjugio ſuſcepta erat, *& ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque cum eo recumbentibus; rex* (Herodes, qui ibi & nomine regio honoratur, licèt tantùm eſſet Tetrarcha; ſed & Tetrarchæ interdum dicebantur reges. Cicero regem appellat Dejotarum, qui Tetrarcha erat) *ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi* præmium ſaltationis tuæ. 15 * 23. *Et juravit illi*, juramento confirmavit: *Quia quod petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.* Loquendi genus proverbiale regibus uſitatum, inde autem intelligi poteſt quantum tranſverſam Herodis mentem egerat malus affectus.

16 * 24. *Quæ* Herodiadis filia dicta à Joſepho Salome, *cùm exiiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam* tibi jucundus? *At illa* mater impia *dixit*: Pete *caput Joannis Baptiſtæ.*

17 * 25. *Cùmque* reverſa *introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem* in locum convivii, antequàm convivæ diſceſſiſſent. 18 * *Mt. Præmonita à matre ſua, da mihi*, inquit puella, *hic*, hoc loco & tempore, coram convivis *in diſco*, ἐν πίνακι, in catino, in patina, *caput Joannis Baptiſtæ*, hoc eſt quod expeto. 19 * *Mc. Volo*, ſic loquitur puella ad regem, quem victum amore noverat, *ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.*

20 * 9 *Mt.* 26 *Mc. Et contriſtatus eſt rex: propter Mt. juramentum autem*, ne ſcilicet illud violaret, *& eos*, id eſt propter eos, *qui pariter recumbebant*, quibus & placuerat ſaltatrix, *juſſit dari* quod petebat. *Mc. Noluit eam contriſtare.* Videtur tanta fuiſſe apud Judæos religio juramenti, ut etiam quæ contra fas jurata eſſent, non ſervare nefas ducerent, hac prava opinione deluſus Herodes noluit petita denegare. 21 * 27. *Sed miſſo ſpiculatore*, uno ex iis, qui rem pœnalem adminiſtrarent, *præcepit* ex carcere, ubicumque fuerit ille carcer, *afferri caput ejus in diſco, & decollavit eum* ſpiculator *in carcere.* 22 * 28. *Et attulit caput ejus in diſco, &* prout juſſerat Herodes, *dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ* ut ſatiaret aſpectum. Si inter epulas caput illud allatum eſt, neceſſe eſt, ut carcer proximus fuerit; quod mihi veriſimilius eſt, nam Machærus in quam hodierni codices Joſephi ſupponunt Joannem miſſum in vincula, ipſo Joſepho teſte, non ſubdebatur Herodi, ſed regi Arabum, quæ contradictio viros peritos adducit, ut credant laudes Joannis Baptiſtæ in codice Joſephi, inſertas fuiſſe aliena manu.

23 * 29. *Quo audito*, audita nece Joannis, *diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus* τὸ πτῶμα, cadaver, *& ſepelierunt illud*, *Mc. & poſuerunt illud in monumento*, teſtantes & gratitudinem erga magiſtrum, & ſe doctrinam ipſius tenere. *Et venientes nuntiaverunt Jeſu*, quæ narrata ſunt initio capitis, videlicet Joannem fuiſſe interemptum; eò ſcilicet tempore quo interemptus eſt; nam mors Joannis ſuo tempore non hic enarrata eſt; cùm Joannis diſcipuli audierant hunc interemptum, tunc rem ad Jeſum detulerant.

CA-

CAPUT XXVII.

Dominus cognoſcens commotum Herodem, à quo pro Joanne habebatur, receſſit in deſertum Bethſaidæ, ubi quinque panibus quinque hominum millia paſcit.

HARMONIA.	MAT. Cap. 14. ℣. 13-21.	MARC. Cap. 6. ℣. 30-44.	LUCAS, Cap. 9. ℣. 10-17.	JOAN. Cap. 6. ℣. 1-14.
1 *Mt.* QUod cùm audiſſet Jeſus, ſeceſſit inde.	13 Quod cùm audiſſet Jeſus, ſeceſſit inde.			
2 *Mc.* Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.		30 Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, & docuerant.	10 Et reverſi Apoſtoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt,	

M A R C U S.

3 * 31 Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
4 *L* Et aſſumptis illis, ſeceſſit ſeorſum.			& aſſumptis illis, ſeceſſit ſeorſum	1 Poſt hæc ✠ abiit Jeſus
5 *Mc.* Et aſcendentes in navim abierunt *L* in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.	in navicula in locum deſertum ſeorſum:	32 Et aſcendentes in navim abierunt in deſertum locum ſeorſum.	in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.	
6 *J* Trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.				trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.
7 *Mc.* Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedeſtres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos.	& cùm audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de civitatibus.	33 Et viderunt eos abeuntes, & cognoverũt multi; & pedeſtres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerũt eos.	11 Quod cùm cognoviſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum:	

✠ *Dom. 4. Quadrag.*

J O A N N E S.

8 * 2 Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.
9 * 3 Subiit ergo in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.
10 * 4 Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Judæorum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
11 *Mc.* Et exiens vidit turbam multam Jeſus: & miſertus ſuper eos, qui erant † ſicut oves non habentes paſtorem.	14 Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis,	34 Et exiens vidit turbam multam Jeſus: & miſertus ſuper eos, qui erant ſicut oves non habentes paſtorem,		

† *Jerem* 23. 1. *Ezech.* 34. 2.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
12 *L* Et excepit eos, *Mc.* & cœpit illos docere multa *L* de regno Dei, *Mt.* & curavit languidos eorum, *L* & eos, qui cura indigebant, ſanabat.	& curavit languidos eorum.	& cœpit illos docere multa.	& excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, ſanabat.	
13 *Mc.* Et cùm jam hora multa fieret, *Mt.* acceſſerũt ad eum *L* duodecim *Mt.* diſcipuli ejus, dicentes:	15 Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus dicentes:	35 Et cùm jam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli ejus, dicentes:	12 Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi:	
14 *MM.* Deſertus eſt locus *Mc.* hic, *MM.* & jam hora præteriit.	Deſertus eſt locus, & hora jam præteriit:	Deſertus eſt locus hic, & jam hora præteriit:		
15 *Mt. L* Dimitte turbas, ut euntes in caſtella, *L* villaſque quæ circa ſunt, divertant, & inveniant eſcas, quia hìc in loco deſerto ſumus.	dimitte turbas, ut euntes in caſtella, emant ſibi eſcas.	36 Dimitte illos, ut euntes in proximas villas & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent.	Dimitte turbas, ut euntes in caſtella villaſque quæ circa ſunt, divertant, & inveniant eſcas, quia hic in loco deſerto ſumus.	
16 *Mt.* Jeſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire, *MM. L* date illis vos manducare.	16 Jeſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare.	37 Et reſpondens ait illis: Date illis vos manducare.	13 Ait autem ad illos: Vos date illis manducare.	
17 *Mc.* Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.		Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.	At illi dixerunt	

J O A N N E S.

18 * 5 Cùm ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

19 * 6 Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.

20 * 7 Reſpondet ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
21 *Mc.* Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite, & videte. Et cùm cognoviſſent,		38 Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite, & videte. Et cùm cognoviſſent,		
22 *J* Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:	17 Reſponderunt ei:	dicunt ei:		8 Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
23 Eſt puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid inter tantos?	Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces.	quinque, & & duos piſces.	Non ſunt nobis plus quam quinque panes, & duo piſces:	9 Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces; ſed hæc quid inter tantos?
24 *L* Niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas.			niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas.	
25 Erant autem ferè viri quinque millia: ait autem ad diſcipulos ſuos: *Mt.* Afferte mihi illos huc.	18 Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.		14 Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad diſcipulos ſuos:	
26 *Mc.* Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum.	19 Et cùm juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum,	39 Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum.	Facite illos diſcumbere per convivia quinquagenos.	10 Dicit ergo Jeſus: Facite homines diſcumbere.
27 *J* Erat autem fœnum multùm in loco.				Erat autem fœnum multum in loco.
28 *L* Et ita fecerunt: & diſcumbere fecerunt omnes, *Mc.* in partes, per centenos & quinquagenos.		40 Et diſcubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.	15 Et ita fecerunt: & diſcumbere fecerunt omnes.	
29 *J* Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia.				Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia.
30 *MM. L* Acceptis *L* autem *MM. L* quinque panibus, & duobus piſcibus, *L* reſpexit in cœlum.	acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum,	41 Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cœlum,	16 Acceptis autem quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cœlum,	11 Accepit ergo Jeſus panes:
31 *J* Et cùm gratias egiſſet, *L* benedixit illis: *Mc. L* & fregit panes.	benedixit, & fregit,	benedixit, & fregit panes,	& benedixit illis; & fregit panes.	& cùm gratias egiſſet,
32 *L* Et diſtribuit diſcipulis ſuis ut ponerent ante turbas; *Mc.* Diſcipuli autem turbis *J* diſcumbentibus.	& dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis.	& dedit diſcipulis ſuis ut ponerent ante eos:	& diſtribuit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante turbas.	diſtribuit diſcumbentibus:
33 Similiter & ex piſcibus, *Mc.* diviſit omnibus *J* quantùm volebant.		& duos piſces diviſit omnibus.		Similiter & ex piſcibus quantum volebant.
34 *MM. L* Et manducaverunt omnes & ſaturati ſunt.	20 Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt,	42 Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.	17 Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.	
35 *J* Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant.				12 Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant.

HAR-

AHRMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
36 Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis; quæ ſuperſuerunt his, qui manducaverant; *Mc.* & de piſcibus.	Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.	43 Et ſuſtulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.	Et ſublatum eſt quod ſuperfuit illis fragmentorũ cophini duodecim.	13 Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis quæ ſuperfuerunt his, qui manducaverant.
37 *Mt.* Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis.	21 Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.	44 Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.		

JOANNES.

38 *14. Illi ergo homines, cùm vidiſſent quod Jeſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè propheta, qui venturus eſt in mundum.

℣. 14. *Jeſus ergo cùm, &c. infrà, capite ſequenti.*

1 * 13. *Mt.* QUOD *cùm audiſſet Jeſus* Herodi innotuiſſe, & eſſe ſuſpectum, quia habebatur ab eo pro Joanne, quem trucidaverat, *ſeceſſit inde*, ex ditione nempè Herodis. 2 * 30. *Mc. Et convenientes Apoſtoli ad Jeſum*, quos ubique mittebat ad prædicandum, *renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.* Omnia ad eum referunt, ut ſciant an ea probaret, & ipſi officio ſatisfeciſſent. 3 * 31. *Et ait illis*: ubi ſic ad eum reverſi ſunt & collecti, *Venite ſeorſum in deſertum locum; &* expediti à turba & negotiis, *requieſcite puſillum.* Obruebantur turba, *erant enim qui veniebant, & redibant multi*: plurium ad eos concurſus erat; *& nec ſpatium manducandi habebant.* ne edere quidem ipſis vacabat. 4 * 10. *L. Et aſſumptis illis ſeceſſit ſeorſum.*

5 * 32. *Mc. Et aſcendentes in navim abierunt.* Quippe ex Galilæa profecti ſunt trans mare Tiberiadis *L. in locum deſertum qui eſt Bethſaida.* qui nempe locus deſertus eſt proximum Bethſaidæ. 6. * J *trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Modò evincemus Bethſaidam in ulteriori, & non in citeriori ripa, ut hactenus putabatur, maris Tiberiadis ſitam eſſe.

7 * 33. *Mc. Et viderunt* illi qui concurrebant ad Apoſtolos *eos abeuntes* in navi, *& cognoverunt multi*, fama ſparſa eſt Jeſum trans mare abiiſſe. *Et pedeſtres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc*, ſcilicet ex loco ubi ſolverat Jeſus cum diſcipulis ſuis, ierunt pedeſtri itinere circumeuntes lacum. *Et prævenerunt eos* nempe Apoſtolos; ita ut Dominus exiens navicula ſua, ut modò dicetur, multam turbam repererit, quæ expectabat eum. Græcus codex hodiernus addit: *Et convenerunt ad illum.* Quomodò autem magna turba pedibus ad Chriſtum convenerit, cùm multi debiles & infirmi ex ipſis fuerint, qui idcircò ſequebantur Jeſum ut curarentur: Reſpondetur quòd πεζῇ, non ſignificet ſemper *pedibus ire*, ſed *terra ire*, & non mari, in qua ſignificatione afferuntur exempla ex Græcis ſcriptoribus. Hanc reſponſionem confirmat Syrus interpres qui reddit, abierunt poſt eum peraridam de civitatibus. 8 * 2. J. *Et ſequebatur eum multitudo magna*, adducti fama ejus, *quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.*

9 * 3. *Subiit ergo in montem Jeſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Hiſce verbis puto Joannem ſignificare Dominum veniſſe in deſertum; quod nomine montis intelligit; ſed iſtam circumſtantiam prætermiſit quòd ante eum jam turbæ huc advenissent. 10 * 4. *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Judæorum*; idcircò non mirum eſt, ſi fœnum viride erat.

11 * 34. *Mc. Et exiens* è navi *vidit turbam multam Jeſus*, quæ pedeſtri itinere, aut, ut alii volunt, terra, non mari ante eum venerat. *Et miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oves non habentes paſtorem.* Qui ſe enim paſtores dicebant, potiùs luporum loco habendi. 12 * *L. Et excepit eos* benignè, *Mc. & cœpit illos docere multa L. de regno Dei* à ſe Meſſia ſtatuendo. *Mt. Et curavit languidos eorum; L. & eos, qui cura indigebant*, qui infirmi erant, *ſanabat.*

13 * 35. *Mc. Et cùm jam hora multa fieret, veſpere autem facto*, ut ait Matthæus, vel ut habet Lucas, *dies autem cœperat declinare, Mt. acceſſerunt ad eum L. duodecim Mt. diſcipuli ejus, dicentes*: 14 * *MM. Deſertus eſt locus Mc. hic, MM. & jam hora prandii*

præ-

præteriit. 15. * L *Dimitte ergo turbas*, *ut euntes in caſtella*, L *villaſque quæ circa ſunt* vicinæ *divertant*; [illegible], id eſt, recipiant ſe in diverſoria, *& in illis inveniant eſcas*; neque enim aliter cibi ſuppetent, *quia hic loco deſerto ſumus*.

16 * 16. Mt. *Jeſus autem* ad hæc reſpondens *dixit eis*: *Non habent neceſſe ire*. Hæc dixit quò attentiores eſſent diſcipuli miraculo à ſe patrando: *MM. L date illis vos manducare*; hoc eſt, agnoſcite vos inopes; neque enim cibaria illis ſuppetebant. 17 * 37. *Mc. Et dixerunt eis euntes* viſne igitur ut profecti *emamus ducentis denariis panes*, *& dabimus illis manducare*. Non enim minori ſumma, quæ nobis haud ſuppetit, tot panes emi poſſunt. Alibi ſtatuimus pondus denarii Romani argentei, eſſe 76. granorum ponderis Pariſini cum $\frac{22}{35}$. noſter nummus argenteus ſcutatus, *l'Ecu*, ponderat 512. granis; ita ducenti denarii, ſi illis addas 40. grana, æquabunt pondus triginta nummorum ſcutatorum; quæ licèt ſumma mediocris, non ſuppetebat tamen diſcipulis Domini; eo præſertim tempore quo cùm rarius eſſet argentum, majoris erat pretii.

18 * 5. J *Cùm ſublevaſſet ergo oculos Jeſus*, *& vidiſſet*, *quia multitudo maxima venit ad eum*, quòd magnus eſſet numerus eorum qui adſtabant, *dixit ad Philippum*; *Unde ememus panes*, *ut manducent hi*? 19 * 6. *Hoc autem dicebat tentans eum*, experiri volens fidem ejus: *ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus*, nota ipſi erat ſua divina poteſtas.

20 * 7. *Reſpondit ei Philippus*: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis*, *ut unuſquiſque modicum quid accipiat*, ne ad guſtandum quidem tam multis ſufficerent. 21 * 38. *Mc. Et dicit eis*: *Quot panes habetis*? hic reperiuntur. *Ite*, *& videte*. *Et cùm cognoviſſent* puerum è turba habere quinque panes, 22 * 8. J *Dicit ei unus ex diſcipulis ejus*, *Andreas frater Simonis Petri*: 23 * 9 *Eſt puer unus hic*, *qui habet quinque panes hordeaceos*, *& duos piſces* [illegible], nempe duos piſces in obſonia, nempe in id omne quod ultra panem in cibo adjicitur, *ſed hæc quid inter tantos*? non ſufficient tantæ multitudini quinque panes. 24 * L *Niſi fortè nos eamus*, *& emamus in omnem hanc turbam eſcas*; quòd ab inopibus fieri non poteſt. 25 * 14. *Erant autem ferè viri quinque millia*. Sic conſtabat ſolius Dei ope tantam multitudinem poſſe in deſerto paſci: *Ait autem ad diſcipulos ſuos Mt. afferte mihi illos* panes *huc*. 26 * 39. *Mc. Et præcepit illis*, *ut accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia*, [illegible], hoc eſt *contubernia contubernia*, ſive *convivia convivia*. Hebræi pro diſtributivis nominibus, uti ſolent vocabulis geminatis. Senſus itaque eſt: in ſingula convivia diſtributi ſunt *ſuper viride fœnum*, fuſi per herbam; nam quia proximum erat Paſcha, vere novo tellus ſe induerat fœno. 27. * J *Erat autem fœnum multum in loco*.

28 * 15 L *Et ita fecerunt*: *& diſcumbere fecerunt omnes Mc. in partes per centenos & quinquagenos*. [illegible], hoc eſt diſcubuerunt diviſi velut in areolas, quales videntur in hortis. diſcubuerunt, inquam, diviſi [illegible]. Illud [illegible] eſt ipſa medicorum formula, quæ diverſas ſingularum rerum ſumendarum proportiones denotat, ut hic numerum convivarum. Aliæ areolæ, ſive alia contubernia conſtabant centum convivis, alia quinquaginta. Quoniam illa contubernia ordinata erant, & ſimilia hortorum areolis, quadriformia erant, ut fit in acie ordinata. Quæ ergo conſtabant centum viris, ſi perfectè quadrata erant, habebant in ſuis lateribus ſingulis decem convivas; ſed poterant eſſe longiora quàm lata; id eſt non ita denſa, ut faciliùs ea penetrare poſſent diſcipuli miniſtri. neque enim agmina in exercitibus ordinatis ſemper quadrata ſunt. Contubernia quinquaginta virorum non poterant eſſe quadrata; nam numerus quinquagenarius non habet radicem, ut arithmetici loquuntur: Quiſquis fuerit, miro certè ordine diſponebantur convivæ, ut ſingulis panes & obſonia diſtribuerentur; contubernia autem non conſtabant eodem numero; quia forſan non æquale ſolum erat, ut omnibus pariter locis contubernia centum convivarum poſſent explicari: non iiſdem, ſed certis ordinibus omnes diſcubuerunt; omnia enim in ſapientia ordinat Deus. 29 * J *Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia*, molliter ſuper fœnum, ut ab illis epulis non abfuerit voluptas.

30 * 19 Mt. 41 Mc. 16 L *Accepit L autem MM. L quinque panibus*, *& duobus piſcibus*, L *reſpexit in cœlum*, ut fieri ſolet ab eo qui benedicit, 31 * 11. J *Et cùm gratias egiſſet*, [illegible]. apud Matthæum, Marcum & Lucam [illegible]. Utrumque autem verbum videtur eandem rem indicare, ſcilicet Jeſum Deum laudaſſe, piam orationem protuliſſe ſuper panes, L *benedixit illis*, *Mc.* L *& fregit panes*; Hebræi enim panes frangebant, non dividebant cultro. 32 * L *Et diſtribuit diſcipulis ſuis*, *ut ponerent ante turbas*; *diſcipuli autem turbis* J *diſcumbentibus*, dedit diſcipulis tum ut teſtes eſſent certiores miraculi, tum ut decorum in miniſterio ſervaretur. 33 * J *Similiter & ex piſcibus Mc. diviſit omnibus*, ut manducarent J *quantum volebant*. 34 * 20 *Mt. 42. Mc. 17* L *Et ita manducaverunt omnes*, *& ſaturati ſunt*. 35 * 12 J *Ut autem impleti ſunt* omnes, *dixit diſcipulis ſuis*: *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta*, *ne pereant*. Quo ſignificatur omnes famem expleviſ-

ſe.

36 * 13. *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverunt; Mc. & de piſcibus.* Quæ omnia à Chriſto ita directa, ut & de neceſſitate, & de veritate, & de magnitudine miraculi certò conſtaret. Duodecim cophini fragmentorum ſublati ſunt pro numero Apoſtolorum. Singuli Apoſtoli, ut videtur, cophinum attulerant, more Judæis uſitato, *quorum cophinus fœnumque ſupellex:* ut ludit Juvenalis, Satyra 3.

37 * 21 *Mt. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum exceptis mulieribus & parvulis.* Hine cùm dicat Joannes fuiſſe quaſi quinque millia, illa particula *ὡσεὶ*, habet aliquam latitudinem. 38 * 14 J *Illi ergo homines* quos paverat, *cùm vidiſſent quod Jeſus fecerat* tantum *ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè propheta* ille magnus quem expectamus, *qui venturus eſt in mundum*; id eſt, Meſſias qui dicebatur ὁ ἐρχόμενος; ut ſit ſenſus: Verè eſt ille Meſſias quem venturum expectabamus.

CAPUT XXVIII.

Dominus fugit, ne quos paverat, facerent eum regem. Interim ex juſſu ejus aſcendunt Apoſtoli navim, quæ dum mari æſtuante agitaretur, ad eos venit ambulans ſupra mare.

JOANNES, Cap. 6. ℣. 15—21.

1 * 15 JEſus ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. ¶

HARMONIA.	MATTH. Cap. 14. ℣. 22-36.	MARC. Cap. 6. ℣. 45-56.	JOANNES, Cap. 6. ℣. 15-21.
2 Mc. Et ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum transfretum, ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum.	22 Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.	45 Et ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum transfretum ad Bethſaidam, dum dimitteret turbas.	
3 Et cùm dimiſiſſet eos, *Mt.* aſcendit in montem ſolus *MM.* orare. *Mt.* Veſpere autem facto, ſolus erat ibi.	23 Et dimiſſa turbas aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto, ſolus erat ibi.	46 Et cùm dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.	

JOANNES.

4 * 16 Ut autem ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare.
5 * 17 Et cùm aſcendiſſent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant; & non venerat ad eos Jeſus.

MARCUS.

6 * 47 Et * cùm ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

* *Sabbato poſt ciner.*

MATTHÆUS.

7 * 24 Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus.

JOANNES.

8 * 18 Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

9 *Mc.* Et

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	JOANNES.
9 *Mc.* Et videns eos laborantes in remigando, *MM.* erat enim ventus contrarius *Mc.* eis.	erat enim contrarius ventus.	48 Et videns eos laborantes in remigando; erat enim ventus contrarius eis.	
10 *Mt.* Quarta autem vigilia *MM.* noctis venit ad eos ambulans *Mt.* ſuper mare.	25 Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare.	& circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare:	

J O A N N E S.

11 * 19 Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt, MARCUS. & volebat præterire eos.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	JOANNES.
12 *Mt.* Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes: Quia phantaſma eſt, & præ timore clamaverunt.	26 Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaverunt.	49 At illi ut viderunt eum ambulantem, ſupra mare putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.	
13 *Mc.* Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.		50 Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.	
14 *Mt.* Statimque Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam.	27 Statimque Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam:	Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite,	20 Ille autem dicit eis:
15 *MM.* *J* Ego ſum, nolite timere.	ego ſum: nolite timere.	ego ſum, nolite timere.	Ego ſum, nolite timere.

M A T T H Æ U S.

16 * 28 Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas.

17 * 29 At ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de navicula ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum:

18 * 30 Videns verò ventum validum timuit; & cùm cœpiſſet mergi, clamavit dicens: Domine, ſalvum me fac.

19 * 31 Et continuò Jeſus extendens manum apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti?

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	JOANNES.
20 *J* Voluerunt ergo accipere eum in navim:			21 Voluerunt ergo accipere eum in navim.
21 *Mc.* Et aſcendit ad illos. *Mt.* Et cùm aſcendiſſent in naviculam, *MM.* ceſſavit ventus, *J* & ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant.	32 Et cùm aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus.	51 Et aſcendit ad illos in navim, & ceſſavit ventus.	& ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant.
22 *Mt.* Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes: Verè Filius Dei es. *Mc.* Et plus magis intra ſe ſtupebant.	33 Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.	MARCUS. Et plus magis intra ſe ſtupebant.	

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
23 Non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum.		52 Non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum.
24 *MM.* Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram *Mc.* Genezareth, & applicuerunt.	34 Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Genezar.	53 Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Genezareth, & applicuerunt.
25 Cùmque egreſſi eſſent de navi, continuò cognoverunt eum.		54 Cùmque egreſſi eſſent de navi, continuò cognoverunt eum.
26 *Mt.* Et cùm cognoviſſent eum viri loci illius,	35 Et cùm cognoviſſent eum viri loci illius,	
27 *Mc.* percurrentes *Mt.* miſerunt in *MM.* univerſam regionem illam, *Mt.* & *Mc.* cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe.	miſerunt in univerſam regionem illam, &	55 Et percurrentes univerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe.
28 Et *Mt.* obtulerunt ei omnes malè habentes.	obtulerunt ei omnes malè habentes,	
29 *Mc.* Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos.		56 Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos,
† *Mat. 9. 21. Mar. 5. 28. Luc. 8. 44.* 30 *Mt.* Et rogabant eum *MM.* † ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent; *Mc.* & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.	36 Et rogabant eum ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, ſalvi facti ſunt.	& deprecabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant. ¶

1 * 15 JESUS *ergo cùm cognoviſſet: quia* hi quos in deſerto panibus ſatiaverat, *venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum regem*, habebant enim pro Meſſia, cujus cùm regnum fore terrenum ſtultè ſperarent, jam meditabantur excutere alieni imperii jugum: ideò ſe ſubſtraxit illis Dominus, neque enim volebat regnum ſuum eſſe de hoc mundo. Ergo *fugit iterùm in montem ipſe ſolus*, quò primùm ſe receperat, ſive potiùs in quem fugere ſtatuerat; cùm mari petivit deſertum; ſed, ut vidimus, exiens navi repertus eſt à multa turba, quæ eum præceſſerat.

2 * 45. *Mc. Et ſtatim*, ea ipſa hora fugiturus in montem *coegit diſcipulos ſuos*, præcepit illis *aſcendere navim, ut præcederent eum trans fretum*, & ideò deſcenderent ad mare *ad Bethſaidam*, unde ſolututi eſſent, *dum ipſe dimitteret populum*, ſe ſe populo expediret, quod vix potuiſſet præſentibus ſuis diſcipulis. In deſcriptione Judææ oſtendi Bethſaidam ſitam eſſe in ulteriori ripa lacus Tiberiadis, prolatis ex Joſepho apertis teſtimoniis. Eſt quædam trajectio in verbis Marci, quæ reſtitui debet ex Joanne, ut modò dicemus.

3 * 46. *Et cùm dimiſiſſet eos*: ἀποταξάμενος αὐτοῖς. Latinus interpres videtur hæc referre ad Apoſtolos; ſed & referri poſſunt ad populos qui manducaverant. verbum autem ἀποτάξασθαι, imperium dimittentis notat. Tres actiones hic diſtinctè narrantur, coactio diſcipulorum in navigium, dimiſſio turbæ, ſeceſſus in montem. Cùm ergo dimiſiſſet populos, ſive ſe illis ſubripuiſſet, *Mt. aſcendit in montem ſolus*, κατ' ἰδίαν, ſeorſum *MM. orare*, ut oraret. *Mt. Veſpere autem facto ſolus erat ibi*; tunc ab omni turba expeditus eſt, etiam à diſcipulis qui intereà deſcenderant ex deſerto ad mare ad Bethſaidam, ubi navim conſcenderent, quod dicit Joannes.

4 * 16. *Ut autem ſerò factum eſt*, cùm Jeſus aſcendiſſet montem, *deſcenderunt diſcipuli ejus ad mare.* 5. * 17. *Et cùm aſcendiſſet navim*, in portu Bethſaidæ *venerunt trans mare in Capharnaum.* ergo non in Bethſaidam, quæ ita non finis navigationis eorum fuit, ſed initium. Ex Matthæo & Mateo applicuerunt ad terram Genezareth; ſed terra illa non multùm remota eſt ab urbe Caphatnaum; unde potuit Dominus citò venire Capharnaum, ut ſecum non pugnent Evangeliſtæ.

Et tenebræ jam factæ erant, & licèt jam plurima nox eſſet, *non venerat ad eos Jeſus.*

6 * 47.

6 * 47. *Mc. Et cùm ſerò eſſet*, ea hora, qua aberat Jeſus, *erat navis in medio mari*, *&* *ipſe ſolus in terra*; nondum reverſus erat ad diſcipulos. 7 * 24. *Mt. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus.* Etenim. 8 * 18 J *mare, vento magno flante exurgebat.*

9 * 48. *Mc. Et videns eos laborantes in remigando*, quòd contra ventum remis obniti neceſſe eſſet; *MM. erat enim ventus contrarius Mc. eis.* 10 * 35. *Mt. Quarta vigilia MM. noctis*, quæ matutina eſt, appropinquante jam die, *venit ad eos ambulans Mt. ſuper mare*, illudque procelloſum ac ſæviens. Hoc facto inſigniter Chriſtus oſtendebat divinam ſuam potentiam. nam de Deo dictum eſt Job. cap. 9. ℣. 8. *Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris*: quæ ut alia pleraque de Deo dicta in libris prophetarum Chriſtus viſibiliter implevit.

11 * 19 J *Cùm remigaſſent ergo provecti quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta*, tunc temporis *vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt*; putaverunt enim phantaſma eſſe. *Mc. Et volebat præterire eos.* Id præ ſe ferebat, non intraturus in navim, niſi Apoſtoli hoc precibus ab illo expreſſiſſent. 12 * 26. *Mt. Et videntes eum ſuper mare ambulantem*, id eſt aliquem, neque enim Jeſum dignoſcebant, *turbati ſunt dicentes* omnes qui erant in navi, *quia phantaſma eſt*, ſpectrum, viſio, *& præ timore clamaverunt*, exclamaverunt exclamatione quæ metum eorum ſignificaret. 13 * 49. *Mc. Omnes enim viderunt eum*, & ideo omnes invaſerat timor, *& conturbati ſunt.* 14 * 27. *Mt. Statimque* ut liberaret eos metu *Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam*, confidite. 15 * 20 J *MM. Ego ſum*: à terriculo nocturno, à malo ſpiritu, quaſi malum vobis immineret, *nolite timere.*

16 * 28. *Mt. Reſpondens autem Petrus, dixit: Domine, ſi tu es*, videlicet Jeſus; quod vox tua videtur nobis indicare: (ergo antequam loqueretur, non eum agnoſcebant) *jube me ad te venire ſuper aquas.* quo tuæ poteſtatis ſigno certiores fiamus non alium, quàm te ipſum nos alloqui. Petrus ut ait B. Auguſtinus primus in ordine, in amore prompriſſimus erat. 17 * 29. *At ipſe* Jeſus *ait: Veni* ad me. *Et deſcendens Petrus de navicula ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum.*

18 * 30. *Videns verò*, cùm aliquo ſpatio ambulaſſet, *ventum validum* à quo propelleretur, *timuit* ne mergeretur, *& cùm jam cœpiſſet mergi*; ſic permittebat Dominus, ut Petrus perſpecta fidei ſuæ teneritudine ac inconſtantia, nihil ſibi, ſed omnia Deo & Jeſu adſcriberet. Cùm ergo jam jam mergeretur, *clamavit dicens: Domine ſalvum me fac.* ſe enim pereuntem ſentiebat, niſi ei opem ferret. 19 * 31. *Et continuò Jeſus extendens manum apprehendit eum*, ſuſtinuit ne mergeretur: *Et ait illi: Vir modicæ fidei, quare dubitaſti*, fluctuaſti inter fidem ac diffidentiam?

20 * 21 J *Voluerunt ergo accipere eum in navim*, efflagitaverunt ut aſcenderet in navim; videbatur enim eos præterire velle. 21 * 15. *Mc. Et* rogatus *aſcendit ad illos.* 32. *Mt. Et cùm aſcendiſſent in naviculam*; Jeſus unà cum Petro, tunc *MM. ceſſavit ventus*, facta eſt tranquillitas magna; J *& ſtatim navis fuit*, appulit *ad terram, in quam ibant*, jam ſecundis ventis & fluctibus, qui priùs contrarii erant.

22 * 33. *Mt. Qui autem in navicula erant*, ubi in eam aſcendit, *venerunt, & adoraverunt eum, dicentes* tanto miraculo confirmati: *Verè filius Dei es.* Tu es Meſſias, quem, ut dixi, omnes ſciebant eſſe filium Dei. *Mc. Et plus magis intrà ſe ſtupebant*, ἢ λίαν ἐν ἑαυτοῖς, non incommodè reddideris, vehementer, magis ac magis ſtupebant; etenim numquam ſic animadverterant, quæ eſſet poteſtas ejus. 23 * 52. *Non enim intellexerunt de panibus*, ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, quod factum fuerat illis panibus. non attenderant ſatis ad miraculi prioris magnitudinem: quod ſi feciſſent, non erat cur iſta ſupra mare ambulatio & ſedatio tempeſtatis adeo illis præter opinionem eveniret. *Erat enim cor eorum obcæcatum.* occaluerat ad Chriſti miranda opera ut his, quantum deceret, non commoverentur.

24 * 34 *Mt.* 53. *Mc. Et cùm transfretaſſent*, mari trajecto, *venerunt in terram Mc. Genezareth, & applicuerunt*. in portum appulerunt.

25 * 54. *Cùmque egreſſi eſſent de navi, continuò* homines loci illius *cognoverunt eum.* 26 * 35 *Mt. & cùm cognoviſſent eum viri loci illius*, 27 * 53. *Mc. præcurrentes Mt. miſerunt in MM. univerſam regionem illam*, qui nuntiarent Jeſum rediiſſe. *Mt. Et Mc. cœperunt in grabbatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre*, eos deferentes eà in loca, *ubi audiebant eum eſſe.* ſecuti ſunt eum quocumque iret. 28 * *Mt. Et obtulerunt ei omnes male habentes*, affectos quibuſcumque languoribus. 29. * 56. *Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos*, quos capere non poterant privatæ ædes, tantus erat numerus. 30 * 36 *Mt. Et rogabant eum*, cùm vix accedere poſſent ad eum, *ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent*, ſcilicet ut permitteret tangi fimbriam ſuam, cùm tot ægris manus, ut fieri ſolebat, imponere non poſſet. *Mc. Et quotquot tangebant eum*, cum fiducia recipiendæ ſanitatis *ſalvi fiebant.*

CAPUT XXIX.

Turba quam paverat Dominus, eum trans mare quærit, uſque Capharnaum, ubi Dominus ſe dicit verum vitæ panem.

JOANNES, Cap. 6. ℣. 22—40.

22 ALtera die, turba quæ ſtabat trans mare, vidit quia navicula alia
non erat ibi niſi una, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Je-
ſus in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent:
23 Aliæ verò ſupervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi mandu-
caverant panem, gratias agentes Domino.
24 Cùm ergo vidiſſet turba, quia Jeſus non eſſet ibi, neque diſcipuli e-
jus, aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jeſum.
25 Et cùm inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc
veniſti?
26 Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis
me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati
eſtis.
27 Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æter-
nam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus.
28 Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?
29 Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum
quem miſit ille.
30 Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum ut videamus, & creda-
mus tibi? quid operaris?
31 Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt:
† Panem de cœlo dedit eis manducare.

† *Exod. 16. 15. Num. 11. 7. Pſalm 77. 24. Sap. 16. 20.*

32 Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit
vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.
33 Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.
34 Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc.
35 Dixit autem eis Jeſus: Ego ſum panis vitæ: † qui venit ad me, non
eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam.

† *Eccl. 24. 29.*

36 Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis.
37 † Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad
me, non ejiciam foras:

† *In anniverſ. depoſit. def.*

38 Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed volun-
tatem ejus, qui miſit me.
39 Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne, quod
dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.
40 Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis, qui vi-
det Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo
eum in noviſſimo die. ¶

22 ALTERA *die*, *τῇ ἐπαύριον*, ſequenti die, poſt miraculum panum, quod jam declinante die factum fuerat, occaſione noctis, ſe Dominus ſubripuerat populo, montem petens, dum diſcipuli ejus Bethſaidam deſcenderunt, inde ſoluturi trans mare. *Turba* autem

illa

ubi *qua ſtabat*; id eſt, ſubſtiterat *trans mare*, ſomno experrecta eſt, manè *vidit*, ſive videbat, penſitabat *quia alia navicula non erat ibi niſi una*, cùm editum eſt miraculum, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Jeſus in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent. Turba, inquam, illa viderat abeuntes diſcipulos, Jeſus autem evanuerat ex oculis ejus, ideo incerta erat, quò ille ſe recepiſſet.

23. *Aliæ verò interea ſupervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agentes Domino*, εὐχαριστήσαντος, cùm gratias egiſſet, id eſt, ubi ſola precatione paucis panibus multiplicatis, quinque millia hominum paviſſet. 24. *Cùm ergo vidiſſet turba*, certior facta eſſet *quia Jeſus non eſſet ibi, neque diſcipuli ejus, aſcenderunt* illas *naviculas*, quæ à Tiberiade supervenerant, *& venerunt Capharnaum quærentes Jeſum* in urbe, quàm frequens incolebat. Pedeſtri itinere, ſive terra venerat turba, at remeat navibus, ut Jeſum feſtinantiùs ſequeretur.

25. *Et cùm inveniſſent eum trans mare*, in urbe Capharnaum, quò venerat ad ſynagogam, quia vel ſabbatum erat, vel alius dies quo in ſynagogam conveniebant Judæi; ſermo enim ille quem complectimur hoc capite & duobus ſequentibus, habitus eſt in ſynagoga, ut in fine ejus liquidò dicit Evangeliſta. Cùm ergo Jeſum inveniſſent, *dixerunt ei: Rabbi, quando, huc veniſti?* etenim unam navim viderant, quam non ingreſſus eſſet Jeſus cum diſcipulis ſuis; ita conſtabat illis navi eum non veniſſe; pedeſtre autem iter longum. At Chriſtus id diſſimulans, & corda eorum introſpiciens, quæ cœleſtis vitæ pabulo non multùm afficiebantur, ad interrogata non reſpondet, ea verò docet de quibus non interrogatur, & de quibus non ſatagebant Judæi.

26. *Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me* tanto ardore, *non quia vidiſtis ſigna*, nempè quæ ſigna ſunt, quibus demonſtratur tempus ſalutis adveniſſe: ſive quæ probant me verum eſſe Meſſiam, *ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*, commeatum ventri ſaturando quæritis ſine labore veſtro. 27. *Operamini non cibum, qui perit*; id eſt, circa cibum: lata eſt ſignificatio verbi ἐργάζεσθε, *operamini*, apud Judæos Græcè loquentes. In Apoc. cap. 18. v. 17. ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται; id eſt, qui in mari operantur, & circa illud verſantur. Senſus itaque eſt, ſtudete acquirere non panem qui uſu perit, *ſed qui permanet in vitam æternam*; tum in ſe, quia incorruptibilis eſt; tum in effectu ſuo, quia comedentem ſervat. Intelligit dogma Evangelicum, quo paratur vita æterna. *Quem cibum Filius hominis dabit vobis*; id eſt quem ego ipſe dabo vobis. *Hunc enim Pater ſignavit Deus*. Huic enim, id eſt mihi Deus Pater, velut literis obſignationis additis, poteſtatem hanc dediſſe teſtatus eſt, ut cibum illum vivificum darem hominibus. Mentiri non poteſt Deus; cùm ergo tantis miraculis, quæ in ejus virtute operor, doctrinam meam quaſi ſigillo confirmet, quare ad illam vix animum advertitis, cogitantes tantùm de pane materiali.

Advertendum eſt Jeſum omnia ad Patrem referre, nulla ſui propriè facta mentione, quia ut ſæpiùs monui, tunc ſufficiebat propoſito ſuo eum non haberi pro falſo propheta. Statim ac credebatur vir Deo approbatus, vincebatur pertinacia Judæorum; cætera ſequebantur, quæ aliis locis Chriſtus apertè docet de ſua cum Patre æqualitate.

28. *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?* apprimè Deo grata. 29. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei*, quod Deo placet, *ut credatis in eum, quem miſit ille*, mandatis ſuis inſtructum, ac ſpiritu velut ſigillo literis impreſſo munitum, conſignatumque. 30. *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum ut videamus* te eſſe Meſſiam à Deo miſſum, *& credamus tibi* ut Meſſiæ? Intelligebant enim Jeſum ſe dicere Meſſiam, de quo ut non ambigerent, volebant adhuc luculentiora teſtimonia habere; dicebant ergo: *Quid operaris?* quod ſignum nobis exhibes tantæ efficaciæ, ut illud videntes certò tibi credere, & confidere poſſimus? Ut elevent miraculum, cujus modo teſtes fuerant, extollunt Moyſem. 31. *Patres noſtri*, qui ſexcenties mille erant & ampliùs; cùm tu quinque tantùm millia paveris, *manducaverunt manna in deſerto*, id eſt, per totos quadraginta annos; *ſicut ſcriptum eſt*: pſalmo 77. *Panem de cælo*, de aere deſcendentem, *dedit eis manducare*. Chriſtus verò ſemel tantùm paverat eos.

32. *Dixit ergo ei Jeſus: Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cælo* verè cœleſtem, qui de ſolio Dei deſcendit, cujus panis ille in deſerto pluens tantùm umbra fuit, & figura. *Sed Pater meus* tunc temporis *dat vobis panem de cælo verum*, ſcilicet me ipſum, qui ego panis ſum vitæ. 33. *Panis enim Dei eſt* ille verè divinus, *qui de cælo*, divinæ majeſtatis ſede *deſcendit, & dat vitam mundo*, omnibus hominibus, non ſexcentis tantùm millibus.

34. *Dixerunt ergo ad eum: Domine*, non ſemel tantùm & iterum, ſed *ſemper*, quotidiè, ut fecit olim Moyſes, *da nobis panem hunc*, de quo loqueris. 35. *Dixit autem eis Jeſus* ſine ambagibus loquens: vobis licet frui optatis, ſcilicet hoc pane quem petitis; *Ego enim ſum panis vitæ*, vivificus, qui deſcendi de cœlo, quatenus Verbum Dei, qui in principio apud Deum eram. *Qui venit ad me*, qui ſequitur me, *non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam*. Alludebat Dominus ad illud Iſaiæ vaticiniu

Digitized by Google

de Meſſia, cap. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac. 2. Quare appenditis argentum non in panibus.* in fonte, pro nullo cibo: *& laborem veſtrum non in ſaturitate,* pro re minimè ſatiatura. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine,* pinguedine, *anima veſtra. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & vivet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, & miſericordias Dei fideles.* Loquebatur ergo Dominus de doctrina ſua, quam qui ſequitur, conſequetur vitam æternam, ubi nullo cibo, potuque corporali indigebit. 36. *Sed dixi jam vobis, quia & vidiſtis me* operantem miracula, quæ me à Deo miſſum probant, *& tamen non creditis.*

37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Cauſam reddit cur illi auditores ad ſe non venirent; quaſi dicat: qui electi ſunt à Deo, ad me venient; vos autem non elegit Deus: quare permiſit ut veritati manifeſtæ adverſemini. Quem mihi pater tradidit imbuendum doctrina, ille mihi fidem adhibet: in diſciplinam meam libens ſe dabit. *Et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras,* extra ſcholam. Similitudo ſumpta à diſcipulis quos pater magiſtro tradit. quomodo enim ejicerem è ſchola mea eos, quibus ut dem vitam æternam, ſum conſtitutus; 38. *Quia deſcendi de cælo,* iterum innuit ſe eſſe panem de cœlo, *non ut faciam voluntatem meam,* quæ diſſentanea ſit voluntati Patris, *ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* miſſum ſum ut omnia agam congruenter Paternæ voluntati. Chriſtus deſcendiſſe de cœlo, ſive miſſus dicitur à Patre, quatenus ipſe Deus, & ideò ubique exiſtens ſe in terris exhibuit unitum carni; ſicut aſcendiſſe in cœlum, quatenus carnem ſuam cœlis intulit.

39. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo,* ut nec unus electus, quem mihi tradiderit Pater, pereat; *ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die,* ſervem videlicet ab æterna miſeria: neque enim vitam præſenti tempore felicem promitto, ſed quæ excipiat temporaneam laboribus exercitam in æternum fortunata. Ut ad alterum ſæculum attinere promiſſiones ſuas intelligerent Judæi carnales, qui de præſenti vita tantùm erant ſollicitii, adjungit: 40. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis qui videt Filium,* qui probè conſiderat, contemplatur me, & ex mea doctrina & ex miraculis agnoſcit me filium Dei, *& credit in eum, habeat vitam æternam,* dignus habeatur vita æterna. *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die,* poſtquàm eum ſuſcitavero à mortuis ut vita æterna & felici fruatur. Hic manifeſta fit alluſio ad ſerpentem æneum, quem cùm à ſerpentibus percuſſi aſpicerent, ſive viderent, ſanabantur, Num. cap. 21. ℣. 9.

CAPUT XXX.

Judæis murmurantibus, quòd ſe Dominus panem vitæ dixiſſet: inſuper adſtruxit carnem ſuam cibum eſſe, & potum ſanguinem.

JOANNES, Cap. 6. ℣. 41–59.

41 MUrmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.
42 Et dicebant: Nonne hic eſt Jeſus Filius Joſeph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo deſcendi?
43 Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem:
44 † Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.
45 Eſt ſcriptum in Prophetis: † Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.
46 Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.
47 Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.
48 Ego ſum panis vitæ.

† Fer. 4. quat. temp. Pent.

† Iſa. 54. 45. 13.

49 † Pa

49 † Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. † Exod 16.15.
50 Hic eſt panis de cœlo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit,
non moriatur.
51 Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi:
52 Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis,
quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. ¶
53 Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic
nobis carnem ſuam dare ad manducandum?
54 Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveri-
tis carnem Filii hominis: & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vi-
tam in vobis.
55 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vi-
tam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.
56 * † Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. * In ſeſto Euchariſtiæ.
57 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me ma- † 1. Cor. 11.27.
net, & ego in illo.
58 Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui man-
ducat me, & ipſe vivet propter me.
59 Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducaverunt
patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in
æternum. ¶

41 MURMURABANT *ergo Judæi de illo*, turbati offenſique querebantur, *quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*. Cur his verbis turbarentur, & offenderentur, in cauſa erat humilis ſecundum opinionem illorum conditio ejus: aliam enim in illo naturam non agnoſcebant, quàm humanam. 42. *Et ideo dicebant: Nonne hic eſt Jeſus*, quem optimè etiam de nomine noſcimus, ut non poſſimus falli. *Filius Joſeph* hominis fabri, cujus itaque *novimus patrem & matrem*. *Quomodo ergo*, cùm ea ſit ejus origo, *dicit hic: Quia de cœlo deſcendi*? Non iniqua poſtulatio, ſi Jeſus merus homo fuiſſet: quin debuiſſet reſpondere quod reſpondent, qui eum pro Deo non habent: non alio ſenſu de cœlo deſcendiſſe niſi quòd doceret doctrinam cœlo deductam. Verùm longè abeſt, ut iſtam amoveat opinionem de ſe; quòd reipſa de cœlo deſcenderit; illam adſtruit confirmatque, eadem repetens, & addens iterum ſe aſcenſurum in cœlum, ubi priùs erat. Non, ergo, quæritur malè accipi ſermones ſuos, ſed illis fidem non adhiberi.

43. *Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem*, μετ' ἀλλήλων, inter vos: etenim jam inter ſe diſcordes alii beniginiùs, alii pejus de Chriſto ſentiebant: ut paulò poſt declarat Evangeliſta: *Litigabant ergo ad invicem*. Sic reſpondet Dominus, quaſi dicat: Ne litigetis inter vos: nec ulli mirum ſit, ſi quorumdam pertinacia, meis non vincatur miraculis. 44. *Nemo poteſt venire ad me*, mihi credere quòd ſim Meſſias; ac proinde agnoſcere cœleſtem illam excellentiam, quam indicavi dicens ex cœlo me deſcendiſſe, *Niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum*, adduxerit ad me cœleſti ſua gratia, eo ſenſu quo dicebat carnem non revelaſſe Petro ſe eſſe Filium Dei. Qui negant interiores gratias, quibus duritiem cordis, & cæteros animi morbos ſanat Deus, omnem favorem Dei reputantes doctrinam & conſpicua miracula, hic & ubique vim coguntur afferre ſcripturis. Omnibus enim conſpicua erant Chriſti miracula, ſermo ejus omnium aures pulſabat; ſed hæc miracula, & doctrina iis ſolùm proderant, quos Deus trahebat. trahit verò non neceſſitate, ſed voluptate, ut quos trahat, delectet ſequi trahentem. Trahuntur enim miris modis, loquor verbis magni Auguſtini, ut velint, ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. *Magna autem gratiæ commendatio: Nemo venit niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare ſi non vis errare.*

Nemo inquam, ait Dominus, poteſt venire ad me; niſi à patre tractus; *& ego reſuſcitabo illum*, hunc quem adduxerit ad me Pater *in noviſſimo die*; etenim quæ bona largiturus eſt, non hujus ſæculi ſunt. Protinus confirmat prophetarum vaticiniis Chriſtum verè eſſe Deum, ſimul & eos qui ad ſe venirent, trahi à Deo, ſeu effici dociles. 45. *Eſt ſcriptum in prophetis*, pro in uno, vel in aliquo loco prophetarum, vel

Digitized by Google

in libro prophetarum; nam hæc reperiuntur in Iſaia, in Jeremia, Ezechiele, & Michæa. *Et erunt omnes docibiles Dei*, *πάντες διδακτοὶ θεοῦ*, id eſt docti à Deo. *Omnis* autem *qui audivit à Patre*, quem interiùs docuit Pater; *& didicit*, efficaciter Deo docente & revelante, me eſſe verè filium ejus, *venit ad me*. 46. *Non quia Patrem vidit quiſquam*. Qui autem docti ſunt à Patre, interiùs docti ſunt; neque enim Deum ipſum viderunt: non vidit quiſquam Deum *niſi is qui eſt à Deo miſſus*, *hic vidit Patrem*: ita quod vaticinati erant prophetæ, implebatur, tum Deo interiùs docente eos qui Chriſto credebant, tum quia Chriſtus ipſe Deus verus doceret populos, qui ita verè docti erant à Deo; eodem ſenſu quo Joannes dicit, cap. 1. ℣. 18. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit*.

47. *Amen, amen dico vobis: qui credit in me*, habet me pro Filio Dei, & recipit mandata mea, *habet vitam æternam*, particeps erit æternæ felicitatis. Redit ad id quod dixerat occaſione panis materialis quem Judæi quærebant, ſe verum panem eſſe quem quærere deberent. *Ego ſum panis vitæ*: quod non ſolum accipiendum & metaphorico ſenſu, quaſi id unum ſignificatum vellet, paſcendum eſſe animum doctrina quam prædicaret; ſed reipſa ſe eſſe cibum dicebat Dominus, & cibum quo non ſolùm vita præſens morti obnoxia alitur, ſed & vita æterna paratur, & ideo præſtat quocumque alio cibo etiam manna.

49. *Patres enim veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt*. Proderat tantùm corpori manna. 50. *Hic* autem panis, de quo loquor, (ſeipſum intelligit) *eſt panis* verè *de cælo* de ſede majeſtatis divinæ *deſcendens*, cùm manna deſcenderet de aere, de nubibus. Ita *ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*, fruatur vita immortali. 51. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi*. Utitur aperto ſermone. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Subjungit Dominus, quòd ideo ſe panem dixiſſet, quia verus eſſet cibus, quo animus aleretur. *Et panis, quem ego dabo*, *ipſa caro mea eſt* (quam ego dabo, ut habet codex Græcus) *pro mundi vita*; quam in cruce patri offeram in ſacrificium pro peccato. Non hic vacat lites perſequi quæ inter nos & Heterodoxos agitantur. Scribo Orthodoxis, qui ſibi gratulentur doctrinam quam in Eccleſia catholica didicerunt, ubique ſacris ſcripturis conſentaneam eſſe. Jeſus Verbum Dei eſt æterna ſapientia Patris, in animis omnium lucens. cùm illam non audirent carnales homines, ideo caro facta eſt, cui ut adhærere & conjungi poſſemus, iterum voluit ad inſtar cibi in nos ipſa ingredi. Itaque Verbum Dei quod à rerum principio intra nos eſt; ſed non agnoſcebamus, quia incorporeum, carnem factum in alimentum ſe præbet. Illa quidem mira ſunt; ſed mirari deſinant Chriſtiani, qui credunt Verbum Dei carnem eſſe factum. Etenim quis diffidat verè & alimentum factum, cùm id dicat tot claris apertiſque verbis; incredibilia ergo ſint ſolis Judæis, quibus Verbi incarnati veritas nondum aperta erat.

53. *Litigabant ergo*, *ἐμάχοντο*, pugnabant, contendentes ad invicem *πρὸς ἀλλήλους*; neque enim omnes eadem de Jeſu ſentiebant. Pars, vel plerique eorum, *dicentes*: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* neque enim modum hujus manducationis capiebant, opinantes ab illo carnem apponendam in fruſta conciſam; & ſic paſcendos viva ejus carne, ut cùm bovilla, agnina, vitulina quis veſcitur; quod Capharnaitæ videntur exhorruiſſe.

Non ideo minus Dominus aſſerit carnem ſuam eſſe manducandam; quod neutiquam faceret, ſi, ut volunt Heterodoxi tantùm ſignificaſſet ſermonem ſuum eſſe pabulum ad vitam æternam; & ſanguine ſuo, id eſt morte ſua potandos eſſe homines, id eſt, conſecuturos gaudia æterna; & ita carnem ſuam accipiendum ut qui doctrinam ejus amplexarentur, ſpiritum ejus, verè acciperent participes ſubſtantiæ ejus. Cur luſiſſet eos tam obſcuro & haud apto ſermone? Hocce loco uſurpare poſſumus verba Tertulliani, lib. de carne Chriſti. *Certè perverſiſſimum eſt, ut carnem nominantes animam intelligamus: & animam ſignificantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi, quàm ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt, cognominantur. Fides nominum, ſalus eſt proprietatum*.

Qui verba Chriſti ſic interpretabantur, ut verè traditurus eſſet carnem ſuam in cibum, non erraſſe certum eſt, ex eo quòd ipſe Dominus eadem iteret & confirmet. 54. *Dixit ergo eis Jeſus: Amen, amen dico vobis*. ſeriò affirmat, quod illi abſurdum putabant: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, id eſt, meam carnem, *& biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. niſi totum id, quod eſt Chriſtus, manducetis; quibus verbis opinionem de manducatione reali carnis ſuæ non amovebat, ſed infigebat altiùs. 55. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Si inſanire eſt, nobiſcum credere quia caro Chriſti manducari, & ſanguis ejus bibi poteſt, ſanè Judæos adigebat ad inſaniam Dominus, ſubdens inſuper 56. *Caro enim mea, verè eſt cibus, & ſanguis meus, verè eſt potus*.

Sperabant, quam ſpem hodie Meſſiam expectantes non abjecerunt Judæi, ab illo excipiendos eſſe lautiſſimo convivio, quod Rabbini deſcribunt multis verbis. Lautum quidem convi-

vium

vium apponendum erat à Meſſia, qui propria carne reficit nos, & potat ſanguine. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* conjungimur ſapientiæ, quæ priùs quidem erat in nobis; ſed caro facta efficaciùs nunc operatur in nobis, cùm eam accipimus in alimentum. Se vivificum ſignificat Dominus, quia ut pater ita & ipſe ſit vitæ auctor: quod ubique docuit de ſeipſo. 58. *Sicut miſit me vivens Pater*; id eſt, ſicut vivit, qui miſit me; *& ego vivo propter Patrem* διὰ τὸν πατέρα, per Patrem, id eſt ego vivo Patre authore: *Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, ſive per me, ſenſus loci eſt: Ne miremini quòd carni meæ tribuam vim vivificandi, quia Pater meus, (à quo miſſus ſum) fons eſt vitæ, vitaque ipſa, neque alia eſt vita mea, quàm Patris: non ergo mirum ſi ego quoque alios vivificem.

Ergo ſubdit: 59. *Hic panis*, de quo agitur, *eſt panis, qui de cœlo deſcendit*: verus cibus, cujus typus fuit manna, quod veram vitam conferre non poterat. Etenim. *Non* erit de hoc cibo, *ſicut* fuit de manna: *manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem*, id eſt cui caro mea eſt cibus, *vivet in æternum*. Præparabat hoc ſermone diſcipulos ſuos percipiendæ doctrinæ de ſacramento Euchariſtiæ, in qua nobis carnem ſuam dat in cibum, & ſanguinem in potum.

CAPUT XXXI.

Plerique ex Diſcipulis Domini offenſi ſermonibus ejus abeunt retro. Apoſtoli perſtant in fide

JOANNES, Cap. 6. ℣. 60—72.

60 HÆc dixit in Synagoga docens, in Capharnaum.
61 Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic
ermo, & quis poteſt eum audire?
62 Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, qui murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat?
63 Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs?
64 Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quidquam: verba, quæ
ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.
65 Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.
66 Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me,
niſi fuerit ei datum à Patre meo.
67 Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrò: & jam non cum illo
ambulabant.
68 Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?
69 Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba
vitæ æternæ habes.
70 Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.
71 Reſpondit eis Jeſus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis
unus diabolus eſt?
72 Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus
eum, cùm eſſet unus ex duodecim.

60 HÆc *dixit* Jeſus *in ſynagoga docens*, ubi plurimi aderant teſtes, *in Capharnaum* quò venerat, ut ſabbato adiret ſynagogam. 61. *Multi ergo audientes*, etiam *ex diſcipulis ejus, dixerunt, Durus eſt hic ſermo*, incredibilis eſt, *& quis poteſt eum audire?* Durior ipſe videretur Jeſus,

Jeſus, ſi videns diſcipulos ſuos aberrare à vero verborum ſuorum ſenſu, ſi vera viderent Heterodoxi). eos ſiviſſet errare in re tanta, cùm in cæteris adeò ſollicitus ſit docere illos, quæ non ſatis intelligerent: ſed & errorem auxiſſet; quò enim fidem adſtruat verbis, ſuis ut incredibilia illa non videantur, quæ dixerat de manducanda carne ſua, oſtendit quæ ſit ſua dignitas, & inde quanta poteſtas.

62. *Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum*, ex ſe ipſo, ideſt, nullo indicante, quippe Deus cui interiores cogitationes patent, *quia murmurarent de hoc* etiam *diſcipuli ejus*, quòd dixerat carnem ſuam daturum in cibum, *dixit eis: Hoc vos ſcandalizat*: hoc vos offendit tanquam incredibile, quia nondum innotuit vobis, quis ſim. 63. *Si ergo videritis Filium hominis*, me ipſum, *aſcendentem in* cœlum, *ubi erat priùs?* hoc dicit ut abduceret eos ab ea opinione qua putabant, eum filium eſſe Joſeph; nam qui credebat, quòd in cœlo eſſet priùs, quò & futurum erat ut aſcenderet quatenus homo, ubi erat priùs ut Deus, jam non credebat eum Joſephi filium, ſed Dei; nec ultrà, ſermo ejus durus videri poterat.

Verùm juxta aliquos de Socini grege, verba illa, *ubi erat priùs*, intelligenda ſunt de converſatione Domini in cœlo, ubi jam animo erat, antequam è terris in illud aſcenderet, ambiguo ergo ſermone majorem quàm decebat, de ſe opinionem Jeſus ingeſſiſſet diſcipulorum animis; deſcenſum enim ſuum de cœlo committit cum aſcenſione; realis ergo ejus in cœlum aſcenſio docebat, & reipſa in cœlo antea fuiſſe, ſive tam verè Chriſtum priùs fuiſſe in cœlo, quàm verè poſteriùs in illud aſcendit. Prætereà in hoc eodem ſermone dixerat ſe è cœlo deſcendiſſe: cùm igitur innuit fore ut aſcenderet ubi erat priùs, quomodo non intellexiſſent diſcipuli Jeſum verè aſcenſurum ubi erat priùs, videlicet in cœlum: non deſcenderat autem de cœlo, ſi non alio ſenſu priùs in illo erat, niſi quatenus converſatio ejus in cœlis erat, quod Apoſtolus tribuit omnibus Chriſtianis: *noſtra autem converſatio in cœlis eſt*, animus enim ejus ſemper erat in cœlo.

His argumentis preſſi Sociniani comminiſcuntur iter à Domino ſuſceptum in cœlos ante hoc colloquium, ut ſuprà diximus; nullam autem hujus itineris mentionem fieri in ſacris literis fatentur. Unde ergo veram ejus mentem aſſequi potuiſſent, quibus illud iter ignotum erat? Sed & ipſæ ſcripturæ refellant hocce commentum; docet enim Paulus Chriſto homini non patefactos cœlos, niſi per proprium ſanguinem, quemadmodum ſancta ſanctorum per vitulorum ſanguinem. Capharnaitæ conceperant ex verbis Domini carnem ejus ſibi dilaniandam proponi, ut ea ſaginarentur, ideò dicit 64. *ſpiritus eſt qui vivificat*. Non caro vitam dat animæ, ſed anima vivificat carnem; ita non ſola caro mea, ſed ſpiritus cum carne vos vivificabit. Caro & corpus ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima Deo ſaginetur, ait Tertullianus, cap. 8. de reſurrect. carnis. Addit Dominus, *caro non prodeſt quidquam*, nempe ad illam vitam de qua agitur, cùm deſtituitur ſpiritu à quo omnis virtus ejus. *Caro*, inquit Beatus Auguſtinus, *non prodeſt quidquam. Sed quomodo illi intellexerunt? carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur: proinde ſic dictum eſt, caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt ſcientia inflat. Jam ergo debemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Et quid eſt, ſcientia inflat? Sola, ſine caritate; ideò adjunxit, caritas verò ædificat. Adde ergo ſcientiæ caritatem, & utilis erit ſcientia: non per ſe, ſed per caritatem. Sic etiam nunc, caro non prodeſt quidquam, ſed ſola caro: accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum; nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret.*

Verba, quæ ego locutus ſum vobis, inquit Dominus, de carne mea pro mundi vita danda, *ſpiritus & vita ſunt*, non carnaliter intelligenda ſunt, ſed ſpiritualiter; primùm de ſpiritu intelligenda quia ſcilicet is vivificat; 2. de carne non mortua, ſed viva locutus ſum. *ſpiritus* autem ibi ponitur pro *ſpiritualia*; & dicitur *vita* id quo paratur vita æterna. De alenda hac vita præſenti non agitur, premendò carnem coctam vel aſſam dentibus, non ſaginanda caro ſed mens: mea caro vera eſt caro ſed carnaliter tantùm manducari non debet. Itaque (loquentem inducimus Chriſtum.) ſi mentem ad verba mea attendeteis, verum ſenſum eorum aſſequeremini. 65. *Sed ſunt quidam ex vobis*, qui nec attendunt ad verba mea, *qui* omninò *non credunt*. Hæc aſſeveranter dicit. *Sciebat enim ab initio Jeſus*, ab eo primo tempore, quo ſinguli ejus diſcipuli eum ſectari cœperant, *qui eſſent non credentes*: quorum fides vacillaret; *& quis* eò perfidiæ veniret, ut *traditurus eſſet eum*. 66. *Et dicebat: Propterea dixi vobis*, vos præmonui *quia nemo poteſt venire ad me*, mihi credere *niſi fuerit ei datum à patre meo*, ut credat, noveram enim pleroſque ex vobis incredulos.

67. *Ex hoc* tempore, vel ea occaſione; vel propter hoc, *ἐκ τούτου*, alii ſubintelligunt χρόνου, alii ῥήματος. *Multi diſcipulorum ejus abierunt retrò*, deſciverunt eo relicto: *Et jam non cum illo ambulabant*, non ampliùs ut magiſtrum ſectabantur. 68. *Dixit ergo Jeſus ad duo-*

decim

decim Apoſtolos: *Numquid & vos vultis abire?* an & vos renuiſtis fidem præbere dictis meis? 69. *Reſpondit ergo ei Simon Petrus*, cæteris fervidior, *Domine, ad quem ibimus?* quem alium præceptorem inveniemus? *verba vitæ æternæ habes*; affirmat idem ſe ſentire, quod Chriſtus modò dixerat, ipſius ſermones duces eſſe ad vitam æternam. 70. *Et nos credidimus* pridem, *& cognovimus*, certò perſuaſi tùm miraculorum conſpectu, tùm ſermonis efficacia, atque authoritate *quia tu es Chriſtus*, Meſſias, verus *Filius Dei*.

71. *Reſpondit ei Jeſus*, dum diceret Petrus *& nos credidimus*: falleris Petre, ignoras quempiam ex veſtro numero non credere. *Nonne ego vos duodecim elegi* in propiorem amicitiæ gradum, in contubernium, & tamen *ex vobis unus diabolus eſt*; homo diabolicus, delator, calumniator, ut ſonat illud nomen; verba & facta mea calumnioſè interpretatur, qui eò veniet, ut deferat me apud principes iniquus delator. 72. *Dicebat autem*; id eſt, notabat *Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet*, etiam ſi eſſet *unus ex duodecim*. Hoc addidit Joannes, ne quis de aliquo alio Apoſtolorum dictum ſuſpicaretur.

COM-

COMMENTARIUS IN HARMONIAM, SIVE CONCORDIAM QUATUOR EVANGELISTARUM.

LIBER QUARTUS.

VITA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI à Paſchate poſt Baptiſmum ſecundo, ad ejus Paſſionem.

CAPUT PRIMUM.

Occaſione Galilæorum quos occiderat Pilatus, & horum qui oppreſſi fuerant ruina turris, Dominus declarat omnes quotquot pœnitentiam non egerint perituros, Mulierem infirmam ſanat in die Sabbati.

LUCAS, Cap. 13. ℣. 1—17.

1 ADerant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.
2 Et reſpondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt?
3 Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.
4 Sicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jeruſalem.

5 Non

5 Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter
peribitis.
6 † Dicebat autem & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat qui- *† Sabb. 9 ast. temp. Sept.*
dam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non
invenit.
7 Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quæ-
rens fructum in ficulnea hac; & non invenio; ſuccide ergo illam: ut quid
etiam terram occupat?
8 At ille reſpondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, uſ-
quedum fodiam circa illam, & mittam ſtercora:
9 Et ſiquidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.
10 Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis.
11 Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem &
octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.
12 Quam cùm videret Jeſus, vocavit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, di-
miſſa es ab infirmitate tua.
13 Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.
14 Reſpondens autem archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet
Jeſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his er-
go venite, & curamini, & non in die ſabbati.
15 Reſpondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unuſquiſque
veſtrùm ſabbato non ſolvit bovem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit
adaquare?
16 Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem &
octo annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die ſabbati?
17 Et cùm cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus: & om-
nis populus gaudebat in univerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo. ¶

FRUSTRA quis ſperet omnium quæ teſe- runt Evangeliſtæ vera tempora, & veram ſeriem æquè certè ſciri poſſe, at nota & certa ſunt ipſa Evangelia. Evangeliſtæ nobis non pateſecerunt hæc omnia tempora, hanc veram ſeriem; ergo, ſiquidem illa certè deprehendi non poſſunt, reſtat ut non temerè, ſed eo diſponamus ordine qui proximior & ſimilior eſt vero. Maldonatus exiſtimat hocce loco Evangelii mentionem fieri de ſeditione quam à quodam impoſtore Samaritano excitatam compreſſit Pilatus compluribus Samaritanis trucidatis, qui huic impoſtori adhæſerant. Sed horum ſanguinem miſcuiſſe cum ſacrificiis quæ offerrent, non dicit Joſephus Antiquit. lib. 18. cap. 5. à quo rem iſtam Maldonatus accepit. Præterea in Evangelio nominantur Galilæi, non Samaritani. Qui ergo illi Galilæi, quorum ſanguinem miſcuerit cùm ipſorum ſacrificiis Pilatus, id eſt quos occiderit inter ſacrificandum? In incolas Galilææ jus non habuit, quandiu verſarentur extra Judæam in patria ſua, cujus princeps erat Herodes, vel Philippus. Non igitur cædes illa perpetrata eſt in Galilæa quæ erat extra fines poteſtati Pilati præſcriptos. Viri docti conjiciunt hoſce viros non tam patria, quàm religione, ſive doctrina fuiſſe Galilæos. Apud Joſephum legimus Antiq. lib. 18. cap. 1. eo tempore, quo Quirinus deſcripſit Judæam, & impetavit tributum, extitiſſe quemdam Judam Gaulonitem ortum ex oppido Gamala, quæ urbs eſt Gaulonitidis, ſive hujuſce Galilææ, quæ eſt ultra lacum Genezareth: nam quem hic Gaulonitem, alibi, nempe lib. 20. cap. 3. appellat Galilæum. Ille Judas dictitabat hanc deſcriptionem nihil aliud eſſe, quàm manifeſtam profeſſionem ſervitutis, quartam, ut ait Joſephus, ſectam invehens inter Judæos, nempe eorum qui ſentirent nullum tributum Cæſari dandum, nec allum Dominum agnoſcendum quàm Deum. Judas ille non alius eſt à Juda Galilæo, de quo hæc in actis legimus, cap. 5. ℣. 37. *Extitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis*, τῆς ἀπογραφῆς, deſcriptionis, *& averti populum poſt ſe, & ipſe periit: & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.*

Sicut Judæ Gaulonitæ, ſive Galilæi factio ortum in Galilæa, ita & ibi multos defenſores habuit; qui nominati ſunt, ſive à regione ill[illegible], ſive à ſuo magiſtro. Secta enim Judæ non omnino cum eo interiit, ſed ſubinde renovata eſt;

ut ac-

ut accipimus ex hocce loco Joſephi, lib.2. de bello. cap.17. *Manahemus quidam, filius Judæ Galilæi, callidiſſimi illius Sophiſtæ, qui quondam ſub Cyrenio exprobraverat Judæis, quòd poſt Deum ſubjicerentur Romanis, aſſumptis quibuſdam Nobilium, perrexit in Maſſadam, ubi armamentarium Herodis regis erat; eoque perrupto populares alioſque latrones diligenter armavit. Hiſque utens ſtipatoribus, velut rex Hieroſolymam revertitur: factuſque princeps ſeditionis, oppugnationem diſponebat.* Idem Joſephus mentionem faciens, lib. 7. de bello, cap.28. cujuſdam viri præpotentis Eleazari nomine, qui uctor extitit ſeditionis adverſus Romanos. *Erat*, inquit, *ex origine Judæ*, *Xnlyerus idda*, *qui non paucis Judæis perſuaſerat, ut antè diximus, ne pr feſſionem facerent*, *μὴ ποιῆσαι τὰς ἀπογραφάς*, *quando Cenſor Cyrenius in Judæam miſſus eſt. Tunc enim Sicarii conſpiraverunt in eos, qui Romanis dicto audientes eſſe vellent: omnique modo his quaſi hoſtibus utebantur, diripiendo quidem, & abigendo eorum bona, ignem verò domibus injiciendo. Nihil enim illos ab alienigenis differre dicebant, qui libertatem Judæorum etiam pugna petendam prodidiſſent tanta ignavia: magiſque ſe optare ſub Romanis ſervitium profeſſi eſſent.*

Veriſimile eſt; tales Galilæos, quoties Hieroſolymam ventilabant religionis ergo ad dies feſtos, populum imbuiſſe opinionibus quæ imperio Romano adverſarentur, & plures ſeditiones moviſſe, quarum aliquas, non omnes Joſephus memoravit; ideo impoſitum præſidium Romanum turri Antoniæ, quæ conjuncta erat Templo. *Semper enim*, inquit Joſephus, lib.6. de bello, cap. 6. *in ea turri Romani milites reſidebant, & in porticibus Templi cum armis appoſiti cuſtodes, ne quid populus feſtis diebus novi committeret, obſervabant.* Igitur fieri potuit ut Pilatus nova molientes Galilæos interfecerit inter ſacrificandum, nempe in die feſto Paſchatis, ut puto, in quo mactatio agni Paſchalis ritè fiebat à quocumque; etenim non erat proprium ſacerdotum munus niſi excipere ſanguinem mactati agni, & eo altare aſpergere; ideo contigit ut ſanguis Galilæorum mixtus ſit cum ſacrificiis eorum, quia eos oppreſſit Pilatus in ipſo Templo, ac ipſa hora qua mactabant agnos Paſchales. Ita Evangeliſta locutus eſt eodem ſenſu quo Philo, libro de ſpecialibus legibus dicit abſtrahendum fuiſſe homicidam ab aris, ne à cognatis viri occiſi inter altaria ipſa occideretur, *& ſic victimarum ſanguis miſceretur cum homicidarum ſanguine, ſacratus cum execrabili.*

Ne quis verò cogitet rem eſſe ſine exemplo ut Pilatus ſtragem Galilæorum ediderit in Templo, quod & ipſi Romani reverebantur, diſcat à Joſepho, lib.6. de bello, cap. 1. quid ipſi Judæi ſeditione inter ſe diviſi fecerint, Templum oppugnantes. *Miſſilia namque machinarum u ad aram uſque, Templumque pervenientia in ſacerdotes ſacra celebrantes cadebant: ac multi, qui properantes ab ultimis finibus terræ ad ſanctiſſimum locum veniſſent, ante ipſas hoſtias procubuerunt, aramque univerſis Græcis & barbaris adorandam ſuo ſanguine imbuere.* Tale quid contigerat, cùm Archelaus mortuo Herode patre primùm venit in Templum in feſto Paſchatis, etenim coram Cæſare exprobravit illi Antipater multitudinem infinitam cæſam in Templo; qui cùm veniſſent ad diem feſtum, inter hoſtias, quas ipſi mactaturi venerant *παρὰ τὰς ἰδίας θυσίας*, crudeliter ſunt jugulati; adeo ut tantum funerum in Templo ſit congeſtum, quantum nullum ab externis illatum bellum implacabile congeſſiſſet. Sed ad rem præſentem imprimis facit quod idem Joſephus narrat, lib. 20. cap.4. Antiq. *Inſtante*, inquit, *feſto Paſchæ ... concurrentibus undique ad ſolemnitatem turbis plurimis, veritus Cumanus ne inde naſceretur motus aliquis, juſſit cohortem unam armatam ſtare ſupra Templi porticus cohibituram tumultum, ſi quis forte exiſteret. Nam idem & alii ante illum præſides factitaverunt feſtivitatum temporibus. Ejus feſti die quarta miles quidam oſtendit populo nudata genitalia; qua contumelia furentes vociferabantur non ſe affectos, ſed ipſum Deum quem honoraret illa celebritas. Et quidam audaciores in Cumanum jactabant convitia, dicentes ab illo ſubmiſſum petulantem illum militem. His auditis Cumanus & ipſe non mediocriter iratus eſt: rogabat tamen ut deſinerent movere ſeditionem feſto tempore. Cùmque illi adeò non parerent, ut majoribus etiam impeterent eum conviciis, jubet totum exercitum cum armis convenire in Antonium Caſtellum imminens Templo &c.*

Ex his colligimus non abludere vero Galilæos de quibus agitur, fuiſſe viros ſeditioſos ſectatores Judæ Galilæi, quos occiderit Pilatus in feſto Paſchatis in ipſo Templo. Siquidem verò res iſta non enarrata ſit à Luca niſi capite decimo tertio, Paſcha illud haberi non poteſt pro primo poſt baptiſma, cui interfuit Dominus, ſed pro ſecundo cui adfuiſſe nullus ex Evangeliſtis innuit. Quærebant principes ſacerdotum, & Phariſæi eum interficere; cùm ergo nondum veniſſet hora ejus, potuit in Galilæa ſub alio principatu commorari, nec Hieroſolymam petere ad feſtos dies; periculum enim vitæ in quod incurriſſet, legitimum impedimentum erat; præterquam potuit intereſſe Paſchati quod agebatur menſe ſecundo ab iis qui illud non egerant in primo menſe; nam ex narratione Lucæ patet poſt nuntiatam cædem Galilæorum, eum protinus direxiſſe iter ſuum verſus Hieroſolymam.

1. *Aderant autem quidam ipſo in tempore nun-*

tien-

tiantes ut rem novam, quæ tum fortè acciderat *de Galilæis*, Judæ Galilæi ſectatoribus, *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*: quos ſacris intentos, putà mactando agno Paſchali, oppreſſerat; dum cæteros Judæos commoverent dictitantes pendere tributa Romanis illicitum eſſe. Hæc Hieroſolymis tranſacta probavimus. Nuntiabantur ab iis qui ex hac ſancta civitate revertebantur, ut recentia; neque enim nuntiantur niſi res novæ: quæ olim geſtæ ſunt commemorantur.

2. *Et reſpondens* Jeſus *dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi*, quos occidit Pilatus, *præ omnibus Galilæis*, quos Judas ad partes ſuas adduxerat, *peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt*; quaſi ſolos flagitioſiores ſinat Deus affligi.

3. *Non, dico vobis*: rem non ita eſſe denuntio; *ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*. Chriſtus prædicit Judæis omnibus niſi maturè reſipiſcant, exitium ſimile ei quod nuntiabatur. Innumeri Judæi in ipſo Templo poſteà neci dati ſunt à Romanis, dum ſeditiones novas molirentur. *Plectuntur interim quidam*, ut ait B. Cyprianus, *quò cæteri corrigantur: exempla ſunt omnium, tormenta paucorum*.

4. *Sicut illi decem & octo, ſupra quos nuper cecidit turris in Siloe, & occidit eos*. Rem eſſe recentem liquet; turris autem in Siloe ἐν τῷ Σιλωὰμ, ſupple τόπῳ, loco, vel ποταμῷ, propter adjunctum articulum: fuit enim Siloam rivulus undeaquæ ductus in urbem ferebatur. Magnus ad hunc fontem fiebat hominum concurſus; inde hauriebatur aqua libanda in Templo in ſolemnitate Tabernaculorum. Ad illum fontem Cæcum cujus oculos aperuerat, miſit Dominus. Cùm ergo locus eſſet magnæ frequentiæ, & circa dies Paſchatis ceciderit turris ad hunc fontem ſita, potuit plures Judæos ruina ſua obruere. Vos autem Judæi, *putatis quia* & ipſi debitores fuerint, ὀφειλέται, id eſt rei hujuſmodi pœnæ & mortis, *præter omnes homines habitantes in Jeruſalem*. Præpoſitio Græca παρὰ poterat reddi *præ*: putatis quia præ omnibus incolis Jeruſalem rei ſunt, ſive deberent talem pœnam.

5. *Non ita eſt, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, inter ruinas urbis totius, cujus imaginem iſta turris exhibet. 6. *Dicebat autem* Jeſus *& hanc ſimilitudinem*, ſive parabolam, qua admonebat Judæos à Deo proximè plectendos, niſi mores ſuos mutarent. *Arborem fici*, ſive ficum arborem *habebat quidam plantatam in vinea ſua*. Vinetum eo in loco eſt genus humanum omne in quo ficus, populus Judaicus, qui læta fronde ſtatim ſpem de ſe egregiam præbuerat. *Et venit quærens fructum in illa, & non invenit*. Chriſtus venit ad Judæos à quibus excipiendus erat, & in illis non invenit fidem.

7. *Dixit autem* Dominus vineæ *ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo* tempore *venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?* τὴν γῆν καταργεῖ. quorſum terram inutilem reddit? Sunt qui hæc referunt ad tres annos quibus Chriſtus docuit; ſed id quod ſequitur, de uno anno expectando, aliud ſentire nos admonet; neque enim Deus poſt Chriſti triennium pœnas Judæorum in unum diſtulit, ſed in quadraginta annos; quare ſatius eſt *tres annos* intelligi dictos, quòd ficus quæ frugiferæ ſunt, fructum longiùs non differant. Attamen quadrat tempus ex quo Jeſus repetebat fructum pœnitentiæ à Judæis; inchoabatur enim tertius annus; & ab hocce tempore in quo hæc dicebat uſque ad paſſionem ſuam adhuc ſpatio annuo excoluit animos Judæorum, quo ſpatio confecto, everſio Judæorum ſtatuta eſt.

8. *At ille* cultor vineæ *reſpondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno*, ſine ut non ſtatim ſuccidam illam; *uſque dum fodiam circa illam & mittam ſtercora*; donec ſcilicet adhibuero omnia opportuna.

9. *Et ſi quidem fecerit fructum*. Oratio ſuſpenſa eſt, qua ſignificare voluit cultor vineæ, ſe judicium de ficu Domino relinquere. Suppleri autem poteſt hoc, vel ſimili modo: benè res ſe habebit, ſeu non erit opus eam ſuccidere, *ſin autem*, id eſt ſi ſterilis permanſerit, *in futurum*, id eſt poſteà *ſuccides eam*.

10. *Erat autem* Jeſus *docens in ſynagoga eorum ſabbatis*; quibus Judæi frequentes conveniebant in ſynagogas legis ediſcendæ cauſa. 11. *Et ecce mulier* in quodam die ſubſequentis ſabbati (forſan enim hæc ipſa dies erat ſabbatum) adfuit *quæ habebat ſpiritum infirmitatis*, ſpiritum malum à quo efficiebatur invalida, *ab annis decem & octo: & erat inclinata*, gibboſa & convulſa: *nec omnino poterat ſurſum reſpicere*; quippe vi morbi contracta, & toto corpore in terram curvata.

12. *Quam cùm videret Jeſus, vocavit eam ad ſe* ultrò, nec rogatus beneficium ingerens: *& ait illi: mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua*, ſoluta & liberata es à malo illo ſpiritu quo conſtricta tenebaris. 13. *Et impoſuit illi manus*, dum hæc diceret: *mulier, dimiſſa es &c. Et confeſtim* cùm hæc dixiſſet Jeſus, *erecta eſt*: ſubrecta quæ incurvata erat, *& glorificabat Deum*, virtutem ejus prædicans.

14. *Reſpondens autem*, id eſt tunc fari incipiens *archiſynagogus*, vir qui præerat ſynagogæ, *indignans, quia ſabbato curaſſet Jeſus*, putans ſabbatum violari, *dicebat turbæ* adſtanti, *ſex dies ſunt in quibus oportet operari*. Verba ſunt legis: ſex diebus operaberis &c. *in his ergo venite & curamini*. Præbete vos curandos; *& non in die ſabbati*,

hoc

hoc fiat. 15. *Reſpondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ;* etenim aliud ſermone præſertis, nempe zelum legis, & aliud corde premitis, nempe invidiam. *Unuſquiſque veſtrùm*, ſive quiſquis ex vobis *ſabbato non ſolvit bovem ſuum, aut aſinum præſepio*, cui alligatus eſt, *& ducit adaquare?* credebant enim Iudæi ſabbatum, ut loquebantur, propelli poſſe cùm vitæ ingrueret periculum. 16. *Hanc autem* non contentus hominem pecudi opponere, quod ſatis fuerat, adjicit, *filiam Abrahæ quam alligavit ſatanas ecce decem & octo annis:* confirma Iobi & Saulis hiſtoria permiſſum à Deo dæmonibus, ut malis affligant homines: *non oportuit ſolvi à vinculo iſto die ſabbati?* Hac reſponſione egregiè confutavit archiſynagogum Dominus, & cæteros Iudæos malevolos. 17. *Et* ideò cùm *hac diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus*, quid enim reſpondiſſent? *Et omnis populus* è contra *gaudebat in univerſis quæ glorioſè*, id eſt cum poteſtatis ſuæ glorioſa demonſtratione *fiebant ab eo.*

CAPUT II.

Pauci ſervantur: cælorum arcta via & anguſta porta eſt.

LUCAS, Cap. 13. ℣. 22—30.

22 ET ibat per civitates & caſtella docens, & iter faciens in Jeruſalem.
23 Ait autem illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad illos:
24 Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.
25 Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis: & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis:
26 Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti.
27 Et dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis: diſcedite à me omnes operarii iniquitatis.
28 Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.
29 Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei.
30 Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi.

DOMINUS Hieroſolymis aberat ut dictum eſt, quando occiſos Galilæos fuiſſe ei nuntiatum eſt. Si id contigit in Paſchate primi menſis & in Templo, ut liquet, neque enim extra Templum ſacrificabatur, Dominus non interfuit huicce primo Paſchati; ſed potuit venire ad Paſcha ſecundi menſis; ſed & eo fine ſuſcipere verſus Hieroſolymam illud iter, de quo nunc Lucas. 22. *Et ibat* Ieſus *per civitates & caſtella docens & iter faciens in Jeruſalem*, ut ageret Paſcha in ſecundo menſe quod non fecerat in primo. Vel ut feſtum Pentecoſtes celebraret, aſcendebat in hanc ſanctam civitatem; alios enim feſtos dies qui numerari poſſunt uſque ad paſſionem ejus, videbimus aliis rebus occupatos.

23. *Ait autem illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur*, num pauci ſunt qui ſerventur? etenim ſi ſalutis & vitæ æternæ res ita habet, ut doces, videlicet ſi tot ſint difficilia obſervatu, videtur paucos homines eſſe ſervandos. Curioſus magis hoc quærit, quàm ſtudioſus ſalutis ſuæ; ſolet autem Chriſtus curioſas quæſtiones ſine reſponſo rejicere. Noſtra refert ſcire quales ſerventur, non quot ſervandi ſunt: quamquam ex altero alterum conjectare aliquatenus licet: nam paucis libet viam ingredi arduam & diffi-

difficilem. Pauci ſunt qui ingrediuntur per illam, ut alibi ait Dominus apud Matthæum, cap. 7. pauci ergo qui ſalvantur in comparatione multorum periturorum, ait Auguſtinus. Nam illi ipſi pauci aliquando magnam maſſam facturi ſunt cùm venerit ventilator ferens ventilabrum in manu ſua, & mundabit aream ſuam, & frumenta recondet in horreo ſuo, &c.

Ipſe autem Dominus *dixit ad illos: 24. Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Deſcribit regnum cœlorum ſub imagine domus, cujus cùm porta anguſta ſit, illam non ſubit qui non contendit vires. Multi quærent in eam intrare: nemo enim eſt, qui immortalitatis beatæ cupiditate non teneatur; ſed non omnibus ea tanti eſt ut propterea carere velint hujus ævi commodis. non ſerio quærunt vitam beatam, ita non poſſunt aſſequi eam, licèt hanc velint, quia non enituntur.

25. Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauſerit oſtium; continuando metaphoram admonet Dominus certum tempus dari ſalutis, quo elapſo non remanet ſpes. Niſi ergo dum patet janua, quæ alioqui anguſta eſt, contendatis intrare, ubi hæc clauſa fuerit, *incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium*, fruſtrà intrare contendentes, *dicentes, Domine, aperi nobis* pulſantibus: *Et reſpondens dicet vobis: neſcio vos unde ſitis*: nolo ignotos homines excipere domo mea.

26. *Tunc incipietis dicere*, ut probetis vos haud ignotos eſſe, ſed populares & ſocios: *manducavimus coram te*; unà tecum cibum ſumpſimus; *& bibimus; & in plateis noſtris docuiſti.* Audivimus te docentem, fuimus tui diſcipuli. Liquidò ſignificat Chriſtus Judæis, quòd licèt eos ſermonibus ſuis compellare primos dignatus ſit, regno tamen cœlorum, quod reſeraturus erat, excludendos, quia cùm liceret intrare, id non curarent. Loquitur in alterius perſona. 27. *Et dicet vobis*, ipſe Chriſtus dicet: *Neſcio vos unde ſitis.* Iterum denuntio vos pro ignotis à me haberi. *Diſcedite à me omnes operarii iniquitatis*, vos omnes viri iniqui.

28. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Continuatio eſt ejuſdem metaphoræ. domo excluſi & foris in tenebris verſantes, imbribus & frigore vexati plorabitis, & ſtridebitis dentibus, *cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas* in domo iſta, ex qua excluſi eritis, nempe *in regno Dei*, *vos autem expelli foras*, qui vos ſolos hæredes putabatis; ſed falsò, nam 29. *& venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro*, à quatuor mundi plagis, *& accumbent in regno Dei.* Recumbent cum patrefamilias edentes: metaphora enim continuatur. 30. *Et ecce ſunt noviſſimi*, nimirum Gentiles veſtro judicio ultimi, & alieni à Dei beneficiis, *qui* tamen *erunt primi; & ſunt* nunc *primi*, vos nempè Judæi cognitione Dei, promiſſionum jure primi, *qui erunt noviſſimi.* Ipſi eritis noviſſimi, Gentes enim vos præcedent in regno cœlorum. Veriſimile eſt hocce ſermone concitatos Hieroſolymitanos, quorum invidia ſe ſubtraxit Dominus; ideo videbimus eum in capite ſequenti commorantem extra Jeruſalem.

CAPUT III.

Vanas traditiones exprobrat Dominus Phariſæis criminantibus diſcipulos ejus, quòd manducarent manibus illotis.

MARCUS Cap. 7. ℣. 1—23.

MATTH. Cap. 15. ℣. 1-20.

1 * 1 ET conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Hieroſolymis.

1 Tunc ✠ acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ, & Phariſæi, ✠ *Fer. 4. infra hebd. 3. Quadr.*

MARCUS.

2 * 2 Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus, communibus manibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3 * 3 Phariſæi enim & omnes Judæi, niſi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum:

4 * 4 Et à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare; baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
5 *Mc.* Et interrogabant eum Phariſæi & Scribæ *Mt.* dicentes:	dicentes:	5 Et interrogabant eum Phariſæi & Scribæ:
6 Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant; *Mc.* ſed communibus manibus manducant panem.	2 Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas cùm panem manducant.	Quare diſcipuli tui non ambulant juxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?
7 *Mt.* Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit:	3 Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit:	6 At ille reſpondens, dixit eis: *Bene prophetavit &c. infrà.* 10 Moyſes enim dixit:
† Exod.20.12. Deut.5.16. Eph.6.2. Exod.21.17. Lev 20.9. Prov.20.20. 8 † Honora patrem & matrem, *MM.* & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.	4 Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.	Honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.
9 Vos autem dicitis: *Mt.* Quicumque dixerit patri, vel matri *Mc.* Corban, (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit.	5 Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus, quodcumque eſt ex me, tibi proderit.	11 Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit.
10 Et ultrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri, *Mt.* & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam.	6 Et non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam.	12 Et ultrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri.
11 Et irritum feciſtis mandatum Dei, *Mc.* reſcindentes verbum Dei per *MM.* traditionem veſtram *Mc.* quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſmodi multa facitis.	& irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram	13 Reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtrã quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſmodi multa facitis. 14 *Et advocans &c. infrà.*
12 *Mt.* Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias, dicens:	7 Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias, dicens:	6 Bene prophetavit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.
† Iſa.29.13. 13 *MM.* † Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.	8 Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.	
14 *Mc.* In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.	9 Sine autem cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.	7 In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

MARCUS.

15 * 8 Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata urceorum, & calicum & alia ſimilia his facitis multa.

16 * 9 Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis.

10. *Moyſes enim &c. ſuprà.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
17 *Mt.* Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis, Audite & intelligite.	10 Et convocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite & intelligite.	14 Et advocans iterum turbam dicebat illis: Audite me omnes & intelligite.

MARCUS.

† Act.10.15. Rom 14.17.20. Tit.1.15.

18 * 15 Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quòd poſſit eum coinquinare; † ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt, quæ communicant hominem.

MAT-

MATTHÆUS.

19 * 11 Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

MARCUS.

20 * 16 † Si quis habet aures audiendi, audiat. † *Mat.11.15.*

MATTHÆUS.

21 * 12 Tunc accendentes diſcipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito verbo ſcandalizati ſunt?

22 * 13 At ille reſpondens ait: † Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. † *Ioan. 15. 2.*

23 * 14 Sinite illos; cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.

MARCUS.

24 * 17 Et cùm introiſſet domum à turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam.

MATTHÆUS.

25 * 15 Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
26 At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?	16 At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?	18 Et ait illis:
27 *Mc.* Sic & vos imprudentes eſtis? non intelligitis, quia omne extrinſecùs introiens in hominem, non poteſt eum communicare.	17 Non intelligitis quia omne, quod in os intrat	Sic & vos imprudentes eſtis? non intelligitis, quia omne extrinſecùs introiens in hominem, non poteſt eum communicare.
28 Quia non intrat in cor ejus; ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas.	in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.	19 Quia non intrat in cor ejus; ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omne eſcas.

MARCUS.

29 * 20 Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

MATTHÆUS.

30 * 18 Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. † *Iac.3.6.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
31 *Mc.* † Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,	19 De corde enim exeunt cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes,	21 Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,
32 Furta, *Mt.* falſa teſtimonia, *Mc.* avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia.	furta, falſa teſtimonia, blaſphemia.	22 furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia.

† *Gen. 6. 5. & 8. 21. Prov. 6. 14. Ierem. 17. 9.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
33 Omnia hæc mala ab intus procedunt.		23 Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.
34 *Mt.* Hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.	20 Hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. ¶	

3 * 1 *Mc.* ET *conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis venientes ab Hieroſolymis*, miſſi à Synedrio, vel ultrò ipſi venientes ut tentarent Dominum. Illud *ab Hieroſolymis* ſic quidam intelligunt ut notentur viri conſpicui, qui Hieroſolymis viventes auctoritate, atque conditione cæteris præcellebant. 2 * 2. *Et cum illi vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus, communibus manibus, id eſt non lotis manducare panes, vituperaverunt.* id vitio dederunt. In Helleniſtarum lingua, Judæorum nempe qui Græcè loquebantur, ut obſervare eſt in Joſepho, & in aliis libris qui à Judæis Græcè exarati ſunt, κοινὸς, *commune*, idem ſonat, quod *profanum*, quod ſanctum non eſt. Judæi erant gens ſancta, ſeparata à cæteris nationibus. Ita vita communis κοινὸς βίος cenſebatur vita profana, & contraria legibus Judæorum; unde *communicare* ſive *commune facere* dicitur pro *polluere*. Apud Joſephum, lib. 13. Antiq. cap. 1. deſertores Judæorum qui patrios ritus reliquerant κοινὸν βίον vitam communem dicuntur elegiſſe. Idem Joſephus, lib. 11. cap. 8. appellat κοινοφαγίας, cibos illicitos. ſcilicet populus Judæorum, inquit B. Hieronymus, partem Dei eſſe ſe jactitans, communes cibos vocat, quibus omnes utuntur homines v. c. ſuillam carnem, oſtreas, lepores. Commune ergo quod cæteris hominibus patet, & quaſi non eſt de parte Dei pro immundo appellant.

5 * 3. *Phariſæi enim & omnes Judæi, niſi crebrò laverint manus, non manducant.* Juxta interpretem qui πυγμῇ reddit *crebrò*, vox illa Græca idem ſonat, quod πυκνῇ, quam vocem legiſſe huncce interpretem ſuſpicatur Eraſmus; ſed tam πυκνῇ quam πυγμῇ inuſitatu eſt pro *crebrò*; dicitur enim potius πυκνὰ, vel πυκνῶς. Itaque per πυγμῇ aliquid aliud intelligere decet. πυγμὴ ſignificat manum in pugnum contractam, item menſuram continentem ſpatium quod eſt à cubito ad digitos clauſos. Juxta quam ſignificationem Marcus non frequentiam tantum denotat, ſed modum lotionis. Quidam dicunt Judæos, cùm manus lavarent, in pugnum contraxiſſe digitos, & hoc eſſe quod Marcus appellat πυγμῇ lavare, id eſt facto pugno: ſed de illo more non loquuntur Judæi, licet fusè de manuum lotione differant; conſtituerunt enim codicem particularem in ſuis *Miſchnaijeth*, id eſt in codice juris ſui, ubi de hac materia ſub nomine ידים *jadaim*, ex profeſſo, & ex animo tractant. Præterea in Ghemara ſparſim hinc inde, ut ſeſe occaſio obtulit, obiter & per tranſennam eamdem materiam refricant, ut notat Bartoloccius Biblioth. Rabinicæ, Tom. 3. modum lotionis Judaicæ deſcribens. Manus quidem tantùm lavabant, ſed poſt manuum lotionem, elevatis furſum manibus, aquam manibus adhærentem ſinebant defluere à carpo ad cubitum uſque, quam brachii partem, ut pote quæ aliquatenùs retecta erat, attactu rei immundæ pollui poterat, & ideo lotione volebant purgari. *Manus polluuntur, & mundificantur uſque ad juncturam lacerti*, inquiunt Rabbini in Talmude. Tract. *jadaim*; quæ tamen ea parte leviùs defungebantur modo dicto, quia pars illa; veſte plerumque obtecta, minus eſt obnoxia contrahendæ immunditiæ attactu rei immundæ. nempe non ita diligenter illam brachii partem lavabant. Elevabant autem manus furſum, quod præcipiunt Rabbini, ut aquæ uſque ad brachia defluerent, ne à conjunctura revertentes iterum manus polluerent. Has vocant ſecundas aquas, quæ, ut ajunt, mundificabant quidquid manuum laverant aquæ primæ; eo ergo ſenſu dicit Marcus Judæos πυγμῇ lavare; id eſt non ſolùm manus ſed & brachii partem à digitorum radice, ſive propagine ad cubitum uſque. Hoc, inquam, faciebant *tenentes traditiones ſeniorum*, obſervantes præcepta, quæ tradiderant veteres doctores, qui poſt Eſdram floruerant. Per ſeniores non hic intelligendi proceres ſupremi concilii, quod ſynedrium dicebatur, cujus decretis univerſus populus tenebatur, ſed veteres doctores, quos alibi Dominus appellat ἀρχαίους, *antiquos*.

4 * 4. *Et à foro reverſi, niſi baptizentur*, id eſt niſi abluerint ſe propter ignotum occurſum rei, vel perſonæ pollutæ, cujus & attactu inſcii pollui potuiſſent, *non comedunt; & alia multa ſunt*, quæ non præcipit lex Moyſis, ſed *quæ tradita ſunt illis* ab antiquis doctoribus *ſervare*, ut *baptiſmata* lotiones omnium vaſorum, *calicum, & urceorum, & æramentorum*, vaſorum æneorum, *& lectorum*. Teſtaceorum vaſorum non facit mentionem, polluta enim frangebantur. ξεστῶν interpretatur vul-

vulgata *urceorum*; vox illa ſignificat *ſextaria*, ſed illa ſpecies vaſis ponitur pro quocumque vaſe. Alii derivant ξεστῶν à ξέστα, qua voce denotantur raſilia, lignea nempe utenſilia, qualia ſunt menſæ, ſedilia, manubria cultrorum. Lectus lavandus erat quippe immundus, in quem vel ſederat, vel ſteterat, vel ſe reclinaverat, vel innixus fuerat, vel pependerat profluvioſus, vel profluvioſa, aut menſtruoſa, aut puerpera, aut leproſus, aut denique quem tetigerat aliquid, quod hi tetigerant.

5 * 5. *Et interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ, Mt. dicentes.* 6 * 2. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur*, non ſervant *traditionem ſeniorum*, doctrinam veterum ſapientum? Juxta Marcum, *non ambulant*, id eſt vitam non inſtituunt. Hebræis *ambulare* idem eſt quod *vivere*. *Non enim lavant manus ſuas*, cùm panem manducant, antequam panem manducent: *Mc. ſed communibus*, pollutis *manibus manducant panem*, id eſt omnem cibum, quem nomine *panis* Hebræi ſignificant.

7 * 3 *Mt. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei*, legem ejus violantes *propter traditionem veſtram*, dum ſequimini, & ſervatis doctrinam traditam à doctoribus veſtris? Erant traditiones, quæ habebantur tanquam interpretamenta legis, & veluti ſepimenta ejus. Scilicet quædam inſtituta fuerant ab antiquis prophetis, vel doctoribus, ut tranſgreſſiones certiùs, & faciliùs præcaverentur; ſed præter illas traditiones, quæ bonæ erant, alias adinvenerant doctores ſuperfluas, qualis erat ille modus manus abluendi; quin & quædam ex illis traditionibus malæ erant, quibus tamen ſic adhærebant, ut præcepta Dei etiam lubentiùs negligerent, quin & violarent. Effatum eſt enim in Talmude Hieroſolymitano, in tractatu Beracot: *Amabilia ſunt verba Scribarum præ verbis legis, nam verba legis ſunt gravia, & levia, at verba Scribarum ſunt omnia levia.* Dominus ex criminatione Phariſæorum arripit occaſionem criminandi quampiam traditionem, quæ adverſabatur legi Dei.

Nam, inquit Chriſtus, *Deus dixit* 8 * 4. *honora patrem & matrem*, voce Hebræa כבד, ſicut & Græca τίμα, *honora* ſignificatur *ſubſidium*. Sic in epiſtola ad Timothæum *honora viduas*, pro *adjuva viduas*, ac rurſus *presbyteri duplici honore digni*, pro digni duplici ſubſidio, & præmio. Præceptum ergo illud *honora patrem & matrem* reſpicit officium honeſtè alendi parentes; & id ibi intuetur Dominus. Addit lex *MM. & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur*, non enim dignus eſt vita, qui non alit per quos vita donatus eſt. pœna autem illa demonſtrat, quàm grande ſit peccatum non adjuvare parentes.

9 * 5. *Mt. Vos autem* evertentes hancce ſanctiſſimam legem *dicitis: quicumque dixerit patri vel matri, Mc. corban ſit* (*quod nomen eſt* ſive ſignificat *donum*) *quodcumque ex me tibi profuerit*. Id eſt voveo Deo omnia bona etiam illa, quibus te pater & mater poſſem adjuvare, itaque nomen illud קרבן *corban*, ſpecies juramenti erat, ut diſertim dicit Joſephus contra Apionem lib. primo, quod qui protulerat, ſtatim reus erat voti; ſi v.c. dixerat *bonum meum corban*, ſive *bonum meum ſit corban*, idem erat ac ſi dixiſſet, juro me omnia quæ mea ſunt daturum in donum Dei. Horum ergo verborum Matthæi, *munus quodcumque ex me eſt*, (illud *eſt* abeſt à fonte, & ſuperfluum eſt) *tibi proderit*, ſenſus eſt quodcumque ex me tibi prodeſit, munus eſto. Interpres Græcus Matthæi non ſervavit vocem *corban*, quæ peculiari vinculo obligabat, qui illam protuliſſet.

10 * 12. *Et ultra* poſtquam hanc emiſit vocem corban, *non dimittitis*, non ſinitis *eum quidquam facere patri ſuo aut matri*. 6. *Mt. Et* poſtea ex conſenſu veſtro *non honorificabit*. cibabit *patrem ſuum & matrem ſuam*. Non falsò criminabatur Dominus Judæos. Nam exſtant ſacrilegi hujus dogmatis certa ſatis indicia in Talmude, tum in tractatu de votis, cap. 9. num. 1. ubi Rabbi Zadok ſtatuit non poſſe ſolvi vota propter honorem patris & matris, ſi vota illa reſpiciant locum ſacrum: *ſcilicet* ut dicitur, cap. 11. num. 4. *ſi maritata dixerit corban erit quidquid paravero ori patris mei & ori patris tui, & ori fratris mei & ori fratris tui, tum ille maritus non poterit irritum reddere.* Hæc ſic explicat Maimonides in commentario: *quod quidquid paravero, ex illo non comedet pater meus quicquam, id eſt, quod utilitatem non percipiet.* R. Niſſim eumdem locum ſic pleniùs exponit: *qui ſic vovet: quodcumque paro, eſto patri meo velut ſacra oblatio, non poteſt irritum facere hoc votum.* Huicce loco lucem etiam afferre poteſt quod idem Maimonides ſtatuit tractatu de connubiis, cap. 12. num. 23. *ſi quis votum fecerit, ut ſua ex re uxor nihil commodi perciperet, ſeu id ſpatium quoddam præfiniverit, ſeu non, expectandum erit omnino dies triginta. Poſthæc ſi præſtitutum voto tempus exactum fuerit, vel non exactum fuerit quidem: verùm idem voto ſe liberandum curaverit, bene habet; ſin minus uxori nuntium remittat, numeret donationem propter nuptias. atque per hos triginta dies uxor labore ſuo victum quærat.*

11 * *Et irritum feciſtis mandatum Dei* graviſſimum, ſi quidem unum ex his quæ pœna capitali lex ſanciebat, ἀκυροῦντες, id eſt ſpoliaſtis auctoritate, dum ſtatuiſtis non licitum fuiſſe filio irritum facere votum, quod temerè emiſit, vovens ea quæ neceſſaria erant alendis parentibus. Credo illa verba Domini *irritum feciſtis* alluſionem eſſe ad id, quod dice-

bant doctores non licitum eſſe facere irrita talia vota. 13 *Mc. reſcindentes verbum Dei per MM. traditionem veſtram, Mc. quam tradidiſtis* vos qui diciminì ſapientes, & doctores. Nam quando quis votum tale feciſſet, ac poſtea pœnitenſia ductus parentibus aliquid largiri vellet, per Phariſæorum & Scribarum doctrinam omne id ærario ſacro vindicabatur, hoc prætextu quòd hominum utilitas divino juri cederet. Et ſimilia hujuſmodi multa facitis, exemplum enim violatæ legis per traditionem magiſtrorum unum affert Dominus, cùm plura poſſet.

12 * 7 *Mt. Hypocritæ.* appoſitè eos ſic vocat, quia cùm diligentiſſimi legis obſervatores videri vellent, eam tamen tranſgrediebantur. *Benè prophetavit de vobis Iſaias, dicens.* Exactiſſimè conveniunt Iſaiæ propheria & veſtra opera; ſive in prophetiis ſuis docuit Iſaias quod in vos quadrat, cùm ſic loquitur. 13. * *MM. Populus hic labiis me honorat.* Juxta fontem. *appropinquat mihi* cultu exteriore: accedit ad Templum meum ut oret. *Cor autem eorum longè eſt à me.* Longè diverſa à mea voluntate cogitat, deſiderat, amat, ad me non reſpicit.

14 * 7 *Mc. In vanum autem me colunt* ſine fructu, *docentes doctrinas & præcepta hominum*, quorum homines inventores ſunt, non auctor Deus; ut omnis cultus eorum ſit inanis. Matthæus dicit μάτην, quod Latinus interpres reddit *ſine cauſa*, quod accipiendum pro *gratis*, immeritò, fruſtrà. 15 * 8. *Relinquentes enim*, negligentes *mandatum Dei, tenetis*, obſervatis *traditionem hominum, baptiſmata*, lotiones *urceorum, & calicum; & alia ſimilia his facitis multa.*

16 * 9. *Et dicebat illis: benè, irritum feciſtis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis.* Videtur genus eſſe loquendi ironicum, quaſi dicat: an præclarus Dei cultus eſt, præcipuis ejus mandatis neglectis, ritus à magiſtris veſtris inſtitutos ſervare.

17 * 10 *Mt. Et convocatis ad ſe turbis*, nempe relictis Scribis, & Phariſæis convertens orationem ad turbas dociles, *dixit eis: Audite & intelligite*, conſiderate, expendite. 18 * 15 *Mc. Nihil eſt extra hominem introiens in eum*, ut alimentum quod ore ſumitur, *quod poſſit eum coinquinare; ſed quæ de homine procedunt*, exeunt illa ſunt, *quæ coinquinant hominem*, communem id eſt prophanum reddunt, impediunt quominus ſit ſeparatus, ſive ſanctus. Matthæus dicit *quod procedit ex ore*; illud autem *ex ore* intelligendum de animo, ſive de ipſo homine, ut liquet ex Marco. animus autem, ſive homo ſe manifeſtum, facit ſermone, qui ore profertur.

19 * 11 *Mt.* Non itaque *quod intrat in os*, quod comeditur, *coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore*, ut ſunt cogitationes, quæ ore exprimuntur, *hoc coinquinat hominem.* Hiſce verbis non tollit Chriſtus diſcrimen ciborum, neque enim ſolvebat legem, quod illi datum fuiſſet vitio. Loquitur de cibo licito & mundo, qui etiamſi illotis manibus ſumeretur, non ideo poterat hominem reddere impurum. 20 * 16 *Mc. Si quis habet aures audiendi, audiat.* Qui poteſt intelligere, intelligat. etenim nec verborum Domini ſenſum ſatis aſſequebantur.

20 * 12. *Mt. Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei; Scis quia Phariſæi audito verbo hoc* auditis his ſermonibus, *ſcandalizati ſunt*, offenſi ſunt, quominus tibi crederent. 22 * 13. *At ille reſpondens ait, omnis plantatio*, germen, planta, *quam non plantavit pater, eradicabitur.* Familiare eſt ſacris literis homines plantis comparare. Quaſi dicat: non elegit pater meus Phariſæos, ut me ſequantur; abeant ergo, & ex grege meo expellantur. 23 * 14. *Sinite illos*, miſſos facite. ne ſollicitì ſitis de eorum offenſione. *cæci ſunt & duces cæcorum.* Occurrit objectioni: illi quos offendis, duces ſunt. Reſpondet Chriſtus, duces quidem ſunt, & doctores ſe aliis præbere volunt, quales oportet eſſe oculatiſſimos: at cæci ſunt. Non ergo vos moveat, quod ſint principes, doctores populi. *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Et magiſtri, & qui eos ſequuntur, pereunt.

24 * 17. *Mc. Et cùm introiſſet in domum* ſeparatus, *à turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam*, περὶ τῆς παραβολῆς, de parabola, id eſt de ſenſu parabolæ. 25 * 15 *Mt. Reſpondens autem Petrus dixit ei: ediſſere nobis parabolam iſtam.* Id eſt dictum illud de eo quod in os intrat. Parabola ſumitur pro dicto, cujus ſenſus ſubobſcurus eſt, & rem magni momenti videtur involvere. 26 * 16. *At ille dixit: adhuc & vos*, quos toties mea doctrina imbui, *ſine intellectu eſtis?* In Matthæo & Marco eadem vox Græca ἀσύνετοι occurrit; ἀσύνετος autem uſurpatur pro eo qui ſine intellectu eſt. *Non intelligitis* nondum *intelligitis* quod per ſe clarum eſt, *quia omne intrinſecus introiens in hominem*, ut cibus *non poteſt eum communicare*, inquinare. 28 * 19. *Quia non intrat in cor ejus*, id eſt in intimum animum, *ſed in ventrem vadit*, dimittitur, *& in ſeceſſum exit* εἰς τὸν ἀφεδρῶνα, in latrinam *exit, purgans omnes eſcas*, ut nihil immunditiæ relinquatur in corpore. Quaſi dicat Dominus: loquebar de cibo: ſive per id *quod in os intrat*, aliud nihil volui ſignificare, quàm cibum qui in ventrem dimittitur, & per ſeceſſum ejicitur. 29 * 20. *Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt*, cogitationes quas ore exprimit, *illa communicant hominem.* 30 * 18. *Mt. Quæ autem procedunt ex ore*, quo exprimuntur animi ſenſa, *de corde*, ſive de intimo animo *exeunt, & ea coinquinant hominem*; ex ſolo enim animo delictum naſcitur. *Ex ore, ex corde, ex homine* hic ſynonima ſunt.

31 * 21.

Digitized by Google

31 * 21. *Mc. Ab intus enim de corde hominum*, de animo *malæ cogitationea procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia*. 32 * 22. *Furta Mt. falſa teſtimonia, Mc. avaritiæ πλεονεξίαι*. Hac voce ſignificantur infinita verſutiarum genera, quibus alii ex aliorum incommodis ſua captant commoda, *dolus impudicitiæ*, *oculus malus*, mala cupiditas, invidia, *blaſphemia*, *βλασφημία*, maledicta, ſermones quibus aliena fama læditur, *ſuperbia ſtultitia*, amentia, ſive incogitantia animi, quibus admiſſis rei fiunt homines. 33 * 23. *Omnia hæc mala ab intus procedunt* ab animo. 34 * 20. *Mt. Hæc ſunt* autem *quæ coinquinant hominem*. Igitur ex homine exeunt ea quæ hominem polluunt, *non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem*.

CAPUT IV.

Dominus in fines Tyri & Sidonis ſecedens filiam Chananææ mulieris ibi ſanat; & inde rediens ad mare Galilææ, ſurdum & mutum.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 15. ℣. 21-31.	MARCUS Cap. 7. ℣. 24-37.
1 *Mt.* Et egreſſus inde Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.	21 Et ✠ egreſſus inde Jeſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis.	24 Et inde ſurgens abiit in fines Tyri & Sidonis: ✠ *Feria 5. poſt hebd. 1. Quadr.*
2 *Mc.* Et ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.		& ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.
3 Mulier enim *Mt.* Chananæa à finibus illis egreſſa, *Mc.* ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum,	22 Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa	mulier enim ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum,
4 *Mt.* clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine, Fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.	clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine, Fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.	

MATTHÆUS.

5 * 23 Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.
6 * 24 Ipſe autem reſpondens ait: † Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ petierant, domus Iſrael. † *Act. 13. Rom. 15. 8.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
7 At illa venit; *Mc.* & procidit ad pedes ejus.	25 At illa venit,	intravit, & procidit ad pedes ejus.
8 Erat enim mulier Gentilis, Syrophœniſſa genere. *Mt.* Et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me; *Mc.* & rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus.	& adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me.	26 Erat enim mulier Gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus.
9 Qui dixit illi: Sine priùs ſaturari filios: non eſt enim *MM.* bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.	26 Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.	27 Qui dixit illi: Sine priùs ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus,
10 *Mc.* At illa reſpondit, & dixit illi: Utique, Domine: nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum, *Mt.* quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.	27 At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.	28 At illa reſpondit, & dixit illi: Utique, Domine: nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
11 Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.	28 Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.	29 Et ait illi:
12 *Mc.* Propter hunc ſermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. *Mt.* Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.	Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora. ¶	Propter hunc ſermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.
13 *Mc.* Et cùm abiiſſet domum ſuam, invenit puellam jacentem ſupra lectum, & dæmonium exiiſſe.		30 Et cùm abiiſſet domum ſuam, invenit puellam jacentem ſupra lectum, & dæmonium exiiſſe.
✠ Dom. 11. poſt Pent. 14 *Mt.* Et cùm tranſiiſſet inde Jeſus; *Mc.* exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.	29 Et cùm tranſiiſſet inde Jeſus, venit ſecus mare Galilææ.	31 Et iterum ✠ exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

M A R C U S.

15 *32 Et adducunt ei ſurdum & mutum; & deprecabantur eum, ut imponeret illi manum.

16 *33 Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus; & exſpuens tetigit linguam ejus:

17 *34 Et ſuſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod eſt aperire.

18 *35 Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus; & loquebatur rectè.

19 *36 Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.

20 *37 Et eò ampliùs admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit; & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. ¶

M A T T H Æ U S.

21 Et aſcendens in montem ſedebat ibi.

22 *30 Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæ-
† Isa. 35.5. cos, & claudos, debiles, & alios multos: † & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos.

23 *31 Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, & claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael.

ETIAMSI Dominus ſprevisset offenſiones Phariſæorum, quos poſtremo ejus ſermone ſcandalizatos fuiſſe referebant diſcipuli ejus, attamen ſatius duxit eſſe declinare eorum inſidias. Igitur tum latendi, tum quieſcendi gratia, abiit in partes Galilææ remotiſſimus. 1 * 21. *Mt. Et egreſſus inde Jeſus* ex loco ubi ſuas vanas traditiones exprobraverat Phariſæis, *ſeceſſit* cedens adverſariis ſuis, *in partes Tyri & Sidonis* id eſt, ut ait Marcus, *εἰς μεθόρια* in fines, ſive confinia Tyri & Sidonis, ubi Galilæa conterminа eſt harum urbium territorio. 2 * 24. *Mc. Et ingreſſus domum*, hoſpitium, cibi fortè ſumendi gratia, *neminem voluit ſcire*, ſcilicet ibi ſe adeſſe. *Et non potuit latere*; Illuc enim fama ejus pervaſerat; ut pluribus de facie notus eſſet etiam remotiſſimis Galilæis.

3 * *Mulier enim Mt. 22. Chananæa à finibus illis egreſſa*, in quibus conſtat habitaſſe Chananæos, ut videre eſt in Judicibus, cap. 1. ℣. 31. & 32. Mulier, inquam, horum finium Tyri, & Sidonis, egreſſa domo ſua *Mc. ſtatim ut audivit de eo.* eum ſcilicet veniſſe in hanc regionem, *cujus filia habebat ſpiritum immundum*

à quo

à quo eam liberari vehementer cupiebat, acceſſit ad Dominum dum in via eſſet, antequam ingrederetur hoſpitium, ut modò patebit. Et 4 * *Mt. clamavit*, quia Chriſtus iter peragebat non ſegni greſſu, ſtipante turba diſcipulorum. Præterea propiùs accedere ad virum ſanctum non audebat, ut immunda, quales ſciebat ſui generis homines à Judæis omnibus haberi. Itaque ut audiretur, clamavit, *dicens: Miſerere mei Domine, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Mirum autem non eſt, ſi hæc mulier alienigena Jeſum ſalutaret filium David, ſive pro Meſſia agnoſceret; ex vicinis enim Judæis aliquid de Meſſia inaudiverat; & conſtat inter Gentes pleroſque Deum Iſraelis coluiſſe, & expectaſſe cum Judæis Chriſtum venturum. Iſta fide imbuta mulier clamavit, *fili David*, id eſt, promiſſe Meſſia, filia mea vexatur à dæmonio.

5 * 23. *Qui non reſpondit ei verbum.* Pergebat iter non reſpondens quicquam, quia, ut dixit ſuprà Evangeliſta, volebat latenter ingredi in hoſpitium. *Et accedentes diſcipuli ejus*, qui eum ſequebantur, forſan non omnes æquis paſſibus, *rogabant eum dicentes: dimitte eam.* Ἀπόλυσον αὐτὴν, abſolve hanc, ablega cum exauditione, vel ſatisfactione, concedens ei quod petit, *quia clamat poſt nos;* ne nos clamore obtundat. 6 * 24. *Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael.* Chriſtus in terris degens, & legationem nomine patris obiens, non fuit miſſus ad Evangelium annuntiandum, idque miraculis confirmandum, niſi ſolis Judæis; unde *miniſter circumciſionis.* id eſt Judæorum circumciſorum appellatur. Rom. 15. ℣. 8. Perditæ oves domus Iſrael ſunt, qui electi erant è populo Iſraelitico; ad quas oves quærendas, & curandas Jeſus venerat. Nec tunc temporis verſabatur extra terram Iſrael, ſed in finibus ejus, in vicinia Tyriorum & Sidoniorum.

7 * 25. *At illa venit* ad hoſpitium. *Mc. Intravit* in illud, *& procidit ad pedes ejus*, timore quòd mulier alienigena auderet ante conſpectum ejus prodire. ſicut Hemoroiſſa, ubi deprehenſa eſt tangens fimbriam ejus, timens & tremens procidit ante pedes ejus. 8 * 26. *Erat enim mulier Gentilis*, ἑλληνὶς Græca, non utens legibus Judaicis, ſed non ideo Idololatra. Sæpiùs Græci dicuntur illi omnes qui Judæi non eſſent; quia à morte Alexandri regiones omnes quæ Judæis vicinæ ſunt, paruerant regibus Græcis; ita Syri etiam dicebantur Græci. Hinc factum ut cæteræ Gentes appellentur Græci in ſacro codice. *Syro-Phœniſſa genere* ex ſemine Canaam; quod notatur ut commendetur fides ejus. Quidam ſentiunt regionem illam quæ erat in confiniis Phœniciæ, & Syriæ proprie dictæ, appellatam fuiſſe *Syro-Phœniciam;* ubi olim viginti urbes terræ Iſraelis quas Salomon dederat regi Tyriorum. Sed & conſtat olim Syriam multiplicem fuiſſe, ſive multas regiones complexam fuiſſe. Syriæ pars illa ubi Phœnicia, dicebatur *Syria Phœniciæ;* in qua quondam Chananæi. iſta ergo mulier & *Chananæa*, & *Syro-Phœniſſa* nominabatur à regione quam incoleret, tum & ἑλληνὶς, Græca, quia Græcis inſtitutis uteretur, nec eſſet Judæa. *Mt. Et adoravit eum dicens: Domine adjuva me.* ſuccurre mihi. *Mc. & rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus.*

9 * 27. *Qui dixit illi: Sine priùs ſaturari filios.* Sine priùs Judæos impleri beneficiis, ut nihil habeant quod querantur. Tum tempus veniet ſpargendi cœleſtia beneficia in Gentes alias, cùm Judæos ceperit eorum beneficiorum faſtidium. Forſan eadem hora Chriſtus accumbebat menſæ cibo reficiens vires; inde ex re allegoriam ſumpſit. ut priùs cibi apponuntur filiis & domeſticis, quàm extraneis; ita ubi beneficia Chriſtus collaturus erat, decebat eum præferre Judæos Gentibus. *Non eſt enim bonum* pro, non eſt honeſtum, non decet, *ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sic vocat Gentes non ex ſenſu ſuo, ſed ex communi Judæorum loquela, qui Ethnicos aſſimilabant canibus.

10 * 28. *Mc. At illa reſpondit, & dixit illi: Utique*, ναὶ. hanc voculam interpres Latinus Matthæi ibidem reddit *etiam*. Affirmatio eſt: quaſi dicat, certum eſt quod dicis *Domine*, panes filiorum catellis non objiciendos: *nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum*, id eſt duntaxat edunt, & contenti ſunt illis micis, *Mt. quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.*

11 * 28. *Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier.* vox admirantis. *magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis:* id quod petis. 12 * 29. *Mc. Propter hunc ſermonem*, quo veluti catello miculas, ſic & aliquid de beneficiis meis poſtulas tibi impertiri, vade, jam *exiit dæmonium à filia tua.* Vade domum, repeties filiam ſanam. *Mt. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.* hoc ipſo temporis momento; quo eam alloquebatur Dominus. 13 * 30. *Mc. Et cùm abiiſſet domum ſuam, invenit puellam jacentem ſupra lectum*, in lecto molliter cubantem ſine ulla jactatione; *& dæmonium exiiſſe.* Ideo jacebat, quam priùs non ſinebat quieſcere malus ille dæmon.

14 * 29. *Mt. Et cùm tranſiſſet inde Jeſus*, *Mc. exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem.* In Græco fonte legitur *de finibus Tyri, & Sidonis*, quæ lectio magis probanda; neque enim concipi poteſt id quod vulgata Latina ibi habet, ut Chriſtus à finibus Tyri venerit per Sidonem *ad mare Galilææ*, nempe ad lacum Tiberiadis, *inter medios fines Decapoleos.* Sic ſitam eſſe oſtendimus Decapolim in diſquiſitio-
nibus

Digitized by Google

nibus Geographicis, ut intelligendum ſit Chriſtum redeuntem à finibus Tyri & Sidonis, dum pergeret in ulteriorem ripam lacus Tiberiadis pedeſtri itinere, tranſiiſſe per medios fines Decapoleos. Conjice inquam oculos Lector, in Tabulam Geographicam, & advertes Jeſum, dum circuiret lacum, neceſſariò per Decapolim tranſiiſſe, nempe per regionem in qua erant pleræque urbes ex illis decem quibus conſtabat Decapolis.

15 * 32. *Et adducunt ei ſurdum & mutum*; κωφὸν μογιλάλον, id eſt ſurdum, cujus & lingua impedita erat; nam pleriſque mutis ſola ſurditas obſtat quominus loquantur: voces enim formare pueri didicimus auditu. Nomen quidem Hebræum אלם *ilam*, redditur à Græcis interpretibus & ἄλαλος, *mutus*, & μογιλάλος, *vir linguæ impeditioris*. Attamen Evangeliſta videtur indicare duo fuiſſe impedimenta in hocce homine quem ſanavit Dominus, nempe in auribus, in lingua, ut etiam ſi ſurdus non fuiſſet, uſum loquelæ non habuiſſet; quòd Latinus interpres non ſatis expreſſit. *Et deprecabantur eum ut imponat illi manum*. quod ipſi in uſu eſſe ſciebant. 16 * 33. *Et apprehendens eum de turba*, & cùm abduxiſſet eum, *ſeorſum miſit digitos ſuos in auriculas ejus*, quaſi terebrans eas. Sæpè Chriſtus externo aliquo ſigno inaſpectabilem efficaciam velut ſpectandam exhibebat. *Et expuens tetigit linguam ejus*. eandem ob rationem, & irrigavit linguam ut priùs quaſi palato adhæreſcens, motum recuperaret. impedita enim erat lingua ejus ut diximus. 17 * 34. *Et ſuſpiciens in cælum* referens ad patrem operis gloriam, *ingemuit* miſeratus ſortem hujuſce hominis. *Et ait illi, Ephpheta*, ἐφφαθὰ. verbum Syriacum, *quod eſt aperire*. imperativus eſt: apertas & audientes habeto aures. 18 * 35. *Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus; & loquebatur rectè*. Antea erat μογιλάλος, id eſt cum difficultate loquens.

19 * 36. *Et præcepit illis ne cui dicerent*, ne vulgarent hoc miraculum; ne fama ejus ureret invidos Phariſæos. *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant*. celebrabant eum. 20 * 37. *Et eò ampliùs admirabantur, dicentes, benè omnia fecit*: impii & maligni ſunt, qui factis ejus obtrectant. *Et ſurdos fecit audire, & mutos loqui*.

21 * *Mt. Et aſcendens in montem ſedebat ibi*, quem in montem ſolebat ſe recipere. mons ille erat, ut puto, in deſerto, vel prope deſertum Bethſaidæ, nam videtur huc adveniſſe. 22 * 30. *Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ*, ex vicinis locis, *habentes ſecum mutos, & cæcos, & claudos, & debiles, & alios multos; & projecerunt eos*, appoſuerunt *ad pedes ejus, & ſanavit eos*. 23 * 31. *Ita ut turbæ mirarentur* videntes adimpleri vaticinium Iſaiæ, cap. 35. ℣. 5. nempe, ut loqui pergit Matthæus, *mutos loquentes, & claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Iſrael*, qui Meſſiam promiſſum exhibens viſitabat populum ſuum.

CAPUT V.

Ex ſeptem panibus Dominus paſcit quatuor hominum millia extra parvulos & mulieres.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 15. ℣. 32-39.	MARCUS. Cap. 8. ℣. 1-10.
✠ Dom. 6. poſt Pent. 1 *Mc.* IN diebus illis iterum cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, convocatis diſcipulis, ait illis:	32 Jeſus autem, convocatis diſcipulis ſuis dixit:	1 In diebus illis, iterum ✠ cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, convocatis diſcipulis, ait illis;
2 Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo *Mt.* perſeverant mecum, & *Mc.* ſuſtinent me, nec *MM.* habent quod manducent; *Mt.* & dimittere eos jejunos nolo.	Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent; & dimittere eos jejunos nolo	2 Miſereor ſuper turbam quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.
3 *Mc.* Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt.	ne deficiant in via.	3 Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
4 Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Unde illos quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine?	33 Et dicunt ei diſcipuli:	4 Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Und illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?
5 *Mt.* Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?	Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?	
6 Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.	34 Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.	5 Et interrogavit eos: Quot Panes habetis? Qui dixerunt: Septem.
7 *MM.* Et præcepit turbæ *Mc.* diſcumbere *MM.* ſuper terram.	35 Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram.	6 Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram.
8 *MM.* Et accipiens ſeptem panes, & *MM.* gratias agens fregit, & *Mt.* dedit *MM.* diſcipulis ſuis, *Mc.* ut apponerent, & appoſuerunt turbæ.	36 Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo.	Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis ut apponerent, & appoſuerunt turbæ.
9 Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & juſſit apponi.		7 Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & juſſit apponi.
10 *Mt.* Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.	37 Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.	8 Et manducaverunt, & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt quod ſuperaverat de fragmentis ſeptem ſportas.
11 Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres; *Mc.* & dimiſit eos.	38 Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres.	9 Erant autem qui manducaverant quaſi quatuor millia; & dimiſit eos. ¶
12 Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha *Mt.* in fines Magedan.	39 Et, dimiſſa turba, aſcendit in naviculam: & venit in fines Magedan.	10 Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha.

1. * 1 *Mc.* IN *diebus illis iterùm*, jam enim ſimili occaſione panes multiplicaverat Dominus, *cùm turba multa eſſet*, quæ eum convenerat in deſerto, *nec haberent quod manducarent*, *convocatis*, ſive advocatis *diſcipulis ſuis*, *ait illis*: 2 * 2. *Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo Mt. perſeverant mecum*, non diſcedentes à latere meo *& Mc. ſuſtinent me*, προσμένουσί μοι, adhærent mihi, adeò doctrinæ, & miraculis intenti, ut de victu non cogitent. In fonte utriuſque Evangeliſtæ idem verbum προσμένουσι occurrit, quod in Matthæo interpres reddit *perſeverant*, in Marco *ſuſtinent*: cùm à tribus diebus me ſequantur, ſi quidpiam ſecum attulerunt, conſumptum eſt, *nec habent quod manducent*. *Mt. Et dimittere eos jejunos*, impaſtos, *nolo*. 3 * 3 *Mc. Etſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam*; ob inediam *deficient in via*; *quidam enim ex eis de longè venerunt*. Undequaque enim ad Jeſum concurrebant. 4 * 4 *Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: unde illos quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine?* Jam obliti erant prioris miraculi, quod videtur in eodem loco peractum. 5 * 33. *Mt. Unde ergo*, inquiebant, *nobis in deſerto panes tantos* comparare poſſumus, ut ſaturemus *turbam tantam?* quod exiguo panum numero fieri non poteſt. Latinus interpres *tantos* poſuit pro *tot*, Græcum codicem exprimens; Græci enim non habent vocem, quæ reſpondeat *tot* Latinorum. 6 * 34. *Et ait illis Jeſus: quos vobiſcum habetis panes? at illi dixerunt: ſeptem, & paucos piſciculos* in familiæ noſtræ annonam repoſitos. Chriſtus enim ſæpius in eremo agebat.

7 * 35. *Mt.* 6. *Mc. Et præcepit turbæ Mc. diſcumbere ſuper terram*. In priori miraculo obſervarunt Evangeliſtæ turbam recubuiſſe ſuper viride fœnum, quod multum erat in eo loco; cùm igitur hìc dicant ſuper terram conſediſſe, licèt cogitare fuiſſe arentem, quia ſcilicet ſub finem æſtatis, vel jam incipiente autumno res iſta contigerit; quando omni ſuo fœno terra exuta eſt; vel etiam nimiis caloribus exuſta, ut referunt qui in hiſce regionibus peregrinati ſunt.

8 * 36 *MM Et accipiens ſeptem panes*, *Mt. &*

gra-

gratias agens, ut ſolebant Hebræi ante comeſtionem, *Mt. dedit diſcipulis ſuis, Mc. ut apponerent* ante diſcumbentes, *& appoſuerunt turbæ*. 9 * 7 *Mc. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit*, pariter gratias Deo egit, fundens preces ſuper illos, *& juſſit apponi*.

10 * 37 *Mt. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt*; ſed & pluribus panes & piſces licèt pauci ſufficere potuiſſent, Domino benedicente, nam *& quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas*, pro numero panum, ut adverterent diſcipuli quomodo ſeptem panes ſic multiplicati fuiſſent Magiſtri virtute. 11 * 38. *Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres. Mc. Et* jam non jejunos *dimiſit eos*. 12 * 10. *Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis* ex deſerto repetens mare, *venit in partes Dalmanutha*. Itaque urbs illa oppoſita erat deſerto, ideòque in citeriori littore maris. Secundùm Matthæum venit *in fines Magedan*. Cogitare poſſumus vicina loca eſſe, & ad utraque veniſſe Dominum. In una autem ex iſtis, vel in Capharnaum, quæ proxima erat cùm habuiſſet colloquium cum Phariſæis dicitur iterum navim aſcendens petiiſſe deſertum, quo magis liquet Dalmanutha & Magedam fuiſſe in citeriori littore lacus Tiberiadis, pro ut illas urbes diſpoſui in deſcriptione terræ Iſraelis; cùm ex illis ad deſertum, ex deſerto ad illas, lacus Tiberiadis navi permeandus eſſet.

CAPUT VI.

Signum petentibus Phariſæis, iterum denuntiat Dominus non aliud eis ſignum dandum, quàm Jonæ. Arguit diſcipulos parùm firmos in fide. Cæcum ſanat.

† Mat. 12.38. Luc. 11.29. Joan. 6.30.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 16. ℣. 1-12.	MARC. Cap. 8. ℣. 11-26.
1 † *Mt.* ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi,	1 Et acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum	11 Et exierunt Phariſæi,
Mc. & cœperunt conquirere cum eo quærentes, *Mt.* ut *MM.* ſignum de cœlo *Mt.* oſtenderet eis, *Mc.* tentantes eum.	ut ſignum de cœlo oſtenderet eis.	& cœperunt conquirere cum eo quærentes ab eo ſignum de cœlo, tentantes eum.

MATTHÆUS.

2 * 2 At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit: rubicundum eſt enim cœlum.

3 * 3 Et manè: Hodie tempeſtas; rutilat enim triſte cœlum.

† [illegible] 2. 8.

4 * 4 † Faciem ergo cœli dijudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire?

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
5 *Mc.* Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis: Si dabitur generationi iſti ſignum.		12 Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.
6 *Mt.* Generatio mala, & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit.	Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit.	
7 *Mc.* Et dimittens eos, aſcendit iterum in navim, & abiit trans fretum.		13 Et dimittens eos, aſcendit iterum in navim, & abiit trans fretum.
8 *Mt.* Et cùm veniſſent diſcipuli ejus trans fretum, obliti ſunt panes accipere.	5 Et cùm veniſſent diſcipuli ejus trans fretum, obliti ſunt panes accipere.	14 Et obliti ſunt panes ſumere:

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	
9 *Mc.* Et niſi unum panem non habebant ſecum in navi.		& niſi unum panem non habebant ſecum in navi.	
10 Et præcipiebat eis, dicens: † Videte, *MM.* & cavete à fermento Phariſæorum, *Mt.* & Sadducæorum, *Mc.* & fermento Herodis.	6 Qui dixit illis: Intuemini, & cavete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum.	15 Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cavete à fermento *Phariſæorum*, & fermento Herodis.	† *Luc.* 12. 1.
11 *Mt.* At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia panes non accepimus.	7 At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia panes non accepimus.	16 Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: quia panes non habemus.	
12 Sciens autem Jeſus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, *MM.* quia panes non habetis?	8 Sciens autem Jeſus, dixit: Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis?	17 Quo cognito, ait illis Jeſus: Quid cogitatis, quia panes non habetis?	
13 *Mt.* Nondum intelligitis? *Mc.* adhuc cæcatum habetis cor veſtrum?	9 Nondum intelligitis:	nondum cognoſcitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum?	
14 Oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? nec recordamini.	neque recordamini.	18 Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? nec recordamini.	
15 † Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim.	quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis?	19 Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim.	† *Mat.* 14. 19. *Marc.* 6. 41. *Luc.* 9. 13. *Ioan.* 10. 11.
16 † Quando & ſeptem panes in quatuor millia; quot ſportas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: Septem.	10 Neque ſeptem panum in quatuor millia hominum: & quot ſportas ſumpſiſtis?	20 Quando & ſeptem panes in quatuor millia: quot ſportas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: Septem.	† *Mat.* 15. 34. *Marc.* 8. 5.
17 Et dicebat eis: Quomodò nondum intelligitis?	11 Quare non intelligitis,	21 Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?	
18 *Mt.* Quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum.	quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum.		

MATTHÆUS.

19 * 12 Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.

MARCUS.

20 * 22 Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, ut illum tangeret.

21 * 23 Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus, impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum ſi quid videret?

22 * 24 Et aſpiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.

23 * 25 Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus: & cœpit videre. Et reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.

24 * 26 Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

1 * 1 *Mt.* ET *accesserunt ad eum Phariſæi & Sadducæi*, cùm rediit ex deſerto Capharnaum, vel in aliam urbem ſitam in ripa exteriori lacus, *Mc. & cœperunt conquirere cum eo* συζητεῖν αὐτῷ, altercari, & diſputare cum eo, *quærentes Mt. ut MM. ſignum de cælo*

cœlo Mt. oſtenderet eis, videlicet in ſublimi, quod videri atque obſervari poſſet, & unde appareret rem ipſi cum Domino cœli eſſe. Quale videlicet ſignum edidit Joſue ſolem ſiſtens; Samuel tonitrua eliciens; Iſaias umbram regredi jubens in ſolario; quaſi alia ejus miracula incerta fuiſſent, *tentantes eum*: videlicet quærebant calumniæ occaſionem; ideo interdum ut videtur ab ipſis Hieroſolymis veniebant Capharnaum, ubi ſciebant domicilium poſuiſſe: ille autem ſapientia ſua quæſtionem eludit.

2 * 2 *Mt. At ille reſpondens ait illis*: vos qui ſigna de cœlo petitis, ex ipſa cœli facie, tranquillitatem, vel tempeſtatem præjudicatis. *Facto veſpere dicitis: ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum*. Si rubeat cœlum, ſerenus, dicitis, erit dies craſtinus. 3 * 3. *Et manè* videntes conſtitutionem aeris, *hodie tempeſtas*: venti, vel pluviæ erunt; *rutilat enim triſte cœlum*; ſimul enim rubicundum, & obnubilatum eſt.

4 * 3. *Faciem ergo cœli dijudicare noſtis*, ex illius aſpectu colligentes, ſerendi, metendi, navigandi, itineris ſuſcipiendi idoneas tempeſtates; *ſigna autem temporum*, τῶν χαιρῶν, *non poteſtis ſcire?* articulus τῶν emphaſim habet, & certa tempora deſignabat, de quibus extabant tot antiqua vaticinia. Quaſi dicat Dominus; ex tot tamque conſpicuis ſignis non advertitis inſtare illa tempora adventus Meſſiæ, ſigna poſcitis, quaſi nulla ſint data, cùm data ſint & multa & certiſſima, ſed ad quæ vobis aut non vacat, aut non lubet attendere. Nam ſi prophetarum oracula tam ſollicitè inſpiceretis, quàm ſuſcepturi iter faciem cœli intuemini, agnoſceretis haud dubiè adeſſe illa tempora tot vaticiniis prænuntiata.

5 * 12. *Mc. Et ingemiſcens ſpiritu*, animo, ſuſpiriis ductis ab imo pectore, ob inſignem Phariſæorum malitiam, qui faſtidientes quæ edidiſſet miracula, aliud miraculorum genus magis calumniæ obnoxium ſibi dari è cœlo petebant, non ut crederent, ſed ut diſputandi, & cavillandi occaſionem arriperent. Igitur, *ait* Dominus, *quid generatio iſta* hominum genus *ſignum quærit*? *Amen dico vobis*, verè dico quòd talia ſigna quæ expetuntur, non dabuntur, id adſtruit utens hac voce *Amen*, quæ eſt formula juramenti. *Si dabitur generationi iſti ſignum*. Vim habet negandi iſta formula, & elliptica eſt, ſubintelligitur enim: *pro malo habear*, aut ſimile quid 6 * *Mt. Generatio mala, & adultera*: ſpirituali adulterio à Deo deficiens *ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ*. Quod jam Chriſtus dixerat, cap. 12. ℣. 39. Matthæi. *Et relictis illis abiit* faſtidiens eos.

Si quidem verò magis excitaſſet invidiam eorum, abdidit ſe. 7 * 13 *Mc. Et dimittens eos*, cùm ſe ſubduxiſſet, *aſcendit iterùm in navim, & abiit trans fretum*, in deſertum ex quo petierat urbes Magedan & Dalmanutha; inter quas ergo & deſertum poſitus erat lacus. 8 * 5 *Mt. Et cùm veniſſent diſcipuli ejus trans fretum*, ſive potiùs profecturi trans fretum, *obliti ſunt panes accipere*, ſumere ſecum ad iter. 9 * 14 *Mc. Et niſi unum panem non habebant ſecum in navi*.

10 * 15. *Et præcipiebat eis*, admonebat dicens, *videte, & cavete à fermento* id eſt à doctrina, à malis exemplis *Phariſæorum Mt. & Sadducæorum, Mc. & fermento Herodis*. in quibuſdam codicibus legitur Herodianorum, id eſt aulicorum Herodis. Natura fermenti eſt vim ſuam latè ſpargere. Ita malæ doctrinæ, exempli peſſimi, & malorum morum virus latè ſerpit. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, ut dicit Paulus.

11 * 7. *Mt. At illi* diſcipuli *cogitabant intra ſe, dicentes*: taxat nos Magiſter, vel *quia panes non accepimus*, aut admonet ne panem accipiamus ab hominibus Phariſaicæ, aut Sadducaicæ ſectæ, & ab aulicis Herodis. Peccavimus qui non proſpexerimus de panibus euntes in deſertum locum. 12 * 8. *Sciens autem Jeſus*, cogitationes eorum *dixit: quid cogitatis intra vos, ò viri modicæ fidei, quia panes non habetis?* (hodie legunt Græci ἐλάβετε, *ſumpſiſtis*.) Quaſi ſine panibus alere vos non poſſem.

13 * 9. *Nondum intelligitis*; ſine intellectu eſtis. *Mc. adhuc cæcatum habetis cor veſtrum*, licèt doctrina mea vos toties imbuerim? 14 * 18. *Oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis*. Etenim videmini nec vidiſſe miracula mea, quæ oculis vidiſtis, nec hactenus me docentem audiiſſe. *Nec recordamini*, 15 * 19. *Quando quinque panes fregi*, diſtribui *in quinque millia*, & omnes ſaturati ſunt; *quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis?* quæ fragmenta ſuperfuerant, poſtquam omnibus exempta fames. *Dicunt ei, duodecim*.

16 * 20. *Quando & ſeptem panes in quatuor millia*, quod paucos ante dies fecerat, *quot ſportas fragmentorum tuliſtis? & dicunt ei: ſeptem*: plus ergo panis ſuppetebat, poſtquam ſeptem panes fregiſſet, & didiſſet turbæ.

17 * 21. *Et dicebat eis: quomodo* ergo *nondum intelligitis*, 18 * 11. *Mt. quia de pane non dixi vobis*, dum hæc dicerem, *cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*, quaſi admonens, ut quæreretis panes, ſed non eos acciperetis à Phariſæis, & Sadducæis. 19 * 12. *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum*.

20 * 22. *Mt. Et veniunt Bethſaidam*, ex portu Capharnaum, vel alterius loci in citeriori littore lacus, ſolventes appulerunt in ripam oppoſitam, ubi Bethſaida, & juxta hunc vicum erat deſertum, quod ab illo nomen habebat. *Et adducunt ei cæcum*, forſan dum à deſerto Bethſaidam re-

verſ.21

verſus eſſet, *& rogabant eum, ut illum tangeret* manibus ſuis, ut ſolebat ſanans languores. 21 * 23. *Et apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum.* Tunc temporis enim Bethſaida vicus: ſed poſteà urbs facta eſt à Philippo, ut obſervatum eſt in deſcriptione terræ Iſraelis. Semovit à turba cæcum: *& expuens in oculos ejus, impoſitis manibus ſuis*, quo ſigno apertum fiebat ſanationem ab eo proficiſci, *interrogavit eum, ſi quid videret.* Noluit omnem facultatem videndi ſtatim illi reſtituere, ut virtus miraculi magis obſervaretur.

22 * 24. *Et aſpiciens* ἀναβλέψας, oculos tollens, & intendens, dum explorat an viſum recuperaſſet, *ait: video, homines velut arbores ambulantes*, ὡς δένδρα περιπατοῦντας, homines ambulantes velut arbores. Nam illud *ambulantes* attinet ad *homines* in fonte Græco, ubi arbores, δένδρα, ſunt neutrius generis. Scilicet motum hominum percipiebat, ſed non diſtinguebat formam. 23 * 25. *Deinde iterùm impoſuit manus ſuper oculos ejus, & cœpit videre*, καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι, id eſt iterùm fecit, ut oculos tolleret, & intenderet, exploraturus ipſe an videret. *Et hac vice reſtitutus eſt perfectæ ſanitati, ità ut clarè videret omnia*, non ſolùm erectam ſtaturam hominum, ſed & eorum formam. Vidit ἅπαντας, *omnes*, ut Græcus codex habet.

24 * 26. *Et miſit illum in domum ſuam*; juſſit ut ſe abderet domi ſuæ, *dicens, vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris*, revertatis ad Bethſaidam, *nemini dixeris*; ne fama ejus vulgaretur; nondum enim venerat hora, ut clareſceret; ad dolores, & paſſiones natus erat, non ante paſſiones ſuas clarificandus.

CAPUT VII.

Jeſus clam aſcendit Jeruſalem ad feſtum Scenopegiæ, ſive Tabernaculorum; ſed palàm loquitur in Templo.

JOANNES, Cap. 7. ℣. 1—36.

1 POſt hæc autem * ambulabat Jeſus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. * *Feria 3. infrà hebd. Paſſionis.*
2 Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum, Scenopegia.
3 Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Tranſi hinc, & vade in Judæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis.
4 Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: ſi hæc facis, manifeſta teipſum mundo.
5 Neque enim fratres ejus credebant in eum.
6 Dicit eis Jeſus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.
7 Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala ſunt.
8 Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum: quia meum tempus nondum impletum eſt.
9 Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa.
10 Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.
11 Judæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Ubi eſt ille?
12 Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus eſt. Alii autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbas.
13 Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Judæorum. ¶
14 * Jam autem die feſto mediante, aſcendit Jeſus in Templum, & docebat. * *Fer. 3. infrà hebd. 4. quadr.*
15 Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?

16 Ro-

16 Reſpondit eis Jeſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.
17 Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.
18 Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.
† Exod. 24. 3. 19 † Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?
20 Quid me quæritis interficere? Reſpondit turba & dixit: dæmonium habes: quis te quærit interficere?
21 Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini.
* Levit. 12. 3. Gen. 17. 10. 22 Propterea † Moyſes dedit vobis circumciſionem: (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in Sabbato circumciditis hominem.
23 Si circumciſionem accipit homo in Sabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi: mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in Sabbato?
† Deut. 1. 16. 24 † Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate.
25 Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis: Nonne hic eſt, quem quærunt interficere?
26 Et ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognoverunt principes quia hic eſt Chriſtus?
27 Sed hunc ſcimus unde ſit: Chriſtus autem cùm venerit: nemo ſcit unde ſit.
28 Clamabat ergo Jeſus in Templo docens, & dicens: Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis: & à meipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.
29 Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.
30 Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.
31 De turba autem multi crediderunt in eum, ¶ & dicebant: Chriſtus cùm venerit, numquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?
* Fer. 2. infrà hebd. Paſſ. 32 Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc: & * miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent eum.
33 Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui me miſit.
34 Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.
35 Dixerunt ergo Judæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inveniemus eum? numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes?
36 Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire?
37 *In noviſſimo &c. cap. ſeq.*

EX verbis Evangeliſtæ liquet Jeſum non ſe conſpicuum præbuiſſe Hieroſolymis à die illo feſto, quo juxta Probaticam ſanaverat languidum. Interea celebratum erat illud Paſcha, quo proximo Jeſus paverat in deſerto quinque hominum millia ex eodem Evangeliſta. Potuerat autem Dominus tanto temporis intervallo clam intereſſe feſtivitatibus, quæ occurrebant, ut legi pareret, ſuam adhibens ſapientiam, & poteſtatem, ne agnoſceretur; verbi cauſa ſummo mane ingrediens in Templum, ſera nocte inde egrediens, poſtquam interdiu latitaſſet in aliqua cella. Ita cùm Lucas diceret Jeſum iter ſuum direxiſſe verſus Hieroſolymam circa illud tempus in quod Paſcha incidiſſe opinabamur, lubuit dicere eum interfuiſſe occultè Paſ ſecundo, vel feſto Pentecoſtes. chati

Qu

Quidquid ſit à ſanato languido ad præſentem Scenopegiam, Jeſus non verſabatur in Judæa ſaltem palàm, quia quærebant eum Judæi interficere. qua in re infirmitati noſtræ, ut ait Auguſtinus, exemplum præbere voluit, pericula prudenter declinandi, quando non poſtulat charitas ut vita profundatur. 1. *Poſt hæc autem ambulabat Jeſus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, verſabatur in Galilæa. Vulgarus exprimens ordinariam verbi περιπατεῖν ſignificationem, vertit *ambulabat*; unde factum, ut *in Galilæam*, & *in Judæam* ſcriptum vulgò legatur, errore, ut aſtruunt viri periti, in veteribus manuſcriptis non apparente.

2. *Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum Scenopegia.* id eſt, & quando fuit proximum feſtum Tabernaculorum, quod Græcis Judæis dicebatur σκηνοπηγία, *ſcenopegia*, quia tabernacula, ſive umbracula compingerentur in eo feſto, ſub quibus Judæi degebant, ut præcipitur in lege. ideo feſtum illud dicebatur Tabernaculorum ſive Scenopegia. 3. *Dixerunt ad eum fratres ejus*, id eſt cognati ejus, qui advertebant eum ab aliquo tempore fugere hominum conſpectum, nec Hieroſolymam aſcendiſſe, ut putabant ad dies Paſchatis, & Pentecoſtes: dixerunt, inquam, *tranſi hinc*: excede ex his latebris, *& vade in Judæam*, Hieroſolymam ſcilicet, tanquam ad theatrum mundi, *ut & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis*, ut ſtudioſi doctrinæ tuæ, quos illic tibi conciliaſti, videant mira opera quæ facis. Hæc indicant eo tempore Jeſum latitaſſe, quod ne ſa eret, cognati ejus argumentis utuntur. 4. *Nemo quippe in occulto quid facit*, abſcondit opera quibus vult inclareſcere, *& quærit* (Hebraiſmus eſt) καὶ ζητεῖ pro ὁ ζητῶν, quærens *ipſe in palam eſſe*, ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, cum celebritate eſſe. παῤῥησία idem ſonat Græcis, quod *libertas*, *fiducia* Latinis. ſed in ſcripturis παῤῥησία opponitur rei latenti, & ſignificat id quod palàm & apertum eſt. Senſus itaque eſt, ſi quæris ut tibi credatur palàm & in aperto, liberè te pro Meſſia gere, edens opera tua coram pluribus teſtibus in medio Hieroſolymis. *Si hæc facis*, quibus te Meſſiam probas, *manifeſta te ipſum mundo*, paſſim omnibus, magnæ hominum multitudini.

5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*, videlicet ut oportebat. Sperabant aliquid magni de illo, ſed nihil certi apud ſe conſtituerant; quia pompam non videbant, qualem expectabant in Meſſia.

6. *Dixit ergo eis Jeſus, Tempus meum nondum advenit*, quo aſcendam ad feſtum; *tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*; qualibet hora poteſtis proficiſci; vobis enim nihil ibi imminet periculi. 7. *Non enim poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit: quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus ſunt mala.* Intelligit Phariſæos, & ſacerdotes. 8. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc* ſine mora. *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum hunc*, nempe eo die. aſcendit autem poſteà, ſed non manifeſtè, ſed quaſi in occulto, ut ſubjicit Evangeliſta. quapropter non ſuberat mendacium verbis ejus. Græci codices nunc habent οὔπω, *nondum*; qua lectione, ſi antiqua eſt, omnis difficultas amovetur. veterem non fuiſſe colligit Grotius, quòd hinc Porphyrius numquam Chriſtum calumniatus eſſet de mendacio; nam in voce οὔπω, *nondum*, fuiſſet nodi ſolutio. Verùm etiamſi Græci codices antiqui habuerint ſimplex οὐκ, *non*, inanis eſt de mendacio accuſatio. etenim ad diem feſtum propriè non aſcendit Dominus, ſiquidem non venit Hieroſolymam, niſi cùm jam ex parte celebritas tranſacta eſſet. non negabat ſe profecturum, ſed dicebat tantùm ſe non adhuc profecturum. Cur autem ſtatim non aſcenderit, cauſam reddit: *quia meum tempus nondum impletum eſt.* Scilicet non poterat aſcendere Hieroſolymam in comitatu cùm cæteris Galilæis, quin incideret in manus Phariſæorum, à quibus oportebat quidem eum tradi crucifigendum, ſed nondum advenerat tempus paſſionis ejus. 9. *Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa*, nempe aliquibus diebus ſubſtitit. Ita verè dixit ſe ſtatim non profecturum.

10. *Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Cauſa hujuſce occultæ profectionis aperta eſt. 11. *Judæi ergo.* Phariſæi, ſacerdotum principes, ut liquet ex ſequentibus, *quærebant eum in die feſto*, ut occiderent. mirabantur eum latere, qui antea ſolitus eſſet audiendi ſui copiam facere. *Et dicebant, ubi eſt ille?* contemptim loquuntur tanquam de homine noto, quem non audent nominare, quia metuebant offenſionem populi. 12. *Et murmur multum erat in turba de eo.* multi ſermones clancularii de eo. *Quidam enim dicebant; quia bonus eſt. alii autem dicebant: non, ſed ſeducit turbas*, nempe indoctum vulgus; neque enim legiſperiti ei credunt. 13. *Nemo tamen* ex his qui meliùs ſentiebant *palàm*, παῤῥησίᾳ, manifeſtè, liberè *loquebatur de illo propter metum Judæorum*, Phariſæorum, & principum ſacerdotum.

14. *Jam autem die feſto mediante*, τῆς ἑορτῆς μεσούσης. id eſt dum tranſigeretur celebritas dierum, per quos Scenopegia agebatur; durabat enim plures dies: tertia, vel quarta *aſcendit Jeſus in Templum, & docebat.* noctu, vel per devia itinera petivit Hieroſolymam; non alibi obvium ſe præbens Phariſæis, quàm in Templo, ubi religio inhibere pote-

rat aliquandiu impetus Judæorum; etenim & miſerunt miniſtros poſteà, qui eum apprehenderent.

15. *Et mirabantur Judæi* Legiſperiti, primores Judæorum, cùm eum docentem viderent, *dicentes, quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* neque enim ſcholas noſtras frequentavit. Nemo præceptor in diſcipulorum ſuorum grege eum viderat. 16. *Reſpondit ei Jeſus* intra ſe hæc cogitantibus, *& dixit, Mea doctrina*, quæ meo ore promitur, *non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*, nempe Dei. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*; id eſt, ſi quis ita animo comparatus ſit, ut qualemcumque voluntatem Dei ſibi revelatam, quantumcumque carnis affectibus contrariam obſequenti animo amplecti velit: *cognoſcet de doctrina*, is demum aptus erit, ut judicet *utrùm ex Deo ſit; an verò ego à meipſo loquar*, nova adinveniens dogmata, quæ Deo contraria ſint.

18. *Qui à ſemetipſo loquitur*, falsò jactitans ſe à Deo miſſum, & ideo non alia quàm propria cogitata proferens, doctrinæ ſuæ auctor & inventor, *gloriam propriam quærit*, cupit celebrari. nemo, inquam, eſt qui ſe à Deo miſſum falsò prædicet, niſi ea re honorem, & quæ honorem ſequuntur commoda venetur. nemo enim gratis malus eſt. Conſtabat Jeſum gloriam ſuam non quærere, qui in ſe viros principes concitaret. *Qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum*, quod Dominus faciebat, *hic verax eſt*, dignum ſe oſtendit, cui fides habeatur. *Et injuſtitia in illo non eſt*. falſi crimen de eo credibile non eſt, cùm abſit mentiendi cauſa.

19. *Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?* Videtur Chriſtus aliquid reticere: ſive potiùs his quæ non dicerentur à Judæis, ſed cogitabantur, reſpondet. cogitabant enim ab eo violatam legem, qui ſanaſſet languidum in ſabbato. in ipſoſmet autem accuſantes objectum crimen regerit: demonſtrat enim eos eſſe legis tranſgreſſores, qui popularem ſuum innocentem, optimè de ipſis meritum, qui omnia ſua dicta & facta, ad gloriam Dei, & hominum æternam ſalutem referebat, vellent occidere. 20. *Quid me*, inquit, *quæritis interficere?* Id enim ſtatuiſtis. *Reſpondit turba*, vel Phariſæorum, vel ipſi populi qui neſciebant principum conſilium, *dæmonium habes*: inſanis, à dæmonio mens tua tranſverſa acta eſt, qui id putas: *quis te quærit interficere?*

21. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis*, indicans notum habere, quid apud ſe ſtatuiſſent: *Unum opus feci* in ſabbato, ægrum non alio inſtrumento uſus quàm voce ſanans; *& omnes miramini*, id eſt mihi ob id ſuccenſetis. mox explicat θαυμάζετε, mihi indignamini, illud opus ægre ferentes, ſed immeritò; non enim omne opus in ſabbato illicitum eſſe demonſtrat lex circumciſionis.

22. *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem: non quia ex Moyſe eſt*, id eſt quod dico, neutiquam faciens Moyſem auctorem circumciſionis, *ſed ex patribus*; Abraham enim hunc ritum poſteris ſuis obſervandum dedit ex juſſu Dei. ſunt qui connectunt illud *propterea*, διὰ τοῦτο, &c. cum verbo *miramini*; nempe *miramini propter illud*; & deinde notam diſtinctionis apponunt, ut ſejunctim legatur: *Moyſes dedit, &c.* Alii διὰ τοῦτο vertunt *de eo*, vel *quantum ad hoc*: quaſi ſenſus ſit: ea in re deberis mentem advertere ad legem circumciſionis. Quoquo modo accipiatur illud *propterea*, ex lege circumciſionis deducit Dominus licitum eſſe ſanitati reſtituere ægrum in quolibet die, etiam in ſabbato. *Et in ſabbato circumciditis hominem*, cùm & ſabbati quietem ipſe Deus præceperit, qui & circumciſionem imperavit. 23. *Si circumciſionem accipit homo in ſabbato*, cùm octava dies à nativitate incidit in ſabbatum, *ut non ſolvatur lex Moyſi* de circumciſione octavo die facienda; quæ dilata circumciſione ſolveretur. *Mihi* ergo ſine cauſa *indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato*. Salus enim hominis magis quàm circumciſio urget, ut differri non poſſit.

24. *Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate*. Id eſt rem nudam ſpectate ſepoſita perſona. In pari cauſa pariter judicate: nec in me damnetis quod in Moſe laudatis. Si circumcidi hominem ſabbato fertis, quia Moyſes inſtituit, ſanari autem hominem ſabbato non fertis, quia à me id fit, perſonas reſpicitis, non cauſam. *Juſtum judicium judicate*. rem ipſam expendite, nec judicate ex eo quod præ me fero, qui vobis videor homo abjectus.

25. *Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis*, ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, ex Hieroſolymitanis, qui propiùs noſſe poterant odium procerum in Jeſum: *Nonne hic eſt quem quærunt interficere?* 26. *Et ecce palàm liberè loquitur, & nihil ei dicunt*. Non vetatur docere: *numquid verè cognoverunt principes*, qui eum ad mortem quærebant, *quia hic eſt Chriſtus* verus Meſſias. 27. *Sed*, inquiebant, eum pro Chriſto habere non poſſumus; *hunc enim ſcimus unde ſit*: nempe ex urbe Nazareth. *Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit unde ſit*. Nata erat hæc Judæorum opinio ex duplici Chriſti generatione in prophetis deſcripta, una abſcondita, incomprenſibili, & æterna, de qua Iſaias, cap. 53. ℣. 8. & Michæas, cap. 5. ℣. 2. loquuntur; altera viſibili, & temporali. Illi verò utramque de humana ejus natura intellexerunt, divinam enim non omnes agnoverunt. Hinc fabulabantur repentè eum mundo appariturum, tanquam è cœlo lapſum, parem Melchiſedecho, cujus origo ignota.

28. *Cla-*

28. *Clamabat ergo Jeſus* occurrens cogitationibus eorum, quas noſcebat, *in Templo docens, & dicens*, voce contenta, ut omnes audirent. *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis.* Hoc ironicè dictum putatur, aut cum interrogatione legendum. *Et à me ipſo non veni.* id eſt etiamſi me noſcatis ortum, ut putatis, ex urbe Nazareth: attamen certum eſt à me ipſo non veniſſe. Admonet eos hiſce verbis non obſcurè, non tam inquirere debere in originem ejus, quàm in veritatem miſſionis ejus: quaſi dicat: etiamſi non aliunde ortus eſſem, quàm ex urbe Nazareth, conſtare vobis debet me eſſe miſſum à Deo & ita doctrinam meam accipiendam. Non vos fallit Deus, dum in nomine ejus miracula facio; *ſed eſt verus*, ἀληθινός. verax *qui miſit me*, & his miraculis teſtatur me ab eo miſſum. Deus inquam verax eſt, *quem vos neſcitis* eſſe patrem meum, & quæ ſit diſpenſatio ejus in genere humano ſervando, nempe per ſanguinem filii ſui unigeniti. 29. *Ego ſcio eum* quis ſit, quæ conſilia ejus: *quia ab ipſo ſum.* eram in ſinu ejus, *& ipſe me miſit*, in nomine ejus venio, ut reus ſit quiſquis me non audierit.

30. *Quærebant ergo* Judæi *eum apprehendere.* Captabant opportunitatem, ne tumultus fieret in populo. *Et nemo* ex iis qui aderant *miſit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus*, qua morti tradendus erat. 31. *De turba autem*, de plebe *multi crediderunt in eum*; probaverunt pro Chriſto, *& dicebant: Chriſtus* Meſſias *cùm venerit, numquid plura ſigna faciet*, majora edet miracula, *quàm quæ hic facit?* Itaque certò credebant eſſe Meſſiam. 32. *Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc*, quod ſibi pernicioſum judicabant: neque enim haberi poterat Jeſus pro Chriſto, quin impii Phariſæi viderentur, qui huic adverſabantur. *Et miſerunt ergo principes, & Phariſæi miniſtros*, ſatellites publicos, *ut apprehenderent eum.*

33. *Dixit ergo eis Jeſus* eo ipſo tempore, ut videtur, quo de mittendis miniſtris conſilium inibant, *adhuc modicum tempus vobiſcum ſum* uſque ad proximum Paſcha, quod ſex circiter menſibus aberat. *Et vado ad eum qui miſit me*, aſcendam ad patrem. 34. *Quæretis me, & non invenietis.* Puto his ſignificari vanam exſpectationem venturi alterius Meſſiæ. quærunt Meſſiam, & non inveniunt increduli Judæi. *& ubi ego ſum* ὅπου εἰμὶ ἐγώ. Verbum εἰμὶ tali accentu notatum reddi debet *ſum*; ſed dum ſic ſcribitur. εἶμι, ſonat *vado*; quæ ſcriptura à nonnullis probatur. Antiqui codices carebant hiſce notis, quas grammatici poſteà appoſuere pro diverſis ſenſibus quos textui ineſſe intelligebant. Ita reddi poſſet locus ille: *& quò ego eo, vos non poteſtis venire.* neque enim vobis patebit cœlum.

35. *Dixerunt ergo Judæi ad ſemetipſos*, inter ſe: *quò hic iturus eſt quia non inveniemus eum? Numquid in diſperſionem Gentium*, ſive, ut Græcus codex habet, τῶν Ἑλλήνων, Græcorum, *iturus eſt*, id eſt ad Ethnicos, ad gentes per totum orbem diſperſas & diffuſas. ſic plerique interpretantur *diſperſionem*: verùm, ut puto, ipſi Judæi intelligendi ſunt, qui extra Judæam degebant. illi cenſebantur diſperſi. Inde & regiones, ubi ſic diſperſi degebant, dicebantur *diſperſiones*. Ita διασπορὰ πόντου, *diſperſio ponti* appellabatur regio ponti, in qua erant Judæi. Vox illa διασπορὰ, *diſperſio*, in pluribus ſcripturæ locis uſurpatur pro ſignificando exilio Judæorum in diverſis orbis regionibus, à quo Deus revocaturus erat eos aliquando, ut prædicitur pſalm. 146. ℣. 2. τὰς διασπορὰς τοῦ Ἰσραὴλ ἐπισυνάξει, *diſperſiones Iſraelis congregabit*. Itaque diſperſio illa Gentium quæ Græcorum nomine interdum ſignificantur, erant diverſæ orbis regiones, per quas ſparſi erant Judæi: ut loquitur Tobias, cap. 13. ℣. 3. quia Deus διέσπειρεν ὑμᾶς ἐν αὐτοῖς. Ergo ajebant, an ibit ad Judæos diſperſos inter Gentes, *& docturus eſt Gentes*, Ἕλληνας, Græcos, id eſt Gentiles, Ethnicos, vel Judæos qui inter Gentiles habitant. 36. *Quis eſt hic ſermo quem dixit: Quæretis me, & non invenietis, & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire.* Interpretabantur enim hunc ejus ſermonem de aliqua in longinquùm profectione, quò non perveniret poteſtas eorum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Dominus in hoc feſto Tabernaculorum ſe dicit aquam vitæ. A compluribus habetur pro Chriſto. In eum Phariſæi ira magis excandeſcunt.

JOANNES, Cap. 7. ℣. 37—53.

† *Levit.* 23. 37 IN noviſſimo autem † die magno feſtivitatis, ſtabat Jeſus & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.

† *Deut.* 18. 15. *Joel.* 2. 28. *Act.* 2. 17. 38 † Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

39 Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: ¶ nondum enim erat Spiritus datus; quia Jeſus nondum erat glorificatus.

40 Ex illa ergo turba, cùm audiſſent hos ſermones ejus, dicebant: Hic eſt verè Propheta.

41 Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit Chriſtus?

† *Mich.* 5. 2. 42 † Nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine David, & de Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?

43 Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum.

44 Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus.

45 Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum?

46 Reſponderunt miniſtri: Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.

47 Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Numquid & vos ſeducti eſtis?

48 Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?

49 Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti ſunt.

50 Dixit Nicodemus ad eos, (ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipſis:)

† *Deut.* 17. 8. & 19. 15. 51 Numquid lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, † & cognoverit quid faciat?

52 Reſponderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit.

53 Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.

37 IN *noviſſimo autem die magno feſtivitatis* Tabernaculorum, de qua fit ſermo; in octavo nempe die, qui magnus habebatur, ut præcipitur, Num. cap. 29. ℣. 35. *die octavo qui eſt celeberrimus, &c.* in illo, inquam, die *ſtabat Jeſus* loco forſan editiori, ut ab omnibus conſpiceretur, atque audiretur; *& clamabat dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ex rebus obviis Chriſtus ſolebat capere ſermonis occaſionem. In feſto autem Scenopegiæ magna pompa ex fonte Siloe aqua hauriebatur, & cum vocibus & clangore tubarum Templo inferebatur, atque offerebatur libanda in altari, ſimul & cantabatur illud Iſaiæ, c. 12. ℣. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.* ea re Judæi ſignificabant petere ſe à Deo benedictionem pluviæ in ſementem imminentem. ſic Talmudiſtæ in *roſch haſchana* loquuntur: *quare dicit lex: libate aquam in feſto Tabernaculorum? dicit ſanctus R. benedictus, libate coram me aquas in feſto Tabernaculorum, ut benedicantur vobis pluviæ anni.* Adjiciunt quòd hauſtus & libatio aquæ de-

nota-

notaret effuſionem Spiritus ſancti . In ſabbato circa hunc noviſſimum diem Tabernaculorum occurrenti , legebatur caput quinquageſimum quintum Iſaiæ , quod animadverſione dignum eſt . Sic enim incipit illud caput : *omnes ſitientes venite ad aquas &c.* in eo & legimus : *quærite Dominum , dum inveniri poteſt.* inde Dominus materiem diſſerendi ſumpſit , quod veriſimile eſt ſæpiùs feciſſe in Templo & in ſynagogis , ubi per ſingula ſabbata legebantur ſacri codices ex ordine.

38. *Qui credit in me , ſicut dicit ſcriptura , flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ .* Explicat Dominus quid eſt *venire ad eum & bibere.* Alludit autem pluribus prophetarum locis , quibus ingens ſpiritus & gratiæ abundantia ſub novo teſtamento futura promittitur , ut apud Iſaiam. cap.41. ℣.18. cap.44. ℣.3. cap.55. ℣.1. Ezech. cap.36. ℣. 25. cap. 39. ℣. 29. Joel. cap.2. ℣. 28. Ipſe Evangeliſta ſenſum verborum Domini aperit. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu , quem accepturi erant credentes in eum :* cujus abundantiam ſignificabat aquarum abundantia , quas cuique liceret tam copioſè potare , ut ex illius ventre tanquam flumina effluere poſſent. accepturi , inquam , erat. *nondum enim erat ſpiritus datus* , nempe cum tanta effuſione , *quia Jeſus nondum erat glorificatus* per reſurrectionem & aſcenſionem in cœlum , unde ipſe miſit ſanctum Spiritum in ſuos diſcipulos . In codicibus Græcis hodiernis legitur *ὄπω γδ' ἦν πνεῦμα ἅγιον , nondum erat Spiritus ſanctus .* Lectio vulgatæ Latinæ apertior. *nondum enim erat ſpiritus datus ;* quæ lectio antiqua eſt ; ut liquet ex his verbis magni Auguſtini . Quomodo intelligitur , ſpiritus nondum erat datus , niſi quia certa illa Spiritus ſancti datio , vel miſſio , poſt clarificationem Chriſti futura erat , qualis nunquam antea fuerat. neque enim antea nulla erat , ſi talis non fuerat.

40. *Ex illa ergo turba* , quæ adſtabat , *cùm audiſſent hos ſermones ejus* , moti verborum majeſtate percellente animos , *dicebant : hic eſt verè propheta* , *ὁ προφήτης* , *propheta ille* de quo fit ſermo in Deuteronomio , cap. 18. quadrans in eum quæ ibì dicit Moyſes de propheta quem promittebat Deus ſuſcitandum . Quia verò aut ignorabant , aut non advertebant omnia illa promiſſa & vaticinia de propheta , de Chriſto debere uni & eidem perſonæ convenire , 41. *Alii dicebant : hic eſt Chriſtus , ſive Meſſias : Quidam autem* contradicentes *dicebant : numquid à Galilæa venit Chriſtus ?* Jeſus qui natus eſt Nazareth an poteſt haberi pro Meſſia ? 42. *Nonne Scriptura dicit : quia ex ſemine David , & de Bethleem caſtello* , ἀπὸ τῆς κώμης , de vico , *ubi erat David* , habitabat in familia paterna , priuſquam ad regnum vocaretur , *venit Chriſtus.* De loco ortus Jeſu nihil niſi rumore ipſis conſtabat , de miraculis & dogmate viſu & auditu , quibus excitati , ſi de ortu aut ipſum , aut cognatos ipſius interrogaſſent , didiciſſent eum ex ſemine David in urbe Bethleem natum ; & ita omni dubitatione animum ſuum liberaſſent .

43. *Diſſentio itaque facta eſt in turba propter eum* , aliis aliud ſentientibus. 44. *Quidam autem ex ipſis* , ſive publici Satellites , ſive etiam pleriſque alii addicti Phariſæis , *volebant apprehendere eum : ſed nemo miſit ſuper eum manus* , deterritus tum majeſtate ejus , tum metu eorum , qui eum Meſſiam credebant . *Venerunt ergo miniſtri* , publici Satellites . *ad Pontifices & Phariſæos* , à quibus miſſi erant ad Jeſum capiendum . *Et dixerunt eis illi : quare non adduxiſtis illum ?* ſectati erant per aliquot dies eum prehenſuri data occaſione. 46. *Reſponderunt* illi miniſtri : *Numquam ſic locutus eſt homo* , cum tanta eloquentia , ſapientia , gratia , efficacitate , *ſicut hic homo.* ingenuè loquuntur : non cauſantur metum turbæ , ſed animi conſcientiam verbis divinis commotam .

47. *Reſponderunt ergo eis Phariſæi : Numquid & vos ſeducti eſtis ?* ipſe Jeſus decepit vos ? 48. *Numquid ex principibus* ex primoribus qui legis ſcientia , judicio , & auctoritate pollent , *credidit in eum , aut ex Phariſæis* , qui ſanctitatis , & eruditionis nomine excellunt ? 49. *Sed turba hæc* vilis , indocta , *quæ non novit legem* credidit in eum ; nec mirum , populi enim illi ignari , *maledicti ſunt* , execrabiles , quia ex lege vivere nolunt.

50. *Dicit* ea occaſione *Nicodemus ad eos , ille qui venit* (venerat) *ad eum nocte , qui unus erat ex ipſis* primoribus ; non audebat autem ſe profiteri Jeſu diſcipulum. 51. *Numquid lex noſtra* , id eſt Judex legem ſequens , *judicat hominem , niſi priùs audierit ab ipſo , & cognoverit quid faciat ?* quid agat , aut doceat , quam vitam vivat , quem ſe dicat , quibus argumentis utatur. 52. *Reſponderunt , & dixerunt ei : Numquid & tu Galilæus es ?* adhæres huic Galilæo. ſic per contemptum vocant Jeſum , quem eo nomine volebant arguere pſeudo-Chriſtum. Dicebant enim ad Nicodemum : *Scrutare ſcripturas , & vide quia à Galilæa propheta non ſurgit* . nec etiam vir propheta venit ab iſta deſpecta regione. Ergo inde ortus Meſſias cenſeri non poteſt.

53. *Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.* diſceſſio facta eſt re infecta . Id ſaltem ſuo ſermone aſſecutus eſt Nicodemus , ut protinus principes non decernerent Jeſum morti addicendum eſſe. hic poſtremus verſiculus abeſt ab aliquibus codicibus Græcis , perinde ac hiſtoria mulieris adulteræ , quæ legitur in ſequenti capite.

CAPUT IX.

Mulier in adulterio deprehenſa ſiſtitur ante Dominum ; qui ſe lucem mundi dicit, & miſſum à Deo patre ſuo. Hæc audientes Judæi volunt eum lapidare.

JOANNES, Cap. 8. ℣. 1—59.

† Sabbato infra hebd. 3. quadrageſ. 1 JEſus autem † perrexit in montem Oliveti:
2 Et diluculo iterùm venit in Templum, & omnis populus venit
ad eum, & ſedens docebat eos.
3 Adducunt autem Scribæ & Phariſæi, mulierem in adulterio deprehen-
ſam: & ſtatuerunt eam in medio.
4 Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adul-
terio.
† Levit. 20. 10. 5 † In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. Tu ergo
quid dicis?
6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum. Jeſus
autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra.
† Deut. 17. 7. 7 Cùm ergo perſeverarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis, †
Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus in illam lapidem mittat.
8 Et iterùm ſe inclinans, ſcribebat in terra.
9 Audientes autem unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus:
& remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans.
10 Erigens autem ſe Jeſus, dixit ei: Mulier, ubi ſunt qui te accuſa-
bant? nemo te condemnavit?
11 Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jeſus: Nec ego te con-
demnabo: Vade & jam ampliùs noli peccare. ¶
† Sabb. ante Dom. Paſſion. 12 Iterùm ergo locutus eſt eis Jeſus, dicens: † Ego ſum lux mundi:
qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.
13 Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: teſti-
monium tuum non eſt verum.
14 Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Etſi ego teſtimonium perhibeo de me
ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quò vado:
vos autem neſcitis unde venio, aut quò vado.
15 Vos ſecundùm carnem judicatis: ego non judico quemquam.
16 Et ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed
ego & qui miſit me, Pater.
† Deut. 17. 6. & 19. 15. 2 Cor. 13. 1. Hebr. 10. 28. 17 Et in lege veſtra ſcriptum eſt, † quia duorum hominum teſtimonium
verum eſt.
18 Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimonium per-
hibet de me, qui miſit me, Pater.
19 Dicebant ergo ei: Ubi eſt Pater tuus? Reſpondit Jeſus: Neque me
ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.
20 Hæc verba locutus eſt Jeſus in gazophylacio, docens in Templo: &
nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. ¶

21 Dixit

21 Dixit ergo iterùm eis Jeſus: † Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire. † *Sup. 7. infr. 13. 33.*
22 Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego vado, vos non poteſtis venire?
23 Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.
24 Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris; ſi enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.
25 Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jeſus: Principium, qui & loquor vobis.
26 Multa habeo de vobis loqui, & judicare: ſed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.
27 Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.
28 Dixit ergo eis Jeſus: Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, † ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor: † *Rom. 3. 4.*
29 Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper. ¶
30 Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.
31 Dicebat ergo Jeſus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis:
32 Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.
33 Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?
34 Reſpondit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: † quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. † *Rom. 6. 14. 2. Pet. 2. 19.*
35 Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.
36 Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.
37 Scio quia filii Abrahæ eſtis: ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis.
38 Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum facitis.
39 Reſponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis Jeſus: Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.
40 Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit.
41 Vos facitis opera patris veſtri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non ſumus nati: unum patrem habemus Deum.
42 Dixit ergo eis Jeſus: Si Deus Pater veſter eſſet: diligeretis utique me: ego enim ex Deo proceſſi, & veni: neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.
43 Quare loquelam meam non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum.
44 Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus.
45 Ego autem ſi veritatem dico, non creditis mihi.

† Dm.Paſ. 46 † Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis ; quare non creditis mihi ?

† 1. Joan.4.6. 47 † Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

48 Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

49 Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo : ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.

50 Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet.

51 Amen, amen dico vobis : ſi quis ſermonem meum ſervaverit , mortem non videbit in æternum.

52 Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes . Abraham mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.

53 Numquid tu major es patre noſtro Abraham , qui mortuus eſt ? & Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis?

54 Reſpondit Jeſus: Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus veſter eſt,

55 Et non cognoviſtis eum: ego autem novi eum. Et ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo.

56 Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.

57 Dixerunt ego Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti ?

58 Dixit eis Jeſus : Amen , amen dico vobis , antequam Abraham fieret, ego ſum.

59 Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo. ¶

1. JESUS *autem perrexit in montem Oliveti*: putà in Bethaniam, aut alium vicum proximum urbi, in quem ſera nocte ſe recepit, ſummo diluculò reverſurus in Templum.

2. *Et diluculo iterùm venit in Templum*. Sic fallebat Phariſæos, non alibi, quàm in Templo ſe conſpicuum præbens, ubi metu tumultus cohibebantur, *& omnis populus venit ad eum, & ſedens* (qui mos eſt longum ſermonem ordientis) *docebat eos*.

3. *Adducunt autem Scribæ & Phariſæi*, nempe ſeniores Synedrii, qui doctiſſimi & religioſiſſimi Judæorum audiebant, *mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuunt eam in medio*. Maimonides in *more Nevochim*, part. 3. cap.49. dicit illam actionem fuiſſe valde ignominioſam; *caput* enim mulieris quæ ſuſpecta erat, *diſcooperiebatur, capilli detondebantur, veſtimenta uſque ad pectus dilacerabantur, atque ita ligata in ſanctuario in conſpectu omnium virorum & mulierum, totiuſque Synedrii magni ſiſtebatur*. Sed ſiſtamus iter, animadvertendum enim hanc hiſtoriam non ſemper, & ubique conſtanter lectam fuiſſe in omnibus Græcis Latiniſque codicibus [illegible] Joannis. Euſebius, lib. 3. Hiſt. eccl. cap. 39. innuere videtur, ſcriptam à Papia ex veteri traditione; quam nempè acceperat ab ore eorum qui cum Apoſtolis verſati erant; nec alibi quàm in Evangelio ſecundùm Hebræos haberi. Non extat apud Syrum interpretem, cujus verſio edita eſt Viennæ & Antuerpiæ; nam in Polyglottis Anglicanis repetitur: *Non illam habebat antiquiſſimus ille Vaticani codex, quem ſæpè nominavimus* (verba ſunt Maldonati) *non Græca Catena, in qua cùm tres & viginti auctores ſint, nemo ejus meminit, Habemus Græcos impreſſos multos, Origenem, Clementem Alexandrinum Chryſoſtomum, Nonum, Theophylactum: Nemo eorum legit; cùm Chryſoſtomus, & Theophylactus ſcripſerint in totum Joannem Commentarios*. Attamen teſtatur B. Hieronymus, lib. 2. adverſus Pelag. in multis & Græcis & Latinis codicibus inveniri. Quin & Ammonius ante Hieronymum mentionem hujus fecit in Harmonia Evangeliorum, & Athanaſius in ſynopſi. Unus ex vetuſtis noſtris ſeptemdecim codicibus dumtaxat illam non habebat, ait Beza. ipſe Chryſoſtomus de iſta adultera alicubi non ſilet, ſicut nec Ambroſius,

nec

net Auguſtinus. Ergo ſicut cætera noſtris illuſtrare commentariis conabimur.

4. *Et dixerunt ei* Scribæ & Phariſæi : *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio* tam manifeſtè, ut negari non poſſit : *ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη*, id eſt in ipſo facto. 5. *In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare*. Sumenda hæc verba, quaſi dictum eſſet : Mnyſes tales præcepit morte puniri, quam mortem poſtremus uſus fecit lapidationem ; in Levirico enim, cap. 20. ℣. 10. mortis pœna in genere indicitur adulrero & adulteræ. *Tu ergo quid dicis?* quam fers ſententiam in eam. 6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum.* nempe volebant aliquid elicere ex ore ejus ; ſperabant fore ut ream abſolveret, ita ipſum arguerent reum, ut adverſarium legis. *Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra*. Imirabatur Chriſtus, ut quidam ſentiunt, geſtum ſacerdotis, qui uxorem ſuſpectam exploraturus, ſeſe inclinabat, pulveremque à pavimento ſanctuarii colligebat, quem aquæ infuſum præberet potandum huic quæ ſuſpecta erat ; juxta id quod præcipitur in lege, Num. c. 5. ℣. 17. Quidquid ſit, ſic ſe inclinans Dominus, locum dedit Phariſæis ſe ſubducendi à conſpectu ejus.

7. *Cùm ergo perſeverarent interrogantes eum*: cùm taceret, hi verò inſtarent, *erexit ſe, & dixit eis : Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus in illam lapidem mittat*. Illa reſpiciunt legem quæ præcipiebat ut manus teſtium prima interficeret reum. Deuter. cap. 17. ℣. 7. Revocant autem in memoriam quæ nos monet Gregorius magnus, paſt. 1. 2. cap. 9. *Cùm diſplicet ex aliena infirmitate quod conſpicis, penſa quod es, ut increpationis zelo ſe ſpiritus temperet, dum ſibi quoque quod increpat, timet.*

8. *Et iterùm ſe inclinans, ſcribebat in terra.* Quid ſcriberet non dicam ; neque enim hoc ſciri poteſt. Sacerdos qui ſuſpectam mulierem explorabat, ſcribebat maledictiones in libello, Num. cap. 5. ℣. 23. Dixi inclinaſſe ſe Dominum, ut avertens oculos daret locum cuique Phariſæo clam ſe ſubripiendi, quod fecerunt. 9. *Audientes autem unus poſt unum exibant, incipientes*, id eſt initio facto, *à ſenioribus*. Judæi docent nos aquas Zelotypiæ non nocuiſſe uxori adulteræ, niſi ipſe maritus inſons eſſet. Adulter autem cum adultera pariter tumore ventris & putredine femoris corripiebantur. *Potatis aquis amaris*, inquit Maimonides in Sotah, cap. 2. *ſi rea ſit fœmina, palleſcunt vultus ejus, oculique protuberant, &c. Pellunt ergo eam ex atrio mulierum: tumetque venter primò, & deinde putreſcit femur, atque ipſa moritur. Eadem hora, qua illa moritur, moritur & adulter, cujus cauſa potata eſt, ubicumque ille eſt, invadentibus eum pariter tumore ventris & putredine femoris*, vel pudendorum. *Hoc autem fit, ſi maritus nunquam cojerit coitu illicito ; at verò, ſi cojerit unquam coitu illicito, aquæ non explorant ejus uxorem*. Hæc inter aniles Rabbinorum fabulas ; eſſe numeranda dicet quiſpiam. attamen conſtat teſtimonio Joſephi tum & ſacri codicis, olim Deum manifeſtis pœnis occulta delicta puniiſſe. Dici ergo poteſt quòd judicium Dei reveriti, quia à culpa forſan non erant immunes, exceſſerint Scribæ & Phariſæi omnes. *& remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans* conſpicua omnibus.

10. *Erigens autem ſe Jeſus*, cùm neminem vidiſſet eorum qui mulierem adduxerant, *dixit ei : Mulier ubi ſunt qui te accuſabant?* qui mea auctoritate videbantur uti velle ad te puniendum. *nemo te condemnavit?* in te ſententiam mortis tulit. 11. *Quæ dixit : Nemo, Domine*, omnes enim abierunt, non depromto judicio ſuo. *Dixit autem Jeſus ; Nec ego te condemnabo.* nolo illis inclementior eſſe : *Vade* : abi ſecura ; *& jam ampliùs noli peccare*. Eleganta ſunt quæ profert Ambroſius, Epiſt. 76. lib. 9. in hanc rem. *Vade & amodò vide ne pecces. Emendavit ream, non crimen abſolvit ; etenim ſeveriori ſententia culpa damnatur, ſi unuſquiſque crimen ſuum oderit, & in ſe incipiat condemnare delictum. Etenim cùm reus occiditur, perſona magis quàm culpa punitur : ubi verò culpa deponitur, abſolutio perſonæ eſt pœna peccati. Quid eſt ergo : Vade, & amodò vide ne pecces? hoc eſt, ex quo te Chriſtus redimit, corrigat gratia, quam pœna non emendaret, ſed plecteret.*

12. *Iterùm ergo locutus eſt eis Jeſus*. Hic verſus ab iis qui iſtam hiſtoriam adulteræ putant ſacro codici olim inſertam ex veteri traditione Papiæ, conjungitur cum his verbis ſecundi verſus, *& ſedens docebat eos*, nempe *dicens : Ego ſum lux mundi.* declarat ſe eſſe doctorem, ideoque non audiendos Scribas & Phariſæos ſibi adverſantes. Conſtabat ab exſpectato propheta, nempe à Meſſia, homines docendos eſſe omnia. Sæpiùs diximus in orthodoxa doctrina Evangelium interpretandum, prout ſonat. Verbum Dei vera lux eſt, quæ intus illuminat omnem hominem: lux eſt mentium interior. Cùm itaque Jeſus eſſet Verbum Dei, poterat dicere, *ego ſum lux mundi*. Nam, ut loquitur Auguſtinus in huncce locum Joannis, *Sapientia Dei, Verbum Dei, Dominus Jeſus Chriſtus ubique præſens eſt : quia ubique eſt veritas, ubique eſt ſapientia. Intelligit quis in Oriente Juſtitiam, intelligit alius in Occidente juſtitiam : Numquid alia eſt juſtitia quam ille intelligit, alia quam iſte? ſeparati ſunt corpore, & in uno habent acies mentium ſuarum. Quam video juſtitiam hic conſtitutus, ſi juſtitia eſt, ipſam videt juſtus neſcio quà*

man-

manſionibus à me carne ſejunctus, & in illius juſtitiæ luce conjunctus. Poterat ergo Jeſus dicere, *qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, lumen neceſſarium vitæ æternæ conſequendæ.

13. *Dixerunt ergo ei Phariſæi : Tu de te ipſo teſtimonium perhibes : teſtimonium tuum non eſt verum ;* id eſt, legitimum, legibus enim cautum, ne cui credatur in rem ſuam loquenti.

14. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis : Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum ;* Receptum enim eſt, ut notat Grotius apud omnes gentes, ut teſtimonia admittantur pro ſubjectæ rei qualitate. Itaque in his quæ ſolent clam fieri, audiuntur, qui aliàs non audirentur. Legationis injunctæ conſcius eſt is cui injuncta eſt, reliqui ab ipſo hoc debent diſcere. Quòd ſi is legatus nulla in re ſua commoda capiet, ipſe ob legationem multa mala perferat, honorem verò nullum ſibi vindicet, ſed leganti, nec quicquam dicat, quod non legante dignum ſit, tunc nulla eſt ratio, cur non ei credatur. Ideo teſtimonium quod de ſe perhibet admittendum eſſe dicit Chriſtus, *quia ſcio unde veni, & quò vado*. Quæ verba indicant legationem, quæ accipi primò, deinde renuntiari ſolet. quaſi dicat Chriſtus : Ego ſcio à quo, & quæ mihi data ſint mandata. *Vos autem neſcitis unde venio, aut quò vado*, niſi per me diſcatis. cur ergo miſſum vobis videtur, ſi perhibeo de me teſtimonium ?

15. *Vos* Phariſæi, *ſecundùm carnem* judicatis, id eſt ſecundùm faciem, ſive ſecundùm quod oculis veſtris corporeis apparet in me, & ideò fallimini : *ego non judico quemquam*, nunc ſcilicet, dum in humili forma ſervi verſor. Vel, non judico ſecundùm carnem, mihi ſumens, ut tam facili judicio, quod vos facitis, alios judicem. 16. *Et ſi judico ego, judicium meum verum eſt*, id eſt verum eſſet, & cui ſtare debeatis, *quia ſolus non ſum* judicans, *ſed ego, & qui miſit me pater*, duo ſumus judices, ſive teſtes. 17. *Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt*. in ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum, Deut. cap. 19. ℣. 15. 18. *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo*. Subintellige, in cujus vita nihil eſt culpandum, cujus dogmata omnia ad Dei honorem, pietatem ac ſanctitatem promovendam pertinent. ſic ex qualitate ſua oſtendit jure ſibi teſtimonium perhibere ; ſed addit, ego ſolus non mihi teſtimonium perhibeo. *Et* inſuper *teſtimonium perhibet de me, qui miſit me pater*, cujus vox audita erat de cœlo cùm baptizatus eſt ; cujus & nomine quæ faciebat opera, demonſtrabant ab eo miſſum.

19. *Dicebant ergo ei* Judæi : *ubi eſt pater tuus ?* odio excæcati non intelligebant, quem patrem ſuum diceret. *Reſpondit Jeſus : neque me ſcitis*, quem putatis merum hominem. filium non alterius quàm fabri, *neque patrem meum*. naturam Dei ignoratis, nempe verè eſſe patrem, qui filium ab æterno genuerit. *Si me ſciretis* natura filium Dei, *forſitan & Patrem meum ſciretis*. Deum ſcilicet vera generatione filii eſſe patrem. ſermo ille Domini apertus eſt orthodoxis.

20. *Hæc verba locutus eſt Jeſus in Gazophylacio*, loco celebri in atrio Templi, ubi erant arcæ pecuniariæ ad excipienda dona in ſarta tecta Templi, *docens in Templo* palàm, & liberè, *& nemo apprehendit eum*, divinitus enim cohibebantur, *quia necdum venerat hora ejus*, in qua paſſurus erat.

21. *Dixit ergo iterùm eis Jeſus : Ego vado*, curſum meum implens ; *&*, cùm abiero, nempe ad patrem, *quæretis me*, fruſtrà Meſſiam expectantes, *& in peccato veſtro moriemini*, ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ, in hocce peccato ; nempe uſque in finem increduli unà peribitis cum veſtra urbe. *Quò ego vado*, in cœlum ſcilicet, *vos non poteſtis venire*, eò pertingere. excluſi enim cœlo eritis ob peccata. 22. *Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet ſemetipſum*, ut nobis ſe ſubtrahat, ne de eo pœnas ſumamus : *quia dixit : Quò ego vado, vos non poteſtis venire*, cùm hæc non intelligerent Judæi, Jeſus, clariùs loquitur, de cœlo ſe in terras profectum indicans. 23. *Et dicebat eis : Vos de deorſum eſtis*, è terra, è mundo. *ego de ſupernis ſum*, ex cœlo. *Vos de hoc mundo eſtis* nati, *ego non ſum de hoc mundo* ; altior eſt origo mea. 24. *Dixi ergo vobis*, prædixi, *quia moriemini in peccatis veſtris* ſemper increduli. *Si enim non credideritis, quia ego ſum* Meſſias, lux mundi, filius Dei, *moriemini in peccato veſtro*. ſi à me ſanari non vultis, inſanabiles eſtis.

25. *Dicebant ergo ei : tu quis es ?* qualis es ? *Dixit eis Jeſus*, ego ſum is quem ab initio dixi vobis me eſſe. *Principium, qui & loquor vobis*. Ibi *principium* eſt in accuſativo, ut ſit ſubintelligenda propoſitio *ſecundùm*, vel alia. nam in fonte eſt τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, hoc ſum quod à principio dico vobis. Alii volunt illud τὴν ἀρχὴν locum tenere adverbii ; & ſic fontem interpretantur, *primùm hoc ſum, quod & dico vobis*, hoc ipſum, quod me hoc tempore eſſe dixi, id eſt lux mundi. Ludovicus *de Dieu* ; vir multi judicii & doctrinæ, obſervat, 1. Græcos codices conſtanter habere ὅτι, *quòd*, non ὅ τι, *hoc quod*. 2. particulam καὶ, *&*, eſſe inutilem in hac interpretatione. 3. verbum λαλῶ, *loquor*, non accipiendum pro λέγω, *dico*. 4. particulam ὅ τι Hebræum eſſe כִּי, & ideo interrogationi inſervire poſſe. Ita ſecundùm huncce allegatum auctorem, ſenſus verborum Domini eſt : primùmne etiam loquor vobis ? vos me interrogatis quis ſim, quaſi numquam antehac id à me edocti eſſetis.

fetis, primane etiam vice vos nunc alloquor, ut id quærere opus habeatis? ·

26. *Multa habeo de vobis loqui, & judicare*, quæ prætermitto, nam non crederetis, ut fruſtrà plura verba facerem; *ſed* pater meus *qui me miſit, verax eſt*; quaſi dicat: non mihi difficilè, nec ideò minùs certa ſunt, quæ dico, pater enim meus verax eſt, teſtimonia ejus certa ſunt. *Et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo*, nihil dico aliud, quàm quod ab ipſo dicendum accepi.

27. *Et non cognoverunt, quia patrem ejus dicebat Deum*; licèt id clarè diceret. 28. *Dixit ergo eis Jeſus, cùm exaltaveritis filium hominis*, cùm ſuſtuleritis me in crucem, *tunc cognoſcetis, quia ego ſum* Chriſtus filius Dei, & *quia à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater, hæc loquor*. In paſſione plerique videntes, quæ fiebant, agnoverunt eum verè eſſe filium Dei, reſurrectio ejus certum fuit argumentum hunc verè à Deo fuiſſe miſſum.

29. *Et qui me miſit mecum eſt*, quatenus Deus & ipſe ſum. Cum Jeſu homine dicitur Deus eſſe, quia ei favebat. Deus nobiſcum eſt in phraſilogia ſcripturarum, quando nos tutatur, *& non me reliquit ſolum;* explicat id quod dixerat: Deum ſecum eſſe, *quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper*, obedio ei, legationis meæ munere fungens. Dominus accomodat ſe opinioni Phariſæorum, quibus cùm videretur merus homo, ne poſſet judicari impius, ſufficiebat demonſtrare ea quæ eſſent Deo placita à ſe fieri.

30. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum*. Nam id unum obſtabat quominus crederent, quia Phariſæis fidem adhibuerant, qui eum criminabantur ut virum dæmoniacum haud à Deo miſſum. 31. *Dicebat ergo Jeſus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos*: Quamquam ad turbam communiter ſermonem dirigens: *ſi vos manſeritis*, perſeveraveritis, *in ſermone meo*, in doctrina mea, *verè diſcipuli mei eritis*. 32. *Et cognoſcetis* certiùs, perfectiùſque in dies *veritatem* doctrinæ meæ: myſteria regni mei, *& veritas liberabit vos*: in libertatem vindicabit à ſervitute peccati.

33. *Reſponderunt ei* quidam de turba, non illi qui crediderant, ſed alii contemptores. *Semen Abrahæ ſumus*, nempe filii Iſaac, in quo voluit Deus reputari ſemen Abrahæ, ut dicitur in Geneſi 21. ℣. 12. *In Iſaac vocabitur ſibi ſemen*, ait Deus præcipiens Abrahæ, ut ejiceret Iſmaelem filium Agar ancillæ ſuæ. Non ſumus, inquiebant illi Judæi, ſervilis conditionis, ſiquidem nati ex Iſaac filio Saræ, & non ex Iſraele filio ancillæ, *& nemini ſervivimus unquam*, nos enim unum Deum Dominum agnoſcimus; ipſi verò Romani ſinunt noſtris nos uti legibus, *quomodo* ergo *tu dicis, liberi eritis?*

34. *Reſpondit eis Jeſus*, ſignificans de qua ſervitute, & liberatione ageret: *Amen, amen dico vobis*: quia non ii ſolùm, quos compedes ferrei alligant, ſervi ſunt; ſed *omnis*] *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Ab illo enim vitio cui ſtudet tamquam captivus, fertur atque agitur. 35. *Servus autem* natura, aut conditione, qui eſt malæ frugis, quales vos eſtis, *non manet*, ſive non ſolet manere *in domo*, in familiâ heri ſui *in æternum*: *filius autem manet in æternum*, jus habet in domo habitandi. Scilicet non intrabitis in cœlum domum Dei, ejiciemini foras, ſoli filii Dei intra illud admittentur. 36. *Si ergo vos filius*, qui & domus paternæ Dominus eſt, *liberaverit*, ex ſervis liberos fecerit, ſimulque ſibi cohæredes; *verè*, non falſa perſuaſione *liberi eritis*.

37. *Scio quia filii Abrahæ eſtis*, egreſſi è lumbis carnis ejus. *Sed* vos (alloquitur turbam incredulam) *quæritis me interficere*, qua in re vos oſtenditis degeneres filios Abrahæ, qui (ut infrà dicturus eſt) deſideraverat diem meum videre. Ideò autem ſtatuiſtis me interficere, *quia ſermo meus non capit in vobis*, χωρεῖ ἐν ὑμῖν, id eſt locum non habet in vobis, eum reſpuitis, nec ad illum mentem vultis advertere. Apud Matthæum, cap. 19. ℣. 11. dicit Dominus οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, *non omnes capiunt verbum illud*. Ita eo in loco, *ſermo meus non capit*, ſumi debet pro non capitis ſermonem meum: niſi χωρεῖν accipiatur in ſignificatione ſua non inuſitata pro *penetrare, tendere, proficiſci*; juxta quam ſignificationem ſenſus eſſet: ſermo meus non in vos penetrat.

38. *Ego quod vidi*, id eſt didici *apud* Deum *patrem meum loquor*: *& vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum* diabolum, cujus vos filios operibus probatis, *facitis*, ejus exemplum ſecuti. 39. *Reſponderunt, & dixerunt ei*: *Pater noſter Abraham eſt*. Non alium agnoſcimus patrem, alium indicarat Chriſtus, nempe diabolum, quem non nominaverat. *Dicit eis Jeſus: ſi ergo filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, ſimilia operibus ejus opera. 40. *Nunc autem*, longè abeſt ut imitemini Abraham, *quæritis me interficere hominem*, ut nihil aliud ſim quàm homo, tamen innocens ſum, *qui veritatem vobis locutus ſum*, quam audivi à Deo, qui me miſit. *Hoc* tale quid *Abraham non fecit*. 41. *Vos*, iterum ergo dicam, *facitis opera patris veſtri* diaboli.

Dixerunt itaque ei: quem alium patrem nobis eſſe quàm Abraham vis innuere: *nos ex fornicatione non ſumus nati*, adverterunt enim Jeſum loqui de ſpirituali generatione; eo ſenſu, quo Daniel, cap. 13. ℣. 56. dicebat ad injuſtos judices, *Semen Chanaan, & non Juda*. Judæi quoties ad idola diverterent, appellabantur fornicatores; ut ergo injuriam repellerent, quam ineſſe

ineſſe verbis Jeſu judicabant, reſpondent: *unum patrem habemus Deum*, non plures habemus, quos colamus, Deos.

42. *Dixit ergo eis Jeſus: ſi Deus pater veſter eſſet*: ſi, ut profitemini, Deum tanquam patrem ſincerè coleretis: *diligeretis utique me: ego enim ex Deo proceſſi, & veni* miſſus ab eo: *neque enim à me ipſo veni*, ut qui falsò ſibi prophetæ munus arrogant, *ſed ille me miſit*.

43. *Quare loquelam meam*; λαλιὰν, dicta mea, locutionem *non cognoſcitis*; non intelligitis quæ loquor? Reſpondet ipſe ſibi Chriſtus, hoc autem fit, *quia non poteſtis audire ſermonem meum*. Ibi *audire* eſt animo morigero amplecti. Cur ergo vos locutionem meam non cognoſcitis? Cauſa eſt, quia ſermonem meum non poteſtis morigero animo amplecti, ideò barbarus vobis videor, nec idioma meum intelligitis.

Jam ſine ambagibus loquitur quod res eſt. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis*, cujus opera facitis, *& deſideria patris veſtri vultis facere*, illum imitamini. *Ille homicida erat ab initio*, quia arte ejus mors intravit in mundum, & eo impellente Cain Abelem interfecit in rerum initio. *Et in veritate non ſtetit*, deflexit à veritate, *quia non eſt veritas in eo*, totus enim quantuſque eſt, pronus eſt in mendacium. *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, quia in eo fons eſt, & promptuarium erroris; *quia mendax eſt*, ſtudio, dedita opera amat fallere, *& pater ejus*, nempe mendacii, quod in eo eſt, quod illi proprium eſt, auctor eſt mendacii. Vos ergo ſimiliter mendaces, oſtenditis ex patre diabolo prognatos. Phariſæi ſciebant, neque enim ignorare poterant, Jeſum virum eſſe probatum Deo; mendaces ergo erant dum inſectabantur eum ut Dei adverſarium.

45. *Ego autem ſi veritatem dico vobis*, qui jures, & fidem præbetis mendaci diabolo, *non creditis mihi*. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nemo eſt veſtrûm qui me de mendacio, aliove ullo peccato poſſit convincere. Nullam igitur cauſam habetis, ob quam non credatis verbis meis. *Si veritatem dico vobis*: ſi ea dico, quæ fide digna ſunt, *quare non creditis mihi*. Jam non miratur, cur non crederent, quoniam non eſſent è numero filiorum Dei. 47. *Qui ex Deo eſt* tanquam patre propter electionem & regenerationem, *verba Dei*, doctrinam Dei *audit* libenter & attentè, cum aſſenſu & obſequio. *propterea vos non auditis*, *quia ex Deo non eſtis*, è numero electorum ejus. Sicut eſurire ſanitatis indicium, inquit B. Chryſoſtomus, ita & ſtudio magno audire divina eloquia, bonæ animi valetudinis certiſſimum eſt argumentum.

48. *Reſponderunt ergo Judæi*: Scribæ & Phariſæi; *& dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos*, cùm dicimus *quia Samaritanus es*. id eſt vir Judæis infenſus, religionis Judaicæ contemptor, quales erant Samaritani. *Et* præterea *dæmonium habes*, id eſt dæmon tibi tranſverſam mentem agit. 49. *Reſpondit Jeſus, ego dæmonium non habeo*. Quæ dixi, non præ inſania dixi: *ſed honorifico patrem meum*: cujus res ago: *& vos inhonoraſtis me*, vos me convitiis petitis, cùm ob hanc cauſam honorare me deberetis. 50. *Ego autem non quæro gloriam meam*, cùm doceo hæc quæ dico vera eſſe, & à Deo profecta, non id facio cupiditate humanæ gloriæ: *eſt qui quærat, & judicet*. Deus vindicaturus eſt has contumelias, quibus me afficitis. 51. *Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit*, id eſt non ſentiet *in æternum*.

52. *Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus* certiùs, & clariùs quàm antehac, *quia dæmonium habes*, planè inſanis. *Abraham* enim *mortuus eſt & prophetæ, &* tamen *tu* neutiquam illis comparandus *dicis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum*. 53. *Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & prophetæ mortui ſunt: quem te ipſum facis*, venditas? Numquid ipſe vitæ auctor es qui aliis poſſis vitam conſervare, ita ut perpetuò vivas, quod nec Abraham, nec prophetis obtigit?

54. *Reſpondit Jeſus: ſi ego glorifico me ipſum*. ſi quod meum non eſt, mihi arrogo, *gloria mea nihil eſt*, nullius pretii eſt iſta gloriatio, ſed *eſt pater meus, qui glorificat me* miraculis, *quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt*. Neque enim ab alio me profiteor miſſum, quàm ab eo qui Deus eſt Abraham, Iſaac, & Jacob. 55. *Et non cognoviſtis eum* operantem, & teſtantem de me: *Ego autem novi eum*, filius ejus natura, *& ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax*, abſit, ut hæc dicam: ſed *ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo*; ei obſequens; & ideò pro impio haberi non poſſum.

56. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum*. Cùm illi promiſſum eſſet, ut aliquando etiam exteræ gentes per ipſius ſemen bearentur. *Vidit, & gaviſus eſt*. ſic hæc accipiunt Judæi, quaſi Jeſus ſe diceret viſum Abrahæ non tantùm in vaticinio, ſed re ipſa. 57. *Dixerunt ergo Judæi ad eum, quinquaginta annos nondum habes*, agunt liberaliùs, quia hoc omne nihil ad eos annos qui ab Abrahæ ævo numerabantur, *& Abraham vidiſti?* dicis te cum Abraham vixiſſe. 58. *Dixit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, antequam naſceretur, vel eſſet, vel exiſteret Abraham, *ego ſum*, quatenus Verbum Dei, ſcilicet filius Dei præludens incarnationi ſuæ ſub forma humana ſe conſpicuum præbuerat Abrahæ.

In diſſertatione, quam præmiſimus libro ſecundo, vidimus juxta doctrinam, & unanimem conſenſum veterum patrum Juſtini, Clementis, Irenæi, *variè viſum à Patriarchis, in prophetis ſemper auditum*; ut loquitur Tertullianus de præſcript. cap. 13. cujus & illa ſunt, lib. 2. cap. 27. contra Marcionem: *Nam profitemur Chriſtum ſemper egiſſe in Dei nomine, ipſum ab initio converſatum, ipſum congreſſum cum Patriarchis, & prophetis.* De Abraham id particulariter adſtruit. lib. 3. ejuſdem operis, cap. 9. *ideoque & ipſe cum angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, ſed nondum natæ, quia nondum morituræ, ſed & diſcentit jam inter homines converſari. Terrenam cognationem relinquens Abraham ſequebatur Verbum Dei*, inquit Irenæus, *cum Verbo peregrinans, ut cum Verbo moraretur.*

Ergo illi ſanctiſſimi patres, qui vicini fuere temporibus quibus ſcriptum Evangelium, longè erant à Socinianis, qui nuper auſi ſunt contendere, Chriſtum etiam quatenus Verbum Dei non extitiſſe ante Abraham, licèt ipſe de ſe hoc dicat: *priuſquam Abraham fieret, ego ſum*; illi hæretici inquiunt: Abraham, nomen eſt quod notat patrem multarum gentium; Abraham autem non fuit pater ſpiritualis multarum gentium, niſi poſt tempora Chriſti; Jeſus ergo ut ſe ſignificaret Chriſtum eſſe, ſive Meſſiam, antequam id contingeret, nempe Abraham fieri patrem ſpiritualem, ſic loquutus eſt: antequam Abraham fiat Abraham, ſive ſpiritu pater multarum gentium, *ego ſum*, nempe Chriſtus. Quàm inepta ſit hæc interpretatio attentè perpendamus.

Primùm reipſa à primis temporibus Abrahamus extitit pater multarum gentium, videlicet Iſmaelitarum, qui nati ſunt ex Iſmaele filio ejus, Idumæorum ex Eſau, & Iſraelitarum ex Jacob; ut notat B. Paulus Rom. cap. 4. ℣. 18. *qui contra ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium.* Inſuper non dicit Dominus de Abraham loquens priuſquam fieret, aut fiat Abraham, id eſt evadat, ſed priuſquam Abraham eſſet. ſed miſſis omnibus Grammaticis tricis; animadvertere ſatius erit litem de ſententia alicujus loci dirimendam eſſe ex loci ipſius, de quo contenditur, ſcopo & circunſtantiis. Facta in hocce cum Judæis colloquio mentione Abraham, cùm Chriſtus tandem diceret Abraham vidiſſe diem ejus; quoquo modo viderit, Judæi ſic illud accipiebant, ut reipſa Abraham Jeſum vidiſſet. ergo reponebant: Tu vidiſti Abraham? at quomodo id fieri potuiſſet, quinquaginta enim annos non habes. debuit igitur objectionem iſtam ſic Jeſus ſolvere, ut priori dicto ſuo, *Abraham vidiſſe diem ejus*, ſua veritas conſtaret. id facit egregiè, ſi Socinianos audiamus; neque enim id aliter quàm aſſerendo ſe exiſtere jam in mundo, cùm nondum venit tempus illud, quo gentibus idolatris credentibus in Deum, tunc Abraham evaſurus eſſet Abraham, id eſt, pater harum gentium, quæ imitentur fidem ejus. egregia ſcilicet Jeſu Chriſti proprietas! & nos ſumus in mundo, antequam ſic fiat Abraham; neque enim omnes gentes tunc credunt, quæ aliquando crediture ſunt.

Ambigua quidem eſt vox γενέσθαι; reddi enim poteſt, *eſſe*, & *incipere eſſe* ſive *fieri*. Pariter verum eſt illud *ego ſum* ſæpè ita uſurpari, ut aliquid ſubintelligendum ſit, ſed etiam ſæpiùs abſolutè dicitur, & nullum ſupplementum expetit. ut Matth. cap. 14. ℣. 27. Luc. cap. 24. ℣. 39. *ego ſum*. Ita verba Chriſti hunc ſenſum naturali & ordinaria ſua ſignificatione ingerebant animis Judæorum, Jeſum, antequam Abraham eſſet, jam ipſum eſſe: ad quem ſenſum deducebantur ſolutione iſtius objectionis, nempe eum qui ultra quinquaginta annos non eſſet natus, non viſum fuiſſe Abrahæ ante tot annos mortuo. Neque enim iſtud ſolvere poterat Jeſus, niſi ea declaratione quòd antequam Abraham inciperet eſſe, ſive naſceretur, ipſe jam exiſteret. Ergo intelligebant Phariſæi, quòd ſe diceret æternum; quam æternitatem cùm ſibi iniquè arrogaret, ſi iniqua de illo non ſentiunt Sociniani, jure illum lapidibus petiviſſent. ſaltem debebat abducere animos eorum à ſenſu, quem præferebant verba ſua; & aliis verbis clarioribus utens pateſacere ſenſum ſuum, id eſt quem Socinus comminiſcitur, & qui occultus fuit uſque ad tempus ejus.

Omnia inter ſe pugnant in interpretatione hujus peſſimi hæretici. Querebatur Dominus, quòd Judæi eum interficere vellent: *Hoc Abraham non fecit*, ajebat, etenim *exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt*. Reipſa qui viderat Chriſtum quatenus Verbum Dei, & cum gaudio eum exceperat, cùm illi apparuit, non eum interfeciſſet. Sed quis eſt ille dies Chriſti, quem vidit Abraham? ſic rationem init Enjedinus de grege Socini: De quo maximè lætatus eſt Abraham, ille eſt dies Chriſti; ſed maximè lætatus eſt de nativitate Iſaac; ergo nativitas Iſaac eſt dies Chriſti. major eſt Chriſti, inquit Enjedinus; minor conſtat ex hiſtoria. Quaſi verò Abraham qui valdè lætatus ſit ob natum Iſaac, ideo exultare non potuerit ob viſum diem Chriſti. Eſto Iſaac typus ſit Chriſti; an ideo nativitas Iſaac eſt dies Chriſti? Quinam ſunt *dies Noe*, niſi ſpatium illud temporis, quo vixit Noe, & fabricavit arcam? Ita & dies Iſaac non alii ſunt quàm quibus ille filius Abrahæ vixit. Non ultrà immoremur inanibus commentis confutandis.

Igitur cùm Judæi certò crederent, nec ea in re errabant, Jeſum ſe dicere æternum, & ideo Deum, tunc ut blaſphemum de medio tollere

Digitized by Google

voluerunt; etenim non advertebant tum ex operibus ejus, tum ex ſermonibus eum non poſſe mendacia loqui. 59. *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum* furore perciti. Templi religio non obſtabat, quia credebant ſe Deo obſequium præſtare. etenim, ut ſcribit Maimonides de Idolol. cap. 2. num. 12. *ubi quis blaſphemiam dixerit, præſentibus teſtibus, lapidibus obruitur.* nulla alia blaſphemia major, quàm cùm homo ſe Deum facit. Sed unde lapides in Templo, quod tanta ſacerdotum multitudo, & accurata diligentia ſemper nitidiſſimè purgatum ſervabat? Ad hanc quæſtionem idem reſponderi poteſt, quod reſpondetur in Talmude quærenti, an lutum eſſet in monte Templi. Rabi Gamaliel præceperat, ut defoderetur quidam liber ſub acervo luti. Reſponſum, inquam, eſt à Gloſſa fuiſſe ibi cæmentum, quo ædificabant. Nos eadem ratione reſpondemus fuiſſe ibi lapides quibus ædificabant. ſic loquitur Otho in ſuo lexico Rabbinico.

Jeſus autem abſcondit ſe ſapientia ſua declinans Phariſæos; *& exivit de Templo* ſubducens ſe furori eorum. *Tanquam homo à lapidibus fugit*, inquit Auguſtinus; *ſed væ illis à quorum lapideis cordibus fugit.*

C A P U T X.

Jeſus in die ſabbati viſum cæco reſtituit, qui ejicitur; quia Jeſum confitetur eſſe Chriſtum.

JOANNES, Cap. 9. ℣. 1—41.

† Fer. 4 infrà hebd. 4 Quadr.

1 ET † præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate:
2 Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus: Rabbi, quis peccavit; hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?
3 Reſpondit Jeſus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.
4 Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.
5 Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.
6 Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus,
7 Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Miſſus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.
8 Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic eſt.
9 Alii autem: Nequaquam, ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat: Quia ego ſum.
10 Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi?
11 Reſpondit: Ille homo, qui dicitur Jeſus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava. Et abii, lavi & video.
12 Et dixerunt ei: Ubi eſt ille? Ait: Neſcio.
13 Adducunt eum ad Phariſæos, qui cæcus fuerat.
14 Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Jeſus, & aperuit oculos ejus.
15 Iterùm ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & lavi, & video.
16 Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. Alii autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos.

17 Di-

17 Dicunt ergo cæco iterùm: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.

18 Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat:

19 Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus natus eſt? Quomodo ergo nunc videt?

20 Reſponderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt:

21 Quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.

22 Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conſpiraverant Judæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.

23 Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate.

24 Vocaverunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.

25 Dixit ergo eis ille; Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video.

26 Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

27 Reſpondit eis: Dixi vobis jam, & audiſtis: quid iterùm vultis audire? numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?

28 Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.

29 Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus unde ſit.

30 Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit meos oculos:

31 Scimus autem quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

32 A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

33 Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam.

34 Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

35 Audivit Jeſus quia ejecerunt eum foras: & cùm inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36 Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum?

37 Et dixit ei: Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.

38 At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. ¶

39 Et dixit Jeſus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

40 Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus?

41 Dixit eis Jeſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis: Quia videmus: Peccatum veſtrum manet.

1 ET *præteriens Jeſus vidit hominem cæcum à nativitate*, ſcilicet egrediens Templo vidit illum cæcum ſedentem ad portam Templi, & mendicantem, pro ut pauperes ſolebant, ut liquet ex hiſtoria claudi in actis. Sic eadem ipſa die, qua Judæi ſuſtulerant lapides in Jeſum, ab eo editum eſt hoc cæci ſanati magnum miraculum, ut conſtaret ejus divinitas: rem, inquam, contigiſſe hac eadem die continuatio ſermonis Evangelici indicat. *Et præteriens*, &c. 2. *Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus*, *Rabbi*, id eſt magiſter, *quis peccavit, hic*,

Digitized by Google

hic, aut parentes ejus, cujus peccato ſactum eſt, *ut cæcus naſceretur?* Quæri hic poſſet an de peccato originis diſcipuli loquerentur; & ideò an iſtud peccatum notum, & creditum Judæis. Omnes Judæi nunc, & olim agnoverunt in omni homine id quod vocant הרע יצר *jetzer haraa*, id eſt *figmentum malum*. Trahitur pœna peccati in omne ſemen hominis, inquiunt, tam in juſtos, quàm in impios. Bartoloccius fusè diſſerit de hocce figmento malo, tom. 2. Bibliothecæ Rabbinicæ; & Judæos per illud intellexiſſe peccatum originale oſtendit. Sed aliquod aliud peccatum eo in loco diſcipuli videntur intendiſſe. Naſcebatur eorum quæſtio ex opinione, quam Dominus falſam eſſe ſignificat: ſcilicet plerique inter Judæos, ut jam à nobis animadverſum eſt, credebant præexiſtentiam animarum, antequam immitterentur in corpora, imò & tranſmigrationem in alia, ut apparet ex Philone, Joſepho, & Thalmudiſtis. Suprà allegavimus teſtimonia in hanc rem, dum egeremus de opinione Herodis, qui opinabatur Joannem reſurrexiſſe à mortuis, & in Jeſu vivere. Ita Judæi cæcitatem, & alia ejuſmodi corporis vitia putabant pœnas eſſe peccatorum, quæ ante novam vitam admiſſa eſſent. Hanc, ut videtur, opinionem amovens. 3. *Reſpondit Jeſus: Neque hic peccavit*, antequam naſceretur, ut cæcitas à nativitate adſcribi poſſit peccato in priori vita admiſſo, *neque parentes ejus* peccavere, ut cæcus naſceretur, *ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo*, nempe, ut per illum pateat, qualia & quanta ſint opera Dei.

4. *Me oportet operari opera ejus, qui me miſit*, benefaciendo, & docendo, *donec dies eſt*; intelligit tempus, quod illi reſtabat, antequam pateretur. *Venit nox, quando nemo poteſt operari*. His ſignificat opera patris ſui perficienda apto tempore, ut operarii, donec lucet, ante noctem diurnum penſum abſolvunt. 5. *Quamdiu ſum in mundo*, dum in vivis ſum, *lux ſum mundi*, debeo miraculis meis, & doctrina declarare quis ſim, ut neminem fugiat me eſſe Chriſtum. His verbis ſignificat Dominus aliqua re compelli ad operandum; quaſi diceret; etiamſi Phariſæi invidia rumpantur, decet me teſtatam facere meam divinitatem operibus quibus vacare debeo, antequam moriar. Alibi niſi rogatus, & quaſi adactus non operabatur miracula, à cæco autem præſenti non rogabatur; ſed, ut diximus, intererat hac ipſa die ſe Deum probare aliquo miro opere.

6. *Hæc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo; & linivit ſputum ſuper oculos ejus*. Haud aptum remedium ex ſe ſanandis oculis, ſed volebat Chriſtus poteſtatem ſuam facere notiorem. 7. *Et dixit ei cæco. Vade, lava in natatoria Siloe*, εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ, in locum ubi excipitur fons *Siloe quod interpretatur miſſus*. Quoties vocis interpretationem adjungunt Evangeliſtæ, oſtendunt ad ejus ſignificatum alludi. Meſſias appellabatur *mittendus*. Rabbini dicunt fontem *Siloe*, vel *Siloam*, ut appellatur in Græco codice, ſic dici, quia mitteretur, id eſt derivaretur in multos hortos. Paruit Domino cæcus. *Abiit ergo* ad fontem, *& lavit, & venit videns* apertis ſuis oculis.

8. *Itaque vicini*, qui in proximo, prope cæcum, aut certè parentes ejus habitabant, *& qui viderant eum prius, quia mendicus erat*, & ideò compluribus innotuerat, *dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat*, nempe ut dixi, ad portam Templi, *& mendicabat? Alii dicebant* indubitanter: *quia hic eſt*, ipſus eſt. 9. *Alii autem nequaquam, ſed ſimilis eſt ei*: neque enim fieri poſſe putabant, ut cæcus viſum acciperet. His altercationibus clareſcebat miraculum. *Ille verò cæcus dicebat: quia ego ſum*, nunc videns, qui antè cæcus fueram.

10. *Dicebant ergo ei: quomodo aperti ſunt tibi oculi?* 11. *Reſpondit cæcus: ille homo qui dicitur Jeſus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava*. Parui, *& abii, lavi*, ut præceperat, *& video*, qui antea cæcus eram. 12. *Et dixerunt ei: ubi eſt ille* Jeſus? *Ait, neſcio*, hoc enim, ut dixi, contigit eo tempore, quo fugiebat conſpectum Phariſæorum, & abdebat ſe.

13. *Adducunt eum ad Phariſæos, qui cæcus fuerat*, ad Synedrium ut videtur. Fama tanti miraculi potuit citò perferri ad Phariſæos, qui in Templo erant; nec à Templi foribus forſan cæcus ille multùm remotus erat. 14. *Erat autem ſabbatum quando lutum fecit Jeſus, & aperuit oculos ejus*. Inde criminationis materies, etenim juxta eorum doctrinam non licebat, niſi ingrueret periculum, medicamenta adhibere, cæcus autem altera die ſanari poterat. 15. *Iterùm ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet*, viſum recepiſſet. *Ille autem dixit eis: lutum mihi poſuit ſuper oculos* Jeſus, *& lavi* ejus juſſu, *& nunc video*. 16. *Dicebant ergo ex Phariſæis quidam*: plures enim adſtabant, & his potiſſimùm Synedrium conſtabat. *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*. Linere oculos Phariſaica ſuperſtitio operibus ſabbato vetitis annumeraverat. Quia ſcilicet, ut dixi, poterat ſine periculo differri in ſequentem diem. *Alii autem dicebant: quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere*, quibus ſe probat Deo gratum; neque enim id Deus permitteret, ſi falsò ſibi arrogaret à Deo miſſum eſſe. *Et ſchiſma*, diviſio *erat inter eos*, dum alii aliud de Jeſu ſentirent.

17. *Dicunt ergo cæco iterùm*, illum compel-

lan-

ntes, *tu* ipſe *quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos* in ſabbato? quid cenſes? *ille autem dixit: quia propheta eſt*, non peccator, ſed ſanctus doctor à Deo miſſus.

18. *Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet*, quòd illius oculi aperti ei fuiſſent, *donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat*, hujuſce cæci qui ſanatus fuerat à cæcitate. 19. *Et interrogaverunt eos dicentes: hic verè eſt filius veſter, quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt? quomodo ergo nunc videt?* neque enim hoc poterat negari, ſed deſiderabant, ut reſponderent parentes filium ſuum non fuiſſe cæcum natum. 20. Verùm *reſponderunt eis parentes ejus & dixerunt: ſcimus* peculiaribus certiſque indiciis, *quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt;* 21. *quomodo autem nunc videat, neſcimus.* non adfuimus, cùm id fieret: *aut quis ejus aperuit oculos, nos neſcimus.* Metu perturbati forſan non audebant id quod verum eſſet profiteri: ipſa enim ſua percunctatione oſtendebant Phariſæi quale reſponſum deſiderarent. *Ipſum* filium noſtrum *interrogate: ætatem habet*, ut ad interrogata reſpondere poſſit. *Ipſe de ſe loquatur.*

22. *Hæc*, ut dixi, metu perturbati *dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos* primores, Scribas, Phariſæos, ſacerdotes. *Jam enim conſpiraverant*, conſtituerant illi *Judæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum*, pro Chriſto haberet, *extra ſynagogam fieret* ἀποσυνάγωγος γένηται, id eſt ſynagogis omnibus expelleretur, velut profanus haberetur, excommunicaretur. 23. *Propterea parentes ejus dixerunt: quia ætatem habet, ipſum interrogate.* ita cautè à ſe amovent reſponſionis periculum.

24. *Vocaverunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo.* Formula ſolemnis, à judicibus Hebræorum uſurpata, cùm vellent aliquem ad veritatem in facto ſuo, vel alieno, velut coram Deo profitendam, adigere. Exempla occurrunt non ſemel ut libro Joſue, cap. 7. ℣. 19. & 1. regum, cap. 6. ℣. 5. *Nos* ergo, inquiunt, *ſcimus, quia hic homo peccator eſt*, ac proinde non poteſt miracula edere. 25. *Dixit ergo eis ille: ſi peccator eſt neſcio*, quod vobis conſtare dicitis: *Unum ſcio*, certò, *quia cæcus cùm eſſem, modò video.* utrumque mihi conſtat. 26. *Dixerunt ergo illi: quid fecit tibi? quomodò aperuit tibi oculos?* Ex ipſo ſanitatis modo ſperabant aliquid deprehendi poſſe, quo conſtaret non fuiſſe veram ac nativam cæcitatem. 27. *Reſpondit eis: dixi vobis jam, & audiſtis: quid iterùm vultis audire?* an non ſatis audiſtis? *numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* Hæc loquitur ſuaſoriè, quaſi optans ut vellent.

28. *Maledixerunt ergo ei* ἐλοιδόρησαν, conviciati ſunt ei, *& dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis.* σὺ εἶ. Vulgatus & Eraſmus εἶ pro imperativo habent, *tu eſto*, ſive *tu ſis*; alii pro indicativo habent *tu es* diſcipulus illius, & fautor, qui in ejus gratiam loqueris. *nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.* quo magiſtro ſumus contenti. 29. *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus unde ſit.* an à Deo miſſus ſit. 30. *Reſpondit ille homo, & dixit eis: in hoc enim mirabile eſt.* res mira *quia vos*, qui vobis arrogatis ſcientiam dijudicandi inter prophetas veros & falſos, *neſcitis, unde ſit, &* tamen vir eſt à Deo miſſus, *aperuit* enim *meos oculos*, quo miraculo ſatis oſtendit unde ſit. Eam fuiſſe ratiocinationem hujuſce hominis docet argumentum, quo utitur. 31. *Scimus autem* ego & vos, *quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* non ſolùm autem Deus exaudiit, ſed & illi poteſtatem extraordinariam contulit. 32. *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* neque Moyſes, neque aliquis alius propheta quid ſimile fecit. 33. *Niſi hic eſſet à Deo* miſſus, *non poterat facere quidquam* tale.

Quid ad hæc Phariſæi? injuriis laceſſunt, cæcum. 34. *Reſponderunt & dixerunt ei: in peccatis natus es totus.* Tu quia peccaveris ipſe, aut parentes tui, cæcus natus: Tu, inquam totus, quantus es, in peccato natus es, *& tu doces nos* magiſtros, & judices populi. *& ejecerunt eum foras.* ex collegio illo in quo congregati erant, è Templo, & ex omni ſynagoga.

35. *Audivit Jeſus, quia* ſic *ejecerunt eum foras, & cùm inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?* Ille homo perſuaſus erat Jeſum virum eſſe Deo probatum, ſed quòd foret Chriſtus filius Dei, nondum erat edoctus. 36. *Reſpondit* itaque *ille, & dixit: quis eſt, Domine* ille filius Dei, *ut credam in eum?* ubi eſt? veniunt tandem? 37. *Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum;* virtutem ejus expertus es; nam is eſt per quem viſum recuperaſti, nec paſſus eſt Jeſus ut momento fluctuaret dubius. Addidit enim: *& qui loquitur tecum, ipſe eſt* filius Dei. 38. *At ille ait: credo, Domine.* quem enim agnoverat gratum Deo, ſciebat non eſſe mendacem. *Et procidens adoravit eum* non modò ut prophetam, ſed ut Meſſiam filium Dei.

39. *Et dixit Jeſus: in judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Ideſt in condemnationem videntium, ſive eorum qui ſe videntes dicunt, veni, ut cæcis videntibus ipſi cæci fiant. 40. *Et audierunt quidam ex Phariſæis qui cum ipſo erant*, ſive quia minùs ei infenſi, vel quia, ut ſermones ejus captarent, ſectabantur eum. Credo autem tunc iis locis verſatum Chriſtum, in quibus non poſſent hi Phariſæi prehendere illum. Forſan hæc & quæ

ſequuntur in Evangeliſta, quibus Jeſus ſe probavit bonum paſtorem, in ipſo Templo dicta ſunt, cùm poſt apertos oculos cæci, nec multo interpoſito tempore, in illud reverſus eſſet. Potuere hæc etiam dici in aliqua ſynagoga ubi à pluribus defendi poterat. *Et dixerunt ei: numquid & nos cæci ſumus?* Suo judicio numerandi erant Phariſæi inter videntes, quo nomine olim appellabantur prophetæ. 41. *Dixit eis Jeſus: ſi* omninò *cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* eſſetis aliquo modo excuſabiles, vel ſi vos cæcos eſſe adverteretis, cæcoſque fateremini, peccatum non haberetis. *Nunc verò dicitis: quia videmus,* nunc exiſtimatis vos ſapere; ideò *peccatum veſtrùm manet:* non aufertur: non condonabitur vobis.

CAPUT XI.

Jeſus verus Paſtor, cujus ſunt oves; & Paſtor bonus, qui vitam ponit pro ovibus ſuis.

JOANNES, Cap. 10. ℣. 1–21.

† *Fer. 5. infrà octav. Pent.*

1 † AMen, amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.
2 Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.
3 Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.
4 Et cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus.
5 Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.
6 Hoc proverbium dixit eis Jeſus. Illi autem non cognoverunt quòd loqueretur eis.
7 Dixit ergo eis iterùm Jeſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium.
8 Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oves.
9 Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.
10 Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. ¶

* *Dom. 2. poſt Paſcha & in feſto S. Thomæ Epiſc. & Conf.* † *Iſa. 40. 11. Ezech. 34. 23. & 37. 24.*

11 * Ego ſum Paſtor bonus, † Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.
12 Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves:
13 mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.
14 Ego ſum Paſtor bonus: & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.
15 † Sicut novit me Pater, & ego cognoſco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis.
16 Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Paſtor. ¶

† *Iſa. 53. 7.*

17 Propterea me diligit Pater: † quia ego pono animam meam, ut iterùm ſumam eam.

18 Ne-

18 Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à patre meo.

19 Diſſenſio iterùm facta eſt inter Judæos propter ſermones hos.

20 Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?

21 Alii dicebant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis: numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

HACTENUS vidimus materiem dicendi Domino è re præſenti ſuppeditatam. Sermo autem ille qui modò lectus eſt, occaſionem, quæ notetur, nullam habet. Attamen videtur tunc temporis memoriam cæci nati, cujus oculos aperuerat Dominus fuiſſe recentem. Dicunt enim qui eum loquentem audiunt, *numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?* Ergo veriſimile eſt non longè à feſto Scenopegiæ, circa quam miraculum illud patratum eſt, huncce ſermonem habitum in ipſo Templo, vel in aliqua ſynagoga die ſabbati: ſabbatis enim pleroſque ejus ſermones prolatos, & edita mira opera ſcimus. Altero autem, vel tertio ſabbato poſt Scenopegiam legebatur Iſaiæ caput quadrageſimum, à verſu quidem vigeſimo ſeptimo ad decimum ſeptimum verſum capitis ſequentis: ſed quæ proxima erant, ut credo, non fugiebant oculos lectoris. Verſu autem decimo ejuſdem quadrageſimi capitis iſta leguntur. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.* Nemo eſt qui non videat ex illa lectione quæ fieri tunc poterat, aut ex verbis illis quæ proximè conjuncta ſunt, materiem dicendi ſumptam à Domino.

1. *Amen, amen dico vobis: qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde* perrupto pariete, *ille fur eſt*, quia venit ut rapiat alienum, *& latro*, quia ut occidat. Sic exponitur infrà, ℣. 10. 2. *Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.* nempe cui committuntur oves paſcendæ, intrat per oſtium advocatus. 3. *Huic oſtiarius aperit*, ut viro noto, *& oves vocem ejus audiunt*, tum conſuetudine, tum inſtinctu quodam naturali, *& proprias oves vocat nominatim*, & ipſe viciſſim oves ſuas novit, *& educit eas* in paſcua. 4. *Et cum proprias oves emiſerit* ex caulis, *ante eas vadit*, viam monſtrans, *& oves illum ſequuntur* vocantem eas, *quia ſciunt vocem ejus*, ſibilos, & ſonos, quibus uti conſuevit. 5. *Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo,* timent enim ne veniat, ut perdat: quia non noverunt vocem alienorum.

6. *Hoc proverbium dixit eis Jeſus*, παροι-μίαν. Exprimere voluit Hebræorum משל quod omnem ſermonem figuratum ſignificat, tum proverbia, tum parabolas, ſimilitudines, comparationes, & quodvis acutum & elegans dictum. *illi autem* nempe Judæi qui adſtabant *non cognoverunt quid loqueretur eis.* τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς, quænam illa eſſent, quæ loqueretur eis; quid hac ſimilitudine ſignificaret, ſive quò intenderet. Ergo ſine ullo proverbio, non utens ſermone figurato, liquidò dicit, quod res eſt.

7. *Dixit ergo eis iterum Jeſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium.* His verbis declarat omnes, quotquot non fuerunt pſeudoprophetæ, à ſe miſſos. Olim Verbum Domini, quatenus Deus alloquebatur prophetas, eóſque mittebat. omnia fecit Deus per Verbum ſuum. Tantum ergo aberat, ut Jeſus iniquo jure arrogaret ſibi munus docendi, quin erat oſtium ipſum per quod intrandum erat: ſcilicet nullus ſe doctorem profiteri poterat; quem ipſe non elegiſſet, & miſiſſet.

8. *Omnes quotquot venerunt.* Græcus codex addit πρὸ ἐμοῦ, *ante me*, non advocati & admiſſi, *fures ſunt & latrones*, quales ipſi Phariſæi qui deprædabantur bona populi, & criminationibus mactabant innocentes. B. Auguſtinus notat Moyſem & prophetas veniſſe quidem ante Chriſtum, ſed fuiſſe cum Chriſto. Propoſitio illa univerſalis reſtringenda eſt ex hujuſce ſermonis initio ad eos, qui per oſtium non intrant. De illis, inquam, ſubdit Dominus, *& non audierunt eos oves.* Electi non receperunt eos, & ſi qui fortè ſeducti ſunt, citò reſipuerunt. 9. *Ego ſum oſtium*, repetit quod dixerat, ut inculcet neminem ab altero admitti poſſe in gregem electorum. *Per me ſi quis introïerit ſalvabitur.* Quem admiſero, ſervabitur intra caulas eccleſiæ. *& ingredietur, & egredietur.* phraſis uſitata in ſacro codice, qua ſignificatur quotidiana hominis converſatio, omneſque ejus actiones; ſic in Actis, c. 1. ℣. 21. *in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus Jeſus.* id eſt quo vitam nobiſcum egit. ſi quis inquam; per Chriſtum ingreditur, vitam aget ſecurus, ut ovis, quæ in tuto eſt, intra caulas. *& paſcua inveniet*, pabulo non carebit, neque enim ſuos deſerit Deus.

10. *Fur non venit niſi ut furetur, & ma-*

 ctet,

Æes, ſi non ex propoſito, at certè ex eventu; reſiſtentes enim interficit. *ego veni ut oves vitam habeant, & abundantius habeant*, ἵνα περισσὸν ἔχωσιν, ut abundent, ſive abundanter habeant. Vulgatus videtur legiſſe περισσότερον, *abundantius*. Non ſolùm, inquit Dominus, do eis vitam, ſed & cum ea vita omne genus felicitatis; ideò non ut furer, & mactem veni. non aufero bona, ſed cumulo bonis.

Nunc ſe & paſtorem dicit Chriſtus, quia ſcilicet obiret paſtoris munera; in quo multum diſcreparet à Phariſæis, qui ſe dicebant paſtores & doctores populorum. 11. *Ego ſum paſtor bonus*, cui competunt virtutes veri & boni paſtoris. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus*, pugnans pro illis adverſus ingruentes lupos & leones. 12. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ*, cuſtos ovium mercede conductus, *videt lupum venientem, & dimittit oves*, deſerit gregem, *& fugit* vitæ ſuæ conſulens. *Et lupus rapit, & diſpergit oves.* 13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*: non eſt paſtor affectu, ſed ſui commodi cauſa; *& non pertinet ad eum de ovibus.* non eſt ipſi cura ovium, non ſunt ei cordi. Liceat cum D. Bernardo in eas querelas hìc erumpere. *Utinam qui ſine ſumptu Evangelium ponere nolunt, ponerent vel pro ſumptu; utinam vel evangelizarent, ut manducarent. Mercenarius, inquit, videt lupum venientem, & fugit. Utinam hodie quicumque paſtores non ſunt, mercenarios gregi vellent ſe exhibere, non lupos: utinam ipſi non læderent; utinam non fugerent nemine perſequente; utinam non exponerent gregem, donec lupus veniens videretur. Nimirum ſuſtinendi fuerant, ſi invenirentur, præſertim tempore pacis recipientes mercedem ſuam: & pro mercede ſua ſaltem in cuſtodia gregis laborantes, dummodo non ipſi turbarent gregem, & gratis averterent à paſcuis juſtitiæ & veritatis*, cap. 31. *de converſ. ad clericos.*

14. *Ego ſum paſtor bonus*, huic mercenario haud ſimilis *& cognoſco meas*, quia illas diligo, animum adverto ad eos curandas. *Et cognoſcunt me meæ*; pariter & notus ſum. nempè electi, qui ſunt de grege electorum, me agnoſcunt pro Chriſto. 15. *Sicut novit me pater*, id eſt, juxta vim linguæ ſanctæ, ut puto; ſicut pater meus facit, ut noſcar pro Chriſto, mihi teſtimonium perhibens, *& ego agnoſco patrem* id eſt facio, ut cognoſcatur pater. Notum eſt Hebræos dare certam inflexionem verbis ſuis; qua ſignificare poſſunt non ſolùm actionem, ſed & hunc, cui accommodantur, eſſe actionis auctorem & ſuaſorem; ut verbum ידע *ſcivit, novit*, in conjugatione hiphil הודיע ſignificat *ſcire fecit*. ſenſus ergo eſt, ſicuti patrem notum facio, ita & pater notum me facit. *Et animam meam pono pro ovibus meis*; non fugio, dum illis periculum imminet, ut ſolent mercenarii. reipſa animam ſuam poſuit Chriſtus pro nobis ovibus ſuis.

16. *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili.* Intelligit Gentes quæ non erant de gente Judæorum, quos alloquebatur. *& illas oportet me adducere* in gregem electorum. *& vocem meam audient.* quod ſe patuit; ubi enim prædicatum eſt Evangelium, ſtatim innumeræ Gentes huic aures præbuerunt; *& fiet unum ovile* diruta maceria, quæ Judæos à Gentibus ſeparabat, fiet una eccleſia ſine ullo diſcrimine, *& unus paſtor*; unum me paſtorem omnes habebunt.

17. *Propterea me diligit pater*, quia curam habeo eorum, qui illi cari ſunt, *quia ego pono animam meam* pro illis; ſed ita pono *ut iterum ſumam eam* victor mortis. Ne electi animo deſponderent à paſtore ſuo deſerendi, ſtatim ſpem facit ſuæ reſurrectionis; quia mors illi non dominatura eſſet; neque enim, inquit, morior coactus. 18. *Nemo tollit eam*, nempe animam meam, *à me* per vim: *ſed ego pono eam à me ipſo.* morior quia volo. *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* reſurgam à morte, quia ego ipſe ſum vita. hæc omnia aperta ſunt in Orthodoxo dogmate de duabus in Chriſto naturis. concludit ſermonem ſuum inculcans ſe non eſſe ſeductorem, ſed verè à Deo miſſum. *Hoc mandatum accepi à patre meo*, ut ſcilicet paſcam gregem electorum, ſervem eum, & pro illo vitam impendam.

19. *Diſſenſio iterum facta eſt inter Judæos propter hos ſermones.* Schiſma factum eſt, dum alii aliud de illo ſentirent. 20. *Dicebant autem multi ex ipſis*: Quid his ſermonibus vult ſignificatum? nullus illis ineſt ſenſus. *dæmonium habet, & inſanit.* mens ejus ab aliquo dæmone tranſverſa agitur. *Quid eum auditis?* ut dementis verba ejus ſpernenda. 21. *Alii dicebant: hæc verba non ſunt* viri inſani *dæmonium habentis: numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?* opus eſt ejus qui omnium Dominus eſt & non dæmonii.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

In Encæniis Dominus in Templo ſe verè eſſe Filium Dei declarat. Commotos Judæos videns fugit.

JOANNES, Cap. 10. ℣. 22—42.

22 † FActa ſunt autem Encænia in Hieroſolymis: & hiems erat. † *Fer. 4. infra hebd. Paſſion.*
23 Et ambulabat Jeſus in Templo, in porticu Salomonis.
24 Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam
noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm.
25 Reſpondit eis Jeſus: Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego
facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me:
26 Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.
27 Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me?
28 Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non
rapiet eas quiſquam de manu mea.
29 Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.
30 Ego & Pater unum ſumus.
31 Suſtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.
32 Reſpondit eis Jeſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo;
propter quod eorum opus me lapidatis?
33 Reſponderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de
blaſphemia: & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum.
34 Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: † quia Ego † *Pſal. 81.*
dixi, Dii eſtis?
35 Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura:
36 Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?
37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.
38 Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut
cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre. ¶
39 Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.
40 Et abiit iterùm trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primùm: & manſit illic.
41 Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum.
42 Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

[22. FACTA *ſunt autem Encænia in Hieroſolymis; & hiems erat.* Nomen illud *τὰ ἐγκαίνια*, derivatur ab *ἐγκαινίζειν*, *de novo aliquid facere*, quo verbo LXX. interpretes reddunt verbum Hebræum חנך *initiavit*, *dedicavit*, unde חנכה *initiatio*, *dedicatio*, & apud dictos interpretes *ἐγκαίνια*, *ἐγκαίνισις*, *ἐγκαινισμός*. Verbum autem Hebræum ſicut & no-

nomen uſurpantur in veteri teſtamento de quavis dedicatione ſive prima, ſive inſtaurata; putà cùm nova domus incipit habitari; attamen uſu factum videtur, ut *ἐγκαίνια, encænia*, accepta ſunt pro aliqua renovatione, ſive inſtauratione Templi. quod deducimus ex Hebræorum Kalendario, in quo, duo tantùm memorantur celebranda Encænia Templi; nec mentio fit Salomonicorum. priora in menſe Kaſleu, vigeſima quinta die, qua Machabæi reſtituerunt altare holocauſtorum, & ideo ut 1. Mach. lib. cap. 4. ℣. 59. legimus. *ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa eccleſia Iſrael ut agatur dies dedicationis, ἐγκαινισμοῦ, altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia & gaudio*. Altera Encænia quæ reperiuntur in Kalendario Judæorum, dedicatio eſt, ſive inſtauratio Templi facta ſub Zorobabele in menſe Adar, ut videre eſt apud Eſdram, cap. 6. ℣. 16. ibi quidem non dicitur qua die, ſed in Kalendario notatur dies decima ſeptima dicti menſis; qui reſpondet Februario, aut Martio; quapropter cùm eo tempore, de quo nunc agitur, hiems eſſet, ut notat Evangeliſta, non eſt dubitandi locus, quin fiat ſermo de Encæniis vigeſima quinta die menſis Caſleu agendis, qui dies proximior ſolſtitio brumali, cùm maximum eſt frigus, quod remittitur in menſe Februario.

23. *Et ambulabat Jeſus in Templo, in porticu Salomonis*. ſcilicet quia hiems erat; iſta enim porticus ſpectabat ſolem orientem, ut demonſtramus in libris de Templo. 24. *circumdederunt ergo eum Judæi* magno concurſu, quo plures eſſent dictorum teſtes: & ne elaberetur niſi reſponſo dato. *Et dicebant ei: quouſque animam noſtram*, id eſt nos *tollis*, *αἴρεις*, aufers; cor autem alicujus auferre & furari, idem eſt, ac clam illo agere, eumque res ſuas celare. Sic in Gen. cap. 31. ℣. 20. Jacob dicitur furatus cor Labanis, id eſt clam eo fugiſſe, nec ei fugam ſuam indicaſſe. Alii hocce verbum *αἴρεις* reddunt *ſuſpendis*, nos ſuſpenſos tenes? *ſi tu es Chriſtus*, verus Meſſias, filius Dei, *dic nobis palam*, *παῤῥησίᾳ*, liberè, apertè. veritatem non deſiderabant, ſed calumniam parabant.

25. *Reſpondit eis Jeſus: loquor vobis, εἶπον*, dixi vobis, *& non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei*, auctoritate patris, & quæ referuntur ad gloriam ejus, *hæc teſtimonium perhibent de me*, ut verbis opus non ſit. 26. *Sed vos non creditis: quia non eſtis ex ovibus meis*, ut electis ad vitam æternam. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*, quia ego paſtor, quem propriæ oves audiunt. *& ego cognoſco eas*, & ideo poſſum dicere, vos non eſſe de numero ovium mearum, quæ *& ſequuntur me*. 28. *Et ego vitam æternam do eis*, quia mihi curæ ſunt. *& non rapiet eas per vim*; aut dolum *quiſquam de manu mea*, quia eas cuſtodio.

29. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* Nunc in fonte Græco legitur *ὃς δέδωκέ μοι μείζων*. vulgatus interpres olim legit *ὃ δέδωκέ μοι μεῖζον*. Lectio hodierna Græci codicis commodiorem ſenſum facit: *pater meus qui dedit mihi* oves meas, *major omnibus eſt*, cui ergo nulla poſſit reſiſtere poteſtas: *Et ideo nemo poteſt rapere eas de manu patris mei*. Quid poteſt lupus? quid poteſt fur & latro? non perdunt niſi ad interitum prædeſtinatos, ait Auguſtinus, qui & legebat *majus*, ſed idem ſenſus eſt; nempe patre non eſſe aliquid majus.

30. *Ego autem & pater unum ſumus.* ſi patris poteſtati eripi non poſſunt, nec meæ poteſtati eripientur. Non id jure Jeſus diceret; niſi eadem illi eſſet natura quæ Deo patri; niſi, inquam, natura Deus eſſet. Hoc ſenſu ipſius verba acceperunt Phariſæi; nec ipſe queſtus eſt in malum ſenſum rapi illa, quod procul dubio feciſſet, ſi Phariſæi erraſſent affingendo his verbis ſuis ſenſum quem non præferrent.

31. *Suſtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum*, ſcilicet quia ſe Deum diceret. lege enim tenebantur protinus lapidibus obruere blaſphemos. Ergo decebat Jeſum oſtendere ſe nullo modo blaſphemum eſſe. quod quomodo præſtiterit, operæ pretium erit diligenter animadvertere; nam ſi homo merus, ut volunt Sociniani, ſe fecit Deum, meritò ut blaſphemus lapidibus obruendus erat.

32. *Reſpondit eis Jeſus: Multa bona opera oſtendi*, demonſtravi *vobis ex patre meo* profecta, *propter quod eorum opus me lapidatis?* ſive vultis me lapidare? an aliquid patravi tali ſupplicio dignum? 33. *Reſponderunt ei Judæi: de bono opere non lapidamus te.* propter bonum opus, ſi aliquod feciſti, à te pœnas non petimus; *ſed de blaſphemia* te arguimus, *quia tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum*. Deo te æqualem venditas, ſcilicet, ut ait Auguſtinus, *in homine non intelligebant Deum: carnem videbant; Deum neſciebant; habitaculum cernebant, habitatorem ignorabant: caro illa Templum erat. Deus inhabitabat intus.* Tract. in Joan. num. 2. Sed juxta Socinum Jeſus qui homo merus erat, hoc eſt natura ſua tantùm homo, quo jure poterat ſe facere Deum? Negabit Socinus ſe verè Deum feciſſe: & pugnabit verbis ipſis Domini ſequentibus.

34. *Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra*, id eſt in ſcriptura, pſalmo videlicet 81. ℣. 6. *quia ego dixi: Dii eſtis*. Sunt verba Dei ad judices à ſe conſtitutos, quos uti poteſtatis, ita & nominis ſui participes fecit, ut ſint tamquam Dii terreni in adminiſtranda juſtitia. 35. *Si illos* ſcriptura *Dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*, acerbè reprehendens eos,

ut videre eſt in citato pſalmo: ubi illud *ad quos* ſumi poteſt pro *adverſus quos*. Addit Jeſus *& non poteſt ſolvi ſcriptura*, λυθῆναι, reſcindi, rejici, & irrita fieri. Si benè & verè hæc dicta ſunt de judicibus, an crimini dabitis mihi quòd me dixerim Deum. Ergo, inquiunt, Sociniani Jeſus, eo ipſo interprete, non alio ſenſu verus Deus, quàm quo judices terræ qui in conſortium poteſtatis admittuntur à Deo; ita Jeſus, ipſo interprete, non eſt natura Deus, ſed participatione divinæ auctoritatis.

Primùm reſpondeo, Jeſum, cùm furentes Judæos vellet compeſcere, protuliſſe teſtimonium ſcripturæ, quo docerentur non illicò accerſendum hominem blaſphemiæ qui ſe Deum diceret, quoniam hac appellatione ipſe Deus dignetur judices terræ. Sic primùm ſapientia ſua furentes placat; poſteà his placidioribus factis patefacit quis eſſet; quæ enim ſubjungit, amovent opinionem quæ prima verba animis ingerere poterant, Deum nomine fuiſſe, non natura; ut judices qui Dei nominantur, nec ideo Dei ſunt.

Obſerva, lector, Judæis qui Jeſum accuſabant ſe facere Deo æqualem, idem fuiſſe *ſe Filium Dei dicere*, & *ſe facere æqualem Deo*. Reipſa cùm *Filius* propriè uſurpatur, eadem ſententia eſt; *Filii* enim & *Patris* eadem natura eſt. Itaque Jeſus ideo ſolùm allegaverat judices appellari deos, ut compeſceret Judæos; eos enim poſteà deducit quò vult, ſignificans nomen Dei ſibi magis convenire, qui Dei filius demonſtretur manifeſtis operibus ſuis. ſic enim ratiocinatur: Si ſcriptura deos dixit ad quos verbum Dei, tanquam ad miniſtros factum eſt, qui imperanti verbo aures præbere & corda ſubjicere debuerunt, mihine blaſphemiæ crimen jure impingitis, quòd me filium Dei dixerim, qui ipſe ſum. 36. *Quem pater ſanctificavit*, id eſt conſecravit, ſeparavit ad munus quod obeo, ad opus quod non niſi à cœli Domino peragi poteſt, *& quem ideo miſit* è cœlo *in mundum*, cùm ab æterno eſſet apud eum, *vos*, inquam *dicitis* mihi: *Quia blaſphemas? quia dixi, filius Dei ſum.*

Non ergo Jeſus abnegat ſe eſſe filium Dei, imò probat; & ideo ſe æqualem Deo. 37. *Si non facio opera Patris mei*, quæ me demonſtrant ejus filium, *nolite credere*. niſi ea facerem, quæ ita Deo ſunt propria ut à nullo alio fieri poſſint, permiſerem vobis, ne crederetis. 38. *Si autem facio: & ſi mihi*, ſive verbis meis *non vultis credere*, *operibus* ſive factis *credite*, ut certò *cognoſcatis & credatis* id quod dixi me unum eſſe cum patre, parem eſſe noſtram poteſtatem, *quia pater in me eſt & ego in patre*. An hæc dicere poterat homo, non alius natura quàm homo; ideo ſolùm dicendus Deus, quia à Deo conſtitutus judex, & ejus legatus, qui alia ratione unus cum Deo eſſe non poteſt niſi conſenſu, ſive unione voluntatis.

Quacumque caligine locum hunc obducere hæretici allaborent, non impedient quominus in illo clarè luceat veritas orthodoxæ fidei. huic enim congruunt verba Chriſti, & ingerunt animo identitatem naturæ in patre & filio; ſive horum unitatem quam credimus. huic autem unitati Trinitas perſonarum, ut ſuprà annotatum eſt, non adverſatur; ſive notio Trinitatis non pugnat cum notione Dei unius; quam unitatem & Trinitatem Dei prædicant ſcripturæ; Verbum enim Dei agnoſcunt, qui patris ſapientia eſt: Spiritum ſanctum qui eſt Dei caritas. An homo non ideo minus eſt unus, quia intellectum habet & voluntatem, facultates diſtinctas inter quas unitas eſt qua nulla perfectior. Deus non eſt ſine ſapientia & caritate. extra autem Deum non eſt ſapientia ejus & ſpiritus ejus. Non capimus quidem quomodo ſapientia, ſive Verbum, & Spiritus ſanctus ſubſiſtant diſtincti vera diſtinctione, quam tam clarè docet Evangelium, ut inde Heterodoxi contendant etiam eos eſſe diverſæ naturæ; hæc omnia non ſubjiciuntur humanæ ſcientiæ: advertimus tamen hæc ſecum non pugnare.

Sed revertamur ad ſacrum codicem, in quo apertum eſt Judæos non in eam partem accepiſſe verba Chriſti, ut ſe diceret Dei tantummodò legatum, & ea ſola cauſa ejus filium, quia ejus rem ageret; alioqui enim ut blaſphemum non perrexiſſent arguere, & plectere: nam niſi ex manibus eorum exiiſſet, eum apprehendiſſent illico puniendum. Cur ergo Chriſtus, qui Judæos docturus venerat, ſiviſſet ſic abripi, quos tam facilè revocare poterat edens confeſſionem, qualem ei Socinus ſubderet? Sed tantum abeſt, ut verbis ſuis non eam ineſſe ſententiam, qua illa accipiebant, ſignificet, quin imò hanc ſententiam magis magiſque confirmat. Ubi lapides ſuſtulerunt Judæi, quòd ſe unum diceret cum Deo patre, addidit quia *pater in me eſt & ego in patre*. 39. *Quærebant ergo eum apprehendere*, quia cauſa ſufficiens videbatur ad eum addicendum morti. *Et* tunc *exivit de manibus eorum.* Mandaverant publicis ſuis miniſtris, ut in eum manus injicerent, quos tum ſapientia, tum poteſtate ſua eluſit.

40. *Et abiit iterùm trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primùm*, antequam in Salim veniret. *& manſit illic* aliquot diebus. Illud πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Jordanem*, intelligi poteſt de vicinis regionibus Jordanis, ſive citerioribus, ſive ulterioribus. πέραν reddi poteſt *circa*. Notum autem Joannem primùm baptizaſſe circa Jordanem; & ſecundariò in Ænnone juxta Salim. 41. *Et multi venerunt ad eum* commoti ejus miraculis, & teſtimonio quod ibi fuerat illi perhibitum à Joanne. *Et dicebant quia Joannes quidem ſignum fecit nullum*; nos tamen eum venerati ſumus, & propè pro Meſſia habuimus, cur er-

go non credimus Jeſum eſſe Chriſtum. 42. *Omnia autem, quæcumque dixit Joannes de hoc,* hunc multò ſe eſſe majorem, & agnum Dei qui tolleret peccata mundi, *vera erant*, ut probat eventus, & apparet ex dictis & factis ejus. *&* ideo *multi crediderunt in eum*; ut in talem, qualem Baptiſta dixerat.

Appendam tanquam coronidem huicce capiti egregium ratiocinium magni Auguſtini, quo evincit catholicam fidem, quæ venit de doctrina Apoſtolorum, veritatem tenuiſſe inter appoſitas hæreſes Sabellianorum & Arianorum. Patrem & filium diverſa eſſe nomina, unam verò eſſe perſonam dicebant Sabelliani. Ariani confitebantur eum, qui pater eſt, non eſſe filium, eum, qui filius eſt, non eſſe patrem. Confitebantur, inquam, generationem, ſed negabant æqualitatem. in errore Sabellianorum unus eſt ſolus, ipſe eſt pater, qui filius: in errore Arianorum, alius eſt quidem pater, alius filius; ſed ipſe filius, non ſolum alius, ſed etiam aliud eſt. Utrique confutantur, dum audiunt: *Ego & pater unum ſumus.* etenim, ait Auguſtinus. *Cùm audis* ſumus, *abſcedat confuſus Sabellianus; cùm audis* unum, *abſcedat confuſus Arianus: gubernet Catholicus inter utrumque fidei ſuæ navigium, quoniam cavendum eſt in utroque naufragium. Dic ergo tu quod dicit Evangelium*, Ego & pater unum ſumus. *non ergo diverſum, quia unum: non unus, quia ſumus.*

CAPUT XIII.

Phariſæi fruſtrà intentant Domino metum Herodis, cùm occidendus eſſet Hieroſolymis, cujus urbis miſeram ſortem deflet.

LUCAS, Cap. 13. ℣. 31—35.

31 IN ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

32 Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.

33 Verumtamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.

34 Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?

35 Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

SECESSERAT Dominus Judæa trans Jordanem, ut vidimus, in Peræam quæ erat ditionis Herodis. ſi particula πέραν, ſumatur pro *trans*; ſi verò in latiori ſignificatione, ſenſus eſt Jeſum poſt ſermonem in Encæniis habitum, veniſſe in regionem vicinam Jordani, ubi multis ſignis inclaruit, quibus plures adducti ſunt, ut in eum crederent. hoc autem moleſtiam faceſſebat Phariſæis, quos urebat fama Domini. Tunc ergo, aut aliquo poſt tempore, cùm verſaretur in Tetrarchia Herodis, Phariſæi ubique eum exagitantes, conati ſunt non ſolùm extra Judæam, ſed & extra Galilæam eum expellere, metum Herodis ipſi intentantes. Ad hunc enim locum refero finem capitis decimi tertii Lucæ, non quidem coactus apertis argumentis; ſed nec aliquæ circunſtantiæ ſuadebant id quod dicto capite refert Lucas ad alium locum pertinere eò laudandus ordo quem ſequor; quia Lucam mittus interpellat, exhibens ſeriem plurium capitum ejus prout ſe in codice ſubſequuntur.

31. *In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum.* Non accipiendum illud *ipſa die* in rigore, quaſi ea quæ ſubjicit Lucas, tum in principio, tum in fine ejuſdem capitis non diverſis temporibus contigerint. interdum Evangeliſtæ de tempore indefinito loquuntur, quaſi de aliquo tempore definito. Ita Matthæus dicit, cap. 3. *In diebus autem illis venit Joannes baptizans.* quod accipi non poteſt de hiſce diebus, quibus dicit Joſephum redeuntem Ægypto, habitaſſe in urbe Nazareth. Quidam ergo ex Phariſæis qui ferre non poterant Jeſum in dies magis clareſcere ſignis; nec ultro patiebantur eum aliqua terra conſiſtere, metum ei incutere voluerunt, *dicentes illi: Exi* ex hoc lo-

to, *& vade hinc* in terram longinquam : *quia Herodes* Tetrarcha *vult te occidere.* vitæ tuæ fuga conſule.

32. *Et ait illis* : *Ite* ad ipſum Herodem, *& dicite vulpi illi*, τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, ipſi Herodi, vel ut alii putant, pronomen illud ταύτῃ, denotat perſonam præſentem, ita ut non tam principem diceret vulpem Jeſus, quàm Phariſæos *vulpinantes* : dicite, inquam Herodi : *Ecce ejicio dæmonia*, munere meo fungens, quod impediri non poteſt, *& ſanitates*, ſive ſanationes *perficio hodie & cras*, id eſt per paucos adhuc dies ; *& tertia die* & poſteà brevi *conſummor* : omnia quæ in ſcripturis ſunt de me, complebuntur.

33. *Verumtamen me oportet me hodie, & cras, & ſequenti die*; id eſt tertia die *ambulare*, paucis illis diebus, qui mihi reſtant vitæ, liberè agere, operari, hic hærere, vel in alium locum tranſire ſine metu Herodis, qui non poteſt iter meum, ſive munera mea impedire, mihi inferendo mortem, dum in ejus ditione dego, *quia non capit*, οὐκ ἐνδέχεται, contingit, fieri non poteſt, non convenit, pro quo non inuſitatum eſt *capit*, teſte Eraſmo, *prophetam* me Chriſtum *perire extra Hieruſalem*. Neque enim alibi quàm Hieroſolymis, in Synedrio, cauſa illius viri qui ſe diceret prophetam, agitari poterat. *Tribus, Pſeudopropheta, Sacerdos magnus, non niſi à LXXI. judicum conſeſſu judicantur.* id eſt in Synedrio quod tali judicum numero conſtabat, juxta Talmudiſtas in tractatu *ſanhedrin*, cap. 1. Ergo cauſa Chriſti quæ eſſet ex his majoribus cauſis, quas ad Synedrium magnum referre præcipit Deus, in Deuteronomio, c.17. ℣.8. dijudicanda in Synedrio ; nempe utrùm verus an falſus eſſet propheta.

Idcircò hujuſce urbis, ubi occidendus erat, ſortem deflet Dominus. 34. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis* ; id eſt occidere ſoles *prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te* à Deo, quòd modò facere voluerant, ut vidimus. *quoties ego*, loquitur Jeſus quatenus Deus, *volui congregare filios tuos, quemadmodum avis*, ea teneritudine, qua avis *nidum ſuum*, νοσσιάν, pullos ſuos in nido adhuc jacentes congregat *ſub pennis, & noluiſti?*

35. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* urbs veſtra evertetur, ut & regio vicina ſimilis deſerto videatur ; quod contigit captis à Tito Hieroſolymis, ut ſcribit Joſephus, lib.7. de bello, cap. 1. *Erat autem miſerabili terræ facies. Nam quæ antea arboribus & paradiſis ornata fuerat, ea tunc deſerta, præciſe undique arboribus cernebatur : nec ullus qui pridem Judæam viderat alienigena, & ſuburbana pulcherrima civitatis, cùm ejus ſolitudinem tunc videret, continere lacrymas poterat ; vel non gemere mutationem, quantùm priſtinis derogaſſet ; omnia namque inſignia pulchritudinis bellum deleverat.* Hæc omnia, quæ Joſephus ſcribit, prædixerat Dominus, qui adjunxit : *Dico autem vobis, quia non videbitis me* Hieroſolymis, *donec veniat cùm dicetis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Hoc contigit cùm ingreſſus eſt hanc urbem ſedens ſuper pullum aſinæ.

Ab eo tempore de quo nunc loquimur, Dominus uſque ad illum diem Hieroſolymam non venit, ut patebit in contextu hujuſce hiſtoriæ Evangelicæ. Secundùm Evangelium Joannis Jeſus manſit aliquibus diebus trans, aut circa Jordanem ; nec videtur metu injecto ſibi à Phariſæis aufugiſſe : ideò aliquos ſermones ejus, quos ſubtexit continua narratione Lucas, hùc afferam ; non quòd omninò certus ſim tunc habitos ; ſed, ut monui, non ſoleo in partes divellere quæ apud Evangeliſtas conjuncta ſunt, niſi aliqua cauſa ad id adigat me. Poſt illos autem ſermones, quos potuit etiam habere iter faciendo, videbimus ex Matthæo quomodo fugiens, ut conjicio Herodem, quem potuerant adverſus eum concitaviſſe Phariſæi, venerit Cæſaream Philippi, ſcilicet in alterius principis ditionem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Hydropicum ſanat Dominus in die ſabbati. Parabolam proponit convivii ad quod non veniunt qui invitati erant. Multa alia præcipit.

LUCAS, Cap. 14. ℣. 1—35.

† Dom. 16. poſt Pent.

1 ET factum eſt † cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare Panem, & ipſi obſervabant eum.
2 Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
3 Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos, dicens: Si licet Sabbato curare?
4 At illi tacuerunt. Ipſe apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit.
5 Et reſpondens ad illos dixit: Cujus veſtrùm aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?
6 Et non poterant ad hæc reſpondere illi.
7 Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:
8 Cùm invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit invitatus ab illo:
9 Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cùm rubore noviſſimum locum tenere.
10 Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco: ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: † Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus:

† Prov. 25. 7.

11 Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur. ¶
12 Dicebat autem & ei, qui ſe invitaverat: † Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio.

† Tobiæ 4. 7. Prov. 3. 9.

13 Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:
14 Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.
15 Hæc cùm audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.
16 At ipſe dixit ei: † * Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

† Apoc. 19. 9. * Dom. infra oct. Corporis Chriſti.

17 Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia parata ſunt omnia.
18 Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum.
19 Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum.
20 Et alius dixit: Uxorem duxi, ideò non poſſum venire.
21 Et reverſus ſervus nuntiavit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo ſuo: Exi citò in plateas & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

22 Et

22 Et ait ſervus: Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt.
23 Et ait Dominus ſervo: Exi in vias, & ſepes: & compelle intrare, ut
impleatur domus mea.
24 Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, gu-
ſtabit cœnam meam. ¶
25 Ibant autem turbæ multæ cum eo: & converſus dixit ad illos:
26 * Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & *Comm. unius Mart.
uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam,
non poteſt meus eſſe diſcipulus.
27 Et qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus
eſſe diſcipulus.
28 Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens com-
putat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum;
29 Ne poſteaquàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere,
omnes qui vident incipiant illudere ei,
30 Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſum-
mare?
31 Aut quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non
ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum
viginti millibus venit ad ſe?
32 alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ
pacis ſunt.
33 Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet,
non poteſt meus eſſe diſcipulus. ¶
34 Bonum eſt ſal. Si autem ſal evanuerit, in quo condietur?
35 Neque in terram, neque in ſterquilinium utile eſt, ſed foras mitte-
tur. Qui habet aures audiendi, audiat.

1 ET *factum eſt cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam principis*, ex primoribus Phariſæorum, τῶν ἀρχόντων φαρισαίων, *manducare panem*, ut caperet cibum. Diximus *pane* ſignificari omnem cibum. *Et ipſi obſervabant eum*, attenti ad omnes ejus actiones. 2. *Et ecce homo quidam hydropicus erat* ſtans *ante illum*. 3. *Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos & Phariſæos* qui pariter menſæ accumbebant, *dicens*, interrogans, *ſi licet ſabbato curare* morbos. Jam vidimus juxta doctrinam Talmudicam periculum animarum, ut inquiunt, pellere ſabbatum, videlicet licitum eſſe operam dare curandis morbis, qui mortem inferre poſſent, niſi medicina ſtatim adhiberetur; ſed ſi medela differri poſſet, non licitum fuiſſe. Juxta hanc doctrinam quærit Dominus, ſi hydropicus ſanari poſſit in die ſabbati. *At illi tacuerunt*, non auſi cum eo contendere de doctrina. *Ipſe verò* Jeſus *apprehenſum* ἐπιλαβόμενος, complexus, vel attrectans, manu tangens, *ſanavit eum, ac dimiſit*, ἀπέλυσε, juſſit abire, qui fortè adductus, quia incedere non poſſet, ita abeundo ſe oſtendit ſanatum. 5. *Et reſpondens ad illos*; id eſt iterùm alloquens eos, *dixit*: *Cujus veſtrùm aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati?* Videlicet cùm periculum eſt in mora; alioqui enim pabulum miniſtrant, donec tranſeat ſabbatum, non ſemel hæc dixit Dominus agens cum Phariſæis. 6. *Et non poterant ad hæc reſpondere illi*, quid enim reponere potuiſſent?

7. *Dicebat autem & ad invitatos*, qui cum eo menſæ accumbebant, *parabolam*. Sic vocat admonitionem ſequentem, quia exemplo rei convivalis oſtendit quod ſignificatum volebat. *Intendens* id eſt attendens, animadvertens, *quomodo* convivæ *primos accubitus*, primas dum accumberent cœnæ, ſedes *eligerent*, *dicens ad illos*. 8. *Cùm invitatus fueris ad nuptias*, ad nuptiale convivium, *non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te*, tibi præponendus, *invitatus ſit ab illo* à quo vocatus es. 9. *Et veniens is qui te & illum vocavit*, videns honorariorem in inferiori loco, dicat tibi, *Da huic locum*, quem occupas; *& tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere*. 10. *Sed cùm vocatus fueris, vade* quidem, verùm *recumbe in noviſſimo loco; ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperiùs*, loco honoratiori. *Tunc erit tibi gloria*

coram

coram ſimul diſcumbentibus. 11. *Quia* verum eſt, quod vulgò dicit ſolet: *omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hæc Phariſæos potiſſimùm ſpectabant, quorum ſuperbia cauſa fuit, ut in regno Dei noviſſimi eſſent.

12. *Dicebat autem & ei, qui ſe invitaverat* convivatori ſuo, qui erat Phariſæus; omnes enim ex illa ſecta non pariter Chriſto inſenſi erant. *Cùm facis prandium, aut cænam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos*, id eſt cognatos; *neque vicinos divites*, ſi tibi vis acquirere non interituram gratiam; *ne fortè te & ipſi reinvitent*, vocent ad convivium: *& fiat tibi retributio* illa peritura. 13. *Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos*, omnes qui opis indigent. 14. *Et beatus eris*, hos vocans, *quia non habent*, unde poſſint *retribuere tibi: retribuetur enim tibi* in altera vita, *in reſurrectione juſtorum;* cùm reſurgent juſti; quæ retributio non temporanea eſt, ſed æterna. 15. *Hæc cùm audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus* mentionem fieri regni Dei, *dixit illi*, nempe Chriſto: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Sententia crebra apud Rabbinos, qui res inconſpicuas imagine aliqua rerum conſpicuarum pingebant. Unde toties dixerant lautiſſimo & opiparo convivio excipiendos eſſe Judæos omnes à Meſſia in tempore regni Dei; quod plerique Judæorum ad litteram accipiebant. Juxta illam opinionem, ſive receptam imaginem felicitatis, quâ fruituri erant ſub Meſſia, Dominus proponit parabolam convivii, quâ repræſentat Judæos, à quibus repudiatus eſt; ita ut coactus ſit beneficia ſua conferre in gentes.

16. *At ipſe dixit ei* Dominus; *Homo quidam fecit cænam magnam; & vocavit multos.* Mira ſunt quæ Rabbini dicunt de celebritate hujus convivii, quod facturus erat Meſſias. 17. *Et miſit ſervum ſuum.* Deus eſt convivator, Jeſus ille ſervus, *hora cænæ dicere invitatis ut venirent, quia parata ſunt omnia.* Jeſus venit in mundum tempore ſtatuto. 18. *Et cœperunt ſimul* ἀπὸ μιᾶς, ad unum *omnes excuſare*, diverſi diverſa cauſantes, παραιτεῖσθαι, excuſare ſe. *Primus dixit ei, villam emi, & neceſſe habeo exire* civitate, *& videre illam*, igitur *rogo te habe me excuſatum.*

19. *Et alter dixit; juga boum emi quinque*, id eſt quinque boum paria; *& eo* in agrum *probare illa*, ſi aratro idonea ſint. *Rogo te habe me excuſatum.* 20. *Et alius dixit: uxorem duxi, & ideò non poſſum* eam relinquendo *venire*, ſic diverſa ſunt reſponſa. Illud Græci codicis ἀπὸ μιᾶς, quod Latinus interpres reddit *ſimul*, alii interpretantur *ad unum*, quaſi ſubintelligendum eſſet γνώμης, aut βουλῆς, aut φωνῆς, ex una ſententia, ex uno ore. Alii verò interpretantur *illico, ſtatim*, ſubintelligentes ὥρας, quæ vox interdum reticetur, ut ἐξ αὐτῆς, quod Syri dicunt מחדא *ſtatim illico.*

21. *Et reverſus ſervus nuntiavit hæc domino ſuo.* In iſta imagine videre eſt Judæos rerum terrenarum ſollicitudine impeditos, quominus vocantem Deum ſequerentur. *Tunc iratus paterfamilias, dixit ſervo ſuo: Exi citò in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos* mendicantes *introduc huc*, id eſt plebeios, idiotas, publicanos, piſcatores; imò & fœminas vitæ antea impurioris. 22. *Et ait ſervus: Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt* pluribus convivis, id eſt numerus electorum non eſt completus ex Judæis. 23. *Et ait Dominus ſervo: Exi in vias, & ſepes.* Per *ſepes* autem, φραγμούς, intelligit hortos & vineas, in quibus operarii pauperrimi mercede operam locabant, horti & vineæ ſepibus claudebantur, φραγμοὶ à φράσσω, *ſepio, munio.* Exi, inquam, ait Dominus ſervum compellans, extra civitatem, nempe extra Judæam, ubi Samaritani, & Gentes: *& compelle intrare* extraneos, qui hactenus à Deo alieni fuerant, *ut impleatur domus mea*, cœlum certo electorum numero. 24. *Dico autem vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cænam meam*; non admittam in regnum cœlorum Judæos, quos vocaveram. Hac parabola docebat Jeſus, Judæos propter amorem hujus mundi, fidem Evangelio habere recuſantes, fuiſſe occaſionem gentium revocandarum.

25. *Ibant autem turbæ multæ cum eo;* pleroſque enim hos ſermones potuit habere iter faciendo, *& converſus* ad turbas ſequentes, *dixit ad illos*, materiam ſermonis, ut ſolebat, è re ſumens. 26. *Si quis venit ad me*, ut meam doctrinam profiteatur, *& non odit*, comparativè ſcilicet præ me, *patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam*, quia hæc omnia, cùm impedimenta ſunt mandatis meis ſervandis, non eſt paratus deſerere, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* 27. *Et qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me*, id eſt multa mala pro nomine meo perpeti non paratus eſt, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

28. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare*, opus magnæ impenſæ, *non priùs ſedens* ad menſam, ſive abacum, *computat ſumptus*, qui neceſſarii ſunt, *ſi habeat* quæ neceſſaria ſunt *ad perficiendum* opus quod aggreditur. Huc tendit hæc & ſequens comparatio, nempe aggredienti profeſſionem Chriſtianiſmi benè prius expendenda incommoda & pericula quæ talem profeſſionem comitari ſolent, offenſas propinquorum, bonorum jacturam, vitæ diſcrimen, ne magis feriant improviſa tela, atque ita, quod

quis

Quis aggreſſus eſt temerè, magno ſuo malo deſerat? quod hacce comparatione luculenter declaratur. 29. *Ne poſteaquàm poſueris fundamentum, & non potueris perficere, omnes qui vident* à cœpto deſiſtentem, *incipiant illudere ei.* 30. *Dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

31. *Aut quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens*, domi conſilia capiens: *cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe.* Hac comparatione eandem ſententiam inculcat Dominus, multa incommoda eſſe exſpectanda his qui Chriſtianam religionem amplectuntur. 32. *Alioquin* rex ille, *adhuc illo*, cum quo ſibi confligendum eſt, *longè agente, legationem mittens* ad eum, *rogat ea quæ pacis ſunt.* id eſt legatos de pace mittit.

33. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat*, paratus eſt renuntiare *omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quaſi dicat Chriſtus: hinc intelligite quæ ſit conditio vitæ Chriſtianæ, cui nullus nomen poteſt dare, quin idoneum ſe ſentiat cruci ferendæ.

34. *Bonum eſt ſal: Si autem ſal evanuerit*, inſipidum fiat, *in quo condietur*, ut ſapor ei reſtituatur. 35. *Neque in terram, neque in ſterquilinium utile eſt, ſed foras mittetur.* Quiſquis advertat ſententiam quæ ſubeſt his verbis: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Si quis ex diſcipulis meis amore mundi captus, perdat ſaporem gratiæ, & ſapientiæ Dei qua imbutus fuerat, non facilè reſtituetur. Videat ergo qui ſe vult addicere meæ diſciplinæ, an poſſit conſtans perſeverare.

CAPUT XV.

In parabolis ovis recuperatæ, drachmæ repertæ, & filii prodigi ad patrem revertentis, demonſtrat Dominus quantum ſit gaudium in cœlo, cùm peccator reſipiſcit.

LUCAS Cap. 15. ℣. 1—32.

1 † ERant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut au- † Dom. 3. post Pent.
dirent illum.
2 Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes: quia hic peccatores re-
cipit, & manducat cum illis.
3 Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens:
4 Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex
illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ pe-
rierat, donec inveniat eam?
5 Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens:
6 Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congra-
tulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.
7 Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœni-
tentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœ-
nitentia.
8 Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam u-
nam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter,
donec inveniat?
9 Et cùm invenerit, convocat amicos & vicinos, dicens: Congratulamini
mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?
10 Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccato-
re pœnitentiam agente. ¶
11 Ait autem: † Homo quidam habuit duos filios; † Sabb. infrà hebd. 2. Quad.

12 Et

12 Et dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam.

13 Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.

14 Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.

15 Et abiit, & adhæſit uni civium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.

16 Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

17 In ſe autem reverſus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

18 Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te:

19 Jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis.

20 Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.

21 Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.

22 Dixit autem pater ad ſervos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus:

23 Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.

24 Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Et cœperunt epulari.

25 Erat autem filius ejus ſenior in agro: & cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit ſymphoniam & chorum.

26 Et vocavit unum de ſervis, & interrogavit quid hæc eſſent.

27 Iſque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſalvum illum recepit.

28 Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.

29 At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dediſti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer.

30 Sed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.

31 At ipſe dixit illi: Fili, ut ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt:

32 Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. ¶

1. ERANT *autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum*, & non arcebat eos. 2. *Et hæc videntes murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes: quia hic peccatores*, quorum colloquio, ut attactu rei impuræ contrahitur immunditiés, *recipit, & manducat cum illis:* 3. *Et ait ad illos* Dominus *parabolam iſtam:* uſus eſt ſequenti ſimilitudine, *dicens.* 4. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto paſcentes, & vadit ad illam, quæ perierat,* quærens, *donec inveniat eam.* 5. *Et cum invenerit eam, imponit in hu-*

meros ſuos, ea ſe onerat *gaudens*. 6. *Et veniens domum convocat amicos, & vicinos, dicens illis*; quod argumentum eſt magnæ lætitiæ: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat*. quam amiſeram. 7. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit ſuper uno peccatore pænitentiam agente, quàm ſuper nonginta juſtis, qui non indigent pœnitentia*, quibus non opus aliter vitam inſtituere. Similitudo ſumpta eſt ab eo, quod inter homines fieri videmus, qui majori gaudio afficiuntur, cùm rem perditam recuperarunt, quàm ex reliquis ſuis bonis licèt pretii majoris, quod & contingit in converſione peccatorum. Habet enim hoc vera pietas, ut cariores etiam illos habeat, qui à magnis criminibus ad ſtudium vitæ melioris reſipiſcunt; in his quippe magis elucet divina bonitas, quàm in iis qui numquam in grave aliquod crimen prolapſi ſunt.

8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam*, licèt ſit modici valoris; drachma enim non ultra octo aſſes noſtrates valere poteſt, *nonne accendis lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam*. deſcriptio hujus mulieris nativa eſt. Cave ne legas *evertis* quod olim irrepſerat in vulgatam, & Græcæ linguæ imperitis occaſionem præbuerat multa in hunc locum parùm appoſitè comminiſcendi. in Græco enim eſt *σαροῖ*, *everrit*; quod legentes lapſum Scribæ citò deprehendiſſent. 9. *Et cùm invenerit, convocat amicos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?* magis lætatur ob recuperatam drachmam, quàm de cæteris novem ſuis drachmis. 10. *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei* in aula cæleſti, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*.

In tertia parabola ſimiliter oſtendit, quàm benignus ſit Deus erga peccatores reſipiſcentes. 11. *Ait autem: homo quidam habebat duos filios*, 12. *& dixit adoleſcentior ex illis*, ut ſolent juniores minus ſapere. *Habet pueritia innocentiam*, inquit B. Ambroſius, *ſenectus prudentiam, juventus verecundiam delinquendi: adoleſcentia ſola eſt invalida viribus, infirma conſiliis, vitio carens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis*. adoleſcentior, inquam, dixit: *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ*, id eſt bonorum, *quæ me contingit*, ratam meam partem, quæ ex bonis tuis ad me redire debet: *& diviſit illis ſubſtantiam*; *βίον*, facultates. *βίος* tùm vitam, tùm illud ipſum ſignificat, quo vitam alimus.

13. *Et non multos poſt dies*. fervet enim juventus in perficiendis animi conceptibus, *congregatis omnibus*, quæ à patre acceperat, collectis ſarcinis, *adoleſcentior* ille *filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit*, dilapidavit *ſubſtantiam ſuam*, bona ſua, *vivendo luxurioſè*.

14. *Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa & ipſe cœpit egere*. ita ut careret rebus neceſſariis quæ nonniſi multo pretio tunc comparari poterant. 15. *Et abiit*, forſan non auſus manere ubi cum aliquo ſplendore dilapidaverat opes; *& adhæſit uni civium regionis illius*. ad civem quemdam ſe applicuit, operam ſuam ultrò offerens. *& miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos*. ita degebat inter Gentiles legi Moyſis non ſubditos; unde dicitur quòd abierit in regionem longinquam. 16. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant*, data illis certa menſura ab aliquo alio, à quo ipſi quoque certa, ſed modica menſura diſpenſabatur, loco omnis panis & cibi. Dicuntur quidem ſiliquæ leguminum tegumina; ſed de illis tegumentis non intelligendus ille locus, verùm de fructu earum arborum, quæ propriè *ſiliquiferæ* dicuntur, quia earum fructus Orientis populi חרובא *charruba*, vocant, qua voce uſi ſunt interpres Syrus & Arabs, vertentes hunc locum. Plinius notat ſiliquam in Syria plurimam naſci; nec novum ſiliquis veſci, ut liquet ex Horatio: *Vivis ſiliquis & pane ſecundo*. Græca faba eſt, ut aliquibus videtur, dicta Italis & Maſſilienſibus noſtris *carrubi* vel *charobe*.

17. *In ſe autem reverſus*, ad cor, ad mentem, *dixit: Quanti* pro quot *mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego hic fame pereo*. hæc fames inopiam ſpiritualis alimoniæ ſignificat. animus ſola Dei immenſitate impleri poteſt. *Væ ergo animæ audaci, quæ ſperavit*, inquit Auguſtinus Deum alloquens, *ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa, & reverſa in tergum, & in latera & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies*.

18. *Surgam*, inquit ille juvenis, *& ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum*, id eſt in Deum, cujus cælum ſedes eſt, *& coram te*. Non in ætatem, non in malos conſultores culpam rejicit, ſed nudam parat ſine excuſatione confeſſionem. Cùm cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua, ait Gregorius magnus. Initium bonorum operum, confeſſio eſt operum malorum. 19. *Jam non ſum dignus vocari filius tuus*. excidi meo jure, *fac ſicut unum de mercenariis tuis*. age mecum quaſi cum mercenario, ſive in loco mercenarii habe me.

20. *Et ſurgens*, itineri ſe accingens *venit*, cœpit proficiſci *ad patrem ſuum*. *Cùm autem adhuc longè eſſet* à domo paterna, *vidit illum pater ipſius*. *&* ſtatim *miſericordia motus eſt, & accurrens*, præveniens eum. *cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*.

21. *Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum,*

Digitized by Google

lum, & coram te. Ex teneritudine patris ſui magis magiſque intelligit, quantum fuerit peccatum quod admiſit. *jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Hac confeſſione augetur teneritudo patris. 22. *Dixit autem pater ad ſervos ſuos* omnes, quaſi unus non ſufficeret, ut ſervirent filio; *Citò proferte ſtolam.* Veſtis hæc erat talaris, quæ cæteris veſtimentis honoris cauſa inducebatur, *primam*, id eſt priorem, qualem antea habebat, *& induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus*, quæ omnia decoxerat.

23. *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* εὐφρανθῶμεν, lætemur. 24. *Quia hic* quem recuperavi, *filius meus, mortuus erat* mihi, *& revixit*, reſtitutus eſt; *perierat, & inventus eſt. Et* nulla interpoſita mora *cœperunt epulari.*

25. *Erat autem filius ejus ſenior in agro; &* inde revertens *cùm veniret & appropinquaret domui, audivit ſymphoniam, & chorum*, cœtum cantantium. 26. *Et vocavit unum de ſervis, & interrogavit quid hæc eſſent.* 27. *Iſque dixit illi: frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum*; & magnum convivium celebrat in ſignum lætitiæ, *quia ſalvum illum recepit.*

28. *Indignatus eſt autem, & nolebat introire.* In hac imagine filii ſenioris videre eſt Judæos ægrè ferentes, quòd in Eccleſiam reciperentur Gentiles & peccatores. *Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum*, ut introiret ad convivium, ad commune gaudium. 29. *At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi*, contempſi, *& numquam dediſti mihi* vel *hædum* unum, *ut cum amicis meis epularer.* 30. *Sed poſtquàm filius tuus hic*, egregius ſcilicet; tam perditè à te amatus; ſunt enim verba indignabundi, nec dignantis quidem fratrem appellare, *qui devoravit*, per luxuriem abſumpſit celeriter *ſubſtantiam ſuam*, τὸν βίον, omnes facultates, quibus alitur vita; *cum meretricibus*, reverſus *venit* domum, *occidiſti illi*, in gratiam ejus, *vitulum ſaginatum.*

31. *At ipſe pater dixit illi: Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*, tibi mecum communia. 32. *Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt.*

Inter omnes Chriſti parabolas hæc ſanè eximia eſt, plena affectuum, & pulcherrimis picta coloribus; *Quid illa ſimilitudinum dominicarum argumenta nobis volunt:* loquitur Tertulianus, lib. de pœnit. cap. 8. *quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium invitat, nonne reſtituti peccatoris exemplum eſt? Errat & una paſtoris ovicula, ſed grex una carior non erat; una illa conquiritur, una pro omnibus deſideratur, & tandem invenitur, & humeris paſtoris ipſius refertur: multùm enim errando laboraverat. Illum etiam mitiſſimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & poſt inopiam pœnitentem libens ſuſcipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium ſuum exornat. Quidni? filium enim invenerat, quem amiſerat, cariorem ſenſerat, quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus ſcilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo.*

C A P U T XVI.

Filii ſæculi prudentiores. Faciendi amici de mammona. Parabola divitis epulonis, & Lazari pauperis.

L U C A S, Cap. 16. ℣. 1—31.

† Dom. 8. poſt Pent.

1 DIcebat autem & ad diſcipulos ſuos: † Homo quidam erat dives,
qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum quaſi diſſi-
paſſet bona ipſius.
2 Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem vil-
licationis tuæ: jam enim non poteris villicare.
3 Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam: quia dominus meus aufert à me
villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco.
4 Scio quid faciam, ut, cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me
in domos ſuas.

5 Convo-

5 Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

6 At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & ſede citò, ſcribe quinquaginta.

7 Deinde alii dixit: Tu verò quantùm debes? Qui ait. Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta.

8 Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

9 Et ego vobis dico. facite vobis amicos de mammona inquitatis. ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. ¶

10 Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.

11 Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis: quod verum eſt, quis credet vobis?

12 Et ſi in alieno fideles non fuiſtis: quod veſtrum eſt, quis dabit vobis!

13 Nemo ſervus poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odiet, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

14 Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari: & deridebant illum.

15 Et ait illis. Vos eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus. Deus autem novit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.

16 Lex & Prophetæ, uſque ad Joannem: ex eo regnum Deì evangelizatur, & omnis in illud vim facit.

17 Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere.

18 Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.

19 † Homo quidam erat dives qui induebatur purpura & byſſo: & epulabatur quotidiè ſplendidè. † *Feria 5. int. hebd. 2. Quad.*

20 Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21 Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

22 Factum eſt autem ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.

23 Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus.

24 Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

25 Et dixit illi Abraham. Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nùnc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.

26 Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.

27 Et ait: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei.

28 Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.

29 Et ait illi Abraham: Habent Moyſen, & Prophetas: audiant illos.
30 At ille dicit: Non, pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad
eos, pœnitentiam agent.
31 Ait autem illi: Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex
mortuis reſurrexerit, credent. ¶

1 DICEBAT *autem & ad diſcipulos ſuos* aliam parabolam: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, οἰκόνομον, œconomum*, diſpenſatorem: non tam latè patet *villicus*, quam *œconomus*; villicus enim eſt tantùm gubernator villæ. *Et hic villicus diffamatus eſt*, delatus eſt *ad illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius.* 2. *Et vocavit illum, & ait illi: quid hoc*. quid iſtud eſt, quod *audio de te? redde rationem villicationis tuæ*, œconomiæ tuæ: *jam enim non poteris villicare.* non ampliùs eris œconomus.

3. *Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam: quia dominus meus aufert à me villicationem*, unde victus ſoppetebat? *Fodere non valeo*: non conſuevi fodere; & huic labori non idoneus ſum. *mendicare erubeſco.* 4. *Scio quid faciam, ut, cùm amotus fuero à villicatione, ſint qui recipiant me in domos ſuas.* 5. *Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: quantum debes domino meo?* 6. *At ille dixit: centum cados olei, βάτους, bathos.* vas erat aptum ad metiendum res liquidas. quis ſit hujus menſuræ valor quærere ad hunc locum non pertinet; neque enim huic loco inde lux accerſitur; quare interpres vulgatus menſuram Hebræam nec ſatagit proprio nomine exprimere. *Dixitque illi, Accipe cautionem, τὸ γράμμα*, inſtrumentum obligationis, literam qua profiteris te debitorem. *Et ſede citò ad menſam, & ſcribe quinquaginta* ſcilicet te mihi ſolviſſe. 7. *Deinde alii dixit: Tu verò quantum debes? qui ait: centum coros tritici.* Corus decies major erat bato; ideo ne fraus deprehenderetur, non quinquaginta coros remiſit, ſed viginti tantùm. *Ait ille accipe literas tuas, & ſcribe octoginta.*

8. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Modò videbimus divitias terrenas appellari divitias ἀδικίας, *iniquitatis*. Ibi ergo οἰκόνομος ἀδικίας eſt villicus, ſive œconomus, diſpenſator terrenarum, ſive falſarum divitiarum, *Dominus* autem ille à quo laudatur, non eſt herus villici; neque enim fraudem ſervi laudaſſet herus ſi ſibi patuiſſet. Ille ergo Dominus ipſe Chriſtus qui hoc exemplo admonet divites hujus ſæculi, ut ſimiliter ac villicus utantur divitiis ſuis terrenis, quibus ſibi comparent amicos. Non in facti improbitate, ſed in in ſolertia villici ſita eſt vis ſimilitudinis. *Quia ὅτι* (valet illud ὅτι idem quod ita certè) *filii hujus ſæculi* huic ſæculo dediti, nihil aliud curantes, quàm hujus vitæ commoda, *prudentiores ſunt filiis lucis*, id eſt vitæ melioris cognitione illuſtratis, *in generatione ſua, εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν*, in iis quæ pertinent ad generationem ſuam. vel in ſuo genere, in ſuo vitæ inſtituto iſta hominum ratio prudentior eſt.

9. *Et ego vobis dico*, Chriſtus pergit loqui: exemplo hujus œconomi *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Mammona vox eſt Syriaca, idem ſonans quod *divitiæ* Latinis. Divitias autem ajunt iniquas dici, quia iniqui illas poſſident, aut iniquorum hæredes; ſed conſtat in verſione Græci veteris teſtamenti ſæpiùs nomen שקר, quod eſt *falſum*, aut *falſitas*, reddi ἀδικία, vulgò *iniquitas*; Sæpiùs in paraphraſi Chaldaica legitur ממון דשקר *mammona falſitatis*. Ita quamquam divitiæ malè partæ hic poſſent intelligi, veriſimilis eſt illam iniquitatem divitiarum eſſe earum falſitatem, ſive *incertum earum*, ut loquitur Apoſtolus Timotheo ſcribens epiſt. cap. 6. ℣. 17. Eo loco quo verſamur, ſermo eſt de falſis, ſive fallacibus divitiis, quibus poſteà Chriſtus opponit veras divitias. ſenſus ergo eſt: date egentibus divitias fallaces; falluntur enim qui confidunt in illis. *Ut cùm defeceritis*, ut quando ἐκλίπητε, defeceritis, id eſt, mors vos illis ſpoliaverit, vel quando *deſerueritis*, ſcilicet illum fallacem mammonam, *recipiant vos*, ſit qui recipiat vos *in æterna tabernacula*, in cœlum Deus, qui ſibi datas reputat quæ eroganturpauperibus eleemoſynæ.

10. *Qui fidelis eſt in minimo & in majori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* Proverbialis locutio, quæ ut pleræque aliæ, intelligenda de eo quod plurimum fit, etſi non ſemper. Ita heri fidem famulorum ſuorum explorare ſolent in re non magni pretii, atque inde conjecturam facientes, horum opera in re majori utuntur. Ibi ἄδικος, *iniquus*, videtur potiùs indicare eum qui fallitur, quàm qui iniquitatem facit; ut ſequentia demonſtrant. fidelis itaque ille dicitur, qui prudenter res ſibi commiſſas diſpenſat, ut decet fidelem, ſive verum diſpenſatorem. 11. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis*, in diſpenſandis divitiis fallacibus *quod verum eſt*, nempe veras divitias, quæ ſunt Dei gratiæ, *quis credet vobis?* 12. *Et ſi in alieno fideles non fuiſtis.* hic divitiæ reputantur aliquid à nobis alienum. ſi in diſpenſandis divitiis non agitis prudenter, *quod veſtrum eſt*, nempe bona cœleſtia, quibus non deſtituimur

mus niſi culpa noſtra, *quis dabit vobis?* In contemptum adducere divitias ſatagebat Dominus. apertiùs loquitur, & illas vitæ cœleſti comparandæ impedimentum eſſe declarat.

13. *Nemo ſervus poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odiet, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet.* Ex hoc effato hanc concluſionem elicit Dominus: *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ.* Hæc verba dirigebat ad Phariſæos, quibus ita dominabatur avaritia, ut nec ſermo ille potuerit eos perſuadere prudenter utendum eſſe ſuis divitiis, ſcilicet erogandas eſſe in eleemoſynam pauperibus, ut verè proſint.

14. *Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari: & deridebant illum.* non poterat avaris non ingrata, aut etiam non ridicula eſſe tam ſevera liberalitatis præſcriptio. 15. *Et ait illis: Vos eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus,* vos pro juſtis venditatis: *Deus autem novit corda veſtra,* quaſi dicat: Juſti videmini hominibus, ſed non Deo, cui nota eſt avaritia veſtra. *Quia quod hominibus,* id eſt hominum opinione *altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* quod remotum eſt à cognitione hominum, Deo patet, qui videt homines introrſum turpes, qui non niſi ſpecioſa pelle decori ſunt.

16. *Lex & prophetæ uſque ad Joannem,* quaſi diceret, ne miremini, ſi majora dilectionis opera nunc quàm olim exigantur. Lex & prophetæ rudimenta quædam pietatis apertè propoſuerunt, reliqua ſub generalibus terminis, & figurarum involucris myſticè occultaverunt. Sed *ex eo* tempore, quo prædicavit Joannes *regnum Dei evangelizatur,* incipit annuntiatio regni cœleſtis, quæ ut præſtantiora promiſſa continet, ita perfectiorem juſtitiam poſtulat. *Et omnis in illud vim facit;* ne putetis vobis Phariſæis torpentibus, neminem fore, qui Evangelium amplecti velit: *omnis,* πᾶς, quivis, infinita alia multitudo, εἰς αὐτὴν βιάζεται, quaſi vi facta ad illud rapiendum irruit, aut quia βιάζεται vox eſt media, ſic eam interpretari poſſumus, ut ſenſus Domini ſit multos compelli intrare in regnum cœlorum, dum illud Phariſæi aſpernantur.

17. *Facilius eſt autem cœlum & terram præterire,* diſſolvi, & tranſire in alium ſtatum, *quàm de lege unum apicem,* κεραίαν, *cadere.* Apices in literis Hebraicis ſunt illa exigua cornicula, quibus inter ſe diſtinguuntur. ſic litera *daleth* ד diſtinguitur à *reſch* ר quæ caret corniculo, ſive apice, ut advertunt qui linguæ Hebrææ prorſus non rudes ſunt. Senſus ergo eſt juxta morem loquendi Hebræorum, eventu ſuo carere non poſſe id omne, quod in lege, vel leviter ſcriptum eſt. Vide ſimilem locutionem Joſue, cap. 23. ℣. 14. 1. Reg. cap. 3. ℣. 19. Rom. cap. 9. ℣. 6. Duo hic facit Chriſtus: 1. docet complenda quæ de ſe ipſo eſſent in lege, quamquam obſiſterent Phariſæi. 2. amovet à ſe opinionem, quòd legem flocciſaceret, declarans inſigni exemplo hanc non evertere ſed ſtatuere, videlicet efficiendo, ut magis rigida ſit ejus obſervatio.

18. *Omnis,* inquit, *qui dimittit uxorem ſuam,* divortium cum ea facit, *& alteram ducit, mœchatur,* cenſetur adulter: *& qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur,* pariter adulter eſt. Optaverat Moyſes omnia non neceſſaria divortia tolli, ſed hoc obtinere non potuerat ſine majoris mali periculo. verùm Chriſtus cùm præcipit, ſimul adjuvans vetat quod Moyſes improbans tolerabat. Omnia, inquam, revocat Chriſtus ad initium, quo Adam & Eva, maritus & uxor, indiſſolubili vinculo conjuncti fuerant, ut fierent una caro. De his infra fuſiùs.

19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo,* pretioſis & mollibus veſtibus. purpura ſplendorem, byſſus mollitiem notat. *& epulabatur quotidie ſplendidè.* Chriſtus ad argumentum unde ſermonem inceperat de uſu divitiarum, regreditur, demonſtrans diſſimili duorum hominum exitu, unius divitis, alterius mendici, quid ſentiendum ſit de divitiis, & paupertate. 20. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Quibuſdam videtur eſſe narratio, non parabola, eò quod nomen exprimatur: *Lazarus* enim nomen eſt proprium, quod tamen ſignificat in genere pauperem, cùm etymum accerſitur ex his vocibus Hebraicis לא עזר לו *lo oſer lo,* quod ſonat, *non eſt auxiliator ei*) ſed, ut Tertullianus loquitur, etſi imago credenda eſt, teſtimonium erit veritatis. Qui ſentiunt eſſe parabolam, afferunt in argumentum præfationem illam quam Beza in ſuo vetuſtiſſimo codice & in alio manuſcripto exemplari ibi legit, εἶπε δὲ καὶ ἑτέραν παραβολήν, id eſt, *dixit verò aliam parabolam.* Robertus Stephanus hanc præfationem ex vetuſtiſſimo exemplari ab amicis in Italia collato, ad marginem Novi Teſt. ab ipſo Græcè editi, quoque adjecit: Sive Lazarus fuerit perſona ficititia, ſive vera, imaginem paupertatis ejus his vivis coloribus Lucas depingit.

Qui jacebat porrectus *ad januam ejus,* in via publica, ſub dio, vel in veſtibulo domus. nam in Græco codice eſt πρὸς τὸν πυλῶνα, ad veſtibulum, *ulceribus plenus.* 21. *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat,* adeo deſpectui erat. *Et canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Viva imago pauperrimi viri.

22. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus.* feſtinat Chriſtus ad id quod intendebat demonſtrare, meliorem fuiſſe ſortem Lazari, quàm divitis. *& portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.* Loquitur Dominus juxta opinionem Judæo-

dæorum, qui putabant quemque ſtatim ac mortuus eſſet, ab angelis excipi, ad pœnam, ſi reus eſſet, ut videre eſt apud Eliam Levitam in Thisbi, in voce *Chibut*. Rabbi Eliezer interrogatus à diſcipulis de illa re reſpondit eis, inquit Elias; *Poſtquam ſeparatus eſt homo ab hoc ſæculo, venit angelus mortis, & ſedet ſuper ſepulchrum ejus &c.* Pios verò credunt Judæi portari in Abrahæ ſinum. apud illos *ſinus Abrahæ*, formula loquendi eſt uſitata, qua notant felicem ſtatum piorum defunctorum. Sic dicunt in Talmude: *Hodie in ſinu eſt Abrahæ*; pro *mortuus eſt*, ac feliciter quieſcit in loco beato; quem & appellabant *Eden*, id eſt voluptatis locum, ubi pii expectarent reſurrectionem. hos inter primam ſedem tenere Abraham meritò credebatur. Sinus igitur Abrahæ erat præcipua in hoc piorum loco dignitas, ſive locus ſecundus. Phraſis ſumpta, vel à puerulis, qui parentibus ſunt chariſſimi, quos illi in ſinu, ſive gremio fovent, vel à vetuſto more accumbentium menſis, in quibus ſecundus recubabat in ſinu primi accumbentis; ut deferri in ſinum Abrahæ, ſit admitti ad diſcubitum cum Abraham & Iſaac.

Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno, ἐν τῷ ᾅδῃ. Vox illa propriè ſignificat locum vitibus noſtris ſubtractum. ibi autem denotat locum tormenti. Quo autem loco fuerint ſita tormenta impiorum, non quærendum, ſed quo pacto evitari poſſint. nihil enim prodeſt, ut ait B. Chryſoſtomus, quæ maneant peccatores tormenta, aut ubi parata ſint, cognoſcere, niſi ad hoc demus operam, ut poſſimus evadere. Maximè cùm teſte D. Auguſtino de civ. lib. 20. cap. 16. cujuſmodi, & in qua mundi, vel rerum parte ſit ignis infernalis nemo ſciat, niſi cui ſpiritus Dei revelavit.

23. *Elevans autem oculos ſuos* dives ille: nulla eſt difficultas, ſi parabola narratur, *cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè*, quippe in loco deliciarum, unde multum removebatur, *& Lazarum in ſinu ejus*, in honoris aſſecutum.

24. *Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham*, illum affatur ut beatorum principem, deinde ut eum quo generis auctore gloriari ſolebant Hebræi, *miſerere mei, & mitte Lazarum*, illum ipſum, cui nec dabat micas cadentes de menſa, *ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Mira ſortis utriuſque divitis & mendici mutatio.

25. *Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Hæc oſtendunt, vicibus res eſſe diſpoſitas, & ſicut de luctu ad gaudium, ita de gaudio iri ad luctum. *Lazarus apud inferos in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus*, (verba ſunt Tertulliani de idolol. cap. 13.) *contrà dives in tormento ignis conſtitutus, alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compenſant.* De hoc divite & Lazaro ſic Auguſtinus in pſal. 48. *mutaverunt vicem: ille à januа divitis ſublevatus eſt in ſinum Abrahæ: ille ab epulis ſplendidis miſſus eſt in ignem: ille requieſcebat, ille ardebat: ſatiabatur, ille ſitiebat: ille laboraverat in finem, vivet in æternum: ille vixerat in finem, laborabit in æternum.*

26. *Et in his omnibus*, & præterea *inter nos* qui ſumus in paradiſo, *& vos* in inferis ſedibus degentes, *chaos magnum χάσμα*, hiatus, vorago magna, inane ſpatium magnum *firmatum eſt*, poſitum eſt: *ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Jam nulla poteſt fieri ſortis noſtræ mutatio. verbum ἐστήρικται, reddit interpres *firmatum eſt*, etenim quod Hebræi appellant רקיע *rakiah*, expanſionem, LXX. interpretes appellant στερέωμα, *firmamentum.* στερεοῦν & στερῶ, unde στερέωμα, non multùm differunt, ἐστήρικται, reddi poſſet *expanſum eſt.*

27. *Et ait dives: Rogo ergo te pater, ut ſaltem mittas eum* Lazarum *in domum patris mei.* 28. *Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis*, ut illos ſeriò, ut pote certus & oculatus horum teſtis commonefaciat, *ne ipſi* meo exemplo viventes, *veniant in hunc locum tormentorum.* his ipſe Dominus commonefaciebat auditores, ut ſeriò conſiderarent, quid divitibus qui in deliciis vitam agerent, exſpectandum eſſet.

29. *Et ait illi Abraham: Habent Moyſem & prophetas* iſta commonefacientes. *Audiant illos.* Moyſes enim, ut dicitur in Act. cap. 15. ℣. 21. per omne ſabbatum legebatur; nempe aliqua portio ex quinque libris ejus. Adjungebatur lectio ex prophetis, ut conſtat ex illis verbis, Act. cap. 13. ℣. 27. *voces prophetarum, quæ per omne ſabbatum leguntur.* 30. *At ille dixit*, de ſe illorum ingenium noſcens: *Non* audient illos, *pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*, quis à mortuis revertens faciliùs inveniet fidem. Sic Seneca, epiſt. 30. *plus, ut puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, ſi quis revixiſſet, & in morte nihil mali eſſe narraſſet.* ſcilicet homines vix poſſunt occaleſcere aculeis conſcientiæ: timent alterius vitæ tormenta; ne autem voluptatem titillantem amittant ob incertam, inquiunt, ſpem, & inanem metum, vellent priùs quaſi manu palpare quod traditur de alterius vitæ ſtatu. Ita rem gratam facturus amicis ſuis Julius Canius jam ſtatim gladio plectendus promiſit apud Senecam, de tranq. cap. 4. *ſi quid exploraſſet, circumiturum amicos, & indicaturum quis eſſet animarum ſtatus.* ſed ratio clarè percipit quod ſenſus attingere non poſſunt; & ubi animus inordinatis affectibus abreptus eſt, nulla re poteſt retineri, & ſciens & vivus perit.

31 *Ait autem illi* Abraham, hoc Dominus qui iſtam parabolam proponit, & cui illud hominum ingenium notum eſſet: *Si Moyſem & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent.* Quod duplici exemplo patuit, veri Lazari, videlicet fratris Marthæ, quem redivivum Judæi interficere voluerunt: & ipſiuſmet Chriſti, cujus reſurrectionem Moyſes & Prophetæ prædicaverant, cui tamen non crediderunt.

CAPUT XVII.

Cæſaream Philippi ſe recipit Dominus. Tunc contulit primatum Petro, à quo pro filio Dei agnitus eſt.

HARMONIA.	MATT. Cap. 16. ℣. 13-20.	MARC. Cap. 8. ℣. 27-30.	LUCAS, Cap. 9. ℣. 18-21.	
1 *Mt.* Venit autem Jeſus in partes Cæſareæ Philippi.	13 ✠ Venit autem Jeſus in partes Cæſareæ Philippi.			✠ *Feſtum Apoſt. Petri & Pauli.*
2 *L* Et factum eſt, cùm ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli.			18 Et factum eſt, cùm ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli:	
3 *Mc.* Et egreſſus eſt Jeſus, & diſcipuli ejus, in caſtella Cæſareæ Philippi.		27 Et egreſſus eſt Jeſus, & diſcipuli ejus, in caſtella Cæſareæ Philippi:		
4 Et in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: *Mt.* Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?	& interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?	& in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Quem me dicunt eſſe homines?	& interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ?	
5 At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam; *L* alii verò quia unus propheta de prioribus ſurrexit.	14 At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam; aut unum ex prophetis.	28 Qui reſponderunt illi, dicentes: Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii verò quaſi unum de prophetis.	19 At illi reſponderunt, & dixerunt: Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò quia unus propheta de prioribus ſurrexit.	
6 *Mc.* Tunc dicit illis: Vos verò *MM. L* quem me eſſe dicitis?	15 Dicit illis Jeſus: Vos autem quem me eſſe dicitis?	29 Tunc dicit illis: Vos verò quem me eſſe dicitis?	20 Dixit autem illis: Vos autem quem me eſſe dicitis?	
7 *Mt. L* Reſpondens Simon Petrus, dixit: *Mt.* † Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.	16 Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.	Reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus.	Reſpondens Simon Petrus, dixit: Chriſtum Dei.	† *Joan.* 6. 6. *Act.* 8. 37. 1. *Joan.* 4. 1.

MATTHÆUS.

8 *17 Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: † quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. † 1. *Cor.* 2. 10.
9 *18 Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.
10 *19 Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. ¶

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
11 Tunc præcepit diſcipulis ſuis, *Mc.* & comminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo, *Mt.* quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus.	20 Tunc præcepit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus.	30 Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo,	21 At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.

DABAT operam Dominus, ut non occideretur niſi ſtata die, hora, & loco pro ut oportebat, nempe Hieroſolymis, in ipſo die Paſchatis, & eadem hora qua mactabantur agni Paſchales, à quibus hactenus figuratus erat. Igitur tunc temporis cùm æſtuaret ira Judæorum, & adverſus eum incitarent Herodem, voluit per aliquod tempus tum Judæa, tum hujuſce principis Tetrarchia fugere in alterius principis ditionem. 1 * 13. *Mt. Venit autem Jeſus in partes Cæſareæ Philippi*, in regionem iſtam ubi Cæſarea, quæ cognominatur *Philippi*, quam Philippus Tetrarcha in honorem Tiberii ædificaverat. Videtur autem non ipſam Cæſaream intraſſe, ne præſentia ſua cieret aliquos motus. volebat eſſe ignotus, & paucis diebus ibi commorari, quia inſtabat tempus paſſionum ſuarum, ad quas ſubeundas ei Hieroſolymam eundum erat. Ergo quia volebat latere, in vicos tantùm ingrediebatur, interdum ſe etiam ſubtrahens populorum conſpectui orationis cauſa.

2 * 18. *L. Et factum eſt, cùm ſolus eſſet orans*, cùm dimiſiſſet turbas ut ſolus oraret, & ideo in aliquem ſeceſſum abiiſſet. ſed *erant cum illo & diſcipuli.* 3 * 27. *Mc. Et egreſſus eſt Jeſus*, tunc, inquam, ſemotus à turba ibat, *& diſcipuli ejus in caſtella Cæſareæ Philippi*, peragrabat vicos proximos Cæſareæ Philippi. 4 * *Et in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Mt. Quem dicunt homines eſſe Filium hominis*, id eſt *quem me dicunt eſſe*, ut loquuntur Marcus & Lucas; unde conſtare debet illud, *filium hominis*, tenere locum pronominis in lingua qua locutus eſt Dominus. 5 * 14. *At illi dixerunt, alii Joannem Baptiſtam*, qui revixiſset, *alii autem Eliam*, quem credebant denuò venturum ad præparandas Chriſti vias. *alii verò Jeremiam*, quem Judæi magno in honore habebant. *L. alii verò quia unus propheta de prioribus*, id eſt antiquis *ſurrexit.* ſaltem haberis pro aliquo magno Propheta. Vidimus ſuprà Judæorum animos eam opinionem invaſiſſe, ut crederent animas migrare de corpore in corpus.

6 * 29. *Mc. Tunc dicit illis Jeſus: vos verò L. quem me eſſe dicitis?* ſilentibus reliquis, & forſan hæſitantibus quid dicerent. 7 * 16. *Mt. L. Reſpondens Simon Petrus, dixit: Mt. Tu es Chriſtus*, ὁ Χριστὸς: Emphaſis eſt in hoc articulo, id eſt tu es inſignis ille Meſſias à lege & Prophetis olim promiſſus, à ſanctis omnibus hactenus exſpectatus, unctus, conſecratus à Deo; *Filius Dei vivi*, filius dilectus, unicus, non adoptione, ſed natura; non Dei fictitii, ſed vivi, ſive viventis, quod antiquiſſimum eſt Dei cognomen. Primus eſt in confeſſione, qui primus eſt in apoſtolica dignitate, inquit B. Leo. quod ante eum dixerat Chryſoſtomus Hom. 3. in Act. ὡς τοῦ χοροῦ πρῶτος, καὶ προλήψει ἄρχεται τοῦ λόγου.

8 * 17. *Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona*, id eſt filius columbæ, aut potiùs filius Joannis. Annotat enim B. Hieronymus corruptum locum videri, & legendum Βαριωάννα, ſicut etiam legitur in Vulgata in quibuſdam codicibus, & vetuſtis aliquibus exemplaribus Græcis, beatus, inquam, ob hanc tuam fidem, & confeſſionem, qua beatitudinem, aliaque dona maxima conſequeris. *quia caro & ſanguis*, circumlocutio eſt *hominis* Hebræis uſitata: *non* homo *revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* His verbis oſtendit Dominus cætera vulgò de ſe jactata, meras eſſe hominum conjecturas, hanc autem confeſſionem Petri eſſe ipſiſſimam veritatem à Patre revelatam. non ſemel diximus pluribus piis Judæis patefactam Trinitatem perſonarum in Deo, videlicet compluribus, ne dicam omnibus, non ignotum fuiſſe filium Dei, & Spiritum ſanctum; ſed ut verbis Origenis utar, Hom. 1. in cap. 1. Levit. Cùm verbum Dei ex Mariæ carne veſtitum proceſſiſſet in mundum, aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namque aſpectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur divinitatis agnitio.

9 * 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* eò quòd dixiſti mihi *Tu es Chriſtus*, pariter dico tibi te Petrum à me cognominatum fuiſſe, quia eris aliquando petra fundamentalis Eccleſiæ meæ; *& ſuper hanc petram*, id eſt ſuper te ipſum, reddit enim rationem impoſiti nominis, *ædificabo eccleſiam meam.* tu eris princeps, fundamentum Eccleſiæ meæ; nam & cæteri apoſtoli Eccleſiæ fundamentum appellantur in multis ſcripturæ locis. Huncce autem locum expendens B. Hilarius exclamat, dicens: *O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret! O beatus cæli*

Ja-

janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cælo; ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cælo! Addit Chriſtus: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Firmitatem ædificii Eccleſiæ declarat, ſive æternam durationem populi in doctrina apoſtolorum perſeverantis, opponens ædificium ædificio, civitatem diaboli civitati Dei. *Portæ* in ſcripturis ſignificant poteſtatem, imperium, vel ſedem imperii: nam in portis olim agebantur conventus, exercebantur judicia. *infernus*, ᾅδης, deſignant tormentorum locum, in quo mali torquentur cum diabolo & angelis ejus. Senſus ergo eſt: diaboli poteſtas, quæ hactenus maxima fuit, prævalere non poterit adverſus Eccleſiam, gregem fidelium meorum, quem tibi paſcendum committam, perdere non poterit. Quod aliis verbis declaraverat Chriſtus, dicens, oves ſuas neminem poſſe rapere de manu ſua. ubique enim ſignificat diabolum, quem principem mundi vocat à ſe vincendum & ejiciendum. De perennitate conſpicuæ Eccleſiæ totius hæc intelligenda ſunt. ſed & propria ſunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad quam ideo, inquiebat B. Irenæus, lib. 3. cap. 3. *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab apoſtolis traditio.* ideo olim dicebat Hieronymus epiſtola ad Damaſum: *ſi quis cathedræ Petri jungitur, meus eſt.*

10 ✝ 19. *Et tibi dabo claves regni cælorum*, id eſt principatum in Eccleſia, quæ ſæpiùs nomine regni cœlorum appellatur: ut cùm dicitur, *ſimile eſt regnum cælorum grano ſinapis.* traditio clavium ſymbolum eſt poteſtatis; claves ſummam poteſtatem ſignificant; huic traduntur claves, cui committitur familia adminiſtranda: cujus poteſtatis debet eſſe admittere, vel excludere domo. Chriſtus non dicit: dabuntur claves, ſed *dabo*; penes enim illum ſunt, ut dicitur Apocalypſi, cap. 3. ✝. 7. *dabo*, non *do*, non niſi enim poſt reſurrectionem ſuam dixit Petro, *paſce oves meas*. *Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*, à clavium metaphora ad aliam tranſit Dominus, ſignificans excellentiam & amplitudinem poteſtatis Petro datæ, per quam claudit & aperit, & ligat & ſolvit. Phraſilogia uſus eſt uſitata Hebræis, quibus *ligare* idem eſt quod *prohibere*, aut *prohibitum declarare*; & *ſolvere* idem ac *permittere*, aut *declarare licitum*. Ligat qui judicando damnat, & expellit Eccleſia: ſolvit qui expulſum revocat. Igitur judicium ſummum in Eccleſia exercendum Petro tribuit Chriſtus, quod coram Deo ratum ſemper erit. *Et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, coram Deo, qui talem & tantam poteſtatem tibi contulit.

In his verbis exponendis non laborant Orthodoxi. conſona enim ſunt doctrinæ, quam in Eccleſia catholica didicerunt. quot autem & quanta inde illis ſuppetunt argumenta? nam ſi Jeſus ſola adoptione filius eſt Dei, homo tantùm, ſed Deo carus, miracula ejus conſpicua ſatis adducebant Petrum & alios, ut eo ſenſu agnoſcerent filium Dei: non opus erat divina revelatione; quæ cùm fuerit neceſſaria; aliquid aliud non ſubjectum carnis oculis oſtendebat. Qua autem auctoritate loquitur Chriſtus, propriam ſumens quæ ſolius Dei eſt? Ergo ad altiorem quàm humanæ naturæ opinionem his duabus pollicitationibus de perennitate Eccleſiæ, & poteſtate ligandi & ſolvendi, Petrum adducit Dominus. Solus Deus concedere poteſt peccatorum remiſſionem, & ut Eccleſia tot tantiſque fluctibus irrumpentibus immobilis maneat, licèt paſtor ejus & caput ſit piſcator homo: hæc, inquam omnia quæ ſolius Dei ſunt, Chriſtus ſe pollicetur daturum.

11 ✝ 20. *Tunc præcepit diſcipulis ſuis*; 30. *Mc. Et comminatus eſt*, præcepit pœnas intentans, ut parerent, *ne cui dicerent de illo, Mc. quia ipſe eſſet Chriſtus.* Etenim cùm oporteret eum pati, nondum tempus advenerat ut agnoſceretur; neque enim Judæi, ſi cognoviſſent eum, cruci affixiſſent, ergo donec pateretur, non erat prædicandus.

CAPUT XVIII.

Liquidò ſignificat Dominus inſtare diem, quo eum oporteret pati, reprobari; & occidi. Corripit Petrum, & crucem cuique eſſe ferendam docet.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 16. ✝. 21-28.	MARC. Cap. 8. ✝. 31-39.	LUCAS Cap. 9. ✝. 22-27.
1 *Mt.* EXinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret *Mc. L* Filium hominis *Mt.* ire Hieroſolymam.	21 Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis quia oporteret eum ire Hieroſolymam,	31 Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis.	22 Dicens: Quia oportet Filium hominis:

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
2 Et *MM. L* multa pati, *Mc. L* & reprobari à ſenioribus, & *Mc.* à ſummis ſacerdotibus, *Mc. L* & ſcribis; & occidi; & *Mc.* poſt tres dies reſurgere.	& multa pati à ſenioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi; & tertia die reſurgere:	pati multa, & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & occidi; & poſt tres dies reſurgere.	multa pati, & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & Scribis, & occidi; & tertia die reſurgere.
3 Et palàm verbum loquebatur. Et apprehendens *MM.* eum Petrus cœpit increpare *Mt.* illum, dicens: Abſit à te, Domine: Non erit tibi hoc.	22 Et aſſumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te, Domine: non erit tibi hoc.	32 Et palàm verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.	
† 2. Reg. 19. 22. 4 *Mc.* Qui converſus & videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: *Mt.* Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi: † quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.	23 Qui converſus, dixit Petro: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.	33 Qui converſus, & videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: Vade retro me ſatana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.	
† Commune unius Martyr. 5 *Mc.* Et convocata turba cum diſcipulis ſuis, *Mc.* tunc Jeſus dixit *L* ad omnes: *MM. L* Si quis vult *Mt. L* poſt me venire, *Mc.* me ſequi, *Mt. L* abneget *MM. L* ſemetipſum, & tollat crucem ſuam *L* quotidie, *MM. L* & ſequatur me.	24 Tunc † Jeſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.	34 Et convocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.	23 Dicebat autem ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.
† Joan. 12, 26. 6 † Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet *MM.* eam.	25 Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere: perdet eam:	35 Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam:	24 Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam:
7 Qui autem *MM. L* perdiderit animam ſuam propter me, *Mc.* Et Evangelium, *Mc. L* ſalvam faciet *Mc.* eam.	qui autem perdiderit animam ſuam propter me, invenlet eam.	qui autem perdiderit animam ſuam propter me, & Evangelium, ſalvam faciet eam.	nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam:
8 Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum; *L* ſe autem ipſum perdat; *Mc.* & detrimentum animæ ſuæ faciat?	26 Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?	36 Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum; & detrimentum animæ ſuæ faciat?	25 Quid enim proficit homo; ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?
† Pſal. 49. 9. 9 † Aut quid dabit homo commutationis *MM.* pro anima ſua?	Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?	37 Aut quid dabit homo, commutationis pro anima ſua.	
† Rom. 1. 16. 2. Tim. 2. 12. 1. Joan. 2. 23. 10 *L* † Nam qui me erubuerit, & meos ſermones *Mc.* in generatione iſta adultera & peccatrice, *L* hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.		38 Qui enim me confuſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice; & Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis,	26 Nam qui me erubuerit & meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.

MAT-

Digitized by Google

M A T T H Æ U S.

11 * 27 † Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus. ¶

† *Matth.* 25. 31. & 26. 64. *Zach.* 14. 5. *Iud.* ℣. 14. *Pſal.* 62. 13. *Rom.* 2. 7 *Apoc.* 2. 23.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
12 *Mc.* Et dicebat illis: *MM.* Amen dico vobis: *Mc.* quia *MM.* ſunt quidam de hic ſtantibus *MM. L* qui non guſtabunt mortem, donec videant *Mc. L* regnum Dei *Mc.* veniens in virtute: *Mt.* Filium hominis venientem in regno ſuo.	28 Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem; donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.	39 Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.	27 Dico vobis autem verè: ſunt aliqui hìc ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei.

1 * 21 *Mt.* EXINDE, id eſt ab eo die *cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret Mc. L. Filium hominis*, id eſt ſeipſum, *Mt. ire Hieroſolymam.* Ergo tunc dies paſſionis Domini appropinquabant. à fine enim menſis Casleu, quo tempore interfuerat Hieroſolymis feſto Encæniorum, Paſcha non aberat niſi intervallo trium menſium, nempe Thebet, Shebet, Adar, & media parte menſis Niſan. Circa Jordanem aliquantiſper commoratus, venerat in partes Cæſareæ Philippi, ut jam parte dicti intervalli præterita, appropinquaret Paſcha, in quo oportebat eum pati; quod cùm extra Hieroſolymam fieri non poſſet, ſignificat brevi tempore ſuſcepturum iter versùs illam urbem, quæ profectio poſtrema fuit; ideo B. Lucas qui hæc narrat nono capite, rationem temporis non habuit. ibi & deſcribit transfigurationem Domini, quam ſeriùs factam fuiſſe res ipſa clamat, ut modò dicemus.

Jeſus, inquam, prædicens ſuam paſſionem, indicat quòd oporteret eum ire Hieroſolymam. 2 * *Et Mt. L multa pati, Mc. L & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus & Scribis*, nempe à toto Synedrio, quod conſtabat ſenioribus, ſacerdotibus, & Legiſperitis, *& occidi*, quatenus judicaturi erant eum reum mortis. *Et poſt tres dies reſurgere* à morte, id eſt poſtquam tertius dies advenerit, nam etſi dictum fuiſſet, cum tres dies impleti erant, nec ſic quidem quartus, ſed tertius tantùm dies denotatus fuiſſet; ut cùm Lucas dicit. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer*, non intelliguntur octo dies exacti; tunc enim nonus indicaretur, tamquam verum tempus circumcidendi. cùm ex lege conſtet intra octavum id fuiſſe faciendum.

3 * 32. *Mc. Et palàm verbum loquebatur. παρρησίᾳ*, id eſt liquidò apertè. *& apprehendens eum Petrus*, προσλαβόμενος; id eſt, cùm manu prehenſum ſeduxiſſet, ut ſolent familiariùs aliquid dicturi, *cœpit increpare Mt. illum*, nempe tanquam hominem nimis facilem & benignum redarguere, qui id permitteret, quod poſſet impedire; non objurgantis, ſed vehementer amantis affectu *dicens: Abſit à te, Domine*, ἵλεώς σοι, ſubaudi θεὸς ἔστω, *propitius tibi ſit Deus.* Vox eſt abominantis aliquid ut prophanum. avertat Deus; *non erit tibi hoc*: non ſinat Deus, ut occidaris. ἵλεως reſpondet vocis Hebrææ חָלִילָה, quam Græci interpretes non ſemel eadem illa voce ἵλεως reddunt: quam etiam exprimunt his verbis μὴ γένοιτο, *abſit*, μὴ εἴη *ne ſit*, μηδαμῶς, *nequaquam.*

4 * 33. *Mc. Qui converſus*, id eſt convertens ſe, *& videns diſcipulos ſuos comminatus eſt Petro*, Petrum duris verbis objurgavit, *dicens: Vade poſt me ſatana*; abi retro me, ut habet Marcus, id eſt, extra conſpectum meum: faceſſe hinc *ſatana*, id eſt inimicus, vel adverſarius. etenim שָׂטָן *ſathan*, eſt *adverſarii*; oratio illa Domini eſt faceſſentis, qualis iſta Davidis 2. Reg. cap. 19. ℣. 22. *Quid mihi & vobis filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in ſatan?* Ita, quaſi hiſce verbis Dominus cenſendus eſt compellare Petrum. an hæc cauſa eſt, cur mihi ſeorſim loqui volueris? apage ſatana, ſupple hac in re: abi cum tuo illo conſilio, qui impedire vis, quominus ſubeam id quod ſubire me conſultiſſimum eſt & juſtiſſimum, quia ita placuit patri meo. Addit Dominus, *ſcandalum es mihi*, peſſimè conſulis; ſic in paſſione dicebat eundem Petrum compellans: *calicem, dedit pater, non vis ut bibam?* A patris voluntate Chriſtus deflexiſſet, ſi conſilium Petri ſecutus eſſet. ergo illum redarguit dicens *quia non ſapis*, non cogitas, non attendis ad *ea quæ Dei ſunt*, quæ probat ſapientia, *ſed ea quæ ſunt hominum*, id eſt quæ caro & ſanguis ſuggerunt, nempe fugam mortis, etiam cùm ex Dei voluntate decet eam ſubire.

5 * 34 *Mc. Et convocata*, advocata *turba*, quæ ſequebatur *cum diſcipulis ſuis*, ut audirent do-

ſtrinam magni ponderis. 24 *Mt. Tunc Jeſus dixit L ad omnes*, ut nulla exceptio ſit: *MM. L Si quis vult Mt. L poſt me venire, Mc. me ſequi*, tamquam verus diſcipulus, *Mt. L abneget ſemetipſum*, hoc eſt ne curet vitæ hujus commoda, vitamque ipſam, quatenus à præceptorum meorum obſequio avocat. Translatio ſumpta ab iis, qui partes alicujus deſerunt, idque palàm profitentur, ita abnegare ſemetipſum, eſt eſſe ſui quaſi deſertorem, & paratum etiam vitam perdere, cùm id poſtulabit obſequium Dei. *Et tollat crucem ſuam L quotidie & ſequatur me*, parato animo ſuſcipiens omnes ob cauſam pietatis ingruentes afflictiones. Alludere poteſt Dominus ad cruciariorum ſupplicia, qui ipſi portabant crucem cui poſtea infigebantur; ſuadet autem ut ultrò onus illud ſubeatur, ergo cùm Petrus conaretur illi ſuadere ne vellet mortem ſubire, eam occaſionem arripit Dominus, denuntiandi omnia dura & aſpera, his qui adſcriberentur militiæ ejus; ut ſcirent mollem vitam ſibi non agendam eſſe. *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi*, ait Tertullianus ad Martyres, cap. 3. *jam tunc, cùm in ſacramenti verba reſpondimus: Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & inſuavitas conſiſtit.* Cupiditas alitur deliciis, quæ ubi animum emollierunt, à vitiis ad virtutem non revocatur, niſi amaricatus, ideo liceat uti verbis Auguſtini, lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 24. *Id agit ſpiritus in domanda carne, ut ſolvat malæ conſuetudinis quaſi pacta perverſa, ut fiat pax conſuetudinis bonæ.*

6 * 25 *Mt.* 35 *Mc.* 24 *L Qui enim voluerit animam ſuam*, id eſt vitam *ſalvam facere, perdet eam* in futuro ſæculo. 7 * *Qui autem MM. L perdiderit animam ſuam*, vitam, vel vitæ commoda *propter me Mc. & Evangelium*, cui pares *Mc. L ſalvam faciet Mc. eam* in cœlo. 8 * 36. *Quid enim proderit homini, ſi lucretur totum mundum*, explicatio eſt duorum paradoxorum, ſive potiùs confirmatio hujus veri dogmatis, quòd qui propter Deum vitam amittit, ſeipſum ſervet. Quid prodeſt ei inveniſſe multas divitias, ſi *L ſe autem ipſum perdat, Mc. & detrimentum animæ ſuæ faciat*, ζημιωθῇ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, mulctetur anima ſua, quod accidit ei qui Deum amittit. 9 * 37. *Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua.* ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα, quod pretium dare homo poterit, quo ſe perditum in altero ſæculo redimat.

10 * 26 *L Nam qui me erubuerit, & ſermones meos Mc. in generatione illa adultera, & peccatrice*; id eſt prætulerit vitæ commoda, & humanas laudes obſequio meo, plus timens homines, quàm Deum; & pudore, ſive opprobriorum metu deterrebitur, vivens cum hominibus hujuſce ſæculi mali, *L hunc & Filius hominis*, (ego ipſe) *erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua*, ἐν τῇ δόξῃ, in gloria, *& Patris, & ſanctorum Angelorum* apparens in nubibus cum aula cœleſti ad judicandos homines, 11 * 27 *Mt. Filius enim hominis venturus eſt in gloria*, ἐν τῇ δόξῃ, *patris ſui cum angelis ſuis*: ego qui nunc vivo in carne, homo ſpecie vilis, & contemptus, *& tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus*, ipſe judex ero hominum, qui modò ab illis judicandus ſum.

12 * 39 *Mc. Et dicebat illis*: 28 *MM. Amen dico vobis, Mc. quia MM. ſunt quidam de hic ſtantibus, MM. L qui non guſtabunt*, non experientur *mortem, donec videant Mc. L regnum Dei Mc. veniens in virtute*: Eccleſiam in dies augeſcentem, & *Mt. Filium hominis*, id eſt me ipſum, *venientem in regno ſuo*, quod contigit in reſurrectione, poſtquam Chriſtus de ſe ipſo dixit, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Hæc autem locutio *non guſtabunt mortem donec videant*, mihi videtur proverbialis, & denotare rem certò & proximo tempore futuram. Ideo pleriſque interpretibus Chriſtus videtur promittere ſpecimen gloriæ ſuæ in transfiguratione ſua, quæ modò ſubſequuta eſt; & quæ fuit imago regni ſui; unde Petrus aiebat de illa: *ſpeculatores facti magnitudinis illius*; omnes enim Apoſtoli Chriſtum viderunt reſurgentem à mortuis ad cœlos aſcendentem; aliqui verò, non omnes ex his qui tunc aſtabant cùm iſta diceret Dominus, teſtes fuere transfigurationis, nempe Petrus, Joannes, & Jacobus. Hic autem cum ſancto Ambroſio advertendum, quòd ſemper, *Dominus ſicut ad præmia erigit futura virtutem, atque utilem ſecularium rerum docet eſſe contemptum, ita etiam infirmitatem mentis humanæ præſentium remuneratione ſuſtentat. Arduum quippe eſt crucem tollere, & animam periculis, morti corpus offerre, negare quod ſis, cùm velis eſſe quod non ſis, raròque quamvis excelſa virtus futuris commutat præſentia, difficile quippe videtur hominibus, ut ſpem periculis emant, damnoque præſentium futuræ lucrum mercentur ætatis. Ergo bonus & moralis magiſter, ne quis deſperatione frangatur, aut tædio, quoniam vitæ dulcis illecebra conſtantem quoque mulcet affectum, continuos vivendi ſucceſſus fidelibus pollicetur.*

CA-

CAPUT XIX.

Transfiguratur Dominus in monte, apparens in gloria ſua.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 17. ℣. 1-13.	MAR. Cap. 9. ℣. 1-12.	LUCAS, Cap. 9. ℣. 28-36.
1 *L* Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo, & aſſumpſit *MM.* Jeſus *MM.* *L* Petrum, & Jacobum, & Joannem *Mt.* fratrem ejus.	1 Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrũ, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus,	1 Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem:	28 Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Jacobum, & Joannem, †
2 *MM.* Et ducit illos in montem excelſum ſeorſum *Mc.* ſolos; *L* & aſcendit in montem ut oraret.	& ducit illos in montem excelſum ſeorſum;	& ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos.	& aſcendit in montem ut oraret.
3 Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera.			29 Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera:
4 *Mt.* Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol.	2 Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol:	& transfiguratus eſt coram ipſis.	
5 *Mc.* Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.	veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix	2 Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.	& veſtitus ejus albus & refulgens.
6 *L* Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias,	3 Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.	3 Et apparuit illis Elias cum Moyſe:	30 Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias,
7 Viſi in majeſtate, *Mc.* & erant loquentes cum Jeſu: *L* & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.		& erant loquentes cum Jeſu.	31 Viſi in majeſtate & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.

† *Sabbato Quatuor Temp. & Dom. 2. Quadrag. & in feſto Transfigur.*

L U C A S.

8 * 32 Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant ſomno. Et evigilantes viderunt majeſtatem ejus, & duos viros, qui ſtabant cum illo.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MACUS.	LUCAS.
9 *L* Et factum eſt, cùm diſcederent ab illo, ait Petrus ad Jeſum: *Mc.* Rabbi, *Mt.* Domine, *L* præceptor, *MM.* *L* bonum eſt nos hic eſſe.	4 Reſpondens autem Petrus dixit ad Jeſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe:	4 Et reſpondens Petrus, ait Jeſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe:	33 Et factum eſt, cùm diſcederent ab illo, ait Petrus ad Jeſum: præceptor, bonum eſt nos hic eſſe:
10 *Mt.* Si vis faciamus hic *MM.* *L* tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.	Si vis faciamus hic tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.	& faciamus tria tabernacula; Tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ unum.	& faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moyſi, & unum Eliæ.

HAR-

	HARMONIA.	MATTÆUUS.	MARCUS.	LUCAS.
	11. *Mc.* Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.		5 Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.	neſciens quid diceret.
	12. *Mt.* Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. *L* Et timuerunt intrantibus illis in nubem.	5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.	6 Et facta eſt nubes obumbrans eos:	34 Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.
† *Matt.* 3. 17. 2. *Pet.* 1. 17. *Marc.* 1. 11. *Joan.* 12. 34. *Iſa.* 42. 1.	13 † Et vox facta eſt *MM. L* de nube dicens: Hic eſt Filius meus *Mt. L* dilectus, *Mt.* in quo mihi benè complacui; *Mt. L* ipſum audite.	Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite.	& venit vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus cariſſimus, audite illum.	35 Et vox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.
	14 *L* Et dum fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus.			36 Et dum fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus.

MATTHÆUS.

15. * 6. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.

† *Dan.* 8. 18. & 9. 21. & 10. 10. 18.

16. * 7. † Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
17 Levantes autem oculos ſuos, *Mc.* & ſtatim circumſpicientes, neminem ampliùs viderunt, niſi Jeſum tantùm ſecum.	8 Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Jeſum.	7 Et ſtatim circumſpicientes, neminem ampliùs viderunt, niſi Jeſum tantùm ſecum.
18 *MM.* Et deſcendentibus illis de monte, præcepit *Mt.* eis Jeſus *Mc.* ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent, niſi cùm Filius hominis à mortuis reſurrexerit;	9 Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Jeſus	8 Et deſcendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent; niſi cùm Filius hominis à mortuis reſurrexerit:
19 *Mt.* Dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.	dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. ¶.	

LUCAS.

20. Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his; quæ viderant.

	HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
	21 *Mc.* Et verbum continuerunt apud ſe: conquirentes quid eſſet; cùm à mortuis reſurrexerit.		9 Et verbum continuerunt apud ſe: conquirentes quid eſſet: cùm à mortuis reſurrexerit.
Malach. 4. 5.	22 *Mt.* Et interrogaverunt eum diſcipuli, dicentes: *Mc.* Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, † quia Eliam oportet venire primùm?	10 Et interrogaverunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primùm venire?	10 Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm,

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	
23 *Mt.* At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & *Mc.* cùm venerit, *MM.* reſtituet omnia; † *Mc.* & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur, & contemnatur?	11 At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia	11 Qui reſpondens, ait illis: Elias, cùm venerit primò, reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur, & contemnatur?	† *Pſal.* 22. 7. *Iſa.* 53. 3. *&c.* *Dan.* 9. 26.
24 *Mt.* Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt, *Mc.* ſicut ſcriptum eſt de eo.	12 Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.	12 Sed dico vobis quia & Elias venit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de eo.	

MATTHÆUS.

25 * Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.
26 * 13 Tunc intellexerunt diſcipuli quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis.

UT diſcipulorum, quos commovere poterat prædictio paſſionum ſuarum, fidem confirmaret; antequam, quòd paulo poſt contigit, viderent eum pendentem in cruce inter duos latrones, apparuit eis in gloria ſua cum Moyſe & Elia. 1. * 28 *L. Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo*. Matthæus & Marcus ſcribunt factam transfigurationem *poſt dies ſex*. vulgo interpretes dicunt ab his duobus Evangeliſtis prætermitti primum & poſtremum diem, ſoloſque dies intermedios recenſeri, ita ut tribus Evangeliſtis idem terminus indicetur, vel à quo Dominus venerat in partes Cæſareæ Philippi; vel à quo ſuperiorem ſermonem habuerat. Ego verò conjicio omnes id voluiſſe ſignificatum, transfigurationem factam eſſe in ſabbato, quo die ſolitus erat Dominus magna loqui & operari. Sex dies erant ex lege, ut ipſe Lucas loquitur, cap. 13. ℣. 14. in quibus oportebat operari. ſex illos dies excipiebat ſeptimus, qui erat ſabbatum. ſimul dicebatur octavus dies ab altero ſabbato, quia & præcedens illud ſabbatum comprehendebatur in hoc numero. Ita Matthæus & Marcus, ut notarent factam transfigurationem in ſabbato, dixerunt Dominum *poſt dies ſex*, aſſumpſiſſe diſcipulos, hoc eſt tranſacta hebdomade, ſive poſt ſpatium illud, quod dicebatur, *ſex dies*; ita convenit inter eos & Lucam; nam illud *poſt hæc verba ferè dies octo*, ſignificatio eſt hebdomadæ tranſactæ, cujus complementum ſabbatum. Judæi appellabant *dies octo* id temporis, quod ab uno ſabbato effluerer ad alterum ſabbatum. Joſephus, lib. 7. Antiq. cap. 11. cùm dixiſſet ſacerdotum vices fuiſſe in templo per octo dies, ἐπὶ ἡμέρας ὀκτώ. adjungit: à ſabbato ad ſabbatum, ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον. Ita concordia initur inter Evangeliſtas, qui omnes ſic innuunt rem quam narrant, incidiſſe in diem ſabbati.

Et aſſumpſit Jeſus L. Petrum, & Jacobum, & Joannem Mt. fratrem ejus: non omnes, ne res divulgaretur; ſed tres tantùm, qui ad teſtimonium ſufficerent. Si in ſabbato res contigit, non plures ſecum duxit, ne in hac die magna iter faciens, cum multis comitibus offenderet Judæos. potuit autem cum paucis clam in montem ſecedere; licebat enim duo millia cubitorum emetiri in ſabbato. Et ea forſan cauſa eſt, cur Evangeliſtæ non tam apertè dicant transfigurationem factam in die ſabbati, ob illud iter ſuſceptum.

2 * *MM. Et ducit illos in montem excelſum ſeorſum Mt. ſolos* ſine turba. *L. Et aſcendit in montem ut oraret*. Quis hic mons fuerit, Evangeliſtæ non dicunt, neque ullus, quod ſciam (verba ſunt Maldonati) ſatis antiquus & gravis auctor. Jam dudum invaluit opinio, fuiſſe montem Thabor: quæ opinio antiqua eſt. Hieronymus enim in Epitaphio Paulæ, enarrans peregrinationes illius, *ſcandebat*, inquit, *montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus*. Plerique opinantur hoc factum in monte excelſo, prope Cæſaream Philippi, iſto fortaſſe qui teſte Joſepho, altiſſimus ipſis fontibus Jordanis imminebat, ad cujus pedem ſita erat Cæſarea, Chriſtus enim tunc verſabatur in vicis Cæſareæ Philippi; à qua Thabor plus quàm viginti leucatum intervallo remotus eſt; etiam ſitus in ea parte Galilææ ubi vulgò collocatur; nam videtur fuiſſe in Magno Campo mons ille qui Thabor appellabatur. Sequenti autem die, ex Luca, deſcendens de monte, occurrit diſcipulis ſuis & turbis, à quibus expectabatur. quod fieri non potuiſſet ſine miraculo, de quo ſilet Evangelium,

gelium, niſi mons fuiſſet proximus. Præterea Marcus infrà ſcribis Jeſum cum diſcipulis inde, ubi facta eſt transfiguratio, profectos, prætergreſſos fuiſſe Galilæam; ita videtur extra Galilæam, & ideo alibi quàm in Thabor rem contigiſſe. Nomen תבור, *Thabor*, ſignificat umbilicum, & locum editum. in monte autem excelſo, quiſquis ille ſit, transfiguratio facta eſt. In Geographico apparatu diligenter diſſerimus de ſitu montis Thabor, & de monte in quo veriſimilius eſt factam fuiſſe Transfigurationem.

3 * 29. *L. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera.* Mutatus eſt vultus ejus. Apparuit alter quàm antea erat, nempe ſplendidior. quod explicat Matthæus. 4 * 2 *Mt. Et transfiguratus eſt ante eos*, coram eis: in aliam formam mutatus eſt non corporis ſui naturæ, ſed externa tantùm ſpecie, & figura, & qualitate faciei. *Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol.* 5 * 2 *Mc. Et ſimul veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.* Alii volunt veſtes Domini dictas candidas quia eximiè tunc erant ſplendentes; alii reipſa candidas, ſed candidiores apparuiſſe. olim plerique niveas togas veſtiti erant, quæ ſi interdum ſordes aliquas traxiſſent, eluendæ tradebantur fullonibus, qui addito ſulphure, & creta illas candefaciebant, ut notat Plinius, lib. 35. cap. 15. & cap. 17. Hi veſtes alterius coloris non reddebant albas, quod infectorum eſt, ſed candidum colorem reſtituebant, & arte augere poterant. itaque ſignificant Evangeliſtæ Chriſti veſtimenta tam candida, imo candidiora facta fuiſſe quàm peritiſſimus fullo ea reddere potuiſſet.

6 * 30 *L. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias.* quæſtionem non movebo, quæ ab hominibus ſolvi non poteſt, an verè in ſuis corporibus apparuerint. Tertullianus, lib. de reſur. car. vult Moyſem quidem in imagine nondum receptæ carnis, Eliam verò in veritate non defunctæ apparuiſſe. Elias per turbinem in aerem tranſlatus eſt; Moyſis autem ſepulchrum reperiri non potuit, res iſta appellatur à Matthæo ὅραμα, *viſio*; quo nomine indicatur tantùm viſos fuiſſe, ſive apparuiſſe Moyſem & Eliam; hos autem potiùs quàm alios adeſſe vel apparere voluit Deus, ut conſtaret legem cujus Moyſis conditor, & prophetas, inter quos præcipuus Elias, Jeſu Chriſto non adverſari. 7 * 3. *Viſi in majeſtate*, ἐν δόξῃ, *in gloria*, induti cœleſti ſplendore; quippe reſperſi luce, qua fulgebat Chriſtus. *Mc. Et erant loquentes cum Jeſu, L. & dicebant exceſſum ejus*, ἔξοδον, *exitum*, ex hoc mundo *quem completurus erat in Jeruſalem.* agebant de paſſione ejus proxima, ut intellexerunt Apoſtoli ex ſermone qui ad eorum aures pervenit, cùm à ſomno excitati ſunt.

8 * 32. *Petrus verò, & qui cum illo erant gravati erant ſomno.* dormiebant cùm primùm apparuere Moyſes & Elias. *& evigilantes* excitati, ut puto, à Chriſto, qui ad eos acceſſit, *viderunt majeſtatem*, gloriam *ejus, & duos viros*, Moyſem & Eliam, *qui ſtabant cum illo.* 9 * 33. *Et factum eſt cùm* illi, nempe Moyſes & Elias, *diſcederent ab illo*, ſive diſceſſum pararent. ἐν τῷ διαχωρίζεσθαι αὐτοὺς ἀπ' αὐτοῦ; dum ſepararentur ab illo, *ait Petrus*, qui tam gratæ viſioni oculos aperuerat evigilans, *ad Jeſum Mc. Rabbi*, id eſt *Mt. Domine*, ſive *L. præceptor MM. L. bonum eſt hic eſſe.* poſitivus gradus pro comparativo: melius eſt hic manere, quaſi diceret: noli tam citò abire. 10 * *Mt. Si vis* commorari, *faciamus hic L. tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum*, ne injuriis aeris obnoxii ſitis. 11 * 5. *Mc. Non enim ſciebat quid diceret*; nam nec Moyſes, nec Elias indigebant tabernaculis. *Erant enim timore exterriti* diſcipuli tres, ut ſui compotes non eſſent.

12 * 5 *Mt. Adhuc eo*, nempe Petro, *loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos*, tecti ſunt nube, quali olim tabernaculum operiebatur, cùm ſe præſentem teſtaretur Deus. *L. Et timuerunt intrantibus illis in nubem*, ἐφοβήθησαν ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς νεφέλην. quod reddere poſſumus, *& timuerunt illi intrantes in nubem*, nempe cùm & nube circumdatos, ſeu intra nubem eſſe ſe viderunt. videtur vulgatus interpres ſic accepiſſe hunc locum, ut timuerint, intrantibus Moyſe & Elia in nubem.

13 * 35 *Et vox facta eſt*, inſonuit *L. de nube dicens: Hic eſt filius meus Mt. L. dilectus, Mt. in quo mihi bene complacui.* eadem vox audita eſt in baptiſmo; & eam de baptiſmo agentes expoſuimus. *Mt. L. ipſum audite* tanquam doctorem, & legiſlatorem omnibus datum. Sunt autem ipſa verba Moyſis Deut. cap. 18. ℣. 15. *Prophetam de gente tua, de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Deus declarat Jeſum eum eſſe prophetam, de quo in loco Deuteronomii ſermo erat. 14 * 36 *L. Et dum fieret vox*, ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν, quod & reddere poſſumus: *Et poſtquam vox illa extitiſſet*, ubi deſiit, *inventus eſt Jeſus ſolus.* 15 * 6 *Mt. Et audientes* id eſt, & qui audierant *diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam*, proni adoraverunt, *& timuerunt valdè*; ne ſcilicet viſo Deo, quem tanta gloria teſtabatur præſentem, morerentur. qua in occaſione ſic perterreri Judæos alibi diximus. 16 * 7 *Et acceſſit Jeſus*, qui, ut diximus, ſemotus erat ab eis, *& tetigit eos*, quos terror perculerat, & proſtraverat, *dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* 17 * 8. *Levantes autem oculos ſuos*, qui priùs in faciem ceciderant, 7 *Mc. & ſtatim circumſpicientes, neminem ampliùs viderunt niſi Jeſum tantùm ſecum.*

cum.

rum. dum enim in faciem ceciderunt, Moyſes & Elias ex eorum conſpectu ſubducti fuerant.

18 * 19. *Mt.* 8 *Mc. Et deſcendentibus illis de monte*, ubi facta fuerat transfiguratio, *præcepit ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent*, ob eamdem cauſam, qua vetabat ne miracula ejus propalarentur, *niſi cùm Filius hominis à mortuis reſurrexerit*, id eſt ipſe reſurrexiſſet. 19 * *Mt. Dicens, nemini dixeritis viſionem*, quam vidiſtis, *donec Filius hominis à mortuis reſurgat*; cùm ſcilicet poſt paſſionem ſuam erit gloria exaltandus. 20 * *L. Et ipſi* parentes *tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.* 21 * 9 *Mc. Et verbum continuerunt apud ſe*: rem non vulgaverunt; *conquirentes*, expendentes *quid eſſet*: *cùm à mortuis reſurrexerit*; neque enim niſi poſt reſurrectionem Domini intellexerunt, quod oporteret Chriſtum pati, & ita à mortuis reſurgere, licèt id ſæpiùs inculcaſſet ipſe Chriſtus.

22 * 10 *Mt. Et interrogaverunt eum diſcipuli dicentes*: *Mc. Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm?* Occaſio hujus interrogationis fuit quòd Elias abiiſſet è conſpectu. quomodo ergo, ex recepta eruditiorum ſententia, inquiunt, debuit Elias venire non abiturus, ſed omnia emendaturus; docturus populum, monſtraturus Meſſiam. hac, inquam, difficultate impediebantur; quia qui debebat illi præcurrere Elias (de Jeſu enim non dubitabant quin verè eſſet Meſſias) protinus evanuiſſet. Certa erat omnium Judæorum ſententia prævium fore hunc prophetam, cùm Meſſias adventurus eſſet; qui ab eodem inungeretur, ut dicit Tripho in dialogo cum Juſtino martyre; inde deducens Jeſum non eſſe Chriſtum, quia Elias non veniſſet, ſic enim Trypho doctrinam Judæorum exponit. *Chriſtus ſiquidem natus eſt, & alicubi extat. ignotus eſt, ac ne ipſe quidem ſeipſum ſcit, neque poteſtate aliqua præditus eſt; donec adveniens Elias illum unxerit, & manifeſtum omnibus reddiderit.* Hiſce etiam diebus Eliam fore Meſſiæ præcurſorem Judæi omnes agnoſcunt.

23 * 11 *Mt. At ille reſpondens, ait eis; Elias quidem venturus eſt, & Mc. cùm venerit, reſtituet omnia* in meliorem ſtatum: omnia emendabit, & inſtauraturus eſt. verè quidem hæc contingent, ſed alio tempore, videlicet in ſecundo Chriſti adventu, de quo decet interpretari id quod de realis Eliæ adventu Malachias dixerat: *Ecce mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*; quæ deſcriptio eſt ſecundi adventus Dominici; primus enim fuit ſalutis. *Mc. Et quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis*, ἐπὶ τὸν υἱὸν, ſuper filium hominis, *ut multa patiatur & contemnatur.* Scilicet Elias omnia reſtituens ante diem judicii docebit incredulos Judæos verum ſenſum vaticiniorum, in quibus ſcriptum erat oportere Chriſtum pati; quod nunc non intelligunt: exponet quid decuiſſet eos de Chriſto ſentire. Solent dicere Judæi ubi in difficultatem aliquam incidunt: *Elias explicaturus eſt*: aut *expectandum dum Elias venerit.*

24 * 12 *Mt. Dico autem vobis, quia Elias jam venit*; ut iſta difficultas non remoretur, quaſi Elias non venerit: vobis denuntio jam illum veniſſe. *Et non cognoverunt eum* Eliam, quem indico; *ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* venturus quidem eſt propheta Elias, ſed idem ipſe non quidem corpore ſed ſpiritu venit; quia in ejus ſpiritu venit alius propheta quem Judæi malè exceperunt venientem: *Sicut ſcriptum eſt de eo*, hæc referenda ad præcedens membrum. *& Elias venit*, ut ſenſus ſit, ſicut ſcriptum erat fore ut præcurreret ante faciem Meſſiæ. 25 * *Mt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.* & in ipſum ut in illum etiam manus violentas injicient. 26 * 13 *Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis*; recordantes hunc malè exceptum à Phariſæis. Prædixerat de Joanne Zacharias pater ejus, quòd præiturus eſſet ante faciem Chriſti *in ſpiritu & virtute Eliæ.* ſi autem Judæi in vincula Joannem non conjecerant; quomodo dixit Jeſus ipſos feciſſe de Joanne quæcumque voluerunt; quomodo & addidit, ſimiliter ſe paſſurum ab eis; ſi ab eorum violentia omnino Joannes intactus fuerit? Quid ad hæc reſpondent qui nolunt duo diverſi præcurſoris agnoſcere nobiſcum vincula. Phariſæos dicunt auctores fuiſſe Herodi ut Joannem in carcerem conjiceret & occideret: quaſi verò Evangeliſtæ non indicent id factum inſtigante Herodiade?

CAPUT XX.

Chriſtus de monte, ubi transfiguratus eſt deſcendens, lunaticum ſanat. Docet quantum poſſit fides.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 17. ℣. 14-20.	MARCUS. Cap. 9. ℣. 13-28.	LUCAS Cap. 9. ℣. 37-44.
1 *L* FActum eſt autem in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.			37 Factum eſt autem in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.
2 *Mt.* Et cùm veniſſet *Mc.* ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.	15 Et cùm veniſſet ad turbam,	13 Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.	

MARCUS.

3 * 14 Et confeſtim omnis populus videns Jeſum, ſtupefactus eſt, & expaverunt, & accurrentes ſalutabant eum.

4 * 15 Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
5 *L* Et ecce vir de turba *Mt.* acceſſit ad eum genibus provolutus ante eum, dicens:	acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens:	16 Et ✠ reſpondens unus de turba. dixit:	38 Et ecce vir de turba exclamavit, dicens:
6 *Mc.* Magiſter, attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum: *L* obſecro te, reſpice in filium meum, quia unicus eſt mihi.		Magiſter, attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum:	Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia unicus eſt mihi;
7 *Mt.* Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur: nam ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam.	Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt & malè patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.		
8 *L* Et ecce ſpiritus apprehendit eum.			39 Et ecce ſpiritus apprehendit eum,
9 *Mc.* Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum; *L* & ſubitò clamat, *Mc.* & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit; *L* & vix diſcedit dilanians eum,		17 Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit:	& ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum.
10 *Mt.* Et obtuli eum diſcipulis tuis;	15 Et obtuli eum diſcipulis tuis,	& dixi diſcipulis tuis	
11 *L* Et rogavi *Mc.* *L* ut ejicerent illum, *MM.* *L* & non potuerunt *Mt.* curare eum.	& non potuerunt curare eum.	ut ejicerent illum, & non potuerunt.	40 Et rogavi diſcipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt,

12. *Mt.*

HARMONIA.	MATTÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
12 *Mt. L* Reſpondens autem Jeſus, *Mt.* ait: *MM. L* O generatio *MM.* incredula, *L* infidelis, *Mt. L* & perverſa, *Mt.* quouſque ero vobiſcum?	16 Reſpondens autem Jeſus, ait: O generatio incredula, & perverſa, quoſque ero vobiſcum?	18 Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero?	41 Reſpondens autem Jeſus, dixit: O generatio infidelis & perverſa, uſquequò ero apud vos,
13 *Mc.* Quamdiu *L & MM. L* patiar vos? *MM.* Afferte *Mt.* huc *MM.* illum ad me: *L* adduc huc filium tuum.	uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.	quamdiu vos patiar? Afferte illum ad me:	& patiar vos? Adduc huc filium tuum.
14 *Mc.* Et attulerunt eum.		19 Et attulerunt eum.	
15 *L* Et cùm accederet, *Mc.* & cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum: *L* eliſit illum dæmonium, & diſſipavit.		Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum.	42 Et cùm accederet, eliſit illum dæmonium, & diſſipavit.

M A R C U S.

16 *.... Et eliſus in terram, volutabatur ſpumans.
17 * 20 Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc occidit: At ille ait: Ab infantia.
18 * 21 Et frequènter eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet. Sed, ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri.
19 * 22 Jeſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.
20 * 23 Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine adjuva incredulitatem meam.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
21 Et cùm videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens ei: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo; & ampliùs ne introeas in eum.	17 Et increpavit illum Jeſus,	24 Et cùm videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens ei: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & ampliùs ne introeas in eum.	43 Et increpaſtit Jeſus ſpiritum immundum.
22 Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo; & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.	& exiit ab eo dæmonium,	25 Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo: & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.	
23 Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit. *Mt.* Et curatus eſt puer ex illa hora, *L* & reddidit illum patri ejus.	& curatus eſt puer ex illa hora.	26 Jeſus autem tenens manus ejus, elevavit eum & ſurrexit.	& ſanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

L U C A S.

24 * 44 † Stupebant autem omnes in magnitudine Dei...... *&c. infrà, cap. 21.* † *Att. 2. 21.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
25 *Mc.* Et cùm introiſſet in domum, *Mt.* tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecretò, & *Mc.* interrogabant eum: *MM.* Quare nos non potuimus ejicere *Mt.* illum?	18 Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?	17 Cùm introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſecretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?
26 Dixit illis Jeſus: Propter incredulitatem veſtram. † Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti: Tranſi huic illuc, & tranſibit, & nihil erit impoſſibile vobis. (margin: † 1. Cor. 13. 2.)	19 Dixit illis Jeſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil erit impoſſibile vobis.	28 Et dixit illis:
27 Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem & jejunium.	20 Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem & jejunium.	Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio. ¶

1 * 37 *L* FACTUM *eſt autem in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte*, ubi facta fuerat transfiguratio, in quem ſeceſſerat oraturus; ergo, ut dixi, non tanto intervallo mons ille diſtare poterat ab eo loco in quo reliquerat cæteros diſcipulos cum turba; ſiquidem ſequenti die ad eos revertatur. ex hoc autem monte, qualiſcumque ſit, deſcendentibus, *occurrit illis turba*, quæ à longè eos viderat deſcendentes. 2 * 14. *Mc. Et cùm veniſſet*, ſive reverſus eſſet *Mc. ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas*, Legiſperitos, *conquirentes*, id eſt diſputantes, altercantes *cum illis*, ſive potiùs unà cum illis ſcrutantes ſcripturas. דרש *daraſch* enim quod vulgò ſonat *quærere*, apud Hebræos ſignificat *exponere*; unde loca in quibus vacarent ſtudio & expoſitioni legis, appellantur *beth-hamidraſch*.

3 * 14 *Et confeſtim omnis populus videns Jeſum*, id eſt ſtatim ut vidit, *ſtupefactus eſt, & expaverunt*. Unde illi pavor? hujus cauſa mihi videtur, quia ſubduxerat ſe ex oculis eorum Dominus. quò ſeceſſerat incerti erant. potuerat die præcedenti ſub noctem aſcendiſſe montem, ut colligo ex ſomno quo gravati erant diſcipuli. præterea ſolebat Dominus pernoctare in oratione Dei in aliquo ſeceſſu. Ita cùm manè reverſus eſt, expaverunt ad ſubitum adventum ejus. dum nonnulla ſubticent Evangeliſtæ, nobis relinquunt multa ſupplenda ex conjecturis, ut ſeriem Evangelicæ hiſtoriæ filo, quantum fieri poteſt, non interrupto texamus.

Et occurrentes turbæ Domino *ſalutabant eum.* 4 * 15. *Et interrogavit eos: quid inter vos conquiritis*, de qua re vos altercantes deprehendo, ſive potiùs, cui loco ſcripturæ exponendo vacatis? 5 * 38 *L. Et ecce* ea hora *vir de turba Mt. acceſſit ad eum, genibus provolutus*, in habitu ſupplicantis, *dicens:* 6 * *Mc. Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum*, qui eum efficit *mutum*. *L. obſecro te, reſpice in filium meum*, cujus morbus ideo moleſtiam mihi creat majorem, *quia unicus eſt mihi.* 7 *Mt. Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt*, certis lunæ intervallis malum ejus augeſcit. Solent dæmones, qua pollent ſcientia, etiam res naturales ad ſuam vim adjungere: ita hic dæmon ea tempora occupare ſolebat, quibus cerebrum eſt infirmius, quod lunaribus intervallis contingere ſolet. Ut moveat pater commiſerationem, deſcribit vim morbi. *& malè patitur*, nam ſæpè abreptus à dæmonio *cadit in ignem, & crebrò in aquam.* 8 * 39 *L. Et ecce ſpiritus apprehendit*, arripit eum. 9 * 17 *Mc. Qui ubicumque eum apprehenderit*, corripuerit, *allidit illum*, proſternit, *L. & ſubitò clamat* ſive dolore, ſive ore ejus dæmonium ipſum ejulat, *Mc. & ſpumat, & ſtridet dentibus:* quæ ſigna ſunt vehementer ferventis intus mali. *& areſcit;* unde fit ut totus areſcat, & rabeſcat. *L. & vix diſcedit* dæmonium, *dilanians eum*, hoc eſt adigens filium meum, ut ſe ipſe dilaniet.

10 * 15 *Mt. Et obtuli eum diſcipulis tuis:* 11 * 40 *L. Et rogavi Mc. ut ejicerent illum* malum ſpiritum. *& non potuerunt Mt. curare eum.* 12 * 16. *Mt.* 41 *L. Reſpondens autem Jeſus, Mt. ait*, increpans diſcipulos quorum ideo infirma virtus, quia fides infirma. *L. O generatio incredula, L. infidelis, Mt. L. & perverſa.* forſan hæc non magis diſcipulos ſpectabant, quam ipſam turbam, quæ nec miraculis editis ſuadebatur. *Mt. quouſque ero vobiſcum?* 13 * *Mc. Quamdiu L. & L. patiar vos? MM. Afferte Mt. huc MM. illum ad me: L. adduc huc filium tuum*, alloquitur patrem filii.

14 * 19 *Mc. Et attulerunt eum.* 15 * 42 *L. Et cùm accederet, Mc. & cùm vidiſſet æger eum*, nempe Jeſum, *ſtatim ſpiritus*, quo agebatur *conturbavit illum:* & *L. eliſit*, contrivit

illum

Digitized by Google

illum dæmonium hoc, & diſſipavit, cœpit diſcerpere. 16 * 43. *Et Mc. eliſus in terram* proſtratus, *volutabatur ſpumans.* ut ſolent qui comitiali morbo, ſive epilepſia laborant, membrorum convulſione caput cæteraque membra terræ illidere, adeoque ſe totos atterere.

17 * 20. *Et interrogavit* Jeſus *patrem ejus, quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: Ab infantia.* hac interrogatione patebat potenti medico opus eſſe huic puero. morbi vim non diſſimulat pater. 18 * 21. *Et frequenter ait ille*, loquens de malo ſpiritu filii ſui, *eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet*, quod feciſſet, niſi ſuccurriſſemus. *Sed, ſi quid potes, adjuva nos miſertus noſtri*; commotus morbo pueri, qui tantus eſt, ut vix ſublevari poſſit. 19 * 22. *Jeſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*, ſcilicet me poſſe hoc quod petis facere; quodque vix fieri poſſe putas. 20. * 23. *Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: credo, Domine; adjuva incredulitatem meam.* ſupple id quod fiduciæ meæ deeſt potentia & bonitate tua.

21 * 24. *Et cùm videret Jeſus concurrentem turbam* quæ eventum expectabat, *comminatus eſt ſpiritui immundo*, volens ſignificare ſe dæmonii dominum, *dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo; & ampliùs ne introeas in eum.* loquitur cum imperio, quod efficaciſſimum fuit. 22 * 25. *Et exclamans* dæmonium, quod Chriſtus cogebat exire, *& multùm diſcerpens eum* puerum, *exiit ab eo; & factus eſt ſicut mortuus; ita ut multi dicerent: quia mortuus eſt.* in eum iram ſuam effudit malus ſpiritus noviſſimo conatu. 23 * 26. *Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit.* nempe puer, *Mt. & curatus eſt puer ex illa hora. L. Et* Jeſus *reddidit illum* ſanum *patri ejus.* 24 * 44. *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei*, cujus poteſtatem oſtendebat illa ſanatio.

25 * 27 *Mc. Et cùm introiiſſet in domum, Mt. tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecretò, & Mc. interrogabant eum: quare nos non potuimus ejicere Mt. illum* ſpiritum malum ex puero. 26 * 19. *Dixit illis Jeſus:* hoc contigit *propter incredulitatem veſtram: Amen quippe dico vobis*, certum enim eſt, *ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis*, id eſt, ſi vel tantillum haberetis fiduciæ, grano enim ſinapis res minima ſignificatur, *dicetis monti huic*, opponit montem grano ſinapis: *Tranſi hinc illuc, & tranſibit* dicto parens, *& nihil erit impoſſibile vobis.* 27 * 20. *Hoc autem genus* dæmoniorum peſſimorum *non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium*, quibus magna iſta fides ad expellendos malos ſpiritus neceſſaria obtinetur.

CAPUT XXI.

Dominus in Galilæam & Capharnaum reverſus, paſſiones ſuas, mortem & reſurrectionem prænuntiat. Solvit tributum, quod Templo capitatim ſolvebant omnes Iſraelitæ.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 17. ℣. 21-26.	MARC. Cap. 9. ℣. 29-31.	LUCAS, Cap. 9. ℣. 44. & 45.
1 *Mc.* ET inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam ſcire.		29 Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam ſcire.	
2 *Mt.* Converſantibus autem eis in Galilæa, *L* omnibuſque mirantibus, in omnibus quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos.	21 Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus:		44 .... omnibuſque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos.
3 *Mc.* Docebat autem diſcipulos ſuos; & dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur *MM. L* in manus hominum.	Filius hominis tradendus eſt in manus hominum.	30 Docebat autem diſcipulos ſuos; & dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum,	Filius enim hominis futurum eſt ut tradatur in manus hominum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
4 *MM.* Et occident eum, & *Mc.* occiſus *MM.* tertia die reſurget.	22 Et occident eum, & tertia die reſurget.	& occident eum, & occiſus tertia die reſurget.	
5 *Mt. L* At illi ignorabant verbum *L* iſtud, & erat velatum ante eos, ut non ſentirent illud; *Mc. L* & timebant eum interrogare *L* de hoc verbo. *Mt.* Et contriſtati ſunt vehementer.	Et contriſtati ſunt vehementer.	31 At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum.	45 At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum ante eos, ut non ſentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

MATTHÆUS.

6 *23 Et cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma?

7 *24 Ait: Etiam. Et cùm intraſſet in domum, prævenit eum Jeſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis.

8 *25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii.

9 *26. Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.

1 *29 ET *inde profecti prætergrediebantur Galilæam*: παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας, tranſibant per Galilæam. Ea eſt vis verbi Græci, quo ſæpiùs redditur verbum עבר *tranſire, præterire*, ut videre eſt in concordantiis Græcis. igitur ex loco ultra Galilæam revertebatur Dominus, nempe ex finibus, ſive ex vicis Cæſareæ Philippi; ita liquet illi per Galilæam tranſeundum fuiſſe, redeundo Capharnaum. Non ergo redibat, ut plerique autumant, à monte Galilææ. qui vulgò habetur pro Thabor; nam illud *prætergrediebantur Galilæam*, indicat ex loco extra Galilæam fuiſſe cœptam reverſionem. *Nec volebat* Jeſus *quemquam ſcire*, non via publica iter faciens, quia fugiebat inſidias Phariſæorum; vel ne occurſu turbarum deferentium ad illum ægros ſuos impediretur iter, quod ei accelerandum erat; dies enim paſſionum ejus proximi erant.

2 *21 *Mt. Converſantibus autem eis in Galilæa*, antequam veniſſent Capharnaum, 44. *L omnibuſque mirantibus in omnibus quæ faciebat*, dum ipſi diſcipuli ejus, & populi mirarentur, quanta ejus eſſet poteſtas: eo ipſo tempore, dum in via eſſet, revertens Capharnaum, *dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos*, quos modò habiturus ſum, ſive rem quam dicturus ſum, perpendite.

3 *30 *Mc. Docebat autem diſcipulos ſuos; & dicebat illis, quoniam Filius hominis tradetur*, ego tradendus ſum *L in manus hominum*. impiorum. 4 *22 *MM. Et occident eum* cruci affigentes, *& Mc. occiſus* morietur, *ſed tertia die reſurget*. quod futurum erat, ſine ambagibus prænuntiabat. 5 *31 *Mc.* 45 *L At illi ignorabant verbum L illud, & erat velatum ante eos, ut non ſentirent illud.* tamen rem iſtam tam aperto ſermone enuntiatam non capiebant neque enim adducere poterant animum ſuum, ut crederent eum, cujus tanta eſſet poteſtas, obnoxium fore injuriis, *Mc. L & timebant eum interrogare L de hoc verbo*, de iſta re, nempe quomodo fieri poſſet ut traderetur, & occideretur. Intelligebant enim mortem ejus prænuntiari; *Mt. Et* ideò *contriſtati ſunt vehementer*.

6 *23 *Mt. Et cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma*, τὰ δίδραχμα, (ita didracma eſt vox pluralis) *accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* id eſt, an non ſolvit didrachma. Tributum erat, quod Judæi capitatim Templo ſolvebant, ut præcipitur in Exodo, cap. 30. ℣. 12. *dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino ... hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli*. Siclus autem pendebat ſemuncia, ſive quatuor drachmis. hinc tributum dimidii ſicli dicebatur δίδραχμον, *didrachmum*, id eſt duarum drachmarum tributum. hocce nomine Joſephus Antiq. lib. 18. cap. 12. appellat tributum illud quod dicit Orientales Judæos ſolitos fuiſſe deponere in urbibus Neerda & Niſibi, un-

de

de deferebatur Hieroſolymam idem ſcribit lib. 7. de bello, cap. 26. everſis Hieroſolymis & Templo, juſſos Judæos duas illas drachmas, quas prius Templo, poſteà pendere Capitolin. de iſto tributo agens Dion Caſſius utitur eadem voce *δίδραχμον*. quæ ſequuntur non ſinunt dubitare, quin de tali tributo nunc ſermo fiat.

7 * 24. *Ait* Petrus ad eos qui didrachma colligebant: *Etiam*: magiſter noſter ſolitus eſt illa didrachma ſolvere. *Et cùm intraſſet* Jeſus *in domum*, ingrediente enim illo in urbem, collectores didrachmorum interrogaverant Petrum, *prævenit eum Jeſus*. Indicat Matthæus Petrum de ea re cum Jeſu locutum fuiſſe, niſi Jeſus divinitùs ſciens quid Petro dictum eſſet, prævenisſet eum *dicens: quid tibi videtur Simon?* de iſta ſcilicet penſione didrachmorum. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum?* τέλη, ἢ κῆνσον; hoc eſt, quævis tributa, aut quaſvis annuas penſiones quæ ſolvuntur ab iis qui cenſi, ſive deſcripti ſunt in aliqua claſſe, aut numero, vel pecuniam quæ capitatim ſolvitur, ut Syrus interpres loquitur. An accipiunt *à filiis ſuis, an ab alienis?* 8 * 25. *Et ille* Petrus reſpondens *dixit: ab alienis* exigunt tributa reges. *dixit illi Jeſus: ergo liberi ſunt filii.* ex hoc deducebat Dominus non teneri ſe pendere hoc tributum dimidii ſicli, quod, ut probatum eſt, debebatur, Patri ſuo.

9 * 26. *Ut autem*, inquit Jeſus, *non ſcandalizemus eos*, qui exigunt tributum, quaſi legi non obſequerer, quæ id ſolvi præcipit; nondum enim ſciunt me eſſe verè Dei filium, quod non ignorabat Petrus, *vade ad mare, & mitte hamum* piſcarium; *& eum piſcem qui primus* ineſcatus *aſcenderit* de fundo lacus, *tolle*, accipe; *& aperto ore ejus invenies ſtaterem.* στατῆρα, quæ vox idem ſonat Græcis, quod *ſiclus* Hebræis, ſcilicet certum pondus. שקל *ſcakal*, Hebræis eſt *ponderare*, unde *ſchekel*, ſiclus. ſtateris apud Pollucem ſunt plures ſpecies, ſed Hebræis Græcè loquentibus ſiclus erat ſtater. Ita inquit Chriſtus, *illum ſtaterem ſumens, da eis* collectoribus tributi *pro me, & pro te*, ſiquidem pretium ejus eſt unius integri ſicli, & ideo duorum ſemiſiclorum, ſive duorum didrachmorum. Ibi autem advertendum eſt unam drachmam Alexandrinam fuiſſe æqualem duabus drachmis Atticis, quarum uſus invaluerat inter Judæos, ex quo imperium Græcorum experti erant potentiſſimum. Ita *ſiclus* quod Evangeliſtis & Joſepho valet quatuor drachmas, cujus dimidium eſt *δίδραχμον*, ſive duarum drachmarum, Philoni Alexandrino, & ſeptuaginta interpretibus Græcis, qui Alexandriæ verſionem bibliorum cuderunt, ſiclus valet duas drachmas, & ita dimidium ſicli, unam drachmam, ut patet ex pluribus locis verſionis Græcæ. quod qui non adverterunt, in diverſos errores lapſi ſunt.

Ex illa autem penſione didrachmorum magna lux accedit hiſtoriæ Evangelicæ, nempe ad dirigendam per ſua tempora vitam D. N. J. C. Quæ præcedentibus quinque capitibus complectimur, iiſdem temporibus tranſacta ſunt, ut liquet. Poſt hæc autem ſine interpellatione, exactio tributi ſubſecuta eſt, ita ut noto tempore, quo fiebat iſta exactio, non ignorari poſſit tempus quo venerit Dominus in fines Cæſareæ Philippi, quo transfiguratus ſit, ſanaverit lunaticum, & redierit Capharnaum.

Tractatus eſt in Miſchna dictus *ſchekalim*, id eſt *de ſiclis*, in quo agitur de iſta penſione annua dimidii ſicli. Ex hoc autem tractatu diſcimus, prima die menſis Adar monitos populos, ut quiſque in ſua urbe ſolveret illam penſionem, & decima quinta die hujus menſis ſediſſe menſarios, ſeu numularios in qualibet urbe, & cum vaſculo flagitantes ab omnibus qui ſolvebant, accepiſſe, neminem autem coegiſſe. Etenim, ut in eodem tractatu legimus, die vigeſima quinta ejuſdem menſis in Templo exigebatur iſta penſitatio; ad quam cogebatur, qui priùs non ſolviſſet. unde dicebant menſarii Capharnaitæ Petrum alloquentes, *magiſter veſter non ſolvit tributum?* non cogunt.

Huic anno, quo paſſus eſt Dominus, non additus eſt ſecundus Adar, hoc eſt decimus tertius menſis; ita inter Paſcha hujuſce anni, & præcedentis non fuerunt pluſquam duodecim lunationes. quapropter ab hac die, qua Dominus ſolvit tributum in urbe Capharnaum, nempe à die decima quinta Adar uſque ad proximum Paſcha, quod agebatur die decima quarta menſis Niſan, qui Adar ſequitur, ſpatium fuit unius tantùm menſis. Ergo cauſa aperta eſt, cur Dominus res accelerarct, toties loquens de morte ſua, quam brevi tempore ſubiturus erat. Ligthfootius rerum Judaicarum peritiſſimus, putat ibi à Matthæo ordinem perturbatum; huicce enim rationi, qui digerit ſeriem actuum, & ſermonum Domini contrarium eſt tam proximam eſſe diebus paſſionis hanc tributi penſitationem; contendit Matthæum tempora hiſtoriæ evangelicæ dislocate. Longè alia eſt mea ſententia. ex dicendis tempus illud, de quo quæſtio, à diebus paſſionis non longo intervallo abfuiſſe adhuc clariùs liquebit.

CAPUT XXII.

Cogitantibus Apoſtolis quis eorum major eſſet, præcepit Dominus ut fierent ſicut parvulus, quem in medio eorum ſtatuit. Sermo ejus adverſus ſcandala.

HARMONIA.	MARC. Cap. 9. ℣. 32-49	LUCAS Cap. 9. ℣. 46-50.
[1 *L* INtravit autem cogitatio in eos, quis eorum major eſſet.	32 Et venerunt Capharnaum. Qui	46 Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major eſſet.
2 At Jeſus videns cogitationes cordis illorum.		47 At Jeſus videns cogitationes cordis illorum,

MARCUS.

3 * Cùm domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?
4 * 33 At illi tacebant: ſiquidem inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.
5 * 34 Et reſidens vocavit duodecim.

MATTHÆUS, Cap. 18. ℣. 1—9.

† *In Dedicat. S. Michaelis Archang.*

6 * 1 † In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Quis, putas, major eſt in regno cœlorum?

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
7 *Mc.* Et ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.		& ait illis: Si quis vult primus eſſe: erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.	
8 *Mt.* Et advocans Jeſus parvulum, *Mc.* & accipiens, *MM.* ſtatuit eum in medio eorum, *L* ſecus ſe.	2 Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum.	35 Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum,	apprehendit puerum, & ſtatuit illum ſecus ſe.
9 *Mc.* Quem cùm complexus eſſet, ait illis:	3 Et dixit:	quem cùm complexus eſſet, ait illis:	48 Et ait illis:

MATTHÆUS.

† 1. *Cor.* 14. 20.

10 * † Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.
11 * 4 Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
12 Et qui ſuſceperit unum parvulum talem *MM. L* in nomine meo, me *Mc. L* recipit.	5 Et qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit,	36 Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit:	Quiſquis ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit:

HAR-

HARMONIA.

13 Et quicumque me *Mc.* ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed *L* recipit *Mc.* *L* eum, qui miſit me.

14 *L* Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic major eſt.

15 *Mc.* Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, *Mc. L* vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, *Mc.* qui non ſequitur nos, *Mc. L* & prohibuimus eum, *L* quia non ſequitur nobiſcum.

16 Et ait ad illum Jeſus: *Mc. L* Nolite prohibere *Mc.* eum; nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me.

17 *Mt. L* Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.

18 *Mc.* Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

19 Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis,

20 *Mt.* ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

MARCUS.

& quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.

37 Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.

38 Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum; nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me.

39 Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.

40 Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuã,

41 Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.

LUCAS.

& quicumque me receperit, recipit eum, qui me miſit.

Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic major eſt.

49 Reſpondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non ſequitur nobiſcum:

50 Et ait ad illum Jeſus: Nolite prohibere:

qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.

MATTHÆUS.

6 Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

MATTHÆUS.

21 *7 Væ mundo à ſcandalis. † Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala; verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. † 1.Cor.11.19.

HARMONIA.

22 *Mc.* Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:

23 † Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

MARCUS.

42 Et ſi ſcandalizaverit te manus tua abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.

43 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

MATTHÆUS.

8 Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & projice abs te: bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. † Deut.1:6.

MARCUS.

24 *44 † Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis. † Iſa.66.24.

25 *45 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

HARMONIA.

26 *Mt.* Et *MM.*ſi oculus tuus ſcandalizat te, *Mt.*erue eum, & projice abs te: bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, *MM.*quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

MARCUS.

46 Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

MATTHÆUS.

9 Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum eſt tibi cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10 *V. dete &c. infrà, cap. 25.*

MARCUS.

27 *47 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.
28 *48 Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.
†*Levit. 2.13.* 29 *49 † Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quod illud condietis? habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

1 *46 *L.* INTRAVIT *autem cogitatio in eos, quis eorum major eſſet.* Dum reverterentur Capharnaum, ut notat Marcus, illa cogitatio inciderat in animos diſcipulorum; neque enim dubitabant, quin Jeſus eſſet Chriſtus; cujus ergo in regno primas obtinerent dignitates primi ejus diſcipuli. quærebant quis ex illis major futurus eſſet ordine, loco, honore, auctoritate in regno Chriſti. 2 *47. *At Jeſus videns cogitationes cordis illorum*, quas in animo verſaſſent, cum Capharnaum venerunt, & quos habuiſſent in via ſermones. 3 *32. *Mc. Cum domi eſſent*, nempe ſuæ, in qua habitabat, *interrogabat eos: Quid in via tractabatis?* quam agitabatis quæſtionem. 4 *33 *At illi tacebant* pudore: conſcii enim erant contentionis, quæ Domino placere non poterat. *ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.* 5 *34. *Et reſidens, καθίσας*, & cùm ſediſſet, *vocavit duodecim* Apoſtolos, quos occaſione hujus contentionis modeſtiam docere voluit.

6 *1 *Mt. In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: quis, putas major eſt in regno cœlorum?* forſan audaciores nonnulli. alii enim, ut dictum eſt, tacebant. Vel potuit Matthæus ſcribere hæc dicta fuiſſe coram Domino, quæ tantùm cogitata, quia perinde cogitationes ac ſermones divinæ ejus ſcientiæ patebant. 7 *Mc. *Et ait illis*, apoſtolorum omni collegio: diſcite qua ratione poſſitis pervenire ad illum apicem honoris, quò contenditis. *Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.* ut quis evadat primus, ita ſe gerere oportet, quaſi ſit omnium minimus. Hæc erit regni mei conditio, ut qui maximas obituri ſunt functiones, non majora percepturi ſint commoda, ſed plus toleraturi laboris in aliorum utilitatem.

8 *2 *Mt. Et advocans Jeſus parvulum; ἀγκαλισάμενος*, puerulum obvium, 35 *Mc. & accipiens* eu.m, cùm venit advocatus, *ſtatuit eum in medio eorum*, ita ut eſſet *L. ſecus ſe*, juxta ſe. 9 *Mc. *Quem* puerum *cùm complexus eſſet, ἐναγκαλισάμενος*, in ulnas recipiens; etenim quaſi oculis ſubjicere voluit quam ſuſciperet rem docendam; poſteà *ait illis*: 10 *3. *Mt. Amen dico vobis, niſi converſi fueritis* ad Deum; ab ambitione quæ vos ab eo averſos tenet, *& efficiamini ſicut parvuli*, qualis iſte parvulus ſine honorum cupiditate, *non intrabitis in regnum cœlorum*, haud idonei eſtis regno meo, functionibus in Eccleſia exercendis. 11 *4. *Quicumque ergo humiliaverit ſe*, ſeſe ſubmiſerit, humiliter, demiſſèque de ſe ſentiens, *ſicut parvulus iſte*, cujus mentem nondum ambitio invaſit, nec corrupit; qui, inquam, ſe geret tanquam ſi reipſa puerulus eſſet, *hic eſt major in regno cœlorum*, præ cæteris aptus eſt maximis Eccleſiæ muneribus.

12 *5. *Et qui ſuſceperit unum parvulum talem L. in nomine meo, me Mc.L. recipit.* his teſtatur ſibi caros, quotquot ab omni ambitione alieni ſunt, & animo parvuli, quem amorem ut ſignificaret, complectebatur parvulum, recipiens in ulnas ſuas. 13 *Mc. L. *Et quicumque me Mc. ſuſceperit, non me ſuſcipit* tantùm, *ſed L. recipit Mc. L. eum, qui miſit me* Deus; quod addit, ut doceat non inutilia eſſe officia, quæ in nomine ejus exhibentur parvulis. 14 *L. Nam qui minor eſt inter vos*: quaſi dicat: etenim iſta doctrina, quam animis veſtris inculcatam volo, verò verior eſt: videlicet qui animo humillimus erit, ſe pro minimo gerens inter vos omnes, *hic major eſt*: ille verè eſt magnus, & inter maximos cenſendus.

15 *37. *Mc. Reſpondit illi Joannes.* hoc eſt tunc interpellavit, *dicens: Magiſter, Mc. L. vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, Mc. qui non ſequitur nos*, non eſt de numero diſcipulorum tuorum. *L. & prohibuimus eum, L. quia non te ſequitur nobiſcum.* Ex hiſtoria Eccleſiaſtica diſcimus nomini Jeſu ceſſiſſe dæmones, cujus ſola prolatione expellerentur. 26 *50. *Et ait ad illum Jeſus*: *Mc.*

L. nu-

L nolite prohibere Mc. eum; nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo: qui vi nominis mei expellat dæmonas, *& poſſit citò malè loqui de me*, mihi maledicere, blaſphemare me, ut faciunt adverſarii. 17 * 39 *Mc. L Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt*. Qui non eſt à nobis animo alieno, neque malè de nobis ſentiens, aut loquens, à noſtris partibus ſtare cenſendus eſt.

18 * 40 *Mc. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem* etiam *aquæ in nomine meo, quia Chriſti* (nempe mei qui ſum Chriſtus) *eſtis* diſcipuli; *amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Interpellatus fuerat Dominus à Joanne. ita tres præcedentes verſus parentheſi non malè includerentur. Nunc ad cœptam orationem Dominus revertitus, pergens commendare ſuam erga diſcipulos benevolentiam, quæ & redundat in eos qui ſe illis beneficos præſtant. hæc autem dicebat ut ſeſe committerent curæ illius, nec ſollicitii eſſent de dignitatibus comparandis, cùm provideret, ne impunè offenderentur. 19 * 41. *Et quiſquis ſcandalizaverit*, impingere fecerit vi aperta, contemptu, prava doctrina, exemplo ſuo, aliove aliquo modo, *unum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis* 20 * 6 *Mt. Ut ſuſpendatur mola aſinaria*, quam in moletrina verſat aſinus, *in collo ejus, & demergatur in profundum maris*: adeo dabunt acerbas pœnas, qui offendunt puſillos.

21 * 7. *Væ mundo à ſcandalis*, nempe hominibus qui auctores ſunt ſcandalorum; *neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala; verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit*; qui in cauſa eſt cur parvuli impingant. neceſſe eſt quidem venire ſcandala. *Væ tamen eſt ei homini, qui, quod neceſſe eſt ut fiat in mundo, vitio ſuo facit, ut per ſe fiat*, ait B. Hieronymus. Chriſtus videtur eo in loco reſpicere potiſſimùm illa ſcandala; quæ diſcipulis ſuis, quorum infirma eſſet fides, cauſa ruinæ eſſent. in genere autem præcidendam eſſe cauſam ſcandalorum admonet. 22 * 42. *Mc. Et ſi ſcandalizaverit te manus tua*, occaſio ſit patrandi pravi facinoris, *abſcinde illam: bonum eſt tibi*, id eſt melius eſt, nam Hebræi carent comparativo, *debilem*; κυλλὸν, mutilum, *introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam*, ſive *in ignem inextinguibilem*. 23 * 43. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Ipſa Iſaiæ verba ſunt in fine vaticiniorum ſuorum, cap. 66. ℣. 24. *Et videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me*. in pœnam prævaricationum, *vermis eorum non morietur*, donec ſint abſumpta iſta cadavera, *& ignis eorum*, quem Deus iratus accendet in eos, *non extinguetur*, donec expleatur ira Dei.

24 * 44. *Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis*. eadem præmonuerat Dominus, dum cœpit prædicare Evangelium ſuum. 25 * 45. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Illud Iſaiæ iterum repetit, ut revocaret animos Judæorum ad vaticinium hujus prophetæ de ſupplicio quod à Deo conſtitutum erat adverſus Judæos fratrum ſuorum propter pietatem perſecutores. etſi enim hic ſermo Domini ſit adverſus ſcandala, cujuſcumque generis ſint, ſpectat tamen potiſſimùm perſecutiones, quarum metu plerique à vera fide deficiunt.

26 * 9 *Mt. Et* 46. *Mc. ſi oculus tuus ſcandalizat te, Mt. erue eum, & projice abs te: bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. tertia vice addit, quaſi triplici teſtimonio conteſtans Judæos, ut memores eſſent vaticinii Iſaiæ. 27 * 47. *Mc. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. quaſi dicat, non ita erit, ut de cadaveribus quæ vermes dimittunt, aut quorum vermes moriuntur cùm illa abſumpſerint, aut de ignibus, qui ſi contingat ut extinguantur, cadavera non comburunt; Chriſtus denotat pœnas impiorum fore æternas, ſed ſtatim occupat difficultatem: ſcilicet quomodo non ſolventur in cineres corpora ab igne illo inextincto gehennæ, nec verme illo immortali eroſa tandem computreſcent, quorum alterum fieri videmus, quoties rogo impoſita cremantur; alterum; quoties terræ mandantur. Reſpondet Chriſtus. 28 * 48. *Omnis enim*, πᾶς γὰρ, ſupple αὐτῶν, id eſt quiſquis eorum *igne ſalietur*, hoc eſt ſervabitur à corruptione, quod eſt proprium ſalis. *& omnis victima ſale ſalietur*. conjunctio *&* ibi idem ſonat, quod *ſicut*. Senſus enim eſt: ſicut ſal ſacrificia & carnes tuetur à corruptione, ita etiam impii ipſo igne ſalientur, ita ut in æternum durent torquendi. ſicut, inquam, omnis victima juxta legem Levit. cap. 2. ℣. 13. ſale ſalitur, ita omnis homo victima iræ Dei ob impietatem igne ſalietur. igne autem *ſaliri* dicitur, ut igne *baptizari* ſeu *lavari*, & *ſanguine dealbari*. Noſter ignis purgat: ſal impedit corruptionem, non ignis: at ignis ille non purgabit, ſed corruptionem impediet inſtar ſalis, pœnæ perpetuandæ cauſa. Etenim, ut verbis Minutii Felicis elegantibus utar. *nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit & reficit, carpit & nutrit; ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut ignes Æthnæ montis, & Veſuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur*.

Dum mentionem ſalis faceret Dominus, quod ſymbo-

Digitized by Google

ſymbolum eſt hujuſce ſapientiæ, qua condiendi ſunt omnes ſermones & actus noſtri, revocare videtur in mentem, quod alibi dixerat Apoſtolos eſſe ſal mundi. 29 * 49. *Bonum eſt ſal*, inquit, *quod ſi*, pro ſed ſi, *ſal inſulſum fuerit*, amiſerit ſaporem: *in quo illud condietis?* qua arte poterit illi reſtitui ſapor? *habete in vobis ſal.* ſale condiatur vita veſtra, ut omnis victima ſale ſalienda eſt. *& pacem habete inter vos*, excluſa ambitione, unde diſſidia, & contentiones: pacem inter vos colite, nec amplius contendite de primatu.

CAPUT XXIII.

Quantum ſint curæ Deo puſilli. De charitate erga eos quos peccati pœnitet. Rex dimittens decem millia talenta ſervo in conſervos crudeli.

MATTHÆUS Cap. 18. ℣. 10—35.

† Pſal. 33. 8.

10 VIdete ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, †
quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei,
qui in cœlis eſt. ¶
11 Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat.
12 Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex
eis: nonne relinquit nonaginta-novem in montibus, & vadit quærere eam
quæ erravit?
13 Et ſi contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet ſuper
eam magis quàm ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt.
14 Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat
unus de puſillis iſtis.
15 * Si autem peccaverit in te frater tuus, † vade & corripe eum inter
te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.
16 Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, † ut
in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.
17 Quòd ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut † ethnicus & publicanus.
18 Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.
19 Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de
omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt.
20 Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in
medio eorum.
21 Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me
frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?
22 Dixit illi Jeſus: Non dico tibi uſque ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſepties. ¶
23 † Ideò aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.
24 Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei
decem millia talenta.
25 Cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venumdari & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.
26 Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in
me, & omnia reddam tibi.

* Fer. 3. infra hebd. 3. Quadr. † Levit. 19. 17. Eccli. 19. 13. Luc. 5. 19. † Deut. 19. 15. 2. Cor. 13. Hebr. 10. 28. † 1. Theſſ. 3. 14. 2. Cor. 5. 9.

† Dom. 21. poſt Pent.

27 Mi-

27 Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.
28 Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.
29 Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
30 Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.
31 Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant.
32 Tunc vocavit illum dominus ſuus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me:
33 nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?
34 Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum.
35 Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris ¶.

10 VIDETE *ne contemnatis unum ex his puſillis*. continuatio eſt ſuperioris ſermonis, quo Deus declarat, quantùm illi ſint curæ qui cæteris deſpectui ſunt, ut puſilli, & peccatores, quos pœnitet vitæ anteactæ. *Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei*. contra contemptum puſillorum argumentum ſumit Dominus à loco, & dignitate, quam apud Deum obtineat, item ſingulari amore, cura, & ſolicitudine paterna quam erga eos oſtendit, dum ſalutem eorum mandat angelis, hoc eſt miniſtris de interiori conclavi ſuo, qui aſſiduè coram eo ſtant, ad excipiendos omnes ejus nutus intenti. Deducunt inde ſancti patres cuique fideli datum angelum cuſtodem. *Magna dignitas animarum*, exclamat Hieronymus, *ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui angelum delegatum*. Angelos præeſſe cujuſque puſilli orationibus dicit Hilarius magnus. *Ergo*, ait ille, *periculosè contemnitur, cujus deſideria ac poſtulationes ad æternum & inviſibilem Deum ambitioſo angelorum famulatu ac miniſteris provehuntur*.

11. *Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat;* peccatores qui ideò erant deſpectui; erga quos multam eſſe exhibendam charitatem docet comparatione curæ paſtoralis. Verſiculus ille cujus non eſt ita arcta connexio cum ſuperiori, videtur in hunc alienum locum acceſſitum ex proprio ſuo loco apud B. Lucam, cap. 19. ℣. 10. in aliquibus enim Græcis codicibus Matthæi non reperitur; nec eum legit Origenes, nec Hieronymus. legitur tamen in Chryſoſtomo, in Hilario, in Syro & Arabico interpretibus, & in Evangelio Hebræo. 12. *Quid vobis videtur?* quid putatis de hoc paſtorum more: *ſi fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta-novem in montibus*, ubi paſcunt, *& vadit quærere eam, quæ erravit?* 13. *Et ſi contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quàm ſupra nonaginta-novem, quæ non erraverunt*. res deperditæ, cùm inveniuntur majori nos afficiunt lætitia, quàm cæterarum ſecura poſſeſſio. hanc comparationem alibi, ſed fine aliquantulùm diverſo uſurpaverat Dominus. 14. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis*. quaſi dicat: ſicut paſtor non patitur ovem perire, ſic voluntas Dei eſt ut nemo pereat.

15. *Si autem peccaverit in te frater tuus*. exemplo Dei qui erga peccatores dilectione movetur, benignus his etiam qui ſe offenderunt. cùm peccaverit in te frater tuus, *vade*, non expectes donec ipſe veniat, *& corripe eum inter te & ipſum ſolum*, nemine conſcio, ſcilicet ſtudens correctioni, ita ut parcas pudori; ne præ verecundia defendat peccatum ſuum, & quem emendare volueras, facias pejorem. quòd ſi prudentia tua, ſinceraque dilectione motus *te audierit*, & reſipiſcat, *lucratus eris fratrem tuum*, & in viam ſalutis ſi reduxeris. 16. *Si autem te non audierit*, in peccato perſeverans, *adhibe tecum unum vel duos:* ut teſtatam facias charitatem tuam juxta illud legis, quo ſtatuitur *ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum*. ut lis finiatur duorum, vel trium teſtimonio: ſive potiùs ut plurium vox addat auctoritatem hortationi, & admonitioni.

17. *Quòd ſi non audierit eos*, vel te qui hos tecum adhibuiſti teſtes, *dic Eccleſiæ*, non multi-
tudi-

Digitized by Google

tudini, ſed his qui in Eccleſia auctoritate pollent: penes quos Dominus paulòpòſt dicit eſſe poteſtatem ligandi & ſolvendi. etenim non debes antè propalare peccatum illius, quàm monita tua ſecreta neglexerit. *ſi autem Eccleſiam non audieris;* non pateat monitis ſuperiorum, tunc licebit tibi fugere ejus conſortium, *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus;* non magis quàm cum viro Gentili, & publicano, quorum conſortio putant Judæi ſe pollui, commercium habe. Egregium eſt, quod beatus Chryſoſtomus notat, Apoſtolos ſic peccatores etiam hæreticos Eccleſia expuliſſe, quaſi effodiendus eſſet dexter oculus.

Hac occaſione agit Dominus de poteſtate, quam Eccleſiæ contulit ad coercendos peccatores. neque enim licentiam peccandi dat, ſed veniam condonat reſipiſcentibus à peccato. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* hæc non ſemel dixit Dominus Apoſtolis ſuis, alio loco explanata ſunt à nobis.

19. *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.* quanta ſit poteſtas Eccleſiæ in ſolvendo & ligando, oſtendit ex eo quòd vel efficax ſit paucorum oratio. Quid ergo Eccleſiæ univerſæ, cùm ab illa quaſi facta conjuratione vis fit Deo, quæ vis illi grata eſt, ut loquitur Tertullianus. quod rurſus Dominus confirmat. 20. *Ubi enim*, inquit, *ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo*, propter me, *ibi ſum in medio eorum*, operans intùs in eis, & extrà pro eis, ut eorum precibus, conſiliis, conatibus benedicam. Judæi in Tractatu *Berachot*, dicunt nullius hominis preces exaudiri niſi quæ fiant in ſynagoga. quin & docent Deum præſentem adſtare tribus qui ſedent in domo judicii.

21. *Tunc accedens Petrus ad eum* interrogandi gratia, occaſione hujus quod dixerat Dominus, *ſi peccaverit in te frater &c. dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei* peccatum? *uſque ſepties?* id eſt, etiam ſi ſæpiùs peccet, ut loquuntur Hebræi. 22. *Dicit illi Jeſus: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties;* hoc eſt ſine ullo termino, quotieſcumque peccaverit, & ſibi remitti petiverit, clementia tua major eſſe debet, quàm fratris iniquitas. Sed *abſit*, monet Tertullianus. de pœnit. cap. 7. *ut aliquis interpretetur* hoc quod Chriſtus dicit, *quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cæleſtis, libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcircò deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo quoties ignoſcitur.*

Præterea quod hìc de condonandis offenſionibus à Chriſto dicitur, temerè ad eccleſiaſtica judicia de gravioribus peccatis extenderetur. aliud enim eſt de ſuo largiri, aliud de publico: multùmque intereſt privatim recipias amicum, an rigorem laxes communis diſciplinæ, in qua & honos & ſanitas Eccleſiæ magna ex parte conſiſtit. Quare vetuſtiſſimi Chriſtianorum in idolatriam, homicidium, aut adulterium lapſos, Dei quidem miſericordiæ commendabant, ſed ad communionem non admittebant: quod faciebant non deſperatione veniæ, ſed rigore diſciplinæ. aliis criminibus fœdatos non ad ſolam pœnitentiæ profeſſionem, ſed poſt longi temporis experimenta ad communionem recipiebant; iterum, aut ſæpiùs relapſos non item.

23. *Ideò aſſimilatum eſt regnum cælorum homini regi*, pro, cuidam regi, *qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis*. quaſi dicat Jeſus, ut id quod dixi tibi, Petre, melius intelligas, declarabo ſimilitudine, nempe cujuſdam regis, qui exegit à miniſtris ſuis, ut rationem redderent ſibi. *Et cùm ille rex cæpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus* ex miniſtris, *qui debebat ei decem millia talenta:* maximam ſummam, promittebat enim Perſarum regi Aman tot talenta ſi facultas daretur perdendi Judæos. Eſter 3. ỳ. 9. Ita hæc ſumma habebatur maxima; ideo illa exprimitur gravitas alicujus peccati.

25. *Cùm autem non haberet unde redderet*, cùm non eſſet par ſolvendo juxta rigorem legis, *juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi* debitum, ſive fieri ſolutionem, conflata ex omnium venditione pecunia. 26. *Procidens autem ſervus ille*, cùm hanc audiit ſtatutam eſſe ſententiam, *orabat eum dicens: Patientiam habe in me*, μακροθύμησον; id eſt, contine erga me ſpiritum, iram: eſto patiens; *& omnia reddam tibi*. 27. *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum*, ſivit abire liberum, *& debitum dimiſit ei*. totum ſcilicet, plus concedens, quàm ipſe peteret. Ibi δάνειον optimè redditur ab interprete vulgato, *debitum*, & non *mutuum*. vox illa quidem utrumque ſignificat; ſed ſervus mutuò non ſumpſerat. attamen quia ei credita erant illa bona, non data, uſus eſt Evangeliſta hac voce.

28. *Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios.* exiguum debitum, præ priore quod illi dimiſſum modò fuerat. *& cùm prehendiſſet eum, tenens ſuffocabat eum*, premebat arctè fauces ejus, *dicens: redde quod debes*. 29. *Et procidens conſervus ejus*, eadem omnia ſupplicis officia huic exhibens, quæ ipſe Domino, *rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

30. *Ille autem noluit*, ſcilicet audire preces conſervi ſui, *ſed abiit, & miſit eum in carcerem,*

Digitized by Google

rem, ἀπελθὼν ἔβαλεν, abiens cum illo ſuo debitore rapiebat ipſum in carcerem, ubi eum in vinculis conſtrictum tenere ſtatuerat, donec redderet debitum: etenim olim debitores creditoribus ſuis permittebantur in ergaſtulum trudendi & flagellandi.

31. *Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valde* ob unius crudelitatem & ingratitudinem, & alterius infelicitatem. *Et venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant*, admiſſa fuerant, ab illo crudeli ſervo in conſervum ſuum. 32. *Tunc vocavit illum dominus ſuus: & ait illi: ſerve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me*, ſupplex mihi factus es: non enim rogaverat remiſſionem, quia non audebat, ſed dilationem tantùm. 33. *Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* æquum enim eſt veniam poſtulantem reddere rurſus. 34. *Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus*, variis tortoribus affligendum, *quoadusque redderet univerſum debitum*.

35. *Sic & Pater meus cæleſtis*, rex cœli & terræ, *faciet vobis*, eodem modo vos tractabit quo alios tractaveritis, non remittet debita; debitas ſcilicet peccatis veſtris pœnas repetet, *ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Beneficia divinæ indulgentiæ nihil profutura immiſericordibus docet hæc ſimilitudo; remiſſa enim debita exigit rex ab immiſericordi ſervo.

CAPUT XXIV.

Samaritani non patiuntur Jeſum ire per ſuos fines Hieroſolymam.

LUCAS, Cap. 9. ℣. 51—56.

51 FActum eſt autem dum complerentur dies aſſumptionis ejus, & ipſe faciem ſuam firmavit ut iret in Hieruſalem.
52 Et miſit nuntios ante conſpectuum ſuum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi.
53 Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Hieruſalem.
54 Cùm vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?
55 Et converſus increpavit illos, dicens: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.
56 Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare, & abierunt in aliud caſtellum.

51 FACTUM *eſt autem dum complerentur dies aſſumptionis ejus, ἀναλήψεως αὐτοῦ* dum expleretur tempus quo erat exaltandus in cruce, & in cœlum recipiendus. hanc ſignificationem habet vox Græca ἀνάληψις. Heſychio, ἀναλαμβάνειν eſt ὑψοῦν, *exaltare*; ſed & verbum Græcum ſonat *recipere*; ut hæc poſſint intelligi de tempore mortis Chriſti, tum & de illo quo ſurſum reciperetur. De Elia dicitur 4. Reg. cap. 2. ℣. 11. *& aſcendit Elias per turbinem in cælum*, ubi verſio Græca habet verbum ἀνελήφθη; ita ἀνάληψις verti poteſt *aſcenſus*. Hæc autem non multo tempore præcedunt dies paſſionis Chriſti. ergo Lucas qui illa refert capite nono, non ubique rationem habuit temporis, quo quæque Chriſti res peractæ ſunt. *& ipſe* Jeſus *firmavit faciem ſuam ut iret in Hieruſalem*, ubi mors illi ſubeunda erat; etenim non decebat eum mori alibi. antea hinc fugiebat, ubi verò appropinquavit hora mortis, illuc reverſus eſt. Illud, *firmavit faciem ſuam*, idem ſonat quod obvertit faciem ſuam verſus Hieroſolymam. ſic פנה *pana*, Hebræorum, quod ſonat *reſpicere*, ſæpè ſæpiùs ſumitur pro obvertere vultum ad iter, ut in cap. 1. Deuter. ℣. 7. לכם ובאו פנו וסעו. ἐπιστράφητε, καὶ ἀπάρατε ὑμεῖς καὶ εἰσπορεύεσθε, *convertite vos, & proficiſcentes ingredimini*. ſimiliter Jeremias dicit, cap. 42. ℣. 15. *Si poſueritis faciem veſtram ut ingrediamini in Ægyptum*.

52 *Et miſit nuntios ante conſpectuum ſuum*, πρὸ προσώπου αὐτοῦ, ante faciem ſuam, antequam ipſe adveniret. *& euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum*, εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, in aliquem vicum Samaritanæ regionis, qua brevius iter erat ex Galilæa Hieroſolymam. Mos erat Galilæis, inquit Joſephus, cap. 5. lib. 20. Antiq. per dies feſtos Hieroſolymam petentibus iter facere per Samariam regionem,

nem. igitur Jeſus cum diſcipulis ſuis per Samaritanorum agros tranſibat; præcedebant autem faciem ejus diſcipuli *ut pararent illi* diverſorium.

53. *Et non receperunt eum* hoſpitio incolæ hujus vici, *quia facies ejus erat euntis in Hieruſalem*; id eſt, quia manifeſtus erat vadens verſus Hieroſolymam. Magnus erat ejus comitatus; iter enim faciebat cum diſcipulis ſuis, quos cùm Samaritani adverterent tendere Hieroſolymam ad Paſcha celebrandum, quia tempus feſti appropinquabat, non receperunt eos. Qui enim crederent in monte Samariæ eſſe adorandum, ſibi à Judæis injuriam fieri opinabantur, cùm hiſce diebus euntes Hieroſolymam religionis ergo, per eorum regionem turmatim tranſirent, quod ex conjectura non dico. Joſephus enim eo loco quem modò allegavi, ubi ſcribit Galilæos ſolitos tranſire per Samariam euntes Hieroſolymam, addit; non ultrò tranſitum præbuiſſe Samaritanos, adeo ut cùm Galilæi quidam ad ſacram urbem profecti, tranſirent per quemdam vicum Samaritanæ ditionis, qui Nais dicebatur, *διὰ τὴν κώμην καὶ λεγομένην*, qui vicus in Magno Campo ſitus eſt; commiſſa ſit inter viatores & vicanos pugna; in qua multi Galilæorum deſiderati ſunt. nec hoc ſemel contigit. Idem enim ſcriptor, lib. 2. de bello, cap. 20. notat cauſam tumultus inter Judæos & Samaritanos fuiſſe Galilæum, quem Samaritani interfecerunt in vico Gema, qui pariter ſitus erat in Campo Magno, dum eſſet in comitatu complurium Judæorum aſcendentium ad feſtum, *πολλῶν ἀναβαινόντων Ἰουδαίων ἐπὶ τὴν ἑορτήν*. Maimonides in Tractatu Kiddus, cap. 5. obſervat interdum viam interclusam nuntiis Neomeniæ euntibus Judæa in Galilæam, dum per fines ſuos Samaritani tranſire non paterentur. Samaritani autem illi qui Jeſum non receperunt, alii eſſe poſſunt ab iis qui in urbe Sichar ut ſalvatorem mundi exceperant. Malè ergo in eo loco Evangelii accipiat quis *civitatem Samaritanorum* pro ipſa Samaria. in Græco codice non eſt *πόλις*, urbs, ſed *κώμη*, *vicus*, quæ lectio magis probanda; nam in ipſa Vulgata noſtra mox ſubditur, *& abierunt in aliud caſtellum*, *εἰς ἑτέραν κώμην*, *in alium vicum*; quod innuit, locum per quem tranſire voluerant diſcipuli, vicum fuiſſe, non urbem.

54. *Cùm vidiſſent autem diſcipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos.* additur in textu Græco hodierno *ut & Elias fecit*, cùm cælo adduxit ignem in Quinquagenarium, quo ille & quinquaginta alii viri devorati ſunt, lib. 4. Reg. cap. 1. 55. *Et converſus increpavit illos* Jeſus, *dicens: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.* neſcitis ad quem ſpiritum pertineatis, & à me vocati ſitis; vel neſcitis quo ſpiritu agamini. Spiritus ibi ponitur pro zelo, ſtudio, aut affectu animi. putatis vos agi ſpiritu tali, quo olim Elias, ſed erratis; humanus vos movet affectus, non divinus ſicut Eliam, qui certò ſciebat ſe in eo quòd faciebat, miniſtrum eſſe Dei ulciſcentis Iſraelitas iſtus idololatras, & prophetarum contemptores. Non aliena ſunt ab hocce loco hæc quæ legimus apud Gregorium magnum, Homil. 17. in Evang. *ſi quando zelus rectitudinis exigit, ut erga ſubditos ſæviat, furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate, quatenus & jura diſciplinæ foris exhibeat, & intus paterna pietate diligat, quot foris quaſi inſequendo caſtigat.*

56. *Filius hominis non venit*; id eſt ego non veni *animas*, homines *perdere*, *ſed ſalvare*. Ratio eſt prioris dicti. neſcitis cujus ſpiritus eſtis, quia non cogitatis vos miniſtros eſſe talis Domini, diſcipulos talis magiſtri, qui non venit in primo ſuo adventu niſi ut peccatores vocaret ad pœnitentiam, quique non cupit quemquam ex illis perditum ſed omnes ſervatos. *& abierunt in aliud caſtellum*, in alium vicum, cujus incolæ minùs pervicaces.

CAPUT XXV.

De ſcandalis: de condonandis injuriis: de fide: decem Leproſi: incertus dies adventus Domini.

LUCAS, Cap. 17. V. 1—37.

1 ET ait ad diſcipulos ſuos, impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala; væ autem illi per quem veniunt.

2 Utilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis.

3. At-

3 Attendite vobis: ſi peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi,
4 Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: pœnitet me: dimitte illi.
5 Et dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem.
6 Dixit autem Dominus: ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & tranſplantare in mare: & obediet vobis.
7 Quis autem veſtrûm habens ſervum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi: ſtatim tranſi, recumbe.
8 Et non dicat ei: Para quòd cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem & bibam, & poſt hæc tu manducabis, & bibes?
9 Numquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?
10 Non puto. ſic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.
11 Et factum eſt, † dum iret in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. ✠ Dom. 13. poſt Pent.
12 Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè:
13 & levaverunt vocem, dicentes: Jeſu præceptor, miſerere noſtri.
14 Quos ut vidit, dixit: † Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt. † Levit. 14. 2.
15 Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum:
16 & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus,
17 Reſpondens autem Jeſus, dixit: Nonne decem mundati ſunt: & novem ubi ſunt?
18 Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.
19 Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te ſalvum fecit: ¶
20 Interrogatus autem à Phariſæis: Quando venit regnum Dei? reſpondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obſervatione:
21 neque dicent: Ecce hìc, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.
22 Et ait ad diſcipulos ſuos: Venient dies quando deſideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis.
23 Et dicent vobis: Ecce hìc, & ecce illic. Nolite ire, neque ſectemini.
24 Nam, ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo, in ea quæ ſub cælo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis in die ſua.
25 Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.
26 † Et ſicut factum eſt in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis. † Gen. 7. 5.
27 Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem, qua intravit Noe in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes.
28 † Similiter ſicut factum eſt in diebus Lot: Edebant, bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant: † Ibid. 19. [illegible]
29 qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit:
30 ſecundùm hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.
31 In illa hora, qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa; & qui in agro, ſimiliter non redeat retrò.
32 Memores eſtote uxoris Lot.

33 Qui-

33 Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: & qui-
cumque perdiderit illam, vivificabit eam.
† 1. Theſſ. 4. 17. 34 Dico vobis: † in illa nocte erunt duo in lecto uno; unus aſſumetur, &
alter relinquetur:
35 duæ erunt molentes in unum; una aſſumetur, & altera relinquetur:
duo in agro; unus aſſumetur, & alter relinquetur.
36 Reſpondentes dicunt illi: Ubi Domine?
37 Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

QUÆ occurrunt in decem primis hujuſce capitis verſibus, alio tempore dicta videntur: ſed quia non ſoleo verba Evangeliſtarum permiſcere, niſi adactus neceſſitate; impermixtum illud caput inſerui huic loco; quia continet res conjunctas cum his quæ habet caput nonum ejuſdem Lucæ, & quas conſtat contigiſſe in hac poſtrema Hieroſolymam profectione.

1. *Et ait ad diſcipulos ſuos* Jeſus *impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala*, ut non ſint, qui aliis cauſa ſint offenſionis: *Væ autem illi per quem veniunt*. 2. *Utilius eſt illi ſi*, antequam per illum veniat ſcandalum, *lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis*, quàm ut alicui eorum defectionis à fide cauſa exiſtat. Hæc jam dixerat Dominus ea occaſione qua laudavit puſillos, dum viderentur Apoſtoli ambitione efferri; ut nullus ſit dubitandi locus quin hæc pertineant ad hoc tempus, quod poſt ſanationem lunatici lapſum eſt, à quo tempore non longè nunc abſumus. niſi quis malit cogitare eadem iterum à Domino inculcata, dum iter faceret.

3. *Attendite vobis, ſi peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*. 4. *Et ſi ſepties in die*, etiam ſæpiùs in eodem die, id eſt ſæpiſſimè, *& ſepties in die converſus fuerit ad te*, pœnitudine ductus revertatur ad te, *dicens: pœnitet me, dimitto illi*.

5. *Et dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem*. Et hæc dicta credo, dum in ſanatione lunatici arguebat eos parvæ fidei: quo in loco hæc Dominum dixiſſe Matthæus ſcribit, quæ hìc in Luca ſimilia ſunt. De monte transferendo loquitur Matthæus, de arbore transferenda Lucas; utrumque autem dici potuit. 6. *Dixit autem Dominus: ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis*; id eſt etſi minimam. modus eſt loquendi non inuſitatus Hebræis: qui comedit animalculum immundum, inquit Maimonides, in Tract. Maacaloth, vapulat, licèt minus fuerit quàm granum ſinapis. Si, inquam, veram fidem licèt non maximam haberetis, *diceretis*, diceretis: eſſet in veſtra poteſtate jubere *huic arbori moro*: τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ſycamino, quæ arbor differt à ſycomoro, ſed illa differentia non multa ſit neceſſe eſt, cùm non Latinus tantùm, ſed & Syrus & Arabs interpretes *morum* vertant. *eradicare & tranſplantare*, verba illa ſunt in imperativo paſſivæ vocis. *in mare, & obediet vobis*. Hac locutione, quæ videtur proverbialis, ſignificat Dominus id quod apud homines impoſſibile eſt, fieri poſſe per fidem.

7. *Quis autem veſtrûm habens ſervum arantem, aut paſcentem*, qui ſit ejus vel arator agrorum, vel ovium paſtor, *qui regreſſo de agro dicat illi*, poſtquam de agro reverſus eſt, *ſtatim tranſi & recumbe*, παρελθὼν ἀνάπεσαι, accedens accumbe menſæ, ut te reficias cibo, potu, & quiete. 8. *Et non dicat ei*. id eſt numquid potiùs dicit? *Para quòd cœnem*, etiamſi toto die laboraveris, appara mihi convivium, *&* ideo *præcinge te, &* præcinctus *mihi miniſtra*, ut mos erat miniſtrantium in regionibus, quibus demiſſiores veſtes gerebantur. *donec manducem & bibam*, id eſt, ſtes præcinctus mihi miniſtrans, donec menſæ accumbo, *& poſt hæc*, ſed non anteà, *tu manducabis & bibes?* 9. *Numquid gratiam habet ſervo illi* herus, *quia fecit* ſervus ejus *quæ ei imperaverat?* an gratias agit credens ſe illi obſtrictum? 10. *Non puto*. etenim quid ultra debitum officium expendit ſervus? *ſic & vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus*, quia Deus opera noſtra non indiget: *quod debuimus facere, fecimus*.

Hac parabola revocat, ut mihi videtur, diſcipulos ſuos ab illa ambitione, qua, cùm putarent ſibi Chriſtum obſtrictum quòd eum ſectati eſſent, ſperabant ſeſe prælaturos iri cæteris mortalibus, non diſputantes inter ſe niſi de primaria dignitate. Quare hæc parabola pertinet ad illud tempus, quo incidit in cogitationem Apoſtolorum quis eorum eſſet major. hos decem primos verſus ad propria ſua & diverſa loca forſan decuiſſet revocare; ſed nimium concidendus fuiſſet Evangeliſta; quod refugit animus. Modò enarravimus res quæ non multo tempore præceſſerunt diem, quo tranſivit Dominus per Samariam profecturus Hieroſolymam; quæ autem ſequuntur, credo in hac eadem profectione contigiſſe.

11. *Et factum eſt, dum iret in Hieruſalem*; hoc non poteſt intelligi niſi de poſtrema profectione, igitur de eadem le qua locutus eſt capite nono

nono Lucas, cùm à Samaritanis repulſus, coactus eſt iter flectere. *Tranſibat* ergo *per mediam Samariam & Galilæam*, διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας. hoc eſt inter Samariam & Galilæam, ut vertit Syrus interpres. conjicimus intelligendam eſſe planitiem illam ſecundùm Jordanem, quæ appellabatur *Magnus Campus*, per quem iter ſuum cœpit flectere Dominus repulſus à Samaritanis; quoniam & Peræa, ſive trans-Jordanica regio dicebatur Galilæa, ut probatum eſt in diſquiſitionibus Geographicis. Magnus Campus, ſive regio ſecundùm Jordanem, erat media inter Samariam & Galilæam, putà Galilæam trans-Jordanicam.

12. *Et cùm ingrederetur* Jeſus *quoddam caſtellum*, κώμην, vicum, *occurrerunt ei decem viri lepròſi*, qui erant extra vicum, nam leproſi extra oppida & vicos ſe tenebant ex legis præcepto. Num. cap. 5. ℣. 2. Levit. cap. 13. ℣. 45. & 46. *qui ſteterunt à longè*: jubebantur enim procul ab aliis ſtare, habere veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum; contaminatos ac ſordidos ſe clamare, morbum teſtantes. 13. *Et levaverunt vocem* ex deſiderio ſanitatis, & quia procul aberant: nec pro ſe quiſque, ſed omnes pro omnibus orant, *dicentes: Jeſu præceptor*, ἐπιστάτα, id eſt Rabbi, ad verbum, præfecte, *miſerere noſtri*. 14. *Quos ut vidit* Jeſus, *dixit*: *ite, oſtendite vos ſacerdotibus*: hoc dicto tacitè pollicebatur ſanitatem in itinere obventuram. neque enim oſtendebantur ſacerdoti, niſi ut aut de morbo cognoſceret, de quo his ſatis conſtabat, aut ut reſtitutam valetudinem pronunciaret.

Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt, ut ſperaverant. 15. *Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum*, nempe laudans ejus poteſtatem quæ clareſcebat in Chriſto à quo ſanatus fuerat. 16. *Et cecidit in faciem ante pedes ejus*, quod jam purgato licebat. *gratias agens*, jam ad illum accedens, & alloquens. *& hic erat Samaritanus*. unde verſabatur in confinio Samariæ.

17. *Reſpondens autem Jeſus*, fari incipiens, *dixit*: *Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt?* non reverſi ſunt gratias acturi. 18. *Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic* Samaritanus *alienigena*, alienus à genere Iſrael. nominat illum alienigenam per contemptum, ut ipſos Judæos pudore ſuffunderet, qui beneficia Dei minùs agnoſcebant. 19. *Et ait illi: Surge*, humi enim jacebat proſtratus, & *vade* ad ſacerdotes, vel domum tuam, *quia fides tua te ſalvum fecit*. his quæ ſequuntur in codice Lucæ, ſimilia reperiuntur apud Matthæum, alio tempore dicta, ſed & hoc tempore dici potuerunt. 20. *Interrogatus autem à Phariſæis: quando venit regnum Dei*, nempe quæ eſſent tempora Meſſiæ regnantis: *reſpondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obſervatione*, μετὰ παρατηρήσεως, id eſt cum ſplendore mundano qui incurrit in oculos, & obſervari poſſit his ſignis quæ vos expectatis. Expectabant enim Judæi Meſſiam regem ſimilem regibus terrenis, quorum magna eſt expectatio, & quos fama non ſinit latere. non ita eſt de Chriſto paupere & obſcuro. 21. *Neque dicent: ecce hic, aut ecce illic*, in illo monte, aut in illo deſerto, puta in Cyrene, aut in urbe Bitter, ut dicebant pſeudo-Chriſti. *regnum Dei intra vos eſt*; in medio veſtri eſt, non extra regiones veſtras. abſentes quæritis, quem domi præſentem aſpernamini.

22. *Et ait ad diſcipulos*, in quibus totam Judæorum gentem compellabat: *venient dies quando deſideretis videre unum diem Filii hominis*, id eſt deſideraveritis videre diem meum, *& non videbitis*, me abſentem requiretis, deſiderantes frui præſentia Meſſiæ, ut adveniat vobis, quem me repudiantes repudiaſtis. 23. *Et* tunc *dicent vobis*, qui vos inani ſpe Meſſiæ lactabunt: *ecce hic*, in ſecretis locis, *& ecce illic*, in tali deſerto Meſſias, ut ſupplendum ex Matthæo, cap. 24. ℣. 26. *Ecce in deſerto eſt* ... *ecce in penetralibus* ἐν ταμείοις, in locis ſecretioribus. *Nolite ire*, hæc dicentibus credentes; *neque ſectemini*, nec vos faciatis diſcipulos horum qui his in locis remotis profitebuntur ſe miracula patraturos, quales exurgent multi. ut ille pſeudopropheta Ægyptius ſub Felice præſide, qui, ut ſcribit Joſephus, lib. 20. Antiq. cap. 6. ſuaſit plebi ut ſe ſecuta in montem Oliveri aſcenderet, ubi oſtenſurus erat multa prodigia. Ita & quidam Jonathas non paucos Judæos perduxit in deſertum circa Cyrenem, quo in loco pollicebatur à ſe plura edenda miracula: quod contigit ſub Catullo Pentapolitanæ Lybiæ rectore, ut ſcribit idem Joſephus, lib. 7. de bello, cap. 31. hos & ſimiles pſeudoprophetas ſpectabat ſermo ille Domini.

24. *Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo* ab una parte cœli, *in ea quæ ſub cælo ſunt*, in alteram cœli partem, ab Oriente in Occidentem, ut habet Matthæus, *fulget*, & omnium oculis videtur, *ita erit Filius hominis in die ſua*. Ibi agit Chriſtus de ſecundo ſuo adventu, ſed ſimul admiſcet quæ eventura eſſent in everſione urbis Jeruſalem, quæ figura ſive umbra fuit judicii univerſalis. Similitudo autem illa fulminis repentè, ac velut ictu cœli terræque fines pervadentis, oſtendit diem quidem illum improviſum venturum incolis terræ, ſed cùm venerit, glorioſum, & omnibus conſpicuum fore.

25. *Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione iſta*, ab his hominibus, antequam veniat judicaturus omnes, tum Gentiles, tum Judæos. 26. *Et ſicut factum eſt in diebus Noe*, cùm Deum mi-

proviſo ſupplicio affecit homines : *Ita erit in diebus Filii hominis*, pariter reditus meus erit inexeſpectatus ; adero ex improviſo judex. 27. *Edebant & bibebant* in diebus Noè, haud reformidantes diluvium : *uxores ducebant, & dabantur ad nuptias* virgines, *uſque in diem, qua intravit Noe in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes*, cùm de diluvio non cogitarent. 28. *Similiter ſicut factum eſt* Sodomis & Gomorrhæ *in diebus Lot : emebant, & vendebant : plantabant, & ædificabant*, haud ſibi metuentes, & quaſi de vita longiori certiores facti. 29. *Qua die autem exiit Lot* Sodomis eductus ab Angelo, *pluit* Deus *ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit* incolas & urbes. 30. *Secundùm hæc erit*, eadem fient *qua die Filius hominis revelabitur* conſpicuus in gloria ſua.

31. *In illa hora, qui fuerit in tecto, & vaſa ejus* concluſa erunt *in domo*. ſuppellectilia, viaticum, *ne deſcendat tollere illa* intrans in domum, ſcalæ enim extra domum erant. *Et qui in agro ſimiliter, non redeat retrò* domum, ut aliquid tollat, ſed fugiat. Hæc ad Chriſtianos, qui his moniti, ubi intellexerunt judicium urbis Hieroſolymorum modo faciendum, cùm vallo circumdata eſt à Romanis, fugerunt, ita ut in ruina illius non perierint cum infortunatis Judæis.

32. *Memores eſtote uxoris Lot*, quid illi acciderit, ſolummodò reſpexit poſt ſe, & periit. *Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere*, nimirum revertendo, aut reſpiciendo retrò, *perdet illam ; & quicumque perdiderit illam*, nempè ſe committens promptæ fugæ, neque de vita cogitans, *vivificabit eam*, animam ſuam, nempe vivet ſubſtractus periculo. ζωογονήσει αὐτήν. verbum illud ſignificat in vita ſervare, ut in Exod. cap. 1. ℣. 17. καὶ ἐζωογόνουν τὰ ἄρσενα, *& in vita ſervabant mares*.

34. *Dico vobis : in illa nocte erunt duo in lecto uno ; unus aſſumetur*, è periculo educetur, velut apprehenſa manu, *& alter relinquetur*, nempe communi exitio. 35. *Duæ erunt molentes in unum* ſimul ; *una* ſimiliter *aſſumetur, & altera relinquetur : duo in agro, unus aſſumetur, & alter relinquetur*.

36. *Reſpondentes dixerunt : ubi Domine* fiet illa diſcretio, unde & quò fugiendum eſt ; vel potiùs de relinquendis non ſolliciti Apoſtoli, ſed de aſſumendis rogabant, ποῦ κύριε, quo Domine, ſupple aſſumentur ? 37. *Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. quaſi dicat : non opus eſt ut vobis ſignificetur quo in loco pii congregandi ſint, quò debeant ſe recipere, ſicuti non admonendæ ſunt aquilæ, ubi σῶμα, corpus, nempe mortuum, in Matthæo eſt πτῶμα, cadaver ; ubicumque enim illud jaceat in terra, quanquam remota, illuc ab omnibus mundi plagis aquilæ congregantur. Scilicet eo tempore res tam nota manifeſtaque erit, ut monitore non opus fuerit. vel ſic accipienda illa verba Domini ut reſpondeat : ad me pii aſſumentur, ad quem fideles omnes tanquam aquilæ ad cadaver cogentur.

CAPUT XXVI.

Utilitatem aſſiduæ & humilis orationis Dominus oſtendit duabus parabolis : prima eſt Judicis & Viduæ, altera Phariſæi & Publicani.

LUCAS, Cap. 18. ℣. 1—14.

† Eccli. 18. 22. 1. Theſſ. 5. 17.

1 DIcebat autem & parabolam ad illos, † quoniam oportet ſemper orare & non deficere,
2 Dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.
3 Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adverſario meo.
4 Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe : Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor:
5 Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſuggillet me.
6 Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis dicit.

7 Deus

7 Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe
die ac nocte, & patientiam habebit in illis?
8 Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius ho-
minis veniens, putas, inveniet fidem in terra?
9 † Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam juſti, † *Dom. 10. poſt Pent.*
& aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam:
10 Duo homines aſcenderunt in Templum ut orarent: unus Phariſæus,
& alter Publicanus.
11 Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi quia non
ſum ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic
Publicanus.
12 Jejuno bis in Sabbato: decimas do omnium quæ poſſideo.
13 Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare:
ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.
13 Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo: quia
omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. ¶

1. DICEBAT *autem & parabolam ad illos*, qui tunc temporis eum ſectabantur, *quoniam oportet ſemper orare*, πρὸς τὸ δεῖν, *ac oportere*, id eſt, ad hoc quòd oportet, ſive huc ſpectantem quod oporteret ſemper orare, *& non deficere*, ἐκκακεῖν, defatigari, deſpondere animum. Proponitur hìc ſimilitudo viduæ, quæ aſſiduè orans tandem exoravit judicem, cujus exemplo ſpes non eſt abjicienda, quaſi fruſtrà à Domino auxilium peteremus. illud autem *deficere* vulgatæ non ſic accipiendum, quaſi nuſquam interpellanda eſſet oratio. verbum Græcum ἐκκακεῖν, ſignificat potiſſimùm malis frangi: non fracta erat malis ſuis vidua, quia ſæpiùs non exaudita fuiſſet. Attamen ſine intermiſſione orandum eſſe monet nos Apoſtolus 1. epiſt. ad Theſſ. cap. 5. ℣. 17. Aſſerere non audeam eo tempore, quo Dominus ex Galilæa pergebat Hieroſolymam ibi paſſurus, propoſuiſſe duas ſequentes parabolas; ſed nulla cauſa erat qua compulſus diſcederem ab ordine codicis Evangeliſtæ, quem ordinem ſatago non interpellare cùm alius verior non apparet.

2. *Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur*, cui nec conſcientiæ cura erat nec famæ. 3. *Vidua autem quædam erat* deſerta, contempta *in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adverſario meo*, ἐκδίκησον, ulciſcere me, tuere, defende jure dicto, quod tui eſt officii, eripe è malo.

4. *Et nolebat* impius ille judex *per multum tempus* defendere hanc viduam ab adverſario. *Poſt hæc autem*, cùm ſæpiùs illa ventitaret, *dixit intra ſe; etſi Deum non timeo, nec hominem*, id eſt nec quemquam *revereor*: 5. *Tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam*, propulſans quam huic inferi injuriam adverſarius, *ne in noviſſimo*, εἰς τέλος, perpetuò *ſugillet me*, ὑπωπιάζῃ με, obtundat me, moleſtiam mihi exhibere pergat. *Sugillare* eſt percuſſu maculare carnem, & propriè faciem. Illud vulgatæ *in noviſſimo ſugillet me*, non ſic accipiendum, quaſi judex dicat: ne tandem ſugillet me, ſive eò evadat moleſtia ejus, ut etiam me percutiat. Græci codicis εἰς τέλος, ſumitur pluribus in locis pſalmorum pro *ſemper, perpetuò*. cùm ergo Dominus noſter docet noſtram orationem debere eſſe perpetuam exemplo hujus viduæ, admonet ne preſſi malis deficiamus, nec deſpondeamus animum, quia tandem ſinet ſe exorari.

6. *Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis*, id eſt iniquus *dicit*: 7. *Deus autem* æquus judex *non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte*, vim & contumeliam, quæ illis fit, defendendo & ulciſcendo propulſans, *& patientiam habebit in illis?* in hodierno codice Græco eſt καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, *& patientiam habens*. Olim legebat interpres Latinus μακροθυμήσει ſenſus eſt juxta hanc lectionem, an Deus longanimis erit, ſive continebit iram qua excandeſcit adverſus illos à quibus pii affliguntur? eadem enim leguntur in Syrachide, cap. 35. ℣. 18. ὁ κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς, ἕως ἂν συντρίψῃ ὀσφὺν ἀνελεημόνων. Dominus non tardabit, nec in illis patientiam habebit, μακροθυμήσει, donec conterat lumbos immiſericordium.

8. *Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum*, brevì, primò quoque tempore opportuno. ideo Chriſtiani ſecuri de Domino, patientes ſunt injuriarum, & harum ultionem ab illo expectant. Etenim, ut ait Tertullianus, lib. de patient. cap. 15. *Satis idoneus patientiæ ſequeſter Deus, ſi injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt.*

Parabolam illam primam concludit Dominus his verbis : *verumtamen Filius hominis veniens*, cùm veniet vindicaturus electos ſuos, *putas*, id eſt, an *inveniet fidem in terra?* ſcilicet multi erunt perſecutores, & pauci quibus perſecutio non fuerit cauſa offenſionis. omnes ferè deficient à fide; hoc eſt, numerus fidelium exiguus erit, quia plurium, qui fideles putantur, infirma erit fides. Etenim ut verbis Tertulliani utar, tanta fides non in terris moratur, quanta ejus merces expectatur in cœlis.

9 *Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur ceteros*, alteram parabolam iſtam; nempe commendans modeſtiam, quæ cùm in omni vita uſum habet, tum præcipuè in precibus.

10. *Duo homines aſcenderunt in Templum ut orarent*; quod in monte Moria ſitum erat, & domus orationis vocabatur, *unus Phariſæus & alter Publicanus*. 11. *Phariſæus ſtans*, ut moris erat Judæis ſtantes orare, *hæc apud ſe orabat*, his verbis orabat, Deum alloquens. *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum*; id eſt ſicut omnes præter me: *raptores, injuſti, adulteri, veluti etiam hic Publicanus*, quæ deſpiciebat, enumerat bona opera ſua Phariſæus. 12. *Jejuno bis in ſabbato.* ibi ſabbatum ſumitur pro hebdomade. ſabbatum in lingua Judæorum Græciſantium idem ſonat, quod *hebdomas*: unde *una ſabbati*, ſive prima ſabbati, eſt prima dies hebdomadis. Solebant autem Judæi religioſiores, ut diſcimus ex Tractatu Taanith Maimonidæ, jejunare bis in hebdomade, ſecùndo & quinto die, quia, ut gloſſa notat ad tractatum Talmudis Bava Kāma, Moſes die quinto ad Deum aſcendit, & pacato Deo, die hebdomadis ſecundo iterùm deſcendit. Hæc obſecro ut lector ſedulus hocce loco, & ubique advertat omnes illas Judaicas traditiones, de quibus ſermo fit in Evangelio, ſcriptas reperiri in libris Judæorum.

Decimas do omnium quæ poſſideo. Non illa tantùm quæ vulgus ſolet decimæ ſubjicere, poma & fruges, ſive fructus terræ ex quibus ſolis deberi decimas ſcribunt omnes ſapientes; ſed & ea quæ controverſi ſunt juris, putà minora olera, ova, lac, potiùs meis commodis aliquid detrahens, quàm ut quidquam faciam contra traditiones. Hæc mala cenſeri non poſſunt; imò ſunt bona, quæ & Phariſæus agnoſcit eſſe Dei dona. Reprobatus tamen. adeo verum eſt, quod dicit Auguſtinus: *cetera vitia tantùm in malefactis valent: ſola autem ſuperbia etiam in rectè factis cavenda eſt.*

13. *Et publicanus à longè ſtans*, ſiquidem in atrium exterius quod patebat gentibus, ingredi illi tantummodo licitum fuerat, ideo longè ſtans ab altari *nolebat nec oculos ad cœlum levare*, animus enim ejus dejectus erat conſcientia peccatorum: multùm ergo aberat ut ſe juſtum diceret, *ſed percutiebat pectus ſuum*, tamquam pœnas de ſe exigens, & *dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* verba hìc pauca ſunt, vocem reprimente tum luctu, tum verecundia.

14. *Dico vobis: deſcendit hic* ex Templo, quod ſitum erat in monte, *juſtificatus*, juſtus Dei gratia affectus, vel à peccatis abſolutus, *ab illo*, ἢ ἐκεῖνος, id eſt magis quàm ille, nempe juſtificatus præ illo Phariſæo, alioquin tam religioſo. *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Etenim ut verbis magni Auguſtini loquar: *Quid tam dignum miſericordia, quàm miſer. & quid tam indignum miſericordia, quàm ſuperbus miſer. Nemo inſanabilior eo, qui ſibi ſanus videtur .˙. & ideò multum timeo occulta mea, quæ vident oculi tui*, (Deum alloquitur) *mei autem non .˙. Ergo ſi placere Deo veraciter cupimus*, jam Gregorium magnum induco loquentem, *poſtquam perverſa ſubegimus, ipſa in nobis etiam benè geſta timeamus .˙. Quæ apertè egerim vides; ſed quid in his latenter pertulerim ignoro.* Aliam cauſam aperit juſti timoris Leo magnus. *Dubium non eſt*, inquit, *hominem bona agentem à Deo habere effectum operis & initium voluntatis .˙. & hac Sanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ & remaneant in infirmitate naturæ.*

CAPUT XXVII.

Matrimonium non poteſt ſolvi: lex de libello repudii non niſi duris corde conceſſa fuerat.

HARMONIA.

1 *Mt.* ET factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit à Galilæa, & *Mc.* inde exurgens *MM.* venit in fines Judææ, *Mt.* trans *MM.* Jordanem.

2 *Mt.* Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi. *Mc.* Et ſicut conſueverat iterù n docebat illos.

3 *Mt.* Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa?

4 *Mc.* At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?

5 Qui dixerunt: † Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere & dimittere.

6 Quibus reſpondens Jeſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.

7 *Mt.* Non legiſtis, quia qui fecit hominem *MM.* ab initio *Mc.* creaturæ, *MM.* † maſculum & feminam fecit eos *Mc.* Deus? *Mt.* Et dixit:

8 *MM.* Propter hoc † *Mc.* relinquet *MM.* homo patrem *Mc.* ſuum, *MM.* & matrem, & adhærebit *Mt.* uxori ſuæ;

9 *MM.* Et erunt duo in carne una.

10 Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.

11 Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

MATTH. Cap. 19. ℣. 1-12.

1 Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem.

2 Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

3 Et ✠ acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa?

4 Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit:

5 Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una.

6 Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. ¶

MARCUS. Cap. 10. ℣. 1-12.

1 Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem. & conveniunt iterùm turbæ ad eum & ſicut conſueverat iterùm docebat illos.

2 Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere: tentantes eum.

3 At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?

4 Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere.

5 Quibus reſpondens Jeſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.

6 Ab initio autem creaturæ, maſculum & feminam fecit eos Deus?

7 Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit ad uxorem ſuam,

8 Et erũt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.

9 Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

✠ *In ſponſalibus.*
† *Deut.* 24. 1. *Jerem.* 3. 1. *Matth.* 5. 31.
† *Gen.* 1. 25. & 5. 2. *Malach.* 2. 15.
† *Gen.* 2. 24. *Eph.* 5. 31. 1. *Cor.* 7. 11.

MATTHÆUS.

12 *7 Dicunt illi: † Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii & dimittere? † *Deut.* 24. 1.

13 *8 Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.

14 *9 † Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. † *Luc.* 16. 18. *Cor.* 7. 11.

MARCUS.

15 * 10 Et in domo iterùm diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

† 1. Cor. 7. 10. 11. 16 * 11 Et ait illis: † Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.

17 * 12 Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.

MATTHÆUS.

18 * 10 Dicunt ei diſcipuli ejus: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore; non expedit nubere.

† 1. Cor. 7. 2. 7. 9. 17. 19 * 11 Qui dixit illis: † Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.

† 1. Cor. 7. 32. 34. & 9. 5. 15. 20 * 12 † Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat.

1 * *Mt.* E*T factum eſt cùm conſummaſſes Jeſus ſermones iſtos*: id eſt poſtquam ea, quæ ſupra enarraverat Matthæus, peracta ſunt in urbe Capharnaum, & aliis Galilææ locis, *migravit à Galilæa*, *& Mc. inde exurgens* ut iret Hieroſolymam, *venit in fines Judææ Mt. trans Jordanem.* quæ in eo itinere uſque dum attingeret fines Judææ tranſacta ſunt, & prætermittit Matthæus, illa ſupplevimus ex Luca.

2 * 2 *Mt. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*, nempe ſecutæ erant, *& curavit eos*, qui infirmi erant. *Mc. Et ſicut conſueverat, docebat illos*, cum illis colloquens, & reſpondens quæſtionibus quas proponebant. 3 * 3. *Mt. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi*, unà cum turbis. *tentantes eum* hac quæſtione, *& dicentes: Si licet homini dimittere*, repudiare, *uxorem quacumque ex cauſa*, quovis prætextu? Ad intelligentiam hujus loci animadvertendum eſt, quæſtionem de cauſis divortii tunc temporis agitatam fuiſſe inter duas celebriores Judæorum ſcholas. *Ex ſententia ſcholæ Sammaana uxor marito haud erat repudianda, niſi inveniebat in ea rem turpitudinis.* ſic loquuntur Judæi in Talmude, Tract. Gittin, cap. 9. interprete Seldeno, *ſecundùm id quod ſcriptum eſt, quoniam invenerit in ea turpitudinem rei. At juxta ſcholam Hillelianam, etiam ob cibum ejus nimio ardore coctum*, videlicet cauſam quantulamcumque, *ſecundum ad ipſum, quod ita ſcriptum eſt, quoniam invenerit in ea turpitudinem rei*, ſeu cauſæ alicujus; nam דבר *davar*, tam *cauſam*, & *verbum*, quàm *rem* ſignificat, adeoque innui in lege cauſam quantulamcumque volebant Hilleliani. *Ex ſententia etiam Rabbi Aquibæ, ſi invenerit aliam ea pulchriorem, aut ſibi commodiorem, juxta id etiam quod ſcribitur, ſi non invenerit ea gratiam in oculis ejus &c.* fruſtrà volunt ipſi Judæi conciliare inter ſe diſſentientes illas ſcholas; ut illæ cenſeantur loqui de prima uxore, quæ appellatur uxor adoleſcentiæ; aliæ verò agant de ſecunda uxore. Cum Hillele ſentiunt hodierni Judæi, qui reipſa ob quamcumque cauſam dimittunt uxores; quod his Italicis verbis dicit Leo Mutinenſis, lib. de ritibus Heb. *Non ſolo per occaſion di mal fare, ma ogni cagion di diſguſto, può in rigere il marito ripudiar la moglie.* Ergo Phariſæi difficilem & odioſam quæſtionem Domino proponebant, quam ſapienter diſſolvit.

4 * 3 *Mc. At ille reſpondens dixit eis*, interrogavit eos. *Quid vobis præcepit Moyſes* circa rem iſtam? 5 * 4. *Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere & dimittere*, id eſt repudiare uxorem, modò illi libellus repudii detur, quo abire liberum illi ſit. 6 * 5. *Quibus reſpondens Jeſus, ait: ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum illud.* Non de repudiandis uxoribus, ſed de ſcribendo divortii libello, ſi quis uxorem ferre non poſſet, præceptum dedit Moyſes, proſpiciens animum veſtrum durum & obſtinatum, præ quo, ſi hoc vobis prohibuiſſet, aut non obedivíſſetis, aut ſi obedire coacti fuiſſetis, majora perpetraſſetis mala, veneficia, & uxoricidia.

7 * 4 *Mt. Non legiſtis, quia qui fecit hominem, Mt.* 6 *Mc. ab initio Mc. creaturæ*, cùm conditæ ſunt, *maſculum & feminam fecit eos Mc. Deus.* In ſexu gemino creavit hominem, ut ſibi mutuò juncti in unam carnem humanum genus propagarent. non Adæ multas uxores creavit; *maſculum & feminam fecit eos*, ἄρσεν ϗ θῆλυ: quæ duo nomina neutra ſunt, nec tam perſonas quàm ſexum indicant, alterum alteri mutua ratione factum. *Mt. Et dixit*, ſupple ſcriptura: 8 * 5 *Mt.* 7 *Mc. Propter hoc*, hanc rationem, *Mt. relinquet homo patrem Mc. ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* προσκολληθήσεται. Eraſmus interpretatur *agglutinabitur*; quod verbum vim Græci vocabuli optimè exprimit;

mit; arctiſſima enim eſt conjunctio viri & uxoris quaſi glutine conjunctorum nulla arctior conjunctio eſſe debet. 9 * *Mt.* 8 *Mc. Et erunt ſicut duo in carne una*, vel qui duo ante matrimonium, conjugati jam erunt una caro, id eſt unum corpus ex inſtitutione Dei. 10 * 6. *Mt. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* eleganter de Germanis mulieribus Tacitus dicit, quòd ſic unum accipiunt maritum, quomodo corpus, unamque vitam. *adeo autem repudium*, inquit Tertullianus, lib. de monogamia *à primordio non fuit, ut apud Romanos poſt annum ſexcenteſimum Urbis conditæ, id genus duritiæ commiſſum denotetur.*

11 * *Mt.* 9. *Mc. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* conjugium quod Deus primus conjugii inſtitutor tam arcto vinculo conjunxit, homo ex privato animi ſui arbitrio ne ſeparet. 12 * 7 *Mt. Dicunt illi* Phariſæi: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* non malè ex lege præſcribente formam negotio permiſſionem hi Phariſæi inferunt. qui enim repudianti uxorem præcipit ut libellum det divortii, divortium aliquatenus permittit; ſed non quidquid permittitur, legibus præſertim civilibus, fas, piumque eſt, ut Chriſtus oſtendit. Permiſit hoc Deus per Moyſem in foro politico, non in foro conſcientiæ, non abuſum hunc probans, ſed ei frænum injiciens, eumque certis limitibus circumſcribens, ne ulteriùs evagetur. juris hæc erat relaxatio qua hoc malum minus illegitimum factum eſt. 13 * 8. *Ait illis* Jeſus: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* cauſa hujus permiſſionis, ſive relaxationis aperta eſt. *ab initio autem non fuit ſic.* Inſtitutum enim matrimonium, ut perpetuo vinculo aſtringeret uxorem & maritum; quod vinculum eſt ab ipſa natura, ideoque ut recta eſt & perfecta, ita & inviolabilis, nec ulla præſcriptione abolenda; quin imo ex hominum vitio eſt quidquid ad ea deflectit. omnia autem revocat Chriſtus ad initium; vetat quod lex tolerabat propter duritiam cordis, quam gratia ſua amovet.

14 * 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem*, cùm adultera eſt, & non quovis prætextu, *& aliam duxerit, mœchatur*, ipſe cenſetur mœchus, adulter: *& qui dimiſſam duxerit, mœchatur*; pariter adulter eſt: Quia illa alterius eſt viri; ſola enim mors vinculum matrimonii reſolvit, neque enim homo ſeparare poteſt quod Deus conjunxit:

Errant ergo qui ſentiunt in cauſa adulterii non eſſe illicitum parti innocenti ad novas nuptias avolare. Dicunt illi verba Chriſti interpretanda eſſe ex ſcopo, quem intuebatur, probans peccare Judæos qui ob quamcumque cauſam repudiabant uxores. Hæc autem: *& aliam duxerit, mœchatur*, ſic accipiunt, ut verbum quo uſus ſit Chriſtus, fuerit in forma quàm Grammatici appellant *Hiphil*, & ideo *mœchatur*, ibi ſit poſitum pro *facit mœchari*; ut qui aliam duxerit, dimiſſa adultera, non cenſendus ſit mœchari, ſed tantùm in cauſa eſſe ut uxor mœchetur. verùm inanis eſt illa obſervatio; etenim illud, *& qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, pariter exponendum eſſet; *facit eam mœchari.* quo ſenſu? niſi ille qui duceret dimiſſam, pro conjuge haberet meretricem, nempe quia matrimonium ejus non eſt legitimum; alteri enim viro conjuncta manet, etiam ſi dimiſſa.

Igitur revocat matrimonium Dominus ad prima ſua initia, in quibus omninò ignorabatur repudium. Permittit marito expellere adulteram; quia id etiam juſſum erat auctoritate veteris ſcripturæ ut ſuprà vidimus. ſed laxaſſet leges matrimonii, ſi conceſſiſſet parti innocenti nempe uxori, cujus maritus adulter erat, alterum maritum ſibi ſociare; nam ut diſertis verbis ſcribit Joſephus, lib. 15. cap. 9. marito erat licitum repudiare uxorem; neutiquam verò uxori quæ ſponte abierit, nubere, niſi priùs à marito dimitteretur.

Chriſtus, inquam, non meminit fornicationis apud Matthæum, quaſi docens innocenti jus novi conjugii; ſed ne quis adulteram ſervandam eſſe opinaretur. quapropter Lucas ſine ulla exceptione loquens, dicit cap. 16. ℣. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* argutiam illam qua volunt poſitum *mœchatur*, pro *facit mœchari*, Marcus refellit, ſcribens ſine ambiguitate, adulterium ab eo committi, qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit. Ita apertum verba Matthæi interpretanda eſſe ex prima matrimonii inſtitutione, ad quam revocat Chriſtus. Græci tamen dimiſſa adultera conjuge, alteram ducunt; ſed Latinorum doctrina & conſuetudo magis conſentiunt cum Evangelio.

15 * 10 *Mc. Et in domo iterùm*, cùm eſſent *diſcipuli ejus* ſemoti à turba, *de eodem interrogaverunt eum.* 16 * 11. *Et ait illis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper ea*, vel ſuper iſta quam repudiavit, cujus cùm ſit adhuc legitimus maritus, non poteſt alteri adhærere quin ſit adulter; vel ſuper ea quam ducit, quia cum iſta & adulterium committit. ita iterum dicam, inanis eſt argutia eorum qui impugnant doctrinam orthodoxam. 17 * 12. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* nulla hic eſt exceptio. Dominus vinculum matrimonii clarè ſtatuit perpetuum.

18 * 10. *Mt. Dicunt ei diſcipuli ejus: ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* ſi tale ſit jus conjugii ut inſeparabile ſit ſemel initum conjugium, *non expedit nubere:*

grave eſt pondus uxorum: quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus; ſi luxurioſa, ſi guloſa, ſi vaga, ſi jurgatrix, ſi maledica, tenenda iſtiuſmodi? Utor verbis Hieronymi, qui reſpondet: volumus, nolumus, ſuſtinenda eſt. cùm enim eſſemus liberi, voluntariè nos ſubjecimus ſervituti. ſane, ut ionuit Paulus, melior eſt conditio cœlibis. 19 * 11. *Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud;* non omnes pares ſunt tam ſublimi propoſito; *ſed* ii ſolum capiunt, id eſt intelligunt, vel capaces ſunt hujus rei, *quibus* à Deo *datum eſt;* nempe ut abſtinere poſſint nuptiis; quales pleroſque in Eccleſia futuros indicat Dominus, triplex eunuchorum genus diſtinguens.

20 * 12. *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt* inepti conjugio: *Et ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus*, qui ita inviti in cœlibatus legem detruduntur. Sed præter illos eunuchos, qui ab externo Dei cultu in lege Moyſis excludebantur, *& ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt* non gladio, ſed conſtanti propoſito non ducendi uxorem, *propter regnum cælorum* faciliùs obtinendum: ut puriùs, & liberiùs Deo in Eccleſia ſerviant. *Qui poteſt capere* cœlibatum voluntarium, *capiat*; cui tantum animi eſt, macte iſta virtute. His omnibus Chriſtus occultè inducit ad optandam eligendamque virginitatem, inquit B. Chryſoſtomus; ut cùm eunuchi qui ſic nati ſunt, aut facti voluptate careant ſine præmio, ſint qui voluntariè vivant eunuchi cum multo præmio; quales Eccleſia ſe habere ſemper gloriata eſt. Turbas virginum in argumentum quòd religio Chriſtiana præſtantiſſima ſit, afferunt primi defenſores ejus. cùm ſuam vagam & effrænatam libidinem Gentibus exprobraſſet Tertullianus, unde tot inceſta inter illas: *Nos*, inquit ille, *ab iſto eventu diligentiſſima & fideliſſima caſtitas ſepſit; quantumque ab ſtupris, & ab omni poſt matrimonium exceſſu, tantum & ab inceſti caſu tuti ſumus. Quidam multo ſecuriores totam vim hujus erroris virgine continentia depellunt ſenes, pueri.* Apol. cap. 9.

Quid igitur ſentiendum de Heterodoxis, qui à propoſito caſtitatis avocant, quaſi nemini datum eſſet vivere ſine uſu veneris. injuriam faciunt Apoſtolis & Martyribus, inquit Hieronymus ſcribens adverſus Vigilantium; *oſtendentes quàm ſanctè vivant, qui malè de omnibus ſuſpicantur: & niſi prægnantes uxores viderint clericorum, infanteſque de ulnis matrum vagientes, Chriſti ſacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti & Sedis Apoſtolicæ: quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* In veteri lege ſacerdotibus toto tempore quo in templo miniſtrabant, præcipiebatur abſtinere conjugio. perpetuum eſt ſacerdotum novæ legis miniſterium. quin & militia eſt noſtrum exercitium; nemo autem miles cum uxore pergit ad prælium, ajebat Hieronymus.

CAPUT XXVIII.

Jeſus pueris manus imponit. Docet periculoſas eſſe opes: Manere præmia eos qui illum ſequuntur, ſed poſt graves pœnas.

HARMONIA.	MATT. Cap. 19. ℣. 13-30.	MARC. Cap. 10. ℣. 13-31.	LUCAS, Cap. 18. ℣. 15-30.
1 *Mc.* TUnc oblati ſunt ei parvuli, *L* & infantes, ut eos tangeret, *Mt.* ut manus eis imponeret & oraret.	13 Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret.	13 Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos.	15 Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret.
2 *L* Quod cum viderent diſcipuli, increpabant illos, *Mc.* comminabantur offerentibus.	diſcipuli autem increpabant eos.	diſcipuli autem comminabantur offerentibus.	Quod cùm viderent diſcipuli, increpabant illos.
† 1. Cor. 14. 20. 1. Petr. 2. 2. 3 † Quos cùm videret Jeſus, indignè tulit, & *L* convocans illos, *Mc.* ait illis:	14 Jeſus verò ait eis:	14 Quos cùm videret Jeſus indignè tulit & ait illis:	16 Jeſus autem convocans illos, dixit:

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	
4 *Mt.* Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, *MM. L* talium eſt enim regnum *Mc. L* Dei *Mt.* cœlorum.	Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum.	Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim eſt regnum Dei.	Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium eſt enim regnum Dei.	
5 *Mc.* Amen dico vobis: Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, *Mc. L* non intrabit in illud.		15 Amen dico vobis: Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.	17 Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.	
6 *Mc.* Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.		16 Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.		
7 *Mt.* Et cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde.	15 Et cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde:			
8 *Mc.* Et cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam *L* princeps *Mc.* genuflexo ante eum, rogabat eum, *L* dicens:	16 Et ecce unus accedens, ait illi:	17 Et cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum:	18 Et interrogavit eum quidam princeps dicens:	
9 *MM. L* Magiſter bone, *MM.* quid *Mc.* boni *MM.* faciam, *Mt.* ut habeam vitam æternam?	Magiſter bone, quid boni faciam ut habeã vitam æternam?	Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam?	Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo?	
10 *Mc.* Jeſus autem dixit ei: *Mc. L* Quid me dicis bonum?	17 Qui dicit ei:	18 Jeſus autem dixit ei: Quid me dicis bonum?	19 Dixit autem ei Jeſus: Quid me dicis bonum?	
11 *Mt.* Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus, Deus. *Mc. L* Nemo bonus, niſi *Mc.* unus *Mc. L* Deus. *Mt.* Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.	Quid me interrogas de bono? Uuus eſt bonus, Deus. Si autem vis ad vitã ingredi, ſerva mandata.	Nemo bonus, niſi unus Deus.	Nemo bonus, niſi ſolus Deus.	
12 Dicit illi: Quæ? Jeſus autem dixit:	18 Dicit illi: Quæ? Jeſus autem dixit:			
13 *L* Mandata noſti: † Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: *Mt. L* Non falſum teſtimonium dices: *Mc.* Ne fraudem feceris.	Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices:	19 Præcepta noſti: Ne adulteres: Ne occidas, Ne falſum teſtimonium dixeris, Ne fraudem feceris.	20 Mandata noſti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falſum teſtimonium dices:	† *Exod.* 20. 18. *Deut.* 5. 17.
14 † *MM. L* Honora patrem tuum, & matrem *Mt.* tuam, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum.	19 Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum.	Honora patrem tuũ, & matrem.	Honora patrem tuũ, & matrem.	† *Lev.* 19. 18. *Rom.* 13. 9. *Gal.* 5. 14. *Eph.* 6. 2. *Iac.* 2. 8.
15 Dicit illi adoleſcens: *Mc.* Hæc omnia obſervavi *MM. L* à juventute mea, *Mt.* quid adhuc mihi deeſt?	20 Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deeſt?	20 At ille reſpondens, ait illi: Hæc omnia obſervavi à juventute mea,	21 Qui ait: Hæc omnia cuſtodivi à juvente mea,	
16 *L* Quo audito, Jeſus *Mc.* intuitus in eum, dilexit eum, & dixit ei: *L* Adhuc *Mc. L* unum tibi deeſt.	21 Ait illi Jeſus:	21 Jeſus autem intuitus in eum, dilexit eum, & dixit ei: unum tibi deeſt.	22 Quo audito, Jeſus ait ei: Adhuc unum tibi deeſt:	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
17 *Mt.* Si vis perfectus eſſe; *MM.* vade, *L* omnia *Mc. L* quæcumque habes, vendè, *MM. L* & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.	Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurũ in cœlo: & veni, ſequere me.	vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.	omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me.
18 *Mt.* Cùm audiſſet autem adoleſcens, *Mc.* contriſtatus in verbo, abiit mœrens; *MM.* erat enim habens multas poſſeſſiones,	22 Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis; erat enim habens multas poſſeſſiones.	22 Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones.	23 His ille auditis, contriſtatus eſt: quia
19 *L* Dives erat valdè.			dives erat valdè.
20 Videns autem Jeſus illum triſtem factum.			24 Videns autem Jeſus illum triſtem factum, dixit:
21 *Mc.* Et circumſpiciens, ait diſcipulis ſuis: *Mc. L* † Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei *L* intrabunt! († Job. 31. 24. Pſal. 62. 11. Prov. 11. 28.)	23 Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis:	23 Et circumſpiciens Jeſus, ait diſcipulis ſuis: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!	Quàm difficilè, qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!
22 *Mt.* Amen dico vobis, † quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. († 1. Tim. 6. 9. 10.)	Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum.		
23 *Mc.* Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens, ait illis:		24 Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens ait illis:	
24 *Mt.* Et iterùm dico vobis: *Mc.* Filioli, quàm difficilè eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!	24 Et iterùm dico vobis:	Filioli, quàm difficile eſt, confidentes in pecuniis in regnũ Dei introire.	
25 *MM. L* Facilius eſt *L* enim *MM. L* camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum *Mc. L* Dei *Mt.* cœlorum.	Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnũ cœlorum.	25 Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.	25 Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.
26 Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes *Mc.* ad ſemetipſos:	25 Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valdè, dicentes:	26 Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos:	26 Et dixerunt qui audiebant:
27 *Mc. L* Et quis poteſt ſalvus fieri?	Quis ergo poterit ſalvus eſſe?	Et quis poteſt ſalvus fieri?	Et quis poteſt ſalvus fieri?
28 *Mc.* Et intuens illos Jeſus, *Mt.* dixit illis: *MM.* Apud homines *Mt.* hoc *MM.* impoſſibile eſt, *Mc.* ſed non apud Deum.	26 Aſpiciens autem Jeſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt?	27 Et intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum.	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	
29 *L* Ait illis : † Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum ; *Mc.* omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.	apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.	omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.	27 Ait illis : Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.	† *Ierem.* 32. 17. *Zach.* 8. 6.
30 *Mt.* Tunc reſpondens Petrus dixit ei : *MM. L* † Ecce nos *Mt.* reliquimus *MM. L* omnia, & ſecuti ſumus te : *Mt.* Quid ergo erit nobis ?	27 Tunc ✠ reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te : quid ergo erit nobis ?	28 Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.	28 Ait autem Petrus : Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.	✠ *Commune Conf. non Pont. pro Abbatibus, & in converſione ſancti Pauli.* † *Act.* 3. 21. 2. *Pet.* 3. 13. *Apoc.* 21. 1.
31 Jeſus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.	28 Jeſus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.	29 Reſpondens Jeſus, ait : Amen dico vobis.	29 Qui dixit eis : Amen dico vobis,	
32 *Mc.* Nemo eſt, *MM.* qui reliquerit domum, *Mc.* aut *MM.* fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, *Mt. L* aut uxorem, *MM. L* aut filios, *MM.* aut agros, *Mt.* propter nomen meum, *Mc.* propter me, & propter Evangelium, *L* propter regnum Dei.	29 Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meũ,	nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium,	nemo eſt qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei,	
33 *Mc.* Qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus ; & in ſæculo futuro *Mc. L* vitam æternam.	centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit ¶	30 Qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus; & in ſæculo futuro vitam æternam.	30 Et non recipiat multò plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam.	

35 * 30 *Mt.* 31 *Mc.* Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

1 * 13 *Mt.* TUNC *oblati ſunt ei parvuli, L & infantes* à parentibus, aut nutritiis, *ut eos tangeret, Mt. ut manus eis imponeret, & oraret*, id eſt ut benediceret eis. 2 * *L Quod cùm viderent diſcipuli, increpabant illos*, & prohibebant. 3 * 13. *Comminabantur offerentibus* : etiam verbis duris eos arcebant à Chriſto, quòd turmatim ad Jeſum accederent, & obruerent eum. 4 * 14. *Quos cùm videret Jeſus, indignè tulit. & L* 16. *convocans illos*, ut omnes diſcerent ab ore ejus, quæ mens illius eſſet, *Mc. ait illis :* 5 * 14. *Mt. Sinite parvulos, & nolite eos prohibere venire ad me*, quaſi res minùs digna eſſet Chriſto. *talium eſt enim*, horum & ſimilium puerorum ut ætate, ita & moribus *regnum Mc. L Dei Mt. cælorum*. nempe Chriſtianiſmo, & poſſidendo cœlo ſoli idonei ſunt, qui à faſtu alieni ſunt, ambitione vacui, obedientes & dociles ut parvuli. Ideò adjungit Dominus. 6 * 15. *Mc. Amen dico vobis : quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus*, cujus animum non invaſerunt ſuperbia, ambitio, avaritia, quibus vitiis laborabant Phariſæi, *Mc. L non intrabit in illud*. ergo non repellebat Dominus parvulos, ſed 7 * 16 *Mc. & complexus eos, & imponens manus ſuper illos benedicebat eos, Mt. & cùm impoſuiſſet eis manus,*

quod

quod requirebant qui illos offerebant, *abiis inde*, iter pergens verſus Hieroſolymam.

9 * 17 *Mc. Et cùm ingreſſus eſſet in viam*, (forſan; ubi pueri illi oblati, aliquantiſper ſubſtiterat, ut cibo ſe reficeret) *procurrens quidam* (ſuplendum *adoleſcens*, *νεανίσκος*, quod nomen occurrit in nonnullis Matthæi codicibus Græcis, & ſuſpicarer hic omiſſum, quod infrà legitur) *L princeps*, *ἄρχων*, vir primarius, *Mc. genuflexo ante eum, rogabat eum*, *L dicens*: 10 * 16 *MM. L Magiſter bone, quid Mt. boni faciam*, *Mt. ut habeam vitam æternam*. quaſi dicat, tu qui Meſſias es, (niſi enim pro tali agnoviſſet, aut ſaltem pro magno propheta non ante eum genua curvaſſet) doce quid mihi ſit faciendum, ut particeps ſim illius vitæ æternæ, quam didicimus ſub regno Meſſiæ fideles Judæos conſecuturos eſſe. Nonnullis placet & hunc principem acceſſiſſe ad Chriſtum, ut eum tentaret, fingendo velle ſe adſcribi numero diſcipulorum.

11 * 18. *Mc. Jeſus autem dixit ei*: *Mc. L Quid me dicis bonum?* 12 * 17 *Mt. Quid me interrogas de bono?* in exemplaribus Græcis hodiernis eadem ſunt Matthæi, ac Marci, & Lucæ verba, *τί με λέγεις ἀγαθόν*. *quid me dicis bonum*, ut vulgatus interpres reddit apud Marcum, & Lucam. Beza teſtatur in duobus vetuſtis exemplaribus, & in ſuo vetuſtiſſimo codice, legi apud Matthæum *τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ*, *quid me interrogas de bono? εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς*. *unus eſt bonus*. ſed vulgata addit *Deus*. quidquid ſit, liquet ex Marco, & Luca *interrogare de bono*, idem eſſe ac bonum appellare. *ἐρωτάω*, ſæpè ponitur pro *dico*, *alloquor*. Quæ juxta tres Evangeliſtas ſubdit Dominus: *Unus eſt bonus*, *Deus*. *Mc. L Nemo bonus*, *niſi Mt. unus Mc. L Deus*. hæc, inquam, demonſtrant *dicere bonum*. & *interrogare de bono*, non habere diverſum ſignificatum. cùm autem conſtet & homines in ſcripturis ſæpiùs vocari bonos, quæritur, unde illud Chriſti ad virum principem, *quid me dicis bonum?* videtur Dominus hac quæſtione docere modeſtiam hunc principem, ne ampliùs gauderet vanis titulis, more Phariſæorum, qui ambiebant appellari *Rabbi*: quaſi dicat, uni Deo honor & gloria debetur. *Ad altiora ſenſim eum adducebat*, inquit B. Chryſoſtomus, in hunc locum Matthæi, *ac ab adulationis vitio liberare volebat*, *ut ſimul & à terrenis abduceret*, *& Deo affigeret*, *ſuaderetque futura ſolummodò bona eſſe quærenda*, *utque ſolum Deum verè bonum*, *& radicem ac fontem bonorum omnium eſſe cognoſceret*, *& ei gloriam referret*. Non autem ſe bonum negat Chriſtus; & ideo malè ex verbis ejus deduceretur non eſſe Deum. imo cùm Deus bonus ſit, quia origo boni eſt; quippe opifex omnium, Chriſtus Verbum ejus, per quem omnia facta ſunt, pariter boni auctor eſt, & ideo bonus.

Mt. Si autem, inquit Dominus ad hunc principem, *vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata Dei*. 13 * 18. *Dicit illi quæ?* quia à novo doctore nova & ignota mandata proponi putabat. *Jeſus autem dixit*: 14 * 20 *L Mandata noſti*, illa nota; *Non occides*, *non mæchaberis*, *non furtum facies*: *Mt. L non falſum teſtimonium dices*: *Mc. ne fraudem feceris*: 15 * 19 *MM. L Honora patrem tuum*, *& matrem MM. tuam*, *& diliges proximum tuum ſicut teipſum*.

16 * 20. *Dicit illi adoleſcens*: *Mt. Hæc omnia* mandata *obſervavi L à juventute mea*, *Mt. quid adhuc mihi deeſt*, ad inſiſtendum iter vitæ æternæ? ſic accipi poſſunt verba hujus adoleſcentis, ut dicat, da quod ſervaverim hæc omnia, an aliud aliquid mihi deeſt? 17 * 22. *L Quo audito*, *Jeſus Mc. intuitus in eum*, *dilexit eum*, *ἠγάπησεν αὐτὸν*, Origenes, inquit Caſaubonus, cum non ſatis concoqueret, cur diceretur Chriſtus eum dilexiſſe, quem narrant Evangeliſtæ, auditis ipſius verbis triſtem abiiſſe, videtur *ἀγαπᾶν*, maluiſſe accipere pro *oſculari*, quàm pro *diligere*; ut ſignum approbationis Chriſtus dederit juveni, qui legis præcepta ſe ſervaſſe dixerat. Vox *ἀγαπᾶν*, ſumpta eſt à LXX. interpretibus pro *amicis blandiſque verbis compellare*, *& laudare*, ut obſervat Ludovicus *de Dieu*. dicti enim interpretes verbum Hebræum פתה *patha*, id eſt ſermone blando, venuſto, & eleganti allicere, ita interpretantur in pſalmo 77. ℣. 36. *ἠγάπησαν αὐτὸν ἐν τῷ ςόματι αὐτῶν*. *Et dilexerunt eum in ore ſuo*, id eſt laudaverunt in ore ſuo. Ergo Chriſtus audita juvenis jactantia, qui ſe univerſam legem obſervaſſe gloriabatur, noluit eum apertè mendacii redarguere, ſeveriſque verbis objurgare, ſed *ἠγάπησεν αὐτὸν*, *adblanditus eſt ei*, laudavit eum ac ſtudium quod legi impenderat, amiciſque ſuper hac re verbis compellavit. ſed his verbis videtur ſubeſſe ironia; ſic, enim cum eo adoleſcente poſtea agit Dominus ut retegat ulcus ejus, nimirùm avaritiam ob quam potiùs culpandus erat, quàm ob cætera laudandus. *Et dixit ei*, *L adhuc Mc. L unum tibi deeſt*, quod non feciſti. 18 * *Mt. Si vis perfectus eſſe*. conſilium dat, non præceptum, qui non dicit, eſto perfectus, ſed ſi vis eſſe perfectus, inquit Paulinus, ep. 2. ad Sever. *Vade*, *L omnia Mc. L quæcumque habes*, *vende*, *L & da pauperibus*, *& habebis theſaurum in cœlo*. Introſpiciebat animum juvenis pecuniæ deditum, quo, ut pleriquee ex principibus, revocabatur à regno cœlorum. Abjice ſarcinas divitiarum, *& veni*, hoc impedimento rejecto, *& ſequere me*, quod aliter non potes.

Textus Græcus Marci addit *tollens crucem tuam*, quod forſan aliunde huc irrepſit. *Magnus eſt ille qui in divitiis pauper eſt*, olim ſcribebat Seneca, ep. 20. *ſed ſecurior qui caret divi-*

divitiis. Ita ſecutus, imo aliquibus neceſſarium eſt prorſus mundo abſtinere. *Multi enim ſunt qui poſſent religioſam vitam etiam in ſæculari habitu ducere; & plerique ſunt qui niſi omnia reliquerint, ſalvari apud Deum nullatenùs poſſunt*, inquit Gregorius magnus ſcribens ad Mauritium imperatorem.

19 * 22 *Mt. Cùm audiſſet autem adoleſcens Mc. contriſtatus in verbo*, in eo quod dixerat Chriſtus, *abiit mœrens*. non ſecutus eſt eum ob impedimentum divitiarum. *erat enim habens multas poſſeſſiones*: 20 * 23. *Dives erat valdè*. & divitiarum amore tenebatur. *Non eſt enim in carendo difficultas, niſi cùm eſt in habendo cupiditas*, ait Auguſtinus. 21 * 24. *Videns autem Jeſus illum triſtem factum*. 22 * 23. *Mc. & circumſpiciens* ut hoc geſtu indicaret ſententiam magni ponderis à ſe pronuntiandam, ut omnes faceret attentos, *ait diſcipulis ſuis: Mc. L Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Mc. Dei L intrabunt*. ſcilicet cùm nolunt eas abjicere; quod faciendum, cùm impedimento ſunt nobis. 23 * 23 *Mt. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum*. habere divitias criminis non eſt, ſed modus in habendo retinendus eſt. *Ergo*, inquit Hilarius magnus, *nocenter magis habere, quàm illud ipſum habere, fit crimen. ſed periculoſa cura eſt velle diteſcere; & grave onus innocentia ſubit, incrementis opum occupata*. Non dicit Dominus nullum divitem intraturum in regnum cœlorum; ſed ita loquitur, ut ex verbis ipſius intelligi poſſet futurorum raritas ex difficultate.

24 * 24 *Mc. Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus*. illa enim de aſpernandis tanto faſtidio divitiis nova erant. *At Jeſus rurſus reſpondens, ait illis*: 25 * 25 *Mt. Et iterùm dico vobis: Mc. Filioli, quàm difficile eſt confidentes in divitiis*, eos qui ſpem ac fiduciam in divitiis ponunt, *in regnum Dei introire*! 26 * *Mt. 25. Mc. L Facilius eſt Mc. enim L camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Mc. L Dei*, quod eſt *Mt. cælorum*. *Nec enim*, aiebat Lactantius, lib. 6. cap. 1. *poteſt, qui ſe apparatu regio circumdederit, aut divitiis oneraverit, anguſtias illas*, viæ cœleſtis anguſtias intelligit, *vel ingredi, vel tenere*. nomen autem κάμηλος, ſignificat & *camelum* animal, & *funem nauticum*, ſive *rudentem*; ut de utroque interpretari poſſimus hoc proverbium. quo ſignificatur res multùm difficilis. Inter proverbia Talmudica, nempe trita Judæis duo reperiuntur ex quibus liquet, vel de rudente, vel de camelo animali accipi poſſe hunc locum. *Gravis eſt exitus animæ ex corpore*, inquiunt Talmudici, *ut rudentis per foramen anguſtum*. Pariter dicunt, *non eſt Elephas qui ingret per foramen acus*. de camelo beſtia volunt periti accipienda eſſe Domini verba, quia funis nauticus, ſive rudens; apud Suidam non dicitur κάμηλος, ſed κάμιλος, per tota.

27 * 25. *Audiitis autem his*, ex quibus colligebant vix aliquem poſſe eſſe ſalvum, cùm omnes divitiarum ſtudio tenerentur, *diſcipuli mirabantur valdè, dicentes Mc. ad ſemetipſos*: 28 * 26 *L Mc. Et quis poteſt ſalvus fieri?*

29 * 27. *Mc. Et intuens illos Jeſus, Mt. dixit illis: apud homines Mt. hoc impoſſibile eſt, ſed non apud Deum*. quaſi dicat: non eſt humanæ opis tam tenacia vincula divitiarum abrumpere. 30 * 27. *L Ait illis: quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum, Mc. omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum*. homines per ſe divitiis renuntiare non poſſunt, ſed Dei beneficio poſſunt; poteſt Deus divitibus aliam dare mentem, ut opibus non fidant, & illas diſtribuant.

31 * 27. *Mt. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: L Ecce nos Mt. reliquimus L omnia, & ſecuti ſumus te: Mt. Quid ergo erit nobis?* nempe mercedis, aut præmii. 32 * 28. *Jeſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione*, in renovata vita, in futuro ſæculo, *cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*, cùm ego regnabo, *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. non ſtabitis ut cæteri, qui judicandi erunt, ſed mihi aſſidebitis, ut regibus conſiliarii. proximum mihi Regi honorem occupabitis. Sumpta eſt translatio à veteri ſtatu regni Iſraelitici, in quo tribuum principes proximè ad regiam majeſtatem accedebãt, & in publicis cœtibus juxta Regis ſolium ſedebant in ſellis curulibus, quæ hic in codice Græco, ut in Apocalypſi, Θρόνοι, *Throni* vocantur.

32. *Mc. Nemo eſt qui reliquerit domum, Mc. aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, Mt. L aut uxorem, L aut filios, aut agros, propter nomen meum*, id eſt *Mc. propter me & propter Evangelium*, ut huic pareat, *L propter regnum Dei*. 34 * 30 *Mc. Qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros*. nempè erunt qui charitate Chriſtiana jacturam iſtarum rerum facilè ſuppleant; & vice domus, aut prædii unius à vobis relicti centum aliorum domus & prædia erunt vobis aperta. *cum perſecutionibus*. non promittit perſecutiones Dominus, ſed fore dicit ut in mediis etiam perſecutionibus centuplo ſint felicioſes, quàm unquam antea; quoniam multi verorum amicorum officia præſtantes, vobiſcum neceſſaria communicabunt. *& in ſæculo futuro Mc. L vitam æternam*. poſſidebitis.

Hæc eſt conditio Chriſtianorum, ut qui infelices ſint plerorumque judicio, reipſa etiam in hac vita beati ſint; fruuntur enim incredibili animi gaudio, pace, ſpiritualibus Bonisque abundè compenſant bona à ſe relicta. Inde Paulinus ajebat ſtylo venuſtiſſimo epiſt. 12.

net

negotiamur, & liberales habemur, qui avariſſimi eſſe convincimur; & quidem tantò avariores cupidiſſimis terra fœneratoribus, quantò amplius eſt cæleſtia de terrenis, & beata de miſeris, egeniſque rebus emere, quàm terrena terrenis, & labentibus lapſura mercari, & Dominum, quàm hominem fœnerare. Qui autem gloriantur omnia reliquiſſe, audiant Bedam: *Faciliùs ſaccus contemnitur, quàm voluntas. multi divitias relinquentes Dominum non ſequuntur: quem ſequi eſt imitari.* Quapropter modò laudatus Paulinus admonebat, ep.2. bonorum relictionem non eſſe decurſum ſtadii, ſed ingreſſum; nec metam, ſed januam. *Non enim*, inquit, *athleta tum vincit, cùm exuitur, qui ideo nudatur ut incipiat dimicare, cùm legitimè certaverit, coronandus.*

35 * 30 *Mt.* 31 *Mc. Multi autem erunt primi*, qui nunc ſunt *noviſſimi* hominum opinione, & *noviſſimi* erunt, qui nunc *primi* ſunt, quales Scribæ & Phariſæi. Generale dictum eſt, quo, ut colligitur ex parabola ſequenti, Chriſtus futurum indicat, ut Gentiles præponendi ſint Judæis, fœderis ſecum initi antiquitate ſuperbientibus; & hi, qui ob prioris vitæ peccata inter Judæos erant contemptiſſimi, pariter præferendi ſint cæteris pœnitentiæ remedium contemnentibus.

CAPUT XXIX.

Dominus parabola operariorum demonſtrat poſſe ſine injuria, quos voluerit muneribus plurimis donare, cæteris quod ſuum eſt rependens.

MATTHÆUS, Cap. 20. ℣. 1—16.

† Dom. Septuageſima.

1 † SImile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo
manè conducere operarios in vineam ſuam.
2 Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos
in vineam ſuam.
3 Et egreſſus circa horam tertiam vidit alios, ſtantes in foro otioſos.
4 Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis.
5 Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa ſextam & nonam horam:
& fecit ſimiliter.
6 Circa undecimam verò exiit, & invenit alios ſtantes, & dixit illis:
Quid hic ſtatis tota die otioſi?
7 Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.
8 Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca
operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſsimis uſque ad primos.
9 Cùm veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt
ſingulos denarios.
10 Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi:
acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.
11 Et accipientes murmurabant adversùs patremfamilias.
12 Dicentes: Hi noviſsimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.
13 At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario conveniſti mecum?
14 Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic noviſsimo dare
ſicut & tibi.
15 Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt,
quia ego bonus ſum?

16 Sic

16 Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. ¶

1 SIMILE *eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam*. vinea illa Eccleſia eſt; nempe cœtus eorum, à quibus coli vult Deus. à primis temporibus vocaverat Judæos. 2. *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν.* ex denario in ſingulos dies, *miſit eos in vineam ſuam* cum ſpe hujuſce mercedis. 3. *Et egreſſus circa horam tertiam*, à ſolis ortu, *vidit alios ſtantes in foro otioſos*. 4. *Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit*, quod par erit labori veſtro, *dabo vobis*. 5. *Illi autem abierunt*.

Iterùm autem exiit circa ſextam, id eſt meridiem, *& nonam horam*, quæ nobis eſt tertia pomeridiana: *& fecit ſimiliter*, miſit in vineam quos in foro invenit otioſus.

6 *Circa undecimam verò exiit*, ſerò admodum, cùm ſol ad occaſum vergit. *& invenit* in foro *alios* operarios *ſtantes*, paratos ad opus. Græcus codex addit ἀργοὺς, otioſos. *Et dicit illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi?* non debebatis ita ſtare. Increpantis eſt, ut Act. cap. 1. ℣. 11. operarii illi exhibent Gentes idololatras, quæ ſerò ad eccleſiam vocatæ ſunt. 7. *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit*. Ne quis ex eo deducat gentes eſſe ſine peccato, advertendum in hac & quacumque alia ſimilitudine, quædam eſſe diſſimilia ad ornatum, non ſcopum parabolæ ſpectantia. talia ſunt, quòd hi operarii exſpectent vocantem. *Dicit illis*, operariis paterfamilias: *Ite & vos in vineam meam*. Beza dicit in omnibus ſuis codicibus, excepto vetuſtiſſimo, legi pariter hìc ac ſuprà; *& quod juſtum fuerit dabo vobis*.

8. *Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo*, œconomo, præfecto domus: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, quam apud ſe morari uſque manè noluit, juxta Levit. cap. 19. ℣. 15. numera, inquit paterfamilias, mercedem his operariis, *incipiens à noviſſimis*, id eſt ab iis qui ultimi advenerunt, & pergens *uſque ad primos*.

9. *Cùm veniſſent ergo qui* ultimi *circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios, ἀνὰ δηνάριον*, ſinguli denarium. Hoc loco ἀνὰ ſignificat æqualem diſtributionem, quomodo uſurpatur à medicis in medicamentorum compoſitionibus. Tacitus dicit *denarium* fuiſſe ſtipendium diurnum militis unius. Denarius pondere Pariſino ponderabat 76. granis. cùm ergo quarta pars noſtri ſcutati argentei ponderet 128. granis, denarii valor major erat dimidia parte quartæ partis hujus ſcutati. Nam 76. additum eidem numero 76. facit 152. ita circiter decem noſtros aſſes valebat ille denarius. 10. *Venientes autem & primi arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi*, quia primi venerant. *Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios*. ſinguli non acceperunt ultra denarium. 11. *Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias*, 12. *dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt*, nempe opus. vel ut aliis placet, ibi ποιεῖν, *facere*, idem ſonat ac *terere*; Græcè enim & Latinè optimè dicitur facere tempus. ſic in Act. cap. 15. ℣. 33. *facto autem ibi aliquo tempore*, id eſt commorati ibi aliquo tempore. & Jac. cap. 4. ℣. 13. *faciemus ibi quidem annum*. Una autem hora in hocce loco ſumenda pro duodecima parte diei; totam enim diem, ſive tempus quo ſol lucet, in duodecim horas, ut alibi dictum eſt, partiebantur Judæi. *& pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei*, id eſt laborem diurnum integrum, *& æſtus*, id eſt fervores ſolis.

13. *At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriam*, de qua queri poſſis. *nonne ex denario conveniſti mecum?* 14. *Tolle ergo, accipe quod tuum eſt*, quod tibi debetur, *& vade*, abi, nihil tibi amplius mecum negotii, *Volo autem*, nihil tua refert ſi velim *& huic noviſſimo dare, ſicut & tibi*, parem mercedem. 15. *An non licet mihi*, non mihi per te eſt liberum *quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt*, id eſt invidus, *quia ego bonus ſum?* Quaſi mihi liceat minùs benignè agere, quia invidus es. communi phraſilogia apud Judæos ſi quis liberalis, aut benevolus ſit, dicitur vir boni oculi; ſi avarus, aut malevolus vir mali oculi. vide Deut. cap. 15. ℣. 9. Proverb. cap. 23. ℣. 6. & cap. 22. ℣. 9. & cap. 28. ℣. 22.

16 *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*. hæc parabola oſtendit ſine injuſtitia Dei primos futuros, qui erant noviſſimi. *multi enim ſunt vocati*, nempe Judæi omnes vocati ſunt ad me excipiendum: ut ſe adjungerent cœtui piorum, quem collecturus ſum, *pauci verò* ex illis *electi* in hunc cœtum, id eſt in Eccleſiam, quam congregaturus ſum: in numerum eorum, qui cælo digni erunt, Subindicat his verbis advocandas in Eccleſiam Gentes, ut participes forent præmiorum quæ collaturus erat, quod male habuit Judæos, ut patuit exitu. Ægrè ferebant Judæi etiam facti Chriſtiani ſibi Gentes pares fieri in accipiendis Chriſtianiſmi donis. Tum & his verbis revocabat Dominus Judæos ab hocce falſo præjudicio, nullum Judæum non habiturum partem in regno Dei. Quemadmodum autem inter Judæos omnes quidam vocati, ſed pauci

electi,

electi, ita & in Eccleſia non omnes electi ſunt. In illa frumentum nondum excuſſum eſt: in palea deliteſcit. pauci perſeverant, ideò non cenſendi electi à Deo ad gloriam.

CAPUT XXX.

Jeſus declarat quæ paſſurus eſſet Hieroſolymis, quò aſcendebat. Objurgat filios Zebedæi qui ambiunt majores fieri inter Apoſtolos.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 20. ℣. 17-29.	MARC. Cap. 10. ℣. 32-45.	LUCAS, Cap. 18. ℣. 31-34.
✠ *Fer. 4. infra hebd. 2. Quadr.* 1 *Mc.* Erant autem in via aſcendentes Hieroſolymam: & præcedebat illos Jeſus & ſtupebant; & ſequentes timebant.	17 Et ✠ aſcendens Jeſus Hieroſolymam,	32 Erant autem in via aſcendentes Hieroſolymam: & præcedebat illos Jeſus, & ſtupebant: & ſequentes timebant.	
✠ *Dom. Quinquageſ.* 2 Et aſſumens iterùm duodecim *Mt.* diſcipulos ſecretò, *Mc.* cœpit illis dicere, quæ eſſent ei ventura.	aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò,	Et aſſumens iterùm duodecim, cœpit illis diceréquæ eſſent ei ventura.	31 ✠ Aſſumpſit autem Jeſus duodecim,
3 *Mt. L* Et ait illis: *Mc.* Quia *MM. L* ecce aſcendimus Hieroſolymam, *L* & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de Filios hominis.	& ait illis: 18 Ecce aſcendimus Hieroſolymam,	Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam, &	& ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de Filio hominis.
4 Tradetur enim *MM.* Filius hominis principibus ſacerdotum, & Scribis: *Mc.* & ſenioribus.	& Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis,	Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & ſenioribus,	32 Tradetur enim
5 Et damnabunt *MM.* eum morte,	& condemnabunt eum morte.	& damnabunt eum morte,	
6 Et tradent eum *MM. L* Gentibus *Mt.* ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. *L* Et illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.	19 Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum:	& tradent eum Gentibus: 34 Et illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum:	Gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.
7 Et poſtquam flagellaverint, occident eum.			33 Et poſtquam flagellaverint, occident eum,
8 *MM. L* Et tertia die reſurget.	& tertia die reſurget.	& tertia die reſurget.	& tertia die reſurget.

L U C A S.

9 * 34 Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

35 *Factum eſt &c. infrà, cap. ſequenti.*

M A T T H Æ U S.

✠ *In feſto S. Joannis ante Portam Lat. & S. Jacobi, uſque ad verſum 23.*

10 * 20 Tunc † acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis; adorans, & petens aliquid ab eo.

11 * 21 Qui

11 * 21 Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad ſiniſtram in regno tuo.

MARCUS.

12 * 35 Et acceſſerunt ad eum Jacobus, & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

13 * 36 At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

14 * 37 Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
15 *Mt.* Reſpondens autem Jeſus, dixit: *MM.* Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego *Mt.* bibiturus ſum, *Mc.* aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?	22 Reſpondens autem Jeſus, dixit: Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem qnem ego bibiturus ſum?	38 Jeſus autem ait eis Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?
16 At illi dixerunt: *MM.* ei: Poſſumus.	Dicunt ei: Poſſumus.	39 At illi dixerunt ei: Poſſumus. Jeſus autem ait eis;
17 *Mt.* Ait illis: *MM.* Calicem quidem *Mt.* meum *Mc.* quem ego bibo, *MM.* bibetis: *Mc.* & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini:	23 Ait illis: Calicem quidem meum bibetis:	Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini:
18 *MM.* Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt *Mt.* à Patre meo.	ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. ¶	40 Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, noneſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt.
19 *MM.* Et audientes decem, *Mt.* indignati ſunt de duobus fratribus *Mc.* Jacobo & Joanne.	24 Et audientes decem. Indignati ſunt de duobus fratribus.	41 Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo, & Joanne.
20 *Mt.* Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum; & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos.	25 Jeſus autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum; & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos.	42 Jeſus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem habent ipſorum.
21 Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit *MM.* veſter miniſter.	26 Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.	43 Non ita eſt autem in vobis, ſed quicumque voluerit fieri major, erit veſter miniſter.
22 *Mc.* Et quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.	27 Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.	44 Et quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.
23 † Nam & *MM.* Filius hominis non venit *Mc.* ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret *MM.* animam ſuam, redemptionem pro multis.	28 Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. ¶	45 Nam & Filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.

† *Phil.* 2. 7. 1. *Tim.* 2. 6. *Tit.* 2. 14. 1. *Pet*, 1. 19.

1 *Mc.* ERANT *autem in via aſcendentes Hieroſolymam.* pergebant iter, profecti urbe Capharnaum. jam attigerant Judææ fines, &, ut patet ex capite ſequenti, proximi erant urbi Jericho. *& præcedebat illos Jeſus* accelerans greſſus, *& ſtupebant* illius diſcipuli, *& ſequentes timebant.* etenim in feſto Encæniorum nuper ante aliquot menſes quærebant eum ad necem; ita ut mirum videretur Apoſtolis, quòd auderet ire Hieroſolymam; & pro ſe timebant. 2 * *Et aſſumens iterum duodecim* 17. *Mt. diſcipulos ſecreto*, (Græcè ἐν τῇ ὁδῷ in via) id eſt ſeorſum ab aliis diſcipulis & turbis, ne ſequens prædictio nimis vulgaretur, *Mc. cœpit illis*

illis dicere, quæ eſſent ei eventura. id eſt iterùm declaravit eis, quæ intra breve tempus paſſurus eſſet Hieroſolymis. 3 * *Mt.* 31 *L Et ait illis : Mc. Quia* 18 *MM. L ecce aſcendimus Hieroſolymam, L conſummabuntur*, perficientur *omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de Filio hominis*, de me. Veteres typi, qui mortem meam repræſentabant, & vaticinia prophetarum, quibus circumſtantiæ paſſionum mearum deſcriptæ ſunt, modò implebuntur : neque enim ignorans quæ mihi ventura ſunt, Hieroſolymam aſcendo.

4 * 32. *Tradetur enim Filius hominis* ; ego enim tradar *principibus ſacerdotum, & ſcribis, Mc. & ſenioribus*, & ab uno ex diſcipulis, quod tunc temporis reticuit. 5 * *Et damnabunt eum morte*, in Synedrio ſuo judicabunt eum reum mortis ; ſed non ipſi ſuis manibus morti dabunt ; nam 6 * 19 *MM. & tradent eum L Gentibus*, Romanis, Pilato procuratori eorum, *Mt. ad illudendum* ei ut falſo regi, *& flagellandum, & crucifigendum. L Et illudetur*, tanquam ſtulto, qui ſe geſſerit pro rege, *& flagellabitur*, ut ſervus, ut ſeditioſus, *& conſpuetur* facies ejus. 7 * 33. *Et poſtquam flagellaverint, occident eum.* ſatagent ut moriatur, unde & latus ejus percutient.

Continuò adjunxit : 8 * 34. *MM. L Et tertia die reſurget.* Ut iſta prædictio paſſionum mearum non vos terreat, ſtatim poſt hanc pugnam ſequetur victoria. verùm quamquam liquidò diceret Chriſtus quod res erat, obſcurus fuit ſermo ille Apoſtolis. 9 * 34 *L Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum illud abſconditum ab eis*, res iſta erat eis abſcondita ; *& non intelligebant quæ dicebantur.* nempe apertum illum ſermonem habebant pro aliquo obſcuro problemate, obvium ſenſum repudiantes, & ſuſpicantes rem abſconditam verbis ejus ſubeſſe, cujus intelligentiam ſuo tempore daret illis Dominus.

Quin etiam eo tempore quidam ex Apoſtolis ſperabant Jeſum regnaturum cum gloria, ut colligimus ex petitione matris Joannis & Jacobi. 10 * 20. *Mt. Tunc* audita forſan reſurrectionis & novi regni mentione, *acceſſit mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis*, Jacobo & Joanne, quos non nominat Matthæus parcens pudori eorum, quia ibi taxatur eorum ambitio, *adorans & petens*, adorando petens, *aliquid ab eo*, quod non patefaceret, niſi ſpe illi facta gratiæ.

11 * 21. *Qui* Dominus *dixit ei : Quid* ergo *vis? Ait illi* mater : *Dic*, jube, decerne *ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad ſiniſtram in regno tuo* : ut dignitate & auctoritate tibi proximi ſint. dexteræ regis aſſidere eſt principem locum obtinere.

Marcus ſcribit ipſos filios Zebedæi hanc gratiam rogaviſſe ; ſed hoc ab eis factum dicere potuit, quod pro illis mater fecerat. Quidquid ſit 12 * 35 *Mc. Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes : Magiſter, volumus*, id eſt expetimus, *ut quodcumque petierimus, facias nobis*, exorari te ſinas gratiam quam petemus. 13 * 36. *At ille dixit eis : quid vultis ut faciam vobis?* quæ eſt iſta gratia? 14 * 37. *Et dixerunt : Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.* cujus ſpecimen viderant in monte. exiſtimabant enim, ut modò videbimus apud Lucam, quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.

15 * 22. *Reſpondens autem Jeſus, dixit : Neſcitis quid petatis* ; neque enim quale ſit meum regnum, aut quæ conditio amicorum in hoc mundo cognoſcitis. *Poteſtis bibere calicem, quem ego Mt. bibiturus ſum?* ambitis mihi dignitate & auctoritate proximos fieri, participes ejuſdem ſortis, an poteſtis bibere calicem meum, ſive eamdem ſortem habere, nempe multa pati? Notum quòd calix in ſcripturis denotat portionem ; vel quia olim in calicibus ubi partitio fiebat, ſortes ponebantur ; vel quod bibentes in eodem calice ſimiliter, vel amaritudinem, vel jucundum ſaporem ejuſdem potus deguſtabant. frequens eſt in ſcriptura mentio calicis in hac ſignificatione, ut pſal. 74. ℣. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto... bibent omnes peccatores terræ.* Sic Deus dicit Jeremiæ, cap. 25. ℣. 15. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea : & propinabis de illo cunctis Gentibus, ad quas ego te mittam &c. Mc. aut baptiſmo quo ego baptizor*, proximè baptizandus ſum, *baptizari?* hæc verba quæ Marcus habet, etiam in Græco codice Matthæi nunc leguntur. Afflictiones autem in ſacris ſcripturis ſæpè comparantur gurgitibus aquarum, quibus veluti ſubmerguntur qui calamitatibus vexantur. acerba res erat Judæorum baptiſmus ; in purificationibus enim ſuis toto corpore immergebantur in aquis.

16 * 39. *At illi dixerunt ei, Poſſumus* bibere tuum calicem, parati & tecum baptizari, eamdem ſortem habituri tecum. temerè & ambitioſè, ut honorem petiverant, ita etiam reſpondent ; non ſatis percipientes quantum erat quod pollicebantur. 17 * 23. *Mt. Ait illis : MM. Calicem quidem Mt. meum, Mc. quem ego bibo, bibetis : Mc. & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini*, graves perſecutiones perferetis ; ita eadem veſtra ſors erit, ac mea. 18 * 40. *MM. Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis* (illud *vobis* abeſt à Syro, & à codicibus Græcis) *ſed quibus paratum eſt Mt. à Patre meo* : hoc non datur niſi quibus paratum eſt. non poſſum dare vobis, niſi paratum ſit vobis, deſtinatum à Patre. Cùm autem J. C. D. N. conſtitutus ſit omnium Judex, penes quem ſcilicet ſit præmia dare, vel irrogare pœnas, difficile illud eſt, quòd hic vide-

Digitized by Google

videtur negare ſuum eſſe dare præmia. ergo aliqui volunt ἀλλὰ, *ſed*, hìc ſumi pro εἰμὴ, *niſi*, quomodo & ubi Matthæus, ſive interpres ejus, cap. 17. ℣. 8. habet εἰμὴ, ibi Marcus, cap. 9. ℣. 8. ἀλλὰ uſurpat. ut Chriſtus ſolùm neget ſuum eſſe aliis dare, quàm quibus paratum à Patre.

Chriſtus etiam apoſtolis ſuis voluit eſſe incertam cœli mercedem, ut timore & tremore operarentur. Ideo dicit, *non eſt meum dare*, id eſt non continget ut dem, non, inquam, negat ſuum eſſe dare, ſed negat licere ſibi aliis dare cœlum quàm quibus paratum eſt; eodem ſenſu quo agonotheta, id eſt certaminis princeps, qui ipſe præmia poſuit, diceret ſe non poſſe coronam dare niſi merentibus; nempe quia nollet luctationis tranſgredi leges, & juſtitiæ ordinem conturbare. Calix, ſive portio verorum Chriſtianorum, eſt pati & non frui; quod plures Gentiles olim avocabat à Chriſtianiſmo, nolentes renuntiare voluptatibus, ut notat Tertullianus in libro de ſpectaculis: *Plures denique inveniat, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ avocet ab hac ſecta.* contrà verò Chriſtiani amore vitæ cujus ſibi interdictas voluptates ſciebant, ſoluti non fugiebant martyrium; ultro deponebant vitam multis laboribus exercitam; quod Gentiles ſatis animadvertebant, ut idem Tertullianus refert. *Sunt*, inquit ille, *qui exiſtimant Chriſtianos expeditum morti genus, ad hanc obſtinationem abdicatione voluptatum erudiri, quò faciliùs vitam contemnant, amputatis quaſi retinaculis ejus.*

19 * 24 *Mt.* 41 *M. Et audientes decem*, alii apoſtoli *Mt. indignati ſunt de duobus fratribus*, quos non nominat Matthæus parcens pudori, quia ſibi noti & familiares: hanc cauſam non habuit Marcus, nomen eorum non reticet. *cœperunt indignari de Jacobo & Joanne.*

20 * 25. *Jeſus autem vocavit eos ad ſe*, juſſit accedere duodecim Apoſtolos, uti ſolebat, quoties inculcanda erat doctrina magni momenti. *ſcitis*, inquit, *quia principes gentium dominantur eorum.* κατακυριεύουσιν αὐτῶν, ſupple τῶν ἐθνῶν. ergo cùm αὐτῶν, referatur ad præcedens nomen τῶν ἐθνῶν, *Gentium*, ponendum erat *earum*. Præterea *dominantur eorum*, phraſis eſt Græca, non Latina. volunt autem principes arbitria ſua pro legibus eſſe, & omnes obſequi ſtudiis eorum. *Et qui majores ſunt*, μεγάλοι, magnates, qui inter principes eminent, *poteſtatem exercent in eos*, ſcilicet εἰς ἄρχοντας, in principes Gentium, qui & ipſi majoribus principibus parent. ut ſenſus ſit: Quomodo populi tractantur à regibus, ita reges ipſi ab his qui inter ipſos plurimum viribus pollent; teſtes Romanorum imperatores, qui inter inſtrumenta ſervitutis habebant & reges.

Apud Marcum ℣. 40. legimus: *qui videntur principari gentibus*, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, *dominantur eis.* Ludovicus *de Dieu*, cui multa me debere fateor, obſervat illud δοκοῦντες, quod vulgatus reddit *qui videntur*, idem valere quod οἱ ἐν δόξῃ ὄντες, *qui in gloria & honore ſunt.* ſic locutos Helleniſtas patet ex verſu ſexto hiſtoriæ Suſannæ: οἱ ἐδόκουν κυβερνᾶν τὸν λαὸν, qui erant in honore ad gubernandum populum. ſic ergo verti poterat Marcus: *qui in honore ſunt ad imperandum gentibus, dominantur eis.*

21 * 26. *Non ita erit inter vos.* ſcire vos convenit, hanc veſtram ambitionem affectionem eſſe Gentilium, qui ea, qua funguntur publica præfectura, abutuntur; illam ambitiosè, ſuperbè exercent, tantùm ſpectantes propriam gloriam & utilitatem. *ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.* non imperare, ſed ſervire aliis ambite, ſi coram Deo vultis majores eſſe, & cæteris proponi. 22 * 44 *Mc. Et quicumque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.* ita non contendet de principatu, ſi ſapiat, ſecutus meum exemplum. *In domo juſti viventis ex fide, & adhuc ab illa cœleſti civitate peregrinantis*, verba ſunt Auguſtini, lib. 19. de civit. cap. 14. *etiam qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare. neque etiam dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia.*

23 * 45. *Nam & MM. Filius hominis non venit Mc. ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret*, formam ſervi accipiens, *& daret MM. animam ſuam*, poneret animam ſuam *redemptionem pro multis*, pretium redemptionis multorum. Scilicet non venit ut frueretur regno terreno & regum deliciis, ut hos & illos morti addiceret: quin imò ut multos dolores perferret, & morte ſua multi à morte æterna liberarentur.

CAPUT XXXI.

Dum appropinquaret Dominus Jericho, aperuit oculos cæci.

LUCAS, Cap. 18. ℣. 35—43.

35 Factum eſt autem, cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſe-
debat ſecus viam, mendicans.
36 Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet.
37 Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret.
38 Et clamavit, dicens: Jeſu Fili David, miſerere mei.
39 Et qui præibant, increpabant eum ut taceret, ipſe verò multò magis
clamabat: Fili David, miſerere mei.
40 Stans autem Jeſus juſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet,
interrogavit illum.
41 Dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.
42 Et Jeſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.
43 Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis
plebs ut vidit, dedit laudem Deo. ¶

35 FACTUM *eſt autem, cùm appropinquaret Jericho*, jam proximus eſſet huic urbi, *cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.* 36. *Et cùm audiret turbam prætereuntem*, multi enim populi Jeſum ſequebantur, *interrogabat quid hoc eſſet.* quem ſic effuſa multitudo ſequeretur. *Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret*, quem noverat potentem virtute, qui multorum cæcorum aperuiſſet oculos. 38. *Et* idcircò *clamavit dicens: Jeſu fili David, miſerere mei.* quibus verbis declarabat ſe habere Jeſum pro Chriſto, quem Judæi certò credebant ex ſemine David orituruṁ.

39. *Et qui præibant, increpabant eum ut taceret*: quia videbatur Jeſu moleſtum ſe præbere; forſan & eo momento ſermonem aliquem de re gravi habebat, & eum interpellari ægrè ferebant. *Ipſe verò cæcus multò magis clamabat: fili David, miſerere mei.* ſcilicet videbat non ſibi attentum eſſe Jeſum ſermocinantem; ideo, ut os ejus in ſe converteret, contendebat vocem.

40. *Stans autem Jeſus*, ſiſtens viam paulisper, *juſſit illum* cæcum *adduci ad ſe.* hæc omnia, ut miraculum, quod patraturus erat, omnes adverterent. *Et cùm appropinquaſſet, interrogavit illum*, 41. *dicens: Quid tibi vis faciam?* Non ignorabat deſiderium ejus, ſed, ut dixi, volebat ſpectatores reddere attentos, & priùs certiores facere de cæcitate mendici, quàm viderent eum ſanatum. *At ille dixit: Domine, ut videam.*

42. *Et Jeſus dixit illi: Reſpice*, jam aperi oculos: potes videre. *fides tua te ſalvum fecit.* credidiſti me tibi poſſe oculos reddere, & ideò vides. 43. *Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum*, magnum prædicans Deum. *Et omnis plebs ut vidit*, pariter *dedit laudem Deo.*

CAPUT XXXII.

Jeſus ingreſſus Jericho excipitur à Zacchæo publicano.

MARCUS, Cap. 10. ℣. 46....

1* 46 Et veniunt Jericho.... *& proficiſcente &c. infrà, cap. 34.*

L U C A S   Cap. 19. ℣. 1—10.

2* 1 Et † ingreſſus perambulabat Jericho.
3* 2 Et ecce vir nomine Zacchæus: & hic princeps erat publicanorum, † *Commune dedicatæ Eccleſ.*
& ipſe dives:
4* 3 Et quærebat videre Jeſum, quis eſſet: & non poterat præ turba,
quia ſtatura puſillus erat.
5* 4 Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum:
quia inde erat tranſiturus.
6* 5 Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad
eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.
7* 6 Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.
8* 7 Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem
peccatorem divertiſſet.
9* 8 Stans autem Zacchæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bono-
rum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi,
reddo quadruplum.
10* 9 Ait Jeſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eo quòd
& ipſe filius ſit Abrahæ.
11* 10 Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat. ¶

1* 46 *Mc.* E*T veniunt Jericho*. Jeſus cum Apoſtolis. 2* 1 *L. Et ingreſſus perambulabat*, διήρχετο, pertranſibat per mediam *Jericho*. 3* 2. *Et ecce vir nomine Zacchæus* erat in iſta urbe: *& hic princeps erat publicanorum, & ipſe dives.* ἀρχιτελώνης, quaſi dicat archipublicanus, ſeu publicanorum plurium præfectus, magiſter ſocietatis ejus quæ redemerat vectigalia Jericho: primarius quæſtor, ad quem reliqui vectigalia deferebant. 4* 3. *Et quærebat videre Jeſum, quis eſſet*: fama notum vultu noſcere cupiebat. *& non poterat præ turba*, quæ ambibat latus Domini, *quia ſtatura puſillus erat.* 5* 4 *Et præcurrens*, id eſt cùm præcurriſſet in locum, quò erat tranſiturus Dominus, *aſcendit in arborem ſycomorum*, ἐπὶ συκομορέαν, aliis ficum Ægyptiam, aliis ficum ſylveſtrem, aliis ſycaminum, *ut videret eum*, veræ pietatis affectu; nam & Gentilibus, ut alibi obſervatum eſt, Meſſias innotuerat, & plerique ex illis non alium Deum quàm quem Iſraelitæ colerent agnoſcentes, & ipſi expectabant venturum Meſſiam; *quia inde erat tranſiturus.* in locum per quem Chriſto tranſeundum erat, ut dixi, præcucurrerat.

6* 5. *Et cùm veniſſet ad* hunc *locum, ſuſpiciens*, ſurſum oculos attollens *Jeſus, vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe*, (ignotum compellat proprio nomine, ita oſtendens Zacchæo, ſe eſſe filium Dei) *feſtinans deſcende.* de arbore, *quia hodie in domo tua oportet me manere.* tuo volo excipi hoſpitio. ſe & verbis ſignificabat Dominus; cùm repellerent Judæi Evangelium, accepturum iri à Gentilibus. 7* 6. *Et feſtinans deſcendit*, Zacchæus, *& excepit illum gaudens*, quòd vellet domum ejus intrare. 8* 7. *Et cùm viderent omnes* Judæi, in quorum conſpectu res gerebatur, *murmurabant*: in culpam illud vocabant, *dicentes quòd ad hominem peccatorem* mali & probroſi nominis *divertiſſet.* vir enim erat Ethnicus, & profeſſionis flagitioſæ.

9* 8. *Stans autem Zacchæus*, adſtans docenti, *dixit ad Dominum*: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* me etenim (ſupplere hæc poſſumus) movent præcepta tua, & novi huncce diem alios mores, aliam vitam poſtulare. *& ſi quid aliquem defraudavi*, ἐσυκοφάντησα, id eſt, ſi quid delationibus, fraude, vel malis artibus cuiquam extorſi, quod facere conſueverunt publicani, *reddo*: paratus ſum reddere *quadruplum*, ex lege tum Moyſis, ut habetur Exod. cap. 22. ℣. 1. tum ex Romano jure quo cautum fuerat, ut ſi quid per vim extorſiſſent publicani, in quadruplum tenerentur. His autem Zacchæi verbis apparuit, quàm rectè hunc hoſpitem elegerit Chriſtus. res iſta erat pudori Judæis, qui in Zacchæo poterant advertere completum illud vaticinium Dei loquentis in Deuteron. cap. 32. ℣. 21. *Ego provocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* ſcilicet aliquando, gentes non populus meus, & idolatræ, participes erunt donorum meorum, invidia & ita frementibus Judæis.

10* 9. *Ait Jeſus ad eum*, & ad diſcipulos, populumque adſtantem: *Quia hodie ſalus domui huic facta eſt*: huic familiæ, domum autem idcò nominare videtur, ut oſtendat relatam hoſpiti gra-

gratiam. *eo quòd & ipſe ſit filius Abrahæ*. Inde volunt Zacchæum fuiſſe Judæum; ſed tantùm indicat Dominus, dum inter ſuas oves numeravit Zacchæum, alios eſſe filios Abrahæ, quàm qui ex lumbis ejus exierant. Zacchæus erat quaſi primitiæ Gentium: in eo oſtendit à ſe vocandas gentes, de quarum vocatione agens Apoſtolus dicit, Rom. cap. 9. *Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii*. Jam in Exordio præconii ſui ſignificaverat præcurſor Domini ſuſcitandam novam prolem Abrahæ. ſenſus itaque eſt: ille Zacchæus, quem vos ut alienigenam ſpernitis, & ipſe filius eſt Abrahæ, imitatione fidei ejus & obedientiæ, & ideo hæres promiſſionum quæ Abrahæ factæ ſunt de Meſſia. 11 * 10. *Venit enim Filius hominis*, ego enim veni *quærere, & ſalvum facere* quod *perierat*, gentes, ut & oves perditas Iſraelis; ſive electos, qui errabant à grege, ut oves perditæ.

CAPUT XXXIII.

Occaſione Zacchæi in parabola ſignificavit Jeſus Judæis quæ illis non profuerant dona auferenda & aliis danda qui non detrectarent jugum ejus.

LUCAS, Cap. 19. ℣. 11—28.

11 HÆc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eò quòd eſſet
prope Jeruſalem: & quia exiſtimarent quòd confeſtim regnum
Dei manifeſtaretur.
† *Commune Conf. non Pont.* 12 Dixit ergo: † Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti.
13 Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.
14 Cives autem ejus oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.
15 Et factum eſt ut rediret accepto regno: & juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.
16 Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſivit.
17 Et ait illi: Euge bone ſerve, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem civitates.
18 Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.
19 Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates.
20 Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario:
21 Timui enim te, quia homo auſterus es: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.
22 Dicit ei: De ore tuo te judico, ſerve nequam: ſciebas quòd ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminavi:
23 Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?
24 Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.
25 Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.
26 Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. ¶

27 Ve-

27 Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.
28 Et his dictis præcedebat aſcendens Hieroſolymam.

11 HÆc *illis audientibus*, quæ de Zacchæo diceret Jeſus, *adjiciens*, id eſt pergens loqui, *dixit parabolam, eò quòd eſſet prope Hieruſalem*, ubi paſſurus erat: *& quia exiſtimarent, quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.* Sciebat ſe intra aliquot dies paſſurum, Apoſtoli verò non dubitabant, quin ante obitum ſuum, quem inculcabat proximum, regnaturus eſſet, & palàm ab omnibus Judæis haberetur pro Chriſto; unde acceſſerat ad eum Mater filiorum zebedæi, rogans ut primos poſt illum regem honores occuparent filii ejus. ut ergo illam opinionem avelleret ex animis diſcipulorum, declarat ſe à Judæis non agnoſcendum pro rege, à quibus ſimul occaſione Zacchæi declarat auferenda eſſe dona, quæ illis accepta non profuerant; & communicanda Gentibus, quibus forent uſui.

12. *Dixit ergo* parabolam ſequentem: *Homo quidam nobilis*, εὐγενὴς, clarus, & claro genere prognatus, *abiit in regionem longinquam accipere*, ut acciperet *regnum*, ut veniret in poſſeſſionem regni. *& reverti*, ea mente ut reverteretur ad ſuos. 13. *Vocatis autem decem ſervis ſuis*, antequam proficiſceretur, *dedit eis decem mnas*, decem minas, id eſt certam ſummam argenti. Mina Hebræa ſecundùm calculos Ezechielis valebat ſexaginta ſiclos, ſecundùm Joſephum duas libras & dimidiam; quod idem eſt; nam ex Joſepho ſiclus pondetabat ſemunciam: ita ſexaginta ſicli faciunt duas libras cum dimidia, quarum librarum unaquæque habet duodecim uncias. Mina autem Hebræa æquabat pondus 31. nummorum ſcutatorum, & circiter dimidii ſcutati, ex calculis noſtris. *& ait ad illos: Negotiamini*, πραγματεύσασθε, collocate pecuniam, ut loquuntur juris auctores, *dum venio*, uſque ad tempus quo reverſurus ſum.

14. *Cives autem ejus oderant eum.* cives illi Judæos repræſentant, qui Jeſum regem ſuum odio perſecuti ſunt gratis. *& miſerunt legationem poſt illum*, poſtquam ſcilicet abjiſſet in regionem longinquam, ut acciperet regnum, nempè abiiſſet ad gentes, regnaturus ſuper illas, quæ anteà à Deo remotæ erant. Dum, inquam, ille abjiſſet, miſerunt legationem, *dicentes: Nolumus hunc*, cujus nomen nec labiis noſtris uſurpare dignamur, *regnare ſuper nos.* hæc ſunt quæ reipſa dixerunt, & dicunt Judæi de Jeſu.

15. *Et factum eſt ut rediret recepto regno.* Revertetur Chriſtus ad Judæos judicandos in ſupremo judicio; ſed & ipſe ad eos reverſus eſt per ſuos Apoſtolos, qui videntes ſermonem fidei non illis prodeſſe, ad gentes ierunt. *& juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet*, ſive uſuris multiplicaſſet illam. ſimilitudo deſumpta eſt ab illis qui ſtudent augere divitias ſuas fœnore; ſed non ideò avaritia & iniquum fœnus hìc laudantur.

16. *Venit autem primus* ex decem ſervis, *dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſivit.* peperit, ad ſortem operando adjecit. 17. *Et ait illi: Euge ſerve bone, quia in modico*, in parva re *fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem civitates*, quas tibi regendas committo. 18. *Et alter venit, dicens: Domine. ecce mna tua, quam habui*, id eſt quam non dedi ad uſuram, ſed ſervavi *repoſitam in ſudario*, in linteo, ne quis illam mihi ſubriperet, aut mutuo datam non redderet. 21. *Timui enim te, quia homo auſterus es;* etiam *tollis quod non poſuiſti, & metis*, ut ajunt trito proverbio, *quod non ſeminaſti.* Quo ergo rigore repetiiſſes mnam tuam, ſi paſſus eſſem mihi illam ſubripi non diligenter cuſtodiendo in hocce ſudario?

22. *Dicit ei: De ore tuo te judico*, ex verbis tuis te reum pronuntio, *ſerve nequam: ſciebas quòd ego homo auſterus*, ſeverus *ſum; tollens quod non poſui*, ut ipſe dixiſti, *& metens quod non ſeminavi:* 23. *& quare* ergo *non dediſti pecuniam meam ad menſam* fœneratorum, qui poſita in publico menſa fœnus exercent, *ut & ego veniens cum uſuris exegiſſem illam.* mihi cum fœnore perſolveretur; & ſic creviſſet. Dum enim tu ignarus negotiator denarium tenes, alterius locum qui pecuniam duplicare poterat, occupaſti; verbis utor B. Hieronymi: Ergo, inquiebat Gregorius magnus, cùm paſtores ante æterni paſtoris oculos venerint, nos miſeri quid dicturi ſumus: qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus; qui paſtorum nomen habuimus, & oves quas ex nutrimento noſtro debebamus oſtendere, non habemus.

24. *Et aſtantibus* miniſtris ſuis *dixit; Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet*, quas auxit fœnore. 25. *Et dixerunt ei: Domine, jam habet decem mnas.* 26. *Dico autem vobis;* verba ſunt Regis ſimul & Chriſti ſignificantis quò ſpectabat hæc parabola, *quia omni habenti dabitur*, quando his quæ habet, ſolerter utitur, *& abundabit.* hoc verbum non eſt in fonte: *ab eo autem qui non habet*, tot tantaque, *& quod habet, auferetur ab eo.* his conſona ſunt quæ cecinit Seneca in Hercule furente: *Perdere eſt dignus bona qui neſcit uti.*

Huc tendebat iſta parabola, ut ſignificaret Judæos ſpoliandos ſuis donis. verba autem quibus concluditur, denotant quàm ſeverum fu-

turum ſit Chriſti judicium in illos qui ejus jugum detrectant. 27. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me* quod fiet, quando angeli in judicio univerſali congregabunt bonos & malos, & Chriſtus mittet hos in ignem æternum, in quem eo præſente conjicientur.

28. *Et his dictis præcedebat eos*, ducis in morem ante turbam gradiebatur, *aſcendens Hieroſolymam*. Nempe timentibus diſcipulis ipſe alacriter ad mortem pergebat. diverſas enim cogitationes animo verſabant diſcipuli, & contrariis ſpei & timoris affectibus movebantur. Hinc timebant, cogitantes quòd Chriſtus quæreretur ad necem ab Hieroſolymitanis proceribus. Sperabant pariter & regnum Dei protinùs manifeſtandum, ut utrumque liquet ex Evangelio.

CAPUT XXXIV.

Egrediens Jericho viſum reſtituit Jeſus, ut Matthæus habet, duobus cæcis; quorum unum vocat Bartimæum Marcus, hujus ſolius mentionem faciens.

MATTHÆUS Cap. 20. ℣. 29-34.

29 ET egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa:

30 Ecce duo cœci ſedentes ſecus viam audierunt quia Jeſus tranſiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, Fili David.

31 Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, Fili David.

32 Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?

33 Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri.

34 Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

MARCUS Cap. 10. ℣. 46-52.

46 ... Et proficiſcente eo de Jericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cœcus ſedebat juxta viam mendicans.

47 Qui cùm audiſſet quia Jeſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere? Jeſu fili David, miſerere mei.

48 Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat: Fili David, miſerere mei.

49 Et ſtans Jeſus præcepit illum vocari. Et vocant cœcum dicentes ei: Animæquior eſto: Surge, vocat te.

50 Qui projecto veſtimento ſuo exiliens venit ad eum.

51 Et reſpondens Jeſus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam.

52 Jeſus autem ait illi: Vade, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

EX Luca cùm Dominus appropinquaret Jericho, viſum cæco reſtituit; & cùm egrederetur ex hac urbe, duobus cœcis ex Matthæo, quorum unum tantùm celebravit Marcus, ſcilicet quia vir notus eſſet, ut conjicio, nomine Bartimæus. Nulla itaque pugna eſt inter Evangeliſtas.

46 *Mc. Et proficiſcente eo de Jericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine. Mt.* 29. *Et egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa.* veriſimile enim totam urbem ejus adventu commotam. 30. *Mt. Ecce duo cæci ſedentes ſecus viam.* non mirum eſt duos cœcos repertos mendicantes altera porta, qua Dominus egreſſus eſt Jericho, præſertim illo tempore, quo plerique Hieroſolymam aſcendentes, tranſibant per mediam illam urbem. *Audierunt quia Jeſus tranſiret, &* ut tran-

ſeunt

ſeuntem intellexerunt, *clamaverunt dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David*. Marcus alterius ex illis duobus cæcis nomen, ſicut & patris ejus memorat. *Filius Timæi*, qui ideo appellabatur *Bartimæus*, nam *Bar* idem ſonat Syris, quod *filius* Latinis, *cæcus ſedebat juxta viam mendicans*. 47. *Qui cùm audiſſet quia Jeſus Nazarenus eſt*, tot miraculis patratis clarus, *cœpit clamare, & dicere: Jeſu fili David, miſerere mei.*

31 *Mt. Turba autem increpabat eos, ut tacerent: At illi magis clamabant dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David*. Marcus verò qui unius cæci mentionem fecit, ſic loquitur. 48. *Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat: fili David, miſerere mei.*

Adeo omnia ſimilia ſunt in hiſtoria cæcorum Jerichuntinorum, quos Dominus ſanavit tum ingrediens, tum egrediens, ut plerique opinati ſint non alium eſſe Bartimæum ab illo de quo loquitur Lucas; ſed non mirum eſt, ſi in curandis ſimilibus morbis ſimilia contingant. 32. *Mt. Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis.* 33. *Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri*, eadem Marcus niſi quod de uno dicat quæ de duobus à Matthæo dicta ſunt. 49. *Et ſtans Jeſus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior eſto: θάρσει*, confide, *Surge*, Jeſus Nazarenus *vocat te*. 50. *Qui projecto veſtimento ſuo*, ut liberiùs iret, *exiliens venit ad eum*, & propiùs oravit ut ſortem ejus miſeraretur. 51. *Et reſpondens Jeſus, dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni*, id eſt Domine, *ut videam.*

34 *Mt. Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum*, palàm demonſtrantes oculis ſe uti, cùm per ſe ambularent, ſoliti alieno ductu regi. eadem de altero ex illis cæcis ſcribit Marcus. 52. *Jeſus autem ait illi: Vade, fides tua te ſalvum fecit. & confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.*

CAPUT XXXV.

Maria & Martha mittunt obviàm Domino, qui nuntient Lazarum fratrem ſuum periculosè ægrotare. Ille interea moritur.

JOANNES, Cap. 9. ℣. 1—31.

1 † ERat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Ma-
riæ, & Marthæ ſororis ejus.
2 (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes
ejus capillis ſuis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)
3 Miſerunt ergo ſorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas
infirmatur.
4 Audiens autem Jeſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem,
ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.
5 Diligebat autem Jeſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & La-
zarum.
6 Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem
loco duobus diebus.
7 Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Judæam iterùm.
8 Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & ite-
rùm vadis illuc?
9 Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulave-
rit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:
10 Si autem ambulaverit in nocte, offendit quia lux non eſt in eo.
11 Hæc ait, & poſt hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed va-
do ut à ſomno excitem eum.
12 Dixerunt ergo diſcipuli ejus: Domine, ſi dormit, ſalvus erit.

† Fer. 6. in 4. hebd. 4 Quadr. uſque ad ℣. 45.

13 Dixe-

13 Dixerat autem Jeſus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de
dormitione ſomni diceret.
14 Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſtè : Lazarus mortuus eſt :
15 Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi : ſed ea-
mus ad eum.
16 Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos : Eamus
& nos, ut moriamur cum eo.
17 Venit itaque Jeſus : & invenit eum quatuor dies jam in monumento
habentem.
18 (Erat autem Bethania juxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim :)
19 Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut conſola-
rentur eas de fratre ſuo.
20 Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit, occurrit illi : Maria autem
domi ſedebat.
† In die depoſitionis defuncti uſque ad ℣. 27. 21 † Dixit ergo Martha ad Jeſum : Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus
non fuiſſet mortuus :
22 Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.
23 Dicit illi Jeſus : Reſurget frater tuus.
24 Dicit ei Martha : Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.
25 Dicit ei Jeſus : Ego ſum reſurrectio, & vita : qui credit in me, etiam
ſi mortuus fuerit, vivet :
26 Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Cre-
dis hoc?
27 Ait illi : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei
vivi, qui in hunc mundum veniſti. ¶
28 Et cùm hæc dixiſſet, abiit & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio,
dicens : Magiſter adeſt, & vocat te.
29 Illa ut audivit, ſurgit citò, & venit ad eum :
30 Nondum enim venerat Jeſus in caſtellum : ſed erat adhuc in illo lo-
co, ubi occurrerat ei Martha.
31 Judæi ergo, qui erant cum ea in domo : & conſolabantur eam, cùm
vidiſſent Mariam quia citò ſurrexit & exiit, ſecuti ſunt eam dicentes : Quia
vadit ad monumentum, ut ploret ibi.
32 *Maria ergo &c. cap. ſequenti.*

Hæc legatio Mariæ & Marthæ ſuprà collocanda fuiſſet, antequam ex Galilæa veniens Hieroſolymam ingreſſus eſſet fines Judææ; nam patet ultra hos fines occurriſſe Domino, quos Maria & Martha miſerant. Dixit enim Dominus cùm ab iis didicit Lazarum ægrotare, *eamus in Judæam iterum*: attamen hæc non divellenda judicavi ab iis, quæ ſequuntur, ut hæc tota hiſtoria Lazari clarior eſſet.

1. *Erat autem quidam languens.* ἀσθενῶν, id eſt quidam ægrotabat, nomine *Lazarus à Bethania* oriundus, *de caſtello*, ἐκ τῆς κώμης, ex vico *Mariæ & Marthæ ſororis ejus.* quomodo Bethſaida dicitur oppidum Andreæ & Petri, cujus erant incolæ, non domini. Lazarum Evangeliſta deſcribit per ſorores, ut pote tunc celebriores. Nomen autem *Lazarus*, videtur abbreviatum ab *Eleazar*. in dialecta Hieroſolymitana ſæpiùs in nominibus ab א incipientibus, illa litera eliditur. Obſervant viri eruditi eumdem, qui in aliquibus locis Talmudis appellatur Lazarus, alibi nomine ſuo non abbreviato dici *Eleazar*.

2. *Maria autem erat illa, quæ unxit*, ἡ ἀλείψασα, quæ unxerat *Dominum unguento, & extерſit*, ἐκμάξασα, quæ extерſerat *pedes ejus capillis ſuis.* ſcilicet illa erat mulier ob amorem ſuum celebris, quo meruerat, ut peccata ſua illi remiſſa pronuntiaret Dominus. Mulierem enim peccatricem eam ſtatuimus quæ ſoror Marthæ eſſet & Lazari; cui opinioni favet locus, quem nunc tractamus; neque enim legitur ab alia muliere ante reſurrectionem Lazari unctos Domini pedes, & à quapiam alia muliere extерſos capillis. Qui duas faciunt mulieres unctrices pedum Domini, putant quòd ideo Joannes hic dixerit à ſorore Lazari pedes

Domi-

Domini unctos ſuiſſe, non quia jam unxiſſet, ſed quia poſtea unctura erat. Verùm præterquàm vis videtur hac explicatione inferri Evangeliſtæ, quid opus erat ut prænotaret illam unctionem ante mortem Lazari, cùm ſtatim poſt ejus reſurrectionem, deſcribens cœnam factam Domino, dicat in illa cœna Mariam unxiſſe pedes ejus, & capillis ſuis exterſiſſe. quod igitur *primùm* narrat Evangeliſta, attinet ad priorem unctionem, illam nempe qua Maria adhuc peccatrix inclatuerat, cùm à Domino palàm laudata eſt ob amorem ſuum. Quæque ſit Maria, ipſa Magdelena peccatrix, aut alia, ipſa erat *cujus frater Lazarus infirmabatur*, periculoſè ægrotabat.

3. *Miſerunt ergo ſorores ejus* nuntios *ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur*, vidimus ſæpiùs ſolitum Dominum, cùm Hieroſolymam ad feſto dies ventitaret, ſeſe recipere Bethaniam, ubi veriſimile eſt ſæpiùs exceptum hoſpitio Lazari; hinc nata arcta neceſſitudo inter Dominum & Lazarum. 4. *Audiens autem Jeſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem*. rei exitum ſpectat & finem. ſciebat ſtatim à morte revocandum, ut ſomnus, non mors eſſet. *ſed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam*. ſcilicet hæc infirmitas opportunè contigit, ut ex ea agnoſcatur, & celebretur filius Dei, cujus omnis gloria ad Patrem redit. 5. *Diligebat autem Jeſus Martham & ſororem ejus Mariam & Lazarum*. amabat eos à quibus hoſpitio excipi ſolebat.

6. *Ut ergo audivit quia infirmabatur* Lazarus, *tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus*, ut non antè adventaret Bethaniam, quàm ille moreretur, ut colligo ex verſu 15. in quo innuit clarè de œconomia operum ejus fuiſſe, ut tunc temporis abeſſet à loco, ubi infirmabatur Lazarus. His autem duobus diebus ſermones illi cenſendi ſunt habiti, quibus clarè ſignificavit proximam eſſe ſuam paſſionem. ſcilicet cùm dixit ſe aſcendere Hieroſolymam, ut pateretur, & Judæam ingreſſus eſt. hoc liquet ex verbis Evangeliſtæ. 7. *Deinde poſt hæc*, tranſactis duobus diebus, *dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Judæam iterùm*, & ut alii loquuntur Evangeliſtæ, *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c.*

8. *Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc*, non diu eſt quòd *quærebant te Judæi lapidare*. hoc enim contigerat ſub finem menſis Kasleu in Encœniis. *& iterùm vadis illuc?* inconſulto amore volunt eum à periculo removere. 9. *Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei?* certum eſt & ſtatum diei ſpatium, quod minui non poteſt. *Si quis ambulaverit in die*, in illo duodecim horarum ſpatio, *non offendit*, non impingit, *quia lucem hujus mundi videt*: 10. *ſi autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo*. quaſi dicat, habet dies ſpatia ſua, quibus tutò quis ingredi poteſt. Proverbiale effatum videtur, cujus ſententia eſt, ut in diurno ſpatio negotia facilè geruntur, ſic actiones ſuo quæque tempore commodè perficiuntur. Subintelligitur autem, non exprimitur hujus ſimilitudinis applicatio. Chriſto certum & conſtitutum erat tempus, quo ambulare debebat, id eſt vivere, & officium explere; eo tempore interfici non poterat.

11. *Hæc ait, & poſt hæc dixit eis*, ſive eadem hora, ſive aliquo poſt tempore, cùm mortuus eſt Lazarus, & hoc reſcivit divina ſua cognitione; non enim mortuum, ſed infirmantem nuntiabant miſſi à Maria & Martha. Dixit, inquam, Dominus *Lazarus amicus noſter dormit*. mors enim ejus verè ſimilis erat ſomno, à quo brevi poſt mortem tempore, quaſi unam & alteram noctem dormiiſſet, excitandus erat. *Verè apud Deum mors ſomnus eſt*, inquit B. Chryſologus, ſerm. 34. *quia velociùs mortuum ad vitam ſuſcitat, quàm de ſomno dormiens ab homine ſuſcitatur*. Pergit loqui Dominus, *ſed vado ut excitem eum*. de quo ſomno loqueretur, non intelligebant. 12. *Dixerunt ergo diſcipuli ejus: Domine, ſi dormit, ſalvus erit*, convaleſcet. ſi autem dormit, quid eſt quòd excitetur? cur periculo te infers? 13. *Dixerat autem Jeſus de morte ejus*, quam ſomnum vocabat: *illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret*.

14. *Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſtè*. abſque metaphora, ſermone aperto: *Lazarus mortuus eſt*. 15. *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quòd non eram ibi*: neque enim opem negaſſem; ut liquet ex verbis illis Mariæ, *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Potuiſſent autem Judæi fraudem aliquam ſuſpicari. ergo illic non fuiſſe gaudeo veſtra cauſa, ut credatis, & fides veſtra confirmetur ex reſurrectione Lazari. ſi adfuiſſem, morbum ejus ſanaſſem; nunc eum in vitam revocabo, quæ res fidem mihi apud vos magis conciliabit; inde enim conſtabit me eſſe datorem vitæ, & verè Meſſiam. *ſed licèt mortuus ſit, eamus ad eum*. quid facere vellet innuit.

16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus*, non ſunt duo nomina, ſed unum & idem: prius Hebraicum, & poſterius Græcum ejuſdem ſignificationis. תאמים *thomim*, Δίδυμοι, id eſt *gemini*, Dixit, inquam Thomas, *ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo*, μετ' αὐτοῦ. Relativum illud referri poteſt vel ad Chriſtum, vel ad Lazarum. Si ad Chriſtum: cùm ei decretum ſit ire in mortis periculum, eamus & nos in certam mortem, nec enim æquum ut eum deſeramus. Si ad Lazarum referatur, nec diverſus ſenſus ſuberit verbis Thomæ: Cùm Chriſtus, & qui in eum credunt, quærantur ad necem, eamus quidem in Judæam, ſed parati ſequi Lazarum mortuum. quid enim aliud ſperemus?

Digitized by Google

17. *Venit itaque Jeſus:* Bethaniam. Joannes, ut ſolet, prætermittit quæ ab aliis ſunt enarrata. Ita ea omnia reticet, quæ in itinere contigere à Domino dici & fieri. & cùm attigit Bethaniam, *invenit eum* Lazarum *quatuor dies jam in monumento habentem*, jacentem à quatuor diebus. 18. *Erat autem Bethania juxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim.* ſatagit Evangeliſta notare locum fuiſſe proximum ſanctæ urbi, ut advertamus reſurrectionem Lazari fuiſſe celebrem; ſive plurimos Hieroſolymitanos adfuiſſe reſurrectioni Lazari ob viciniam. Stadium Romanum quodque conſtabat centum viginti quinque paſſibus; paſſus autem eſt quinque pedum Romanorum, ita quindecim Romana ſtadia faciunt 1875. paſſus Romanos; ſtadia verò Hebræa ex Joſepho, erant quadringentorum cubitorum. nos ſtatuimus cubitum Hebræum viginti pollicum Pariſinorum cum aliquibus lineis. Sic quindecim ſtadia Hebræa faciunt circiter 1666. hexpodas, ſive *toiſias*, quales Mathematici regii Pariſienſes in leuca numerant 2282.

19. *Multi autem ex Judæis* Hieroſolymitanis ob viciniam *venerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.* unde liquet fuiſſe fœminas nobiles. Factum autem ut ſub complurium teſtium oculis peracta ſit Lazari reſurrectio; plures enim convenerant ad plangendum. hoc officium per ſeptem dies extendi ſolebat; cujus moris ſæpè fit mentio in ſacra Hiſtoria, in Joſepho & in Talmudicis libris; ita licèt quarta die poſt funus Jeſus advenerit, multos tamen ibi deprehendit cum Maria & Martha plorantes.

20. *Martha ergo ut audivit, quia Jeſus venit, occurrit illi.* rem familiæ curans huc illuc curſitabat, quare prima rumorem accepit. *Maria autem domi ſedebat*, vel ſalutatores excipiens in intima domo; vel quia tenacior fuiſſet ejus amor erga fratrem; totam ſe luctui dabat. 21. *Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus;* ægrum enim ſanaſſes. 22. *Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* non audet dicere, mortuum ſuſcitabis, ob voti magnitudinem.

23. *Dicit illi Jeſus: Reſurget frater tuus.* non ait clarè: Ego eum modò reſſuſcitabo, partim ut Marthæ animum paulatim ad miraculi fidem ac ſpem exerceret, partim modeſtiæ cauſa. 24. *Dicit ei Martha:* exiſtimans eum de univerſali reſurrectione loqui: *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die*, cùm omnes reſurgent.

25. *Dixit ei Jeſus: Ego ſum reſurrectio & vita.* Martha enim nondum videbatur agnoſcere plenitudinem divinæ ejus poteſtatis, dicens, *quæcumque popoſceris à Deo &c.* Jeſus autem ſe declarat auctorem reſurrectionis. Non eſt, inquit, quòd hæſites: non precariò, non aliena virtute, ſed mea poſſum fratrem tuum ſuſcitare, *ego ſum enim reſurrectio.* ſcilicet per me & mortui reſurgunt, & viventes vivunt. refellit ergo Jeſus tenuem illam Marthæ de ſe ipſo opinionem, declarans quia ipſe eſſet vitæ auctor. *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet:* qui me pro Chriſto agnoſcit, & ideo pro auctore vitæ, quando contigerit eum mori, ipſe à ſepulchro, & ejus rogatu quis alius, qui mortuus fuerit, revocabuntur. Agens autem Jeſus de vita corporis captat occaſionem loquendi de vita animæ. 26. *Et omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* vita vivet immortali, & felici. *Credit hoc?* quaſi dicat Jeſus. Hoc præcipuè credendum, & optandum fratri tuo, & tibi, ne in æternum moriamini. Chriſtus plerumque ante miraculum fidem exigebat. 27. *Ait illi Martha: Utique Domine, ego jam dudum credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti*, de cœlo in terram à Patre tuo. hæc erat vera fides Marthæ, licèt nondum intellexiſſet tantam eſſe Chriſti poteſtatem, & parem cum Deo.

28. *Et cùm hæc dixiſſet, abiit* juſſa à Chriſto, ut ſequentia oſtendunt. *& vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio*, λάθρᾳ, clanculum, *dicens: Magiſter*, ſic eum appellabant, *adeſt, & vocat te.* ſubſtiterat enim Chriſtus in loco prope ſepulchrum Lazari poſitum extra vicum, ut mos erat; clanculum autem Martha admonuit ſororem de adventu Domini, quia ſciebat eum quæri à Judæis ad necem, & ideo è re eſſe credebat, ut pauci reſciſcerent eum adeſſe.

29. *Illa ut audivit, ſurgit citò, & venit ad eum* prompto obſequio, & moræ impatiens. 30. *Nondum enim venerat Jeſus in caſtellum*, in vicum: *ſed erat adhuc*, ſubſtiterat *in illo loco, ubi occurrerat ei Martha*, prope ſepulchrum, ut dixi. 31. *Judæi ergo, qui erant cum ea*, cum Maria, *in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exiit* cum ardore, *ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* ut indulgeat illic fletibus. Ergo ut & ipſi plorarent ad monumentum venerunt.

CA-

CAPUT XXXVI.

Dominus excitat à mortuis Lazarum, quo miraculo magis accenditur ira Phariſæorum; ideò in deſertum ſecedit.

JOANNES, Cap. 11. ℣. 32—56.

32 MAria ergo, cùm veniſſet ubi erat Jeſus, videns eum, cecidit ad
pedes ejus, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hìc, non eſſet mor-
tuus frater meus.
33 Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum
ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum,
33 Et dixit: Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide.
35 Et lachrymatus eſt Jeſus.
36 Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.
37 Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit ocu-
los cæci nati, facere ut hic non moreretur?
38 Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat
autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei.
39 Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus
fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim.
40 Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi crediderîs, videbis glo-
riam Dei?
41 Tulerunt ergo lapidem: Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit:
Pater, gratias ago tibi quoniam audiſti me.
42 Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum,
qui circumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti.
43 Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.
44 Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſti-
tis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, &
ſinite abire.
45 Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & vide-
rant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum. ¶
46 Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ
fecit Jeſus.
47 † Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium; & dicebant: † *Fer. 6. infrà*
Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? *hebd. Paſſion.*
48 Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani,
& tollent noſtrum locum, & gentem.
49 Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius,
dixit eis: Vos neſcitis quidquam.
50 Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro popu-
lo, & non tota gens pereat.
51 Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius,
prophetavit, quòd Jeſus moriturus erat pro gente:
52 Et non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, con-
gregaret in unum.

53 Ab

Digitized by Google

53 Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54 Jeſus ergo jam non in palàm ambulabat apud Judæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. ¶

55 Proximum autem erat Paſcha Judæorum: & aſcenderunt multi Hieroſolymam de regione ante Paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos.

56 Quærebant ergo Jeſum: & colloquebantur ad invicem, in Templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

32 MARIA *ergo, cùm veniſſet ubi erat Jeſus; videns eum, cecidit ad pedes ejus*, ut Meſſiam venerata. *& dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hìc, non eſſet mortuus frater meus*; neque enim dubitabat de poteſtate ejus, & caritate erga fratrem. 33. *Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu*; vehementer commotus eſt in ſpiritu ſuo, *& turbavit ſeipſum*, locum dedit dolori, quo moveri voluit, exemplo plorantium, teſtans affectum ſuum; & docens quia oportet flere cum flentibus.

34. *Et dixit: Ubi poſuiſtis*, ſepeliviſtis *eum? Dicunt ei; Domine, veni, & vide.* Volebat ab ipſis deduci: ideò interrogat ubi poſuiſſent eum, gerens ſe tanquam ignorantem, ne fraudem quis ſuſpicaretur. 35. *Et* ad monumentum cùm veniſſet; *lacrymatus eſt*, lacrymas obortientes non ultrà tenuit. divinitatis ſignum editurus humanitatis ſigna præmiſit, ut Deus & homo eſſe crederetur. in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus; non erat falſus humanus affectus, inquit Auguſtinus.

36. *Dixerunt ergo Judæi*, ex lacrymis de amore judicantes: *Ecce quomodo amabat eum.* 37. *Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* ſarcaſmus, ſive irriſio erat. videntur miraculum illud viſus cœco redditi vellicare, & in dubium vocare, quaſi dicerent: ſi hic cœco nato viſum reſtituiſſet, ut videri vult, potuiſſet etiam Lazarum, quem tantoperè amabat, à morte præſervare; ſed hoc non potuit. Hæc autem eò diligentiùs annotata ſunt à Joanne; ut etiam Judæorum teſtimonio conſtaret verè Lazarum mortuum.

38. *Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo*: commotus dolore, quem vultus teſtabatur, *venit ad monumentum*, ad locum ubi monumentum. *erat autem ſpelunca*, locus depreſſus ſub terram: *& lapis ſuperpoſitus erat ei.* quo os ſpeluncæ claudebatur. 39. *Ait Jeſus: Tollite lapidem.* Pluribus manibus res indigebat; lapides enim maximæ molis ſpeluncis advolvebantur.

Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim. Putabat Martha Jeſum non velle reſuſcitare Lazarum; neque enim manifeſtè promiſerat, ſed tantùm frui ejus aſpectu. ergo præ rei ſperatæ magnitudine ſpem reſurrectionis non concipiens, quaſi humanè avocabat Dominum ab introitu ſpeluncæ ne ingrato jam putreſcentis cadaveris odore offenderetur. Forſan nondum poteſtatem quanta erat in Chriſto agnoſcebat; quapropter. 40. *Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris*, me eſſe reſurrectionem & vitam, *videbis gloriam Dei*? id eſt divinum, glorioſumque factum. fidem ergo ejus excitat, ut ſolebat, antequam beneficium aliquod conferret.


41. *Tulerunt ergo lapidem*, jam non ampliùs renuente Martha. *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis* ad Patrem, *dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audiſti me.* loquitur ac ſi res perfecta eſſet: certus de voluntate patris; cauſam ſimul patefacit, cur patrem rogaret. 42. *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti.* tunc temporis id unum præ cæteris ſatagebat Jeſus, ut crederetur homo approbatus Deo. In id ut probarent primùm incubuere Apoſtoli; hac enim opinione ſemel imbuti Judæi facilè admittebant ea quæ divinam ejus naturam ſpectarent. Ideo excitaturus à morte Lazarum, ſeſe gerit velut hominem Deo carum, apud quem preces ſuæ plurimùm valeant. eo fine gratias Deo agit, ut ipſe ait *propter populum.* ut ſcilicet ſecuta Lazari reſurrectio demonſtraret eum eſſe acceptum Deo, cui inimicus dicebatur à Phariſæis. 43. *Hæc cùm dixiſſet voce magna clamavit*, ut ab omnibus percipi poſſent ejus verba: *Lazare veni foras.* exi ex monumento tuo, te vivum & præſentem exhibe extra ſpecum.

44. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus* (tardiùs quis de ſomno excitatur, quàm Lazarus de morte, ut jam diximus) *ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* ſudarium linteolum eſt, faciei extergendæ accommodatum; ſic dictum, quia illo ſudor vultus abſorbetur. tali linteolo ſervus piger recondiderat mnam ſuam. Judæi ſudario, ſive linteolo vernaculè *un mouchior*,

ope-

operiebant faciem mortuorum. *Solent ſapientes*, inquit Maimonides, *adhibere ſudarium non plus denario conſtans, ut ne pudefaciant eum cui non ſuppetit. Tegunt verò faciem, ut ne pudefiant pauperes, quorum vultus præ fame ſolet eſſe deformior.* Icon appoſitè rem illuſtrat.

Idcirco autem quòd dicatur Lazarum prodiiſſe ligatus manus & pedes inſtitis, aliqui opinati ſunt Judaico ritu manus pedeſque extremos propriis vinculis ſeorſim à corporis trunco colligari ſolitos fuiſſe; ſed falluntur. inſtitæ erant faſciæ latæ uno & altero digito. una inſtita perpetua,



de more, quem fuſiùs exponemus libro ſequenti, agentes de Domini ſepultura, totum corpus Lazari adſtrictum fuerat, ut totum puerorum corpus faſciis involvitur; qui pueri dicuntur Plinio proœm. lib. 7. *jacere manibus pedibuſque devinctis*. Sic perpetua faſcia conſtrictum Lazarum exhibet Nonnus.

——— καὶ ἐκ ποδὸς ἄχρι καρήνου
Σφιγγόμενον πλεκταῖσιν ὅλον δέμας εἶχε κειρίαις.

Quomodo ergo ſic devinctus Lazarus potuit movere pedes ut prodiret ex monumento, in quo jacebat involutus ut puer in faſciis ſuis? Bina in Lazaro ſuſcitato miracula agnoſcunt Patres; & quòd jam quattum diem mortuus revixit, & quòd vocatus à Chriſto, vinctis licèt manibus & pedibus ſtatim prodiit. *& maximum*, inquit Euthymius, *ac duplex miraculum! non ſolum qui jam olebat reſurrexit, ſed etiam qui vinctus erat exivit de monumento.* & S. Baſilius Homil. de *Gratiarum actione*, tom. 1. ὁ νεκρὸς, inquit, ἐζωοποιεῖτο, ἢ ὁ δεδεμένος περιεπάτει. θαῦμα ἐν θαύματι, κειρίαις δεδέσθαι τοὺς πόδας, ἢ μὴ κωλύεσθαι πρὸς τὴν κίνησιν. *Ecce mortuus a morte redivivus fit, ligatus quoque ambulat. Admirare miraculum in miraculo, pedes inſtitis habebat vinctos, neque interim à motu prohibebatur.*

Dixit ergo eis qui adſtabant, diſcipulis ſuis, ut veriſimile eſt: *Solvite eum, & ſinite abire*, nam ligatus his inſtitis progredi non poteſt. 45. *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit* Jeſus

Jeſus, crediderunt in eum. omnibus enim modis conſtabat veritas miraculi. 46. *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Jeſus.* Quo animo id fecerint, Joannes non indicavit.

47. *Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium*, coacto concilio, id eſt congregati in ſuo Synedrio rem expendebant, *& dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit.* conſtabant itaque illis virum eſſe Deo acceptum; ſaltem impietatis non poterant arguere eum, qui precibus ſuis impetraſſet à Deo vitam mortuo. Ergo decebat vacuos omni pravo affectu conſiderare, quæ ejus eſſet doctrina. ſed de Dei gloria minimè ſollicti, ut viri omnes hujus ſæculi præſentia curant, negligunt æterna. 48. *Si dimittimus eum ſic*, inquiunt: id eſt, ſi ſinamus eum edere miracula, *omnes credent in eum*; & pro rege Meſſia habebunt; *& venient Romani, & tollent noſtrum locum* hujus Synedrii, in quo nunc verſamur, quod nobis judicibus aſſignatum eſt in Templo, *& totam noſtram gentem* abducent captivam, vel internecione delebunt, quòd alteri principatui, nempe regis Meſſiæ ſeſe ſubdiderit. Sic ratiocinabantur ex falſa opinione regni terreni, quo putabant regnaturum Meſſiam.

49. *Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam.* ſtulti eſtis qui in re tam facili atque expedita hæſitatis. 50. *nec cogitatis quia expedit vobis*, ἡμῖν, nobis, *ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ita apud Virgilium Calchas Pontifex prophanus quo Caipahs nec ſanctior, dicebat. *unum pro cunctis dabitur caput.*.. ſic loquuntur politici qui honeſto ac juſto inſuper habito, nihil præter utilitatem præſentem ſpectant.

51. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit*, Caiphas. volebat quidem à miſericordia revocare ſuos collegas, ſuadens ut potiùs morti darent Jeſum, quàm ſinerent totam gentem ob ejus, ut putabat, rebellionem internecione deleri. Verùm & Deo regente linguam ejus protulit veram ſententiam juxta quam oportebat pati Chriſtum, ne omnis gens periret; niſi enim pro nobis mortuus eſſet, actum erat de nobis. ergo non ex ſemetipſo dixit, *ſed cùm eſſet Pontifex anni illius*, Pontificis autem ore ſæpè voluntatem ſuam prodetet Deus, divino inſtinctu *prophetavit, quòd Jeſus moriturus erat pro gente*, Judæorum. 52. *Et non tantùm pro gente* illa, ſcilicet Judaica, ὑπὲρ τοῦ ἔθνους; hæc eſt vis articuli præpoſitivi τοῦ. *ſed ut filios Dei* qualeſcumque ſint, ſive Judæi. ſive Græci, *qui erant diſperſi* per totum orbem *congregaret in unum*, unam in ſanguine ſuo fundaret Eccleſiam ex omnibus mundi nationibus.

53. *Ab illo ergo die*, quo in ſuo Synedrio mori eum decreverant, *cogitaverunt ut interficerent eum.* & qua id facerent, viam quærebant. 54. *Jeſus ergo jam non in palam* apertè *ambulabat apud Judæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur* latitans *cum diſcipulis ſuis* uſque ad hunc diem, qui fuit ſextus ante Paſcha, quo rediit Bethaniam, ut modò dicturi ſumus.

55. *Proximum autem erat Paſcha Judæorum*: hoc liquet ex contextu Evangelicæ hiſtoriæ, *Et aſcenderunt multi Hieroſolymam de regione*, quiſque ſua *ante Paſcha*, ſcilicet ante hunc diem, quo agni Paſchales mactabantur, *ut ſanctificarent ſe ipſos*; neque enim offerre, & mactare agnum poterant, qui egebant piaculis: qui ſcilicet contraxerant labem legalem, quam mundari oportebat certo in piaculum ſacrificio. Videre eſt 2. Paralip. cap. 30. ℣. 17. quòd cùm populus non ſanctificatus eſſet, Levitæ qui ſanctificati erant ritu in lege præſcripto, obtulerint & mactaverint agnos Paſchales. Illud autem *de regione*, ἐκ τῆς χώρας, ſic abſolutè poſitum, indicat advenas qui non Hieroſolymis degebant.

56. *Quærebant ergo illi Jeſum*, cupiditate aut videndi miracula, aut audiendi docentem: *Et colloquebantur ad invicem in Templo*, ubi conſpicuum ſe dare, & docere populum ſolebat, *ſtantes*, & ſibi invicem dicentes. *Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum?* quæ cauſa eſt moræ illius? *Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet*, quod fieri ſolitum in criminibus atrocibus cum diris in eos qui non parerent. *Ut apprehendant eum*; ut ita eum in ſua poteſtate haberent, ac deinde conſtituerent de modo interficiendi.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

Domini à deſerto Ephrem redeuntis Bethaniam, Maria pedes ungit unguento pretioſo, cujus perditionem fieri queritur Judas. Turba Jeſum reverſum cognoſcens, huc venit.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 26. ℣. 6-13.	MARC. Cap. 14. ℣. 3-9.	JOAN. Cap. 12. ℣. 1-11.
1 *J* JEſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus.	6 Cùm autem Jeſus eſſet in Bethania	3 Et cùm eſſet Bethaniæ	1 Jeſus ergo ✠ ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus. ✠ *Fer. 2. Ma. hebd.*
2 Fecerunt autem ei cœnam ibi, *MM.* in domo Simonis leproſi.	in domo Simonis leproſi.	in domo Simonis leproſi, & recumberet:	2 Fecerunt autem ei cœnam ibi:
3 *J* Et Martha miniſtrabat, Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo.			& Martha miniſtrabat, Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo.
4 Maria ergo accepit libram *MM. J* unguenti *Mc. J* nardi, *J* piſtici, *Mc.* ſpicati, *MM. J* pretioſi,	7 Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi,	venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi, ſpicati, pretioſi,	3 Maria ergo accepit libram unguenti nardi, piſtici, pretioſi,
5 *J* Et unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis; *Mc.* & fracto alabaſtro, *MM.* effudit ſuper caput *Mt.* ipſius recumbentis; *J* & domus impleta eſt ex odore unguenti.	& effudit ſuper caput ipſius recumbentis.	& fracto alabaſtro effudit ſuper caput ejus.	& unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes ejus capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti.
6 *Mt.* Videntes autem diſcipuli indignati ſunt, *MM.* dicentes: Ut quid perditio *Mc.* iſta unguenti facta eſt?	8 Videntes autem diſcipuli indignati ſunt, dicentes: Ut quid perditio hæc?	4 Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt?	
7 Poterat enim unguentum iſtud vænundari pluſquàm trecentis denariis, *MM.* & dari pauperibus: *Mc.* & fremebant in eam.	9 Potuit enim iſtud vænumdari multò, & dari pauperibus.	5 Poterat enim unguentum iſtud vænundari pluſquã trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.	

JOANNES.

8 *4 Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus:

9 *5 Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?

10 *6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	JOANNES.
11 *Mt.* Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri?	10 Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri?	6 Jeſus autem dixit:	7 Dixit ergo Jeſus:
12 *J* Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud.		Sinite eam, quid illi moleſti eſtis?	Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud.
13 *Mc.* Bonum opus *MM.* operata eſt in me.	opus enim bonum operata eſt in me.	Bonum opus operata eſt in me.	
† Deut. 15.11. 14 *Mt.* † Nam ſemper pauperes *MM. J* habetis vobiſcum, *Mc.* & cùm volueritis, poteſtis illis benefacere, *MM. J* me autem non ſemper habetis.	11 Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum; me autem non ſemper habetis.	7 Semper enim pauperes habetis vobiſcum; & cùm volueritis poteſtis illis benefacere, me autem non ſemper habetis.	8 Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.
15 *Mc.* Quod habuit hæc, fecit:		8 Quod habuit hæc, fecit:	
16 *Mt.* Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit, *Mc.* prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.	12 Mittens enim hęc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.	prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.	
17 *MM.* Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit *Mc.* Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur *MM.* in memoriam ejus.	13 Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus. *14 Tunc abiit &c. lib. 5.*	9 Amen dico vobis; ubicumque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. *10 Et Judas &c. lib. 5.*	

JOANNES.

18 * 9 Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic eſt: & venerunt non propter Jeſum tantùm, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit à mortuis. ¶
19 * 10 Cogitaverunt autem principes ſacerdotum ut & Lazarum interficerent:
20 * 11 Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum.

VIDIMUS Dominus poſtquam ſolvit triburum, die ſcilicet decima quinta Adar, profectum fuiſſe Hieroſolymam ab urbe Capharnaum. Repulſus à Samaritanis, coactus eſt iter flectere. Præterea duos dies ſubſtitit eo in loco, quo eum invenere qui nunciabant de morbo Lazari. A decima quinta, inquam, die Adar poſtquam profectus eſt Hieroſolymam, huicce itineri conficiendo non fuere neceſſarii pluſquam decem dies; ita ut circa vigeſimam quintam diem fieri potuerit reſurrectio Lazari. Ergo uſque ad illum diem ſextum ante Paſcha, quo Bethaniam rediit Dominus, effluere potuerunt quindecim dies, plus aut minus, per quos delituit in deſerto Ephrem.

1 * 1] *Jeſus ergo ante ſex dies Paſchæ*, id eſt ſexto die ante Paſcha. *venit* è deſerto Ephrem *Bethaniam*, in hunc locum reverſus, *ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus*, λάζαρος ὁ τεθνηκὼς, Lazarus qui fuerat mortuus. Senſus enim non eſt, ubi mortuus fuerat Lazarus; ſed ubi erat Lazarus, qui mortuus ſuſcitatus fuerat in vitam. 2 * 2. *Fecerunt autem ei cœnam ibi in domo Simonis leproſi*, cognomento non re; neque enim quemquam apud ſe excepiſſet; ſed etiam extra domum ſuam verſatus eſſet. forſan ipſe, aut parentes ejus olim lepra laboraverant, unde illi nomen. 3 *] *Et Martha miniſtrabat*, ſedula ſuo more, & popularem ſuum Simonem adjuvans, cui forſan improviſus hoſpes Jeſus advenerat cum diſcipulis ſuis. *Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo*, hac re probans vitæ ſibi redditæ veritatem.

4 * 3. *Maria ergo*, ut ſolebat, unctura pedes Domini redeuntis ex itinere, *accipit libram*

MM. un-

MM. unguenti Mc.] *nardi* , unguenti nardini, confecti ex nardo,] *piſtici*. in Græco textu Marci & Joannis legitur πιστικῆς ; quod nomen deducunt à πίστις, *fides*, quaſi innuere voluerint Evangeliſtæ nardum illam fuiſſe fidelem , ſive veram nardum. Alii dicunt nardum illam ſic appellatam , quia liquida erat , & nomen deducunt ab obſoleto verbo πίω, *bibo* ; aut nomen eſſe urbis prope Babylonem , unde optima nardus aliò dicitur fuiſſe exportata. Animadvertendum autem in verſione Latina Marci legi *unguenti nardi ſpicati pretioſi*. nardus verò cujus unguentum majoris eſt pretii, aſſurgit in ariſtas , ſive ſpicas , ut notat Plinius , lib.12. cap.12. *& gemina dote ſpica , & folia ejus celebrantur*. Ita πιστικὴ, dici potuiſſet pro σπικάτη.

Quidquid ſit nardus piſtica , Maria accepit λίτραν, libram talis unguenti *pretioſi*. 5 * 1. *Et unxit pedes Jeſu* , quos ipſa , vel lacrymis , vel aqua abluerat ; aut quæpiam alia , *& unctos exterſit capillis ſuis* ; quod animadverſione dignum , ſi verum eſt quod conjecimus iſtam Mariam appellatam fuiſſe *Magdalenam* , ob eximiam curam capillorum ſuorum , *Mc. & fracto alabaſtro*. id eſt pixide unguentaria , in qua unguentum attulerat , *effudit ſupra caput Mt. ipſius recumbentis*. ut totam pixidem exhauriret, illam fregit , quo faciliùs effunderet omne unguentum in caput Jeſu, qui tunc recumbebat.] *Et domus impleta eſt ex odore unguenti*. nardus enim , ut dicitur in Canticis , dat odorem ſuavitatis. vaſcula unguentaria , ideo dicebantur *alabaſtra* , quòd alabaſtritem lapidem veteres plerumque excavarent ad eos uſus , quoniam optimè ſervare unguenta incorrupta traderetur , unde vaſa unguentaria etiamſi ex alia materia fierent , poſteà alabaſtra ex communi uſu dicta ſunt. Plin. lib. 13. cap. 2. & lib. 35. cap. 8. Ita vaſculum, quo Maria uſa eſt , potuit eſſe vitreum , licèt dicatur *alabaſtrum*. quare facilè , & ſine diſpendio fregit ; quod ſine negotio non feciſſet , ſi verus fuiſſet lapis alabaſtrites. Caput autem perfundere unguentis non fuiſſe morem inſolentem apud Judæos inde colligimus , quòd Chriſtus jubet jejunantes ungere caput, & queratur oleo caput ſuum non fuiſſe delibutum a Phariſæo. Luc. cap. 7. ℣. 46.

6 * 4. *Mt. Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes , ut quid , εἰς τί , ad quid perditio Mc. iſta facta eſt*. ab omnibus dictum narratur , quod potuit ſolus Judas Iſcariotes dicere , aut quod eo inſtigante & alii dixerunt. 7 * 5. *Mc. Poterat enim unguentum iſtud* pretioſum *vænundari pluſquam trecentis denariis* , quorum pondus juxta calculos quos ſuprà ſubduximus , lib. 3. cap. 27. par eſt ponderi circiter quadraginta quatuor nummorum ſcutatorum argenteorum & dimidii ſcutati. *& dari pauperibus ; Mc. & fremebant in eam*. non audentes in Chriſtum fremere , & eum damnare.

8 * 4] *Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus , Judas Iſcariotes , qui erat eum traditurus* : quo inſtigante alii eadem queſti fuerant. 9 * 5. *Quare hoc unguentum* pretioſum *non veniit trecentis denariis , & datum eſt egenis ?* nomen pietatis prætendit avaritiæ ſuæ. 10 * 6. *Dixit autem hoc , non quia de egenis pertinebat ad eum* , quippe qui perfidus eſſet & immiſericors , *ſed quia fur erat , & loculos* , marſupium , *habens , ea , quæ mittebantur* , injiciebantur in marſupium : pecunias quæ iſti marſupio indebantur , & ſi quid aliud ad viam erat neceſſarium , *portabat*. Subducebat autem pecuniam, aut divortium meditans , aut periculum prævidens. permiſſus tamen à Chriſto inter Apoſtolos vivere ; ne unquam ſine malis ſperemus fore Eccleſiam.

11 * 10 *Mt. Sciens autem Jeſus* , quæ cogitarent & dicerent clanculùm, *ait illis : Quid moleſti eſtis huic mulieri ?* Cur eam accuſatis ? 12 * 7] *Sinite illam* facere quod facit , *ut in diem ſepulturæ meæ ſervet & illud*. Quomodo ſervaſſet unguentum , quod fracto alabaſtro, omne effuderat ? Fons Græcus apertior , εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. ; in diem ſepulturæ ſervavit, paravit illud ; nempe fecit hoc mihi tanquam ſepulturæ munus (ἐνταφιασμὸς, eſt funeratio pollinctura.) fecit , inquam , ad ungendum me quaſi mortuum , qui vivus nunc ſum, quia mortuum me ungere non poterit. Servavit autem , ſive fecit non tam ex mente propria, quàm ex eventu & ex inſtinctu Spiritus ſancti, ſive ex providentia Dei.

13 * *Mc. Bonum* ergo *opus operata eſt in me* ; etenim res egregia erat ungere corpora mortuorum optimis unguentis. 14 * 11 *Mt. nam ſemper pauperes habetis vobiſcum*. non deerunt qui inter vos egeant , quibus erogabitis in eleemoſynam argentum. *Mc. & cùm volueritis poteſtis illis benefacere* , habetis in quos beneficia conferatis .] *me autem ſemper non habetis*. indicat proximam mortem, poſtquam non erit locus illis aliqua impenſa ſuum erga illum amorem teſtari.

15 * 8. *Mc. Quod habuit hæc fecit* : quantum huic mulieri ſuppetebat bonum , fecit. 16 * 12. *Mt. Mittens enim*, βαλοῦσα , dum enim miſit , injecit , id eſt effudit *unguentum hoc in corpus meum* , hoc unguento corpus meum perfundens, *ad ſepeliendum me fecit*. ἐποίησε, τὸ ἐνταφιάσαι με, id eſt fecit ut quaſi jam me ſepultum ungeret : nemo autem improbare poteſt ſumptum impenſum in corpus mortuum. Hîc autem *ſepelire* , juxta vim Græci verbi , quod eſt in fonte, ſumendum eſt pro *ungere* , ſive condire unguentis. *Mc. prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*. εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν , fecit vivo , quod poſteà faceret mortuo , ſi liceret. ἐνταφιασμὸς , eſt funeratio pollinctura , id eſt unctio cadaveris. Videbimus religione ſabbati impe-

ditas mulieres quominus unguenta emerent ad ungendum Jeſum, non potuiſſe niſi tranſacto ſabbato venire ad monumentum; ſed jam Dominus reſurrexerat. Ita Jeſus dixit de Maria *prævenit ungere*, id eſt fecit nunc quod in morte mea præſtare non poterit; reſurgam enim priùs quàm me inveniat ungendum: quaſi dicat Chriſtus: laudabilis eſt conſuetudo veſtra inungendi cadavera; quia hoc fit ad teſtandum, eorum reſurrectionem expectari, & illaudatum videtur vobis, quod fœmina parvum hoc tempus anticipavit, ungendo eum cujus mors inſtat? Ergo iſta mulier quæ Dominum ungere voluit poſt mortem, quæ Maria Magdalena dicitur, ex qua dæmonium ejecerat, ipſa eſt Maria ſoror Lazari, ut alibi diximus.

17 * 13 *Mt.* 9 *Mc. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit Mc. Evangelium iſtud*, hiſtorica narratio hujus facti, *in univerſo mundo*; prædicit Jeſus Evangelium prædicandum ubique: *& quod fecit hæc narrabitur in memoriam ejus*, ὡς μνημόσυνον αὐτῆς, non in vituperium, ſed in laudem illius ſcilicet mulieris. μνημόσυνον ſumitur hic in bonam partem.

De una & eadem cœna & unctione Matthæum, Marcum & Joannem loqui omnia comprobant, & locus, & genus unguenti, & pretium, & indignatio diſcipulorum, & hæc indignatio objurgata à Domino. Joannes proprio loco, ac tempore ſex dies ante Paſcha rem narrat; Matthæus & Marcus extra locum ſuum, biduò ante Paſcha, occaſione proditionis Judæ, quem cùm dixiſſent abiiſſe ad ſacerdotes, ut proderet illis Jeſum, quiddam Judam ad hoc facinus impuliſſet notarunt; id ſcilicet quod in dicta cœna contigerat. Joannes quidem non expreſſit nomen convivatoris, quia hoc ad rem non faciebat, ſicut Matthæus & Marcus mulieris quæ unxit, quia Lazari mentionem non fecerant. Nec obſtat quod illi obſervant, mulierem illam effudiſſe pixidem in caput Domini, Joannes verò unctos ejus pedes; utrumque enim præſtare potuit.

Evicimus pluribus argumentis in tractatu hiſtorico de Paſchate, hocce anno quo in crucem actus eſt Dominus, Paſcha ſive mactationem agnorum Paſchalium incidiſſe in ipſam diem, qua in cruce mortuus eſt Dominus. Ita ſexta dies ante illam diem concurrebat cum præcedenti feria ſexta, inter quam & eandem ſequentem feriam numerantur ſex dies, videlicet Dominus deſinente feria ſexta advenit ex deſerto Bethaniam: ineunte ſabbato cœnavit; quievit hocce ſabbato; quo tranſacto, cùm fama reverſionis ejus vulgata eſſet, ſequenti die, quæ prima fuit hebdomadis, multus populus venit Bethaniam.

18 * 9 J *Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic*, nempe in Bethania *eſt*. Cùm vicus ille proximus Hieroſolymis eſſet, rumor ſequenti die huc facilè pervenit Jeſum reverſum; & etiam cœnaſſe cum Lazaro. *Et venerunt* multi ex Judæis Bethaniam, *non propter Jeſum tantùm, ſed ut Lazarum viderent quem ſuſcitavit à mortuis* ante aliquot dies, priuſquam ſecederet in deſertum Ephrem; ſed reverſio ejus, & forſan rumor dictæ cœnæ iterùm excitavit deſiderium videndi Lazarum.

19 * 10. *Cogitaverunt autem*, ἐβουλεύσαντο, conſultaverunt, ſive concilio inito ſtatuerunt *principes ſacerdotum*, cum reliquis ſenatoribus, ut non Jeſum ſolùm, ſed *& Lazarum interficerent*. Tam benè jam profecerant in egregia illa Caiphæ ſententia, pro bono publico quidvis licere, ut non dubitarent hominem nullius culpæ reum additamentum facere ſui ſceleris ad tuendam dominationem ſuam. 20 * 11. *Quia multi propter illum*, miraculo reſurrectionis ejus commoti, *abibant ex Judæis*, ſubducebant ſe, & deficiebant à partibus ſacerdotum, qui Jeſu adverſabantur, *& credebant in Jeſum* certò tenentes eum eſſe verè Chriſtum, ut liquet ex laudibus, quibus eum ſequenti die ingredientem Hieroſolymam exceperunt, quod ſequenti libro narraturi ſumus.

Digitized by Google

COMMENTARIUS IN HARMONIAM, SIVE CONCORDIAM QUATUOR EVANGELISTARUM.

LIBER QUINTUS.

VITA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI à die quo ovans Hieroſolymam ingreſſus eſt ; ad aſcenſionem in cœlum. Paſſio & reſurrectio ejus.

DISSERTATIO,

De ritibus qui eo tempore quo paſſus eſt Dominus, ſervabantur à Judæis in Paſchate faciendo.

§. I.

Vetus Paſcha Judæorum typus fuit & vaticinium omnium circumſtantiarum mortis Chriſti.

Tandem pervenimus ad vitæ J. C. D. N. poſtremum actum, quo ſacrificium in ara crucis Deo Patri de ſe obtulit. Tanta eſt dignitas, tanta efficacia hujus ſacrificii, ut jure dici poſſit Deum mundo condendo non ſe accinxiſſe, niſi ut eſſet locus in quo illud perficeretur; nec ſervaſſe eundem mundum, ob hominum pravitatem meritò perdendum, niſi quia eo placandus; quæ tam facilè

Probari poſſunt quàm dici. Etenim quis alius dignus finis operum Dei quàm Deus? Chriſtus autem homo Deus, niſi mundus & homines in mundo extitiſſent, in mundum non veniſſet, Patrem ſuum clarificaturus. Mundus itaque dignum Dei opus fuit, quia in eo intuitus eſt Chriſtum humana carne induendum, & in mundano opere ſacrificia hujus carnis oblaturum; cujus ratiocinii vim ſi quis tanta quanta eſt, non percipiat, clarè animadvertet legendo ſacras ſcripturas, omnia quæ illæ continent dicta, factaque. Chriſtum habere finem, & contigiſſe in typus & vaticinia mortis ejus. Hæc eventu demonſtrata ſunt, quæ enim Chriſto morienti obtigerunt, ſic congruunt iis quæ vetus ſcriptura complectitur, ut hæc facta eſſe morti ejus adumbrandæ & prænuntiandæ clarè videantur, quapropter mors illa quæ pœnarum acerbitate & dedecore oſtendit Chriſtum verè fuiſſe hominem doloribus & injuriis obnoxium; ſimul & apparatu ſuo, & complemento veterum typorum confirmat Deum fuiſſe. Cui enim alteri quàm Deo omnia ante elapſa ſæcula, vita omnis Patriarcharum, Prophetarum lingua, acta omnia Iſraelitarum, quotquot clariores vixerant, omnis denique religio ab ipſo mundo condito inſtituta, deſervire potuerint?

Cùm autem nulla ſacrificiorum ſpecies in lege Moyſis ordinata, non exprimeret aliquas lineas ſacrificii à Chriſto perficiendi, plurimas & præcipuas ſic delineabat vetus Paſcha Judæorum; ut qui utrumque ſacrificium unum cum altero contulerit diligenter, facilè advertat Paſcha Judaicum, locum, tempus, & omnes circumſtantias Chriſti occidendi, diu antequam obtingerent, exhibuiſſe. Quæ cùm ita ſint, non decet mortem pretioſam ſuſcipere deſcribendam, circa quam liber Harmoniæ noſtræ ultimus ferè totus verſatur, niſi prius revocemus in memoriam veteris Paſchatis ritus omnes, quos, ut dixi, Chriſti occidendi fuiſſe typos & vaticinium tam liquidò patebit, ut inde adverſus incredulos Judæos facilè ſit demonſtrare Jeſum quem occiderunt, fuiſſe Chriſtum quem occidendum deſignabat agnus Paſchalis: adverſus pſeudo-Chriſtianos qui de Chriſto digna non ſentiunt, eum, quem tota vetus religio unum ſpectabat; cujus cauſa omnes ritus inſtituti, electi Levitæ, conſecrati ſacerdotes, Templum ædificatum; hunc, inquam, eximendum eſſe è numero creaturarum, & verè pro Deo habendum, & colendum.

Facilè eſt pariter Gentes, & eos omnes quibus crux Chriſti ſtultitia videtur, arguere ſtultitiæ; ſive comprobare, quod illis ſtultum eſt, plenum eſſe ſapientiæ opus. Etenim qui cogitat mundum neſcio quo atomorum fortuito concurſu formam illam quam ſuſpicimus accepiſſe, non magis deſipit, quàm qui ſentiat non niſi temerè accidiſſe, ut ritus omnes paſchales Chriſto conveniant. Partium mundi, quæ tum numero, tum varietate infinitæ ſunt, diſpoſitio admirabilis, & perfecta in unum finem concordia, indicat quidem opificem ſapientem potentemque, quo jubente omnia creata ſint, quo movente vigeant, quo regente conſerventur. Verum in iſto opere quo mundus inſtauratus eſt; magis elucent ſapientia & potentia Dei, in utroque opere omnia quidem in fines aptos direxit; ſed hìc majori cum gloria, & poteſtate. Etenim quæ nondum erant, factori ſuo non adverſabantur; ita verò uſus eſt Judæis jam exiſtentibus & adverſantibus, ut cùm id unum illi conarentur, ne Jeſus videretur Chriſtus, quem annuntiabant, & deſcribebant ſcripturæ, ipſi effecerint hunc morti tradentes, ut typi, in morte ejus omnes impleti ſint, & completa de Chriſto vaticinia omnia. occiſus eſt enim iis tum loci, tum temporis cæterarumque rerum circumſtantiis, quas prophetarum vaticinia, ſed præcipuè ritus omnes paſchatis luculenter prænuntiabant. Quamquam enim ſacerdotes Judæorum & Phariſæi aliter

Digitized by Google

ter ipſi ſtatuiſſent, Jeſum Chriſtum occiderunt, ea ipſa hora qua paſcha legitimè occidendum. Occiderunt, inquam, eo genere occiſionis, eo tempore & loco, cæteriſque circumſtantiis quibus occidendus erat juxta veteres typos & antiqua vaticinia; neque enim ſolùm ritus quibus agnus paſchatis mactabatur, & comedebatur, ſed & cætera ſolemnia quæ paſcha ſubſequebantur, pariter figurabant & annuntiabant quæ ſubſecutura eſſent mortem J. C. D. N. Sed, ut dixi, paſchatis ſolemnia id præſtabant luculentiùs. ergo ut tanta veritas ſuo in lumine collocetur, veteres ritus paſchatis proponendi ſunt, ſed memoriam tantùm refricabimus, quorum plenam adornavimus hiſtoriam in Tractatu hiſtorico paſchatis Judaici, & cæteris ſcriptis quibus hunc tractatum confirmavimus adverſus quoſcumque qui eum impetiverunt. Inde accerſenda teſtimonia & argumenta quæ præſenti diſſertationi inſarcire ſupervacaneum eſſet.

§. II.

Qua occaſione ſacrificium paſchatis inſtitutum eſt; & ex quo animantium genere.

Deum in veteri teſtamento præmiſiſſe imagines rerum ſub Chriſto complendarum convenit tum inter chriſtianos, tum inter Judæos. Hi enim conſentiunt omnia in lege Moyſis typica eſſe, ac proinde myſticè, ſeu allegoricè exponi poſſe. Ea eſt indoles omnium agentium, ut non ſolùm generent ſui ſimilia, ſed & in artis operibus ſeſe exhibeant. unde fit ut omnia ſuam referant originem; verbi cauſa ſiquidem divinas ſuas proprietates expreſſerit Deus in ſuis operibus, apparet in mundi opificio opificem & ſapientem, & potentem, & immenſum fuiſſe, & infinitum; ita & exitus rerum docuit in iis quæ poſt lapſum Adæ Deo permittente & ordinante facta ſunt, exhibitas diverſas imagines, in quibus futurùs reparationis Adæ auctor, actus & virtutes ejus clarè delineantur.

Ne extra cœptum iter divagetur ſermo, protinùs conſideremus Ægyptiacam ſervitutem, ex qua duce Moyſe Iſraelitæ exierunt. Illa typus, ſive imago erat ſervitutis alterius ſub jugo dæmonum, qua Chriſto vindice liberandi eramus. Quod ut Deus figuraret, & clariùs appareret, noſtram libertatem deberi Chriſto, præceperat Iſraelitis jam jam exituris ex Ægypto (Exod. cap. 12. ỳ. 3.) *ut decima die menſis, qui poſteà Niſan dictus eſt, per familias legerent agnum, vel hædum anniculum, mactandum decima quarta die ad veſperam, & comedendum nocte initio decimæ quintæ diei:* Decima die menſis hujus tollet unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas ..... Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hœdum, & ſervabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis hujus. *Paruere Iſraelitæ; & decima quarta ad veſperam mactaverunt pecudem quam legerant; cujus ſanguine juxta Dei mandatum reſperſerunt quiſque domum ſuam. Aſſum agnum, hædum ſimiliter, comederunt in pane azymo, ſive non fermentato cum lactucis amaris.*

In hacce cœna Iſraelitæ non accubuerunt menſis, ſed pedibus calceatis, & accinctis renibus ſtabant, baculum tenentes, more eorum qui parati ſunt ad ingrediendum iter; nam viri vix utebantur calceis domi; viam autem carpebant calceati, ne pedes læderentur; & præcingebant ſe, ne laxiores veſtes impedimento eſſent. Itaque quia ſic præceperat eis Deus, comederunt feſtinanter; ideò etiam uſi ſunt azymis, urgebant enim eos Ægyptii, ut celeriter ex Ægypto exirent; quare non dabatur tempus quo panis fermentaretur. eadem de cauſa, quia opus

Digitized by Google

erat feſtinatione, interminatum illis fuerat, ne in confringendis oſſibus agni tempus tererent. Eadem nocte tranſivit Angelus Domini, & omnes Ægypti primogenitos percuſſit; ſolis ædibus Iſraelitarum abſtinens, quæ rubebant ſanguine ſacrificii oblati. Tam univerſali verò cæde primogenitorum ſuorum exterriti Ægyptii, & ſibi omnibus timentes, coegerunt protinus Iſraelitas, à quorum Deo intelligebant malum immiſſum, ſine mora cedere eorum regione. Idcirco ſacrificium quod Iſraelitæ tunc fecerunt, dictum eſt Phaſe, *ſive* Paſcha, *hoc eſt*, tranſitus, *quia à tranſeunte Angelo trucidati ſunt Ægyptiorum primogeniti, ſervati Iſraelitæ, & liberati jugo ſervitutis, quia tincti ſanguine ſacrificii, ſic agno paſchali mactato, libertatem conſecuti ſunt.*

Res iſta manifeſtus typus fuit, ſive delineatio mortis Chriſti; nec aliquid aliud ſignificantius excogitari poteſt. Etenim agnus pecus eſt manſuetudini Chriſti exhibendæ idonea; ideo non ſolùm debuit eſſe immaculatus ſed & anniculus, id eſt filius anni, qui ſcilicet annum primum non impleviſſet; cui ergo nondum cornua apta defenſioni nata eſſent. quia Chriſtus, cùm vim arcere poſſet, ſe ipſe traditurus erat hoſtibus ſuis: juxta vaticinium illud de Chriſto quod, ſicut agnus ad occiſionem duceretur. Sed & hædum licebat ſumere in ſacrificium paſchatis. Fœtidum eſt animal, ideò ſymbolum peccati, cujus ſpeciem, dedecus & pœnam Chriſtus pariter induturus erat; ſic aſſimilandus hædo, etiamſi agnus manſuetudine & puritate.

Solemne quod Iſraelitæ peregerunt in pervigilio profectionis ſuæ ex Ægypto Deus juſſit renovandum quot annis, eodem menſe, & eadem ipſa hora, tum in memoriam ſolutæ ſervitutis, tum in typum alterius & durioris ſolvendæ. Ergo iiſdem ritibus poſteà peractum, exceptis tamen illis quos faciebat neceſſarios conditio Iſraelitarum, qui nondum ex Ægypto egreſſi erant, ſed accingebant ſe ad profectionem. Neque enim in cæteris paſchatibus neceſſe fuit ut ſtantes comederent paſcha in peregrinantium habitu. Imò proprios ritus attulit ſedes quieta quam dedit eis Deus, ut dicturi ſumus, dum ſingulos hoſce ritus, quod faciendum nobis incumbit, diligenter ſcrutabimur, & exponemus.

§. III.

De tempore quo victima paſchatis immolanda; quo menſe, qua die, qua hora.

Vetus paſcha Judaicum non typum tantummodo, ſed & vaticinium fuiſſe mortis Chriſti inde certò comprobatur, quòd ille occiſus ſit eodem præcisè tempore, quo ex lege paſchales agni erant mactandi. Hoc ut tam clarè liqueat quàm verè contigit, inquirendum eſt in utrumque tempus mactationis agnorum paſchalium, & occiſionis Chriſti. Lex definit paſchatis tempus, menſem, diem menſis, & horam diei abſque ulla ambiguitate; ne aliquam unquam eſſet dubitatio circa menſem, diem, & horam quibus Chriſtus occidendus. Menſe primo, quarta decima die menſis ad veſperam phaſe Domini eſt (Levit. cap. 23. ℣. 5.) *Si quæ ergo hæreat circa illud tempus difficultas, oritur ex ratione pleriſque non ſatis explorata, qua Judæi metiebantur tempora, menſes ſuas inchoabant, hunc vel illum ſtatuebant primum menſium; & dies ſuos auſpicabantur. Dies enim olim diverſimodè numerabantur, vel ab ortu, vel ab occaſu ſolis; ita ut hæc hora ab aliis cenſeretur prima quæ aliis ultima eſſet.*

Explanavimus illas difficultates in tractatu paſchatis, ubi non aliquibus, ſed plu-

pluribus certis & apertis teſtimoniis comprobavimus, menſes Hebræorum lunares fuiſſe; & horum initium fuiſſe primam lunæ phaſim, id eſt primum ejus conſpectum. Hæc ubi complevit curſum ſuum, & ſolem aſſecuta eſt, latet aliquantiſper radiis ſolis immerſa; ex quibus cùm emerſit, (celerior enim ſole verſus ortum properat) apparere incipit reparans figuram ſuam. Tunc quæ prima ejus cornua oculis conſpicua ſunt, dicuntur prima ejus phaſis, *hoc eſt prima ejus apparitio.*

Prima hæc lunæ phaſis initium erat menſis apud Hebræos; & olim ferè apud omnes alias gentes, ut fusè probatum eſt. Ab illa prima phaſi, prima dies menſis dicebatur neomenia; *id eſt* nova luna; *& dies illa feſtum erat peculiari ſacrificio agendum; unde cùm omnia ſacrificia ſuis & ſtatis diebus peragenda eſſent, prima lunæ phaſis religiosè obſervabatur ab iis pœnes quos erat cura religionis. Mittebant ſacerdotes viros inculpatos & dignos fide in loca edita, qui ſtatim ac primam phaſim lunæ, ſive prima ejus cornua deprehenderant, celeriter revertebantur ad ſacerdotes qui in ſuo Synedrio re deliberata, & certo teſtimonio confirmata, ſtatuebant menſem inchoatum eſſe, & edicto declarabant; tuncque perficiebatur ſacrificium in neomenia offerendum. Hæc omnia quæ initium menſis ſpectant, non ſolùm in more erant apud Hebræos, ſed & apud Græcos & Romanos, ut videre eſt in apertis teſtimoniis quæ alibi protulimus.*

Anni apud Judæos abſolvebantur una integra revolutione ſolis dierum 365. & aliquot horarum. cùm ergo duodecim menſes lunares habeant tantùm 354 dies, deficiunt undecim diebus ab integra revolutione ſolis quæ eſt dierum 365. cum aliquot horis. Poſt tres annos, bis undecim diebus collectis, conficiebatur decimus tertium menſis, quo tertius quiſque annus plerumque augeri ſolebat. certis enim caſibus, quos non vacat explicare, ſeriùs, aut citiùs fiebat iſta intercalatio. In conſtituendo autem primo anni menſe, ea regula ſervabatur, ut ille haberetur primus, cujus die decima ſexta offerri poſſet manipulus ex nova fruge; cujus quidem ſpicæ ſi viridiores eſſent, & grana teri non poſſent, quia teneriora, primùm torrebantur. ſed non alius menſis declarabatur primus, quàm quo ſpes erat fore ut poſſet dictus manipulus offerri, & panis confici ex ejus ranis ſaltem toſtis. Vix iſta fiunt ante æquinoctium vernum, quando ſol ingreditur ſignum arietis. Ideò ea conſuetudo invaluerat Joſepho teſte, ut menſis lunaris primus anni haberetur cujus plenilunium proximius poſt æquinoctium vernum contingeret, ſive cujus dies decima quarta ſequeretur proximior illud æquinoctium. cui id contingebat, dicebatur menſis primus, & appellabatur Niſan. *loquor de rebus Eccleſiaſticis, ſive quoad dies feſtos, nam in rebus civilibus* Tiſri *habebatur primus. In definiendo paſchali menſe hanc regulam à Judæis acceptam Chriſtiani ſervaverunt.*

Igitur paſcha ex lege celebrandum decima quarta die menſis primi, agebatur in menſe Niſan, cùm jam præteriiſſet æquinoctium vernum. Decima verò quarta dies illa numerabatur, ut dictum eſt, à prima phaſi lunæ, cùm prima cornua ejus, quando oriebatur ex radiis ſolis, conſpicua fiebant; quod cùm ſæpius fiat noctis initio poſt ſolis occaſum, idem initium menſis, ſtatutum eſt initium dierum quibus menſis conſtabat. Nempe dies ſuos inchoabant Judæi ab occaſu ſolis: ſtatim ac ille occiderat, ſurgebat novus dies. ſic qui feſti erant, agebantur à veſpera ad veſperam. Sabbatum incipiebat, cùm deficiebat ſol; & quoties in ſcriptura præcipitur aliquis dies integer obſervandus, termini ejus deſignantur duo occaſus. Verbi cauſa qui per diem habendi erant immundi, ſole occidente ſolvebantur immunditie ſua; quod probant conſuetudines Judæorum etiam recentium, ut adverſus ſolem mentiri videantur qui contrarium docent.

Reſtat

Reſtat ut quæramus qua hora diei decima quarta legitimè fieret agni paſchalis mactatio. Lex aſſignabat veſperam; ſed verba ejus qualia ſunt in fonte Hebræo expendenda diligenter. Menſe primo quarta decima die menſis ad veſperam בין-הערבים, Ben-haarbaim, *id eſt*, inter veſperas. Phaſe Domini eſt, *Levit.* cap.23. ℣.5. *illud Ben-haarbaim, ambiguum eſſet, niſi interpretarentur tum ipſi ſacri ſcriptores, tum & Philo, & Joſephus, ne dicam cæteros omnes Judæos. Ubi enim ſcriptura loquitur de jugi ſacrificio quod fiebat manè & veſperè ex agno per ſingulos dies, pro tempore ſacrificii veſpertini deſignat horam quam appellat* Ben-haarbaim, *id eſt* inter veſperas. *Sic loquitur in Exodo* (c.29. ℣.41.) Alterum verò agnum offeres ad veſperam, (*legitur* Ben-haarbaim *in fonte*) juxta ritum matutinæ oblationis. *Cùm itaque nullum ſacrificium noctu licitum eſſet; & aliud ſacrificium agni, matutinis horis fieret, neceſſariò ſacrificium agni* inter veſperas *offerebatur horis pomeridianis. Chaldæi & Judæi omnes per illud* Ben-haarbaim *intelligunt lucem declinantis diei, & accedentis noctis. Joſephus dicit agnum veſpertinum ſacrificatum hora nona (quæ noſtra eſt pomeridiana tertia) qua dicit etiam agnum paſchalem mactari ſolitum. Philo quoque de ſacrificio paſchali agens ſcribit id factum poſt meridiem; ut nullus dubitandi locus ſit; quin tempus quod ſcriptura appellat* inter veſperas, *fuerit pomeridianum, & agnus paſchalis immolatus ſit hora nona, qua ex Evangelio conſtat J.C.D.N. extremum halitum in cruce duxiſſe. Ita ut eodem tempore contigerit mundum à ſervitute peccati redemptum eſſe per mortem Chriſti, quo olim Iſraelitæ occiſo primo paſchate fuerant redempti ab Ægypti ſervitute. id ſic futurum didicerant Judæi, ut diſcimus ex* Elle Shemoth Rabba; *id eſt ex Gloſſa magna in Exod. ubi iſta leguntur, ſect.*15. Ex quo Deus mundum ſuum elegit, conſtituit in eo principia menſium & annorum; & cùm elegit Jacobum & filios ejus, conſtituit inter eos principium *menſium* menſem redemptionis, quòd in eo redempti fuerunt Iſraelitæ ex Ægypto; & in eo poſteà redimendi eſſent, *nempe à Meſſia*, ſicut dictum eſt (*Mich.* cap.7. ℣.15.) ſecundùm dies exitus tui è terra Ægypti, oſtendam ei mirabilia.

§ IV.

De loco ubi paſcha erat immolandum. Id fieri non licebat niſi Hieroſolymis in Templo.

Quo in loco immolandum eſſet paſcha, ſcriptura declarat. Etenim lex prohibebat, ne id fieret extra locum, quem electurus erat Dominus. Immolabiſque phaſe Domino Deo tuo de ovibus & bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. (*Deut.* cap.16. ℣.2.) *Et paucis interjectis:* Non poteris immolare phaſe in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi; ſed in loco quem elegerit Dominus tuus &c. *Cùm hæc Moyſes diceret, Arca Domini erat ſub pellibus in Tabernaculò, quod interdum loco movebatur. Poſteà Deus elegit Hieruſalem, in qua ſanctificaretur nomen ejus, manifeſtis ſignis oſtendens domum quam Salomon ædificaverat Hieroſolymis in monte Moria, eſſe locum quem prædixerat electurum. Litem de loco, ubi adorare oporteret, agitatam inter Judæos & Samaritanos diremit Jeſus ſecundùm Judæos, ſalutem ex Judæis eſſe reſpondens Samaritanæ, quæ quærebat ubi adorare oporteret. Ergo viri religioſi omnes, quotquot vel morbus, vel longioris*

itinc-

itiner is difficultas non impediebat, ibant quot annis Hieroſolymam celebraturi paſcha. Id de Maria & Joſeph dicit Lucas, cap. 2. ℣. 41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Hieruſalem in die ſolmeni paſchæ.

Hieruſalem erat quidem urbs electa; ſed non omnes ejus regiones promiſcuè locus electus, in quo liceret paſcha immolare. ſolum templum ejus reputari potuit domus Dei, ſive locus electus à Deo in quo habitaret nomen ejus, ut Moyſes loquitur; juxta cujus verba Salomon dicebat de Templo 2. Paralip. cap. 6. ℣. 2. Ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum. *inde Jeſus Chriſti non ſemel dixit Templum eſſe domum Dei. Cùm itaque præcepiſſet Deus ut paſcha non alibi immolaretur quàm in loco quem electurus erat ut habitaret nomen ejus ibi, extra Templum immolatio paſchatis illicita erat. De quocumque ſacrificio cautum fuerat ne alibi fieret; etenim altare ſanguine oblata victimæ reſpergendum. ergo cùm paſcha verum ſacrificium fuerit, & hoc nomine appellatum, non potuit perfici quàm in Templo Hieroſolymitano; & ea in re paſcha typus fuit ſacrificii quod Chriſtus obtulit, qui ideo dicebat de ſe, non decuiſſe eum occidi extra Hieroſolymam.*

Omnium Judæorum tum recentium tum veterum ſententia eſt, locum immolandi paſchatis fuiſſe Templum; quapropter ab hocce tempore quo everſum, non ampliùs ſibi licitum putant facere paſcha. Ita ut cùm memoriam veteris paſchatis ſingulis annis celebrent: ne quis putet ab hit tunc paſcha fieri, etiam nomine ejus abſtinent: & ne agnus, ſi quem comedunt, habeatur pro paſchali, non illum aſſant, ut fiebat in agno paſchali, ſed elixum comedunt. Quæ religio non Judæos noviſſimos inceſſit; in eo enim dialogo, quem Juſtinus Martyr habuit cum Triphone Judæo, cùm ab eo quæſiiſſet, cur Judæi non ampliùs facerent paſcha, ſcimus, *reſpondit Tripho*, paſcha alibi quàm Hieroſolymis non poſſe mactari.

Paſchata quorum fit expreſſa mentio in ſacro codice poſt ædificatum Templum, in eo omnia celebrata ſunt. Ezechias inſtauraturus cultum Domini cùm voluiſſet paſcha facere juxta veteres ritus, congregata in Templo Iſraelitarum Eccleſia, ſcripſit, [lib. 2. Paralipomenorum cap. 30.] *ad tribus Ephraim & Manaſſe*, ut venirent ad domum Domini in Hieruſalem, *ſcilicet ad Templum, quod Hieroſolymis erat*, & facerent phaſe Domino Deo Iſrael. *Miſſi ſunt nuncii*, in univerſum Iſrael de Berſabee uſque Dan, ut venirent, & facerent phaſe Domino Deo Iſrael in Hieruſalem. *A multo tempore decem tribus Iſrael ſchiſmate avulſa erant à tribu Juda, nec Hieroſolymis ſacra faciebant, etiamſi id eſſet lege præſcriptum. ergo revocabat eos Ezechias ad obediendum legi. Curſores qui literas ejus deferebant*, Filii Iſrael, *inquiebant*, revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Iſaac, & Iſrael..... Tradite manus Domino, & venite ad ſanctuarium ejus quod ſanctificavit in æternum. *Ita liquet Iſraelitas literis Ezechiæ invitatos, ut facerent paſcha in Templo. Phaſe quod ſub Joſia rege deſcribit ſcriptura* [4. Reg. cap. 23. & lib. 2. Paralipomen. cap. 35.] *factum quidem dicitur in urbe Hieruſalem*: Fecit autem Joſias in Hieruſalem phaſe Domino, quod immolatum eſt quarta decima die menſis primi; *ſed mentio ſacerdotum & Levitarum, tum & hujuſce miniſterii, quo ſacrificia peragebantur, rem fuiſſe in Templo peractam oſtendunt*: Et conſtituit ſacerdotes in officiis ſuis, hortatuſque eſt eos ut miniſtrarent in domo Domini. *Eadem obſervare eſt in illo paſchate quod egerunt Iſraelitæ reverſi è Babylonia. Pariter enim nominantur ſacerdotes defungentes ſuis muneribus in paſchatis immolatione*. Fecerunt autem filii Iſrael tranſmigrationis [lib. 1. Eſd. cap. 6.] paſcha quarta decima die menſis primi. Purificati enim fuerant ſacerdotes, & Levitæ quaſi unus: omnes mundi ad immolandum

dum paſcha univerſis filiis tranſmigrationis. *Hocce miniſterium ſacerdotum in mactando paſchate requiſitum, ſequenti articulo demonſtraturi ſumus; ſimul paſcha non immolatum niſi præſente univerſo Iſraelis cœtu; ita quod ſuſceperamus demonſtrandum, conſtare debet locum mactandi paſchatis fuiſſe Templum. Hìc autem obſervabo quòd cùm Judæi ab omnibus orbis plagis confluerent Hieroſolymam in die feſto paſchatis, ædes hujus urbis patuiſſe omnibus advenis; & ea conſtrictos religione Hieroſolymitanos ut crederent vacua ædium ſuarum cœnacula, nulli occludenda eſſe qui primus adveniret ea occupaturus ad comedendum in iis paſcha ſuum.* Nemo, *inquiunt Judæi*, unquam alteri dixit: non inveni Hieroſolymæ ignem ad quem torrerem agnum meum paſchalem: nec dixit unquam quiſquam alteri: non inveni lectum Hieroſolymæ in quo cubarem.

§. V.

Paſcha non poterat mactari ſine ſacerdotum miniſterio, & niſi adeſſet præſens univerſa Judæorum multitudo.

Olim antequam erectum eſſet tabernaculum, nondum ſacerdotio collato in Aaronem & familiam ejus; quiſque Iſraelita, maximè primogeniti, defungebantur omnibus muneribus ſacris, quæ poſtea Aaronidarum fuere propria. Itaque in primo paſchate, ſiquidem tunc temporis Aaron non electus erat in ſacerdotem, quiſque paterfamilias agnum ſuum immolavit. Si fidem adhibemus Joſepho, congregati erant omnes Iſraelitæ in uno & eodem loco. Ergo ſanguine agnorum quem exceperant pelvibus, ut in tractatu paſchatis oſtendimus, oſtia ædium ſuarum, ſive tabernaculorum reſperſerant. Verùm conſtituto ſacerdotio intra familiam Aaronidarum, & electo loco in quo præ cæteris Deus adorari vellet, ſancitum eſt ut agni paſchales mactari quidem poſſent à quocumque Iſraelita mundo, ſed ſanguis eorum excipi & effundi ad altare non poſſet niſi à ſolis ſacerdotibus; quod fiebat in omnibus ſacrificiis; ut videre eſt in Levitico [cap. 1. ℣. 42.] Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus .... offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonii, ad placandum ſibi Dominum: ponetque manum ſuper caput hoſtiæ .... & offerent filii Aaron ſacerdotes ſanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod eſt ante oſtium Tabernaculi..

Cùm igitur agnus paſchalis verum eſſet ſacrificium, à quolibet quidem mactari poterat, & ubique in Templi atrio; ſed ſanguis ejus tum excipiendus erat à ſacerdotibus, tum deferendus ad pedem altaris. Veriſimilia autem ſunt quæ Judæi nos docent, quòd cùm atrium Templi tantam multitudinem capere non poſſet, tum agnorum, tum mactantium, ordinatas fuiſſe tres congregationes. Prima ingrediebatur ut faceret paſcha. Stabant ordine ſacerdotes à loco mactationis uſque ad altare; excipiebant pateris agnorum ſanguinem; alter alteri pateram ſanguine plenam tradebat, quæ celerrimè ſine confuſione per manus ſacerdotum ferebatur ad altare, ad cujus baſim effundebatur. Ita de ſecunda & tertia congregatione.

Ritus ille deſcribitur in Thalmude Tract. pelachim. cap. 5. *locum exſcribam; deinde confirmabo certa auctoritate:* Paſcha mactatur in tribus turmis, ſicut dicitur: *Atque agnum mactabit omnis cœtus congregrationis Iſraelis.* Cœtus, congregatio, & Iſrael. *Nituntur his tribus nominibus Thalmudiſtæ. an illa locum verè dederint diſtributioni Iſraelitarum in tres claſſes ſcire non ſatago.* Ingreditur cœtus primus, & repletur totum atrium: portas atrii claudunt, tubæ canunt. Sacer-

cerdotes ſtant ſeriatim, atque in eorum manibus habent phialas aureas & argenteas: ſeries una argenteas, & altera aureas; & non confunduntur: & non erant phialis fimbriæ, ne eas reponerent, & ſic condenſaretur, aut congelaretur ſanguis. Iſraelita mactat, & ſanguinem recipit ſacerdos, & proximè aſſiſtenti dat, & ille proximo, qui phialam plenam recipiens vacuam ei dat. Sacerdos qui altari proximus ſtat, ſanguinem ſpargit aſperſione una juxta fundamentum altaris: exit iſta turma, atque ingreditur ſecunda &c.

Rem miniſterio ſacerdotum ſic peractam certò demonſtrat id quod Joſephus ſcribit, lib.7. de bello cap.17. *Sacerdotes ad ineundum, ut juſſerat Ceſtius, numerum Iſraelitarum, qui in die paſchatis Hieroſolymis aderant, numeraſſe hoſtias paſchales*. Illi autem (*ſacerdotes*) *loquitur Joſephus*, cùm dies feſtus adeſſet qui paſcha vocatur, quando à nona quidem hora uſque ad undecimam hoſtias cædunt, per ſingulas verò, contubernia non pauciorum quàm decem hominum fiunt: ſolum enim epulari non licet, multi etiam viceni conveniunt. Hoſtiarum quidem ducenta & quinquaginta ſex millia, & quingentas numeravere &c. *Tantam hoſtiarum multitudinem, ſimul & ſacerdotum, & Iſraelitarum capi potuiſſe in Templo non mirabitur qui hujus noverit porticus multiplices, innumera conclavia, varia cœnacula, atria immenſa, vaſta & plurima hypogæa. Intra duas, vel tres horas tot hoſtias cædi potuiſſe etiam facilè credet qui perpenderit innumeros adſuiſſe ſacerdotes; & rem multo ordine peractam.*

Non igitur privatis in ædibus agni paſchales mactabantur; quod Philo dicere videtur ſcribens ſingulos in paſchate Iſraelitas ſacrificaſſe, non expectatis ſacerdotibus, & permiſſu legis functos eſse ſacerdotio in hac una die. Rem judicio hujus ſcriptoris non eſse dijudicandam liquet. Cùm enim nullam mentionem faciat Hieroſolymorum & Templi, oſtendit ſe non alienum fuiſse à ſchiſmate Alexandrinorum, qui Oniæ Templum frequentabant, peccantes, ſiquidem tunc temporis non alibi coli ſacrificiis volebat Deus quàm in Templo Hieroſolymitano. Philonis ſententiam excuſſimus in ſæpius allegato tractatu paſchatis. Ne autem quis inter nugas Judæorum reputet quæ ex Judæis & Joſepho protulimus, & Philoni potiùs habendam eſse fidem contendat, illa confirmabo apertis ſcripturarum teſtimoniis.

De iſto paſchate quod Ezechias celebrari voluit, codex ſacer dicit perfici non potuiſse niſi menſe ſecundo; & hujuſce dilationis eam cauſam reddit: Non enim poterant facere in tempore ſuo (Paralip.2. cap.30.) quia ſacerdotes qui poſſent ſufficere ſanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Hieruſalem &c. *Itaque duo erant neceſsaria, ut paſcha ritè fieret; miniſterium ſacerdotum, & Templum; quod luculenter declarat Eſdras* (lib.1. cap.6. ℣.20.) Fecerunt autem, *inquit*, filii tranſmigrationis paſcha quarta decima die menſis primi. Purificati enim fuerant ſacerdotes & Levitæ quaſi unus: omnes mundi ad immolandum paſcha pro univerſis filiis tranſmigrationis, & fratribus ſuis ſacerdotibus & ſibi. *Quiſque Iſraelita poterat quidem mactare agnum paſchalem; ſed modò ipſe mundus eſſet, & id facere doctus; alioqui Levitæ vices eorum obibant, ut contigit in paſchate Ezechiæ, & in illo de quo Eſdras loquitur quando à multis annis paſcha, aut nullo modo, aut non ritè factum fuerat. Id verò quod attulimus ex Talmude de ſacerdotibus feriatim ſtantibus cum pateris, ſervatum eſſe in paſchate Ezechiæ non obſcurè indicat auctor Paralipomenorum* (lib.2. cap.30. ℣.15.) Immolaverunt autem phaſe quartadecima die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque ac Levitæ tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in domo Domini, ſteteruntque ordine ſuo juxta diſpoſitionem & legem Moyſi hominis Dei: ſacer-

dotes

dotes verò ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Levitarum ; eo quòd multa turba ſanctificata non eſſet : & idcirco immolarent Levitæ phaſe his qui non occurrerant ſanctificari Domino. *Quæ obſcura eſſe poſſunt in illis verbis, vindicabimus in apertum diem in tractatu ſæpiùs allegato.*

Denique ad eos omnes confutandos qui ſe auctoritate Philonis tutantur, & volunt paſcha ut comedi, ita & mactari potuiſſe intra privatas ædes, ſufficit animadvertere illud ex lege immolandum fuiſſe in publico cætu. Non enim ritè fiebat in privatis ædibus, quod faciendum erat adſtantibus omnibus Iſraelitis; quod lex diſertè præcipit, loquens de agno paſchali (Exod. cap. 12. ℣. 6.) Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam; *juxta fontem,* totus cœtus congregationis. *Quin à Philone, quidquid alioqui de paſchate ſentiat, paſcha appellatur* πάνδημος θυσία, *id eſt, ſacrificium cui omnis populus tenetur intereſſe. Non igitur quaſi commentum decet aſpernari quæ tradunt Judæi de illis tribus congregationibus, per quas publicitus agni immolabantur. Imò ut plurima alia quibus magis magiſque apertum eſt mortem Chriſti depictam fuiſſe in mactatione paſchatis, debemus ſeriè diſcere ex libris Judæorum; quæ nemo dixerit illa commentos eſſe, ut facerent rem gratam Chriſtianis. Juxta ritus quos deſcribunt, ſtatim ac facta erat aſperſio ſanguinis, ſuo quiſque agno pellem detrahebat, ſuſpendens eum uncinis, qui adhærebant parietibus atriorum. quæ ſuſpenſio ita neceſſaria erat, ut cùm uncini non ſufficiebant, ex vecte quem duo viri humeris imponebant (ſibi id officii mutuò præſtabant Judæi) agnum ſuſpenderent; in manifeſtum typum ſuſpenſionis Chriſti, qui morti damnatus eſt congregatis ſacerdotibus & omni plebe Judæorum.*

§. VI.

De loco & tempore quo agnus paſchalis comedebatur ; de aſſationis ejus & comeſtionis ritibus.

Detracta & abluta victimarum paſchalium viſcera diſco imponebant Iſraelitæ; illa ſaliebant ſacerdotes, & in ignem altaris conjiciebant. Reliquam verò victimæ carnem quiſque reportabat, domum comedendam cum ſociis ſuis: ubique enim Hieroſolymorum licebat comedere paſcha. Erant quidam ſacrificia quæ comedenda erant in ſanctuario, & ideo in ipſo Templo, ut ſacrificium pro peccato atque delicto, de quo ſic præcipitur, Num. cap. 18. ℣. 10. in ſanctuario comedes illud: mares tantùm edent ex eo, quia conſecratum eſt ibi. *Sed cùm non aliud præcepiſſet Dominus circa agnum paſchalem, niſi ut comederetur in loco quem electurus erat, intellexerunt Judæi id tantummodo ſibi prohibitum, carnes agni exportare extra Hieroſolymam, ubi ergo comedendæ.*

Numerum ſociorum, qui aſſumendi erant ad agnum comedendum præſcribebat lex, qui ſufficeret ad agni eſum. (Exod. cap. 12. ℣. 3.) Tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui junctus eſt domui ſuæ, juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. *Juxta Joſephum numerus ille non erat infra decem. Sic paſcha typus corporis Chriſti, repræſentabat ſynaxim chriſtianam, in qua ejuſdem corporis Chriſti participes mutua charitate nos decet eſſe conjunctos, nec licet ſeorſim illud comedere.*

His quæ circa cœnam paſchalem præſcribit codex ſacer, alia quæpiam adſanxerant Judæi, quæ Chriſti tempore obſervabant ut tradita à majoribus ſuis exem-

exempli gratia cùm juxta legem agnus non eſſet coquendus, ſed aſſandus, nempe quia carnes aſſæ faciliùs parantur, unde Athenæus probat ex Homero antiquos Heroas uſos potiùs carnibus aſſis quàm elixis. cùm, inquam, ex lege agnus paſchatis aſſandus eſſet, doctores Judæorum inſuper docebant totum corpus agni veru fuiſſe transfigendum. Veru in furno erigebatur, circa quod accenſo igne agnus aſſabatur. Corpus Chriſti erectum & quaſi transfixum in cruce confectum eſt.

Eodem die quo agni immolabantur, aliud offerebatur ſacrificium, quod Judæi appellant Chagiga, *hoc eſt* ſacrificium feſti; *à cujus carnibus incoabant cœnam paſchalem. cùm enim eximenda fames eſſet; nec agnus ſufficeret pluribus convivis ſaturandis, priùs comedebant carnem ſacrificii chagiga, vel aliis cibis ſe reficiebant, ut poſtquam de agno paſchali manducaverant, nullum alium prorſus cibum degustarent. Has omnes conſuetudines apertis ſcripturæ teſtimoniis comprobare non poſſumus, ſed nec illæ huic adverſantur. Mirum autem non eſt omnes non fuiſſe exaratas; ea enim quæ ſpectant ritus, quæ uſu ſatis diſcuntur, ſupervacaneum videtur ſcripto mandare. Præterea in pluribus aperta auctoritate ſacri codicis niti poſſunt Judæi; quod enim dicunt de chagiga additum fuiſſe ſacrificio agni paſchalis, conſentaneum eſt Deuteronomii* cap. 16. ℣. 2. Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus. *Prout hunc locum interpretatur Chaldæus paraphraſtes*: Et immolabis phaſe coram Domino Deo tuo de ovibus & victimam ſanctificatam de bobus. *Hoc eſt præter agnum paſchalem ſacrificabis aliud ſacrificium ex bobus. Juxta legem agnus comedendus erat cum herbis amaris. Adjungunt Judæi quoddam juſculum quod* charoſet *vocant, quo intingunt panem. Satagunt autem in cœna paſchali prolixè enarrari miracula, quibus ſoluti ſunt Ægyptiaca ſervitute; ſicut apud Chriſtianos cœna myſtica non fit ſine commemoratione mortis Chriſti, qua liberati ſumus ex dæmonum jugo. Tempus autem cœnæ paſchalis erat nox diei decimæ quintæ ineuntis. Immolatio agni decima quarta die durabat uſque ad horam undecimam, quæ noſtra eſt hora quinta pomeridiana; ita donec Iſraelitæ Templo deſcenderent, redirent quiſque domum, & aſſaretur caro victimarum, jam ſol occiderat, & ingruebant tenebræ; quapropter comedi non poterat ante noctem quæ initium erat diei decimæ quintæ. Hac eadem hora Judæi primùm paſcha comederant in Ægypto, ſtatim poſt comeſtionem inde egreſſi. Hora illa cœna paſchalis dici poteſt veſpera diei decimæ quartæ, quia illam diem ſubſequebatur. Caro agni non reſervabatur in diem poſterum ſive in lucem ſequentem. ſic enim lex jubebat.* Neque reſidebit manè de victimis ſolemnitati phaſe [Exod. cap. 34. ℣. 25.] *Ita Chriſtus non manſit immolatus in poſtero die crucifixionis; licèt id uſitatum eſſet apud Romanos, qui eum crucifixerant ut ſuo loco dicetur.*

§. VII.

Per dies ſolemnes paſchatis non niſi pane azymo utebantur Judæi; qui dies ideo azymi dicebantur; quot eſſent, & quando inciperent, & quæ in illis opera prohibita.

Panes azymi dicuntur in quibus non eſt fermentum. ſine fermento autem agnum paſchalem comedendum eſſe, nec alio pane quàm azymo eſſe utendum per dies ſolemnes paſchatis clarè præcipiebat lex; unde illi dicebantur azymi, ſive Azymorum dies: quot eſſent, & quando inciperent ſcriptura liquidò declarat. [Exod. cap. 12. ℣. 18.] Primo menſe quartadecima die menſis ad veſ-

peram

peram comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam. Septem diebus non invenietur fermentum in domibus veſtris: qui comederit fermentatum peribit anima ejus de cœtu Iſrael, tam de advenis quàm de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma.

Igitur jam ante veſpertinas horas diei decimæ quartæ primi menſis oportebat omni fermento expurgatas eſſe Iſraelitarum ædes. Veſpertinæ illæ horæ accipi poſſent pro initio decimæ quintæ diei, quando comedebatur agnus: ſed jam à pomeridianis horis decimæ quartæ removendum fuerat omne fermentum. Etenim non licebat mactare victimam ſuper fermento; ut loquitur ſcriptura, ſcilicet cùm adhuc reſtaret fermentum. [Exod. cap. 34. ℣. 25.] Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ, *quam hoſtiam vetus paraphraſtes Chaldæus intelligit* phaſe, *ſive agnum paſchalem.*

Mactatio agni fiebat non multò poſt meridiem, ut vidimus. Ideo Judæi initio decimæ quartæ diei menſis Niſan, quærebant fermentum omnibus in locis, quibus eo uti ſolebant. Statim ac ſol occiderat, & incipiebat decima quarta dies, non eis licebat quidquam facere, nec ſtudere quidem legi, donec hanc perquiſitionem feciſſent, in qua miram adhibebant diligentiam; omnes enim ædium angulos lucerna ſcrutabantur, ne ſorices in abditos receſſus aliquid fermentati detuliſſent. Hæc Judæi fuſe proſequuntur in libris ſuis ritualibus. Ad hanc conſuetudinem alludere videtur Paulus, cùm ſcribit Corinthiis: [Eph. cap. 5. ℣. 7.] Expurgate vetus fermentum &c. *Nec mirum eſt, ſi Judæi tanta cautione removerent ab ædibus ſuis fermentum. Deus enim pœnam mortis intentaverat iis qui iſtam inquiſitionem fermenti non feciſſent & de eo comediſſent.* [Exod. cap. 12. ℣. 15.] In die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentum peribit.

Ergo ſi fidem adhibemus Judæis, ab ipſa prima hora diei decimæ quartæ, inquiſitio fermenti fiebat. Poterant tamen adhuc uti pane fermentato matutinis horis diei hujus; nec tenebantur comedere azymos panes niſi in cœna paſchali, nempe initio diei decimæ quintæ, quæ ideo ſolemnior erat, & dicebatur dies magna azymorum; in illa enim Iſraelitæ exierant ex Ægypto. Menſe primo quarta decima die menſis ad veſperam, phaſe Domini eſt; & quinta decima menſis hujus, ſolemnitas azymorum Domini eſt. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celebrrimus ſanctuſque. Levit. cap. 23. ℣. 5.

Decima quinta dies, appellatur in ſcripturis prima dies azymorum, nec plurium quàm ſeptem talium dierum fit mentio. Attamen obtinuerat conſuetudo, ut octo azymorum dies numerarentur; quorum primus concurrebat cum decimo quarto menſis, ſcilicet quia in hujus diei principio expurgabant ædes ſuas ab omni fermento Judæi, & illo abſtinebant totis pomeridianis horis; hic dies meritò cenſebatur azymus; quod confirmatur Ioſephi teſtimonio, qui numerat octo dies azymorum. Protulimus plura loca hujus auctoris, ubi diem mactationis agni appellat azymorum primam; quo etiam nomine ſignificatur ab Evangeliſtis. Huncce enim diem in quo neceſſe erat occidi paſcha, & qui ideo non alius eſſe poteſt quàm decimus quartus, liquido appellant primum diem azymorum. Hanc quæſtionem de numero azymorum ventilavimus in tractatu paſchatis, & aſſertionem noſtram argumentis & teſtimoniis ex libris Judæorum excerptis confirmavimus, quibus hunc commentarium onerare non decet.

De diebus azymis loquentes, non debemus ſilentio prætermittere, primum quidem reputatum fuiſſe feſtum, non eum dico in quo mactabatur paſcha; opera enim ſervilia

Digitized by Google

ſervilia in eo non prohibita erant, niſi horis pomeridianis: loquor de ſequenti, quem ſcriptura appellat primum. Dies prima erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent. [Exod. cap. 12. v. 16.] *Ergo in iſta magna die, quæ erat decima quinta menſis, non licebat cuiquam mercari, pretio aliquid comparare, lites intendere, perſequi, adire judices; nec judicibus ſententiam dicere, addicere pœnis, arma ferre, & cætera quæ diebus feſtis ſibi illicita eſſe tunc & olim Judæi certò credebant. Ii ſoli diſſentiunt, quorum opinionibus præconceptis adverſatur, hæc omnia opera fuiſſe prohibita in die quo Dominus crucifixus eſt, & quem habent pro magna feſtivitate azymorum; temerè ut puto, cùm ſimilibus operibus hac die liberè vacarent Judæi, & legitimè; neque enim Evangeliſtæ aliqua ratione indicant eos hac in re peccaſſe contra legem. An pariter opera ſervilia prohibita fuerint toto ſeptiduo azymorum, liceret-ne verbi cauſa pœnas repetere de reo illis diebus quibus intercedebant inter magnam diem azymorum, & poſtremam ſolemnitatis non quæro, nec eſt hujuſce loci expendere.*

§. VIII.

Decima ſexta menſis Niſan offerebatur manipulus novæ frugis: inde numerabantur quinquaginta dies, quorum ultimus feſtum Pentecoſtes erat.

Non ſola paſchatis occiſio figurabat, prænuntiabatque Chriſtum occidendum; ſed omnia quæ paſchati adjuncta, ad illum pertinebant, & indicabant quæ eſſent mortem ejus ſubſecutura, ſicut cætera quæ eam præceſſerant, ſuos typos habuiſſe diximus. Quæ cùm ita ſint, non alienum eſt à propoſito diſſerere ſaltem breviter de iis quæ paſchatis ſolemne ſubſequebantur. Altera die poſt magnum diem azymorum, nempe decima ſexta die menſis Niſan metebatur, & offerebatur manipulus novæ frugis; unde excutiebantur grana; quæ torrebantur ſi manipulus viridis eſſet, ut ex iis contritis panis fieret. Hæ erant primitiæ novarum frugum; à qua die oblati manipuli licebat falcem mittere in ſegetem; & numerabantur cum multa religione quinquaginta dies. Horum dierum quinquageſimus erat ſolemnis dies, quem Græci ideo appellaverunt Pentecoſtem: *Nomen illud notat dictum numerum; Hebræi verò hoc feſtum nominant* Azarta; *id eſt,* concluſionem, *quia propriè feſtum Pentecoſtes finis erat dierum ſolemnium paſchatis; quod tunc clarè patuit, poſtquam mortuus eſt Chriſtus. Dicebatur &* feſtum meſſis, *quia tunc præcipua ſeges, nempe frumentum metebatur, poſtquam non tantùm manipulus viridis, ſed panes fermentati cocti & edules oblati fuerant in Templo, manipulus enim ſumebatur ex hordeacea meſſe, ut Philo & Joſephus teſtantur. Animadvertendum autem eſt, quinquageſima die poſt primum illum azymorum diem, quo Iſraelitæ egreſſi ſunt ex Ægypto, datam fuiſſe legem in monte Sinai inter fulgura & tonitrua. Enucleavimus in tractatu paſchatis quæſtiones & difficultates quæ moveri poſſunt circa feſtum manipuli; maximè circa diem à quo numerabantur dies illi quinquaginta, quibus completis agebatur Pentecoſte. Eorum quæ comprobata ſunt in hocce tractatu, renovamus memoriam, non iterum ſuſcipimus confirmanda.*

Digitized by Google

§. IX.

Supradictæ leges paſchatis ſervabantur, cùm viveret Chriſtus; ut non potuerit paſcha facere niſi cum Judæis eodem tempore & loco.

Supradictæ leges paſchatis ſunt apertæ; ſed ut ſepia atramentum quod pro ſanguine illi eſt, effundit, ut viam piſcatoribus ſepiens latere poſſit; ita ſunt nonnulli, qui ne error ſuus deprehendatur in luce, ſtudent has leges obſcurare. Multa fingunt ignorata antiquitùs circa feſtum paſchatis, ne appareat quod verum eſt. Quis enim niſi ſerviret alicui præconceptæ opinioni, cogitaſſet leges paſchatis eo tempore quo Chriſtus vivebat, à Judæis aut neglectas, aut perturbatas; cùm ex Evangelio conſtet ſummam ab illis adhibitam religionem & diligentiam in cultu Dei exteriori, nempe in ritibus & ceremoniis, licèt parùm ſatagerent animum excolere, & eum gratum Deo reddere officiis charitatis erga proximum. Certè in alicujus mentem non veniſſet Judæos eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, ſtata die & hora paſcha non feciſſe, ſi ſtare poſſet opinio quam induerant, Jeſum paſcha feciſſe, etiamſi occiſus ſit ea ipſa hora qua Judæi paſcha immolabant. Ergo omnia perturbata eſſe oportuit, ut non plana ſint quæ ſacer codex habet de paſchate.

Alii alias turbas excitant, vim facientes paſchatis legibus, quas præjudiciis ſuis conantur accommodare; neque enim iiſdem machinis utuntur. Sunt qui ſupponunt biduum Judæis conceſſum fuiſſe ad celebrandum paſcha, quoniam una & eadem die tot agni immolari non poſſent in Templo; quod magnum licèt, inquiunt, non capiebat omnes Iſraelitas; quibus ergo licitum fuerit per duos dies facere, quod uno die fieri non poterat. Verùm an ſcriptura ſtatuens tempus paſchatis, præteriſſet indictum biduum illud, quæ admonet, Iſraelitas quòd legitimè in primo menſe impediti, non fecerint, facere in ſecundo menſe? Saltem quæpiam hujus bidui obſervarentur veſtigia aut in ſcripturis, aut in Joſepho, aut in Philone, cæteriſque libris Judæorum. Judæi quidem teſtantur olim per biduum feſta celebrata fuiſſe; ſed addunt id moris fuiſſe non intra Hieroſolymam & Judæam, ſed extra, in his regionibus ad quas literæ Synedrii, quibus tempora feſtorum præciſè indicabantur, tardiùs perveniebant, quàm ut hæc feſta agerentur proprio tempore. Ideo enim regionum remotarum Judæi biduo celebrabant feſta, quia incerti quo die celebranda eſſent. Teſtimonia Judæorum in hanc rem protulimus ſuo loco.

Sunt qui contendunt etiam Hieroſolymis non ſemper celebrata feſta eo die quo occurrerent, ſed quandoque tranſlata. De his tranſlationibus pariter ſilentium altum eſt in ſacro codice, in Joſepho, in Philone; ita pro figmento habendas eſſe diximus; harum enim regulas tradidiſſent ſcriptores ſacri, qui proſpiciunt ne quis legi paſchatis deeſſet, impeditus in die in quam illud incidebat. Equidem fateor Judæos ab hiſce temporibus, quibus exules ſunt ſine Templo, ſine ſacrificiis & ſacerdotibus, conveniſſe inter ſe, ne duobus diebus continuis feſta agentes vacarent à ſervilibus operibus. Ideo ſic feſta diſponunt ut non conjungantur, unumque ex duobus ſuo loco moveant ac transferant. Sed ipſi Judæi quorum ſi fides incerta, tranſlationes illæ pariter incertæ ſunt, docent nos has tranſlationes non uſitatas fuiſſe ante everſionem Templi Hieroſolymitani; dum illud ſtaret, & feſta celebrata ipſis diebus quibus occurrebant.

Pentecoſtem eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, in primam ſabbati, quam nunc

Domi-

Dominicam diem appellamus, incidiſſe traditum eſt. Inde concludimus Chriſtum neceſſariò occiſum ea ipſa die, qua fiebat paſchatis immolatio ſecundùm legem. Similiter ne admitterent iſtam concluſionem, qui nos impugnant, etiam leges de die quo deberet offerri manipulus, perturbant. Fingunt enim ne hujus manipuli oblatio cum ſabbato concurreret, translatam in diem ſequentem; quia inquiunt, in ſabbato non licuiſſet illum manipulum demetere, qui eadem die colligendus & offerendus erat. Verùm errant illi toto cælo; nam apertum eſt ex Evangelio violatum impunè ſabbatum in Templo à ſacerdotibus, ſive non illicitum fuiſſe quodcumque opus in ſabbato fieri, cujus tempus eſſet à Deo præſcriptum ſine exceptione. Ita puer circumcidebatur in ſabbato, quod erat octavus dies ab ortu ejus. Cùm igitur lex ſanciviſſet, ut decima ſexta die colligeretur manipulus, qui id facerent hac ſtata die, non religionem ſabbati violabant, ſed ſe Deo obſequentes, & ideò religioſos oſtendebant.

Hæc omnia inſuper probant legitimum paſchatis tempus, quod tam apertis verbis præſcriptum erat, nullo modo occupari potuiſſe, nec in aliud tempus transferri quàm in ſecundum menſem. Reus fuiſſet qui non paruiſſet legi, quæ horam & diem paſchatis deſignabat. Sed nec fieri poterat, ut quis extra diem & horam paſcha immolaret; hoc enim in Templo immolandum, congregatis omnibus Iſraelitis; ſanguis agnorum manibus ſacerdotum excipiendus, & ad baſim altaris effundendus. Non ergo quis privatus ſeorſim & diſtincta die poterat munus paſchale obire. His adjungamus, nuſquam Judæi rituum ſuorum tenaciores fuiſſe, quàm iis temporibus de quibus loquimur, cùm in terris Chriſtus verſabatur. Quomodo ergo legibus paſchatis minùs addicti fuiſſent, qui ſcelus reputabant manibus illotis manducare, ſabbato vellere ſpicas; aut ultrò ferre potuiſſent, ut quiſquis pro arbitrio occuparet legitimum diem paſchatis. Hæc omnia figmenta alibi fuſiùs exagitavimus & confutavimus.

§. X.

Immolatio paſchatis eo anno quo J. C. D. N. paſſus eſt, contigit fieri ipſa hora qua in cruce moriebatur.

Demonſtratum eſt in chronologicis J. C. D. N. paſſum eſſe anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, Aprilis tertia die, quæ incidebat in feriam ſextam. Decima quarta dies Niſan, ſive menſis paſchalis, cœperat feria præcedenti, nempe quinta poſt occaſum ſolis, quo ergo tempore paſcha præparandum fuerat, & initio noctis expurgandæ ædes omni fermento; quæ jam electæ eſſe debuerant ad agni paſchalis comeſtionem, neque enim expectandum manè ſequentis diei, cùm cæteri Judæi ab omnibus orbis plagis Hieroſolymam confluentes, omnia vacua cœnacula forſan occupata tenerent; & pleraque celebrando paſchati neceſſaria vix ſuppetere potuiſſent pretio comparanda.

Itaque feria ſexta horis pomeridianis tempus fuit, quo paſcha legitimè faciendum erat: quo ſcilicet mactandi erant in Templo agni paſchales, & reipſa mactati ſunt; quoniam Judæi hiſce in rebus legi obedientes eſſent. Jeſus Chriſtus in cruce emiſit ſpiritum circa horam nonam, quæ ut dicit Joſephus, loco quem ſuprà allegavimus, potiſſimùm fiebat mactatio paſchatis. Non potuit ergo Dominus hocce anno paſcha facere morte impeditus; cùm tempus nec debuiſset, nec potuiſſet occupare. Attamen factum ab eo paſcha vulgò creditur; quam

Digitized by Google

opinionem animis amovendam ideo ſuſcepi, quia qui hac ſemel occupatus eſt, neceſſariò laborat in conciliandis Evangeliſtis, nec advertit verum & apertum ſenſum Evangelii. Etenim non uno loco, ſed ſex locis Joannes Evangeliſta clarè ſignificat, id quod proponimus in hocce articulo, Dominum paſſum eſſe ea hora, qua fiebat paſcha. Primi verò Evangeliſtæ dum enarrant poſtremam cœnam ejus, non aliud ſignificant quàm Apoſtolos incubuiſſe parando paſchati; quod tunc parare urgebat tempus, de paſchatis autem immolatione nihil innuunt, quod tunc oſtenderet jam factam cùm Dominus cœnavit. Neque enim ille, aut diſcipuli ejus aſcenderunt in Templum, extra quod fieri non poterat mactatio paſchatis. Dominus mittit illos in civitatem, occurrunt viro lagenam portanti, quem ſequentes cum illo ingrediuntur in ædes ubi reperiunt cœnaculum paratum; mox advenit, cœnat ex paratis cibis, ut videre erit cùm ad illum locum Evangelii pervenerimus; ita ex aliqua re, quam Evangeliſtæ notent, non poteſt colligi à Domino, vel à diſcipulis factam immolationem paſchatis.

§ XI.

Chriſtus reſurrexit die qua manipulus novæ frugis offerebatur. Spiritus ſanctus in diſcipulos deſcendit die feſto Pentecoſtes Judæorum.

Hancce diſſertationem adornans in eum ſcopum collimavi, ut liqueret actum illum poſtremum vitæ J. C. D. N. de quo acturi ſumus, clarè figuratum & prænuntiatum fuiſſe antiquis ſacrificiis, præſertim paſchate. Hoc manifeſtum fit notis paſchatis legibus non ſolùm de morte ejus, quem diximus occiſum ea ipſa hora qua occidebatur agnus paſchalis, ſed de iis quæ hanc pretioſam mortem ſtatim conſecuta ſunt. Etenim ut hæc habuit in veteri paſchate ſuos typos & vaticinia, ita & cætera quæ eam ſubſecuta ſunt non caruere ſuis figuris & typis, ut jam diximus. Deceret potiùs quemque interpretem his demonſtrandis incumbere, quàm vetuſta placita propugnare hactenus non ſatis expenſa, & ex quibus aſſerti nulla utilitas redundat. Quid enim profuerit demonſtrare manducatum à Chriſto agnum in pervigilio mortis ſuæ? Cùm è contra iſta confutata opinione, vinci poſſit pertinacia Judæorum, & arguatur inanis ſapientia Græcorum. Neque enim fieri poteſt ut in pſeudo-chriſtum conveniant veteres typi, & antiqua vaticinia, & crux Chriſti ſit ſtultitia, ad quam præſignificandam omnia quæ ab exordio mundi contigerunt, fuere præordinata.

Feria quinta ſole occidente exporat dies decima quarta menſis Niſan, ergo feria ſexta veſpere inchoabatur decima quinta dies, ſic die ſabbati, poſt occaſum ſolis, oriebatur decima ſexta dies, loquor de anno paſſionis dominicæ. Igitur die qua collectus & oblatus eſt manipulus, primitiæ novarum frugum, ſurrexit Chriſtus primitiæ dormientium. *ut eum Apoſtolus vocat* [1. Cor. cap. 15. ℣. 20.] *dies illa reſurrectionis prima erat hebdomadis, ut nunc loquimur,* Dominica. *Ita numeratis à decima ſexta die, quæ erat ſabbatum, quinquaginta diebus. Pentecoſte, ſive quinquageſima dies, hoc anno incidit in Dominicam, quod aliunde ex vetuſta traditione conſtat, quæ falſa eſt, ſi in alium diem quàm feriam ſeptimam hoc anno magna dies azymorum inciderit: ſive paſcha Judaïcum non occurrerit ea die qua Chriſtus mortuus eſt.*

Pentecoſte Judæorum dicebatur Feſtum meſſis, quæ ampla collecta eſt ea ipſa

die

Digitized by Google

die cùm Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos, & his prædicantibus plurimi Chriſtum agnoverunt. Appellabatur quoque Azarta, *id eſt* concluſio; *qua appellatione ſignificabatur idem feſtum Pentecoſtes typum, ſive vaticinium eſſe rei certò futuræ. Spiritus enim illapſus Apoſtolis* concluſio *fuit mortis Chriſti; qui hunc illapſum promiſerat, & morte ſua obtinuerat à Patre. Tunc propriè lex nova, ſive chriſtiana cœpit promulgari: cœpere Apoſtoli docere; & id præſignificatum fuerat promulgatione veteris legis hac ipſa die in monte Sinai; quæ lex vetus non niſi umbra fuit novæ legis, ut loquitur ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos*, cap. 10. ℣. 1.

Hæc concordia quam maximam eſſe demonſtrat ſententia noſtra, adſtruenda eſſet, non impedienda; quod faciunt qui propugnant opiniones quidem vetuſtas, ſed nullo alio fundamento nixas, niſi quòd error vetus eſt. Saltem æquus lector qui hac legis, præjudicatis opinionibus vacans, ſi fieri poteſt, expende partem illam Evangelii, ubi de poſtremo Chriſti paſchate diſſeremus; nec abjice quem animo tuo verba Evangeliſtarum ingerent ſenſum. Dices à me ipſo occupari mentes præjudiciis, qui præmittam iſtam diſſertationem. Verùm illa præjudicia æqua ſunt, cùm ipſæ ſint leges Dei ſcriptæ in codice ſacro. Etenim ſi leges quas Iudæi à patribus ſuis ſibi traditas referunt, tibi ſuſpectæ ſunt, ultrò concedam ut ſola verba ſacri codicis litem noſtram dijudicent.

Magnum quidem adverſus partes quas tueor, præjudicium eſt à multitudine; ſed in iis quæ non definita ſunt ab aliqua certa auctoritate, plerumque turba peſſimum eſt argumentum veri. Nulla autem certa auctoritas hactenùs definivit J. C. D. N. paſcha Iudaicum feciſſe in perviligio mortis ſuæ. Non diffiteor in hac ſententia fuiſſe non paucos è ſanctis Patribus, ſed & aliter ſenſerunt magni nominis ſcriptores, numero ſanctorum Patrum etiam adſcripti; & quod animadverſione dignum eſt defenſores Eccleſiæ adverſus Quartodecimanos. Illi hæretici ſupponentes paſcha Iudaicum à Ieſu Chriſto factum, quarta decima die quæ occurreret in pervigilio mortis ejus, contendebant quacumque feria, in quam incideret eadem decima quarta dies, Domini exemplo paſcha chriſtianum potiùs eſſe celebrandum, quàm in die Dominica. Verùm Sancti doctores arguebant eos niti falſo fundamento, quoniam Ieſus eo anno quo paſſus eſt, non feciſſet paſcha ſed fuiſſet.

Sancti Patres qui citantur pro contraria ſententia, hanc non ſatagunt confirmare argumentis. Dicunt, non probant Ieſum agnum comediſſe: ut videantur loqui, ex opinione quam ad examen non revocaverant, nec ſatis expenderant; neque enim quæſtionem niſi breviter & leviter attingunt, non dedita opera, ſed quaſi fortuitò, contrà verò, id quod præcipuum eſt ſententiæ quam tueor, præſidium, ſæpiùs & copioſè confirmant, videlicet paſcha vetus fuiſſe vaticinium & typum mortis Chriſti; & pro argumento afferunt ipſum rerum eventum, quo contigit, ut ille occiſus ſit eadem die & hora qua agni paſchatis juxta legem occidebantur. Hoc ipſum eſt fundamentum, quo doctrina quam ſtatuo, ſuperſtructa eſt; hanc doctrinam niti hocce fundamento nemo negare poteſt; & in hocce adſtruendo omnes antiquos Patres conſentire.

Deſinant ergo adverſarii nobis dare crimini, quòd non adhæreamus ſententiæ, in qua fuerint plerique ex ſanctis Patribus: ſed quam non expenderint, nec ſategerint roborare argumentis, & ex qua aſſerta nullum percipitur emolumentum; cùm ipſi, adverſarios dico, impetant doctrinam omnium ſanctorum Patrum, manifeſtam, dijudicatam & comprobatam; qua everſa evertitur veritas typorum & vaticiniorum; ſi enim ea ipſa die & hora qua juxta tempus à lege definitum, Ieſus Chriſtus non mortuus ſit; quomodo paſcha fuit typus & vaticinium temporis

quo Chriſtus debebat mori, ut Sancti Patres obſervant. Congeſſi pleraque teſtimonia eorum in diverſis libellis quos edidi occaſione litis quam plerique mihi intenderunt adverſus meam de paſchate opinionem. Inſtar omnium ſit, quod iterum depromam ex D. Auguſtino, Tract. 50. in Joan.

Illum diem feſtum [*loquitur Auguſtinus, verba illa Ioannis* proximum ergo erat paſcha Judæorum *expendens*.) Judæi cruentum habere Domini ſanguine voluerunt. Illo die feſto occiſus eſt Agnus, qui nobis eundem diem feſtum ſuo ſanguine conſecravit. Conſilium erat inter Judæos de occidendo Jeſu: ille qui de cœlo venerat pati, propinquare voluit loco paſſionis, quia imminebat hora paſſionis. *Aſcenderunt ergo multi Hieroſolymam de regione ante paſcha, ut ſanctificarent ſe ipſos.* Hoc faciebant Judæi ſecundùm præceptum Domini, per ſanctum Moyſem in lege mandatum, ut die feſto quod paſcha erat, omnes undique convenirent, & illius diei celebratione ſanctificarentur: ſed illa celebratio umbra erat futuri. Quid eſt umbra futuri? Prophetia Chriſti venturi, prophetia pro nobis illo die paſſuri: ut tranſiret umbra, & lux veniret, ut tranſiret ſignificatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Judæi paſcha in umbra, nos in luce, quid enim opus erat, ut eis Dominus præciperet per ipſum feſtum diem ovem occidere, niſi quia ille erat, de quo prophetatum eſt: ſicut ovis ad immolandum ductus eſt.

Hæc ut in apertum diem proferrem, deſcripſi ritus paſchatis, quibus figurabatur, & prænunciabatur mors Chriſti pretioſa. Mors illa argumentum eſt libri quem auſpicamur, cui præmiſimus vice præfationis hanc de ritibus paſchatis diſſertationem, ut clarè appareret ſingulos & diverſos paſchatis ritus totidem eſſe typos circumſtantiarum occiſionis Chriſti, ſimul & vaticinia his circumſtantiis eſſe occidendum. Etſi autem liber ille quintus Harmoniæ noſtræ contineat quæ paucis diebus abſoluta ſunt, nimirum hiſtoriam horum dierum, quibus J. C. D. N. ovans ingreſſus eſt Hieroſolymam, paſſus & reſurrexit: attamen tertiam ferè partem codicis Evangeliorum occupat. Neque id mirum eſt, cùm hæc hiſtoria complectatur rem, cui ſignificandæ prophetæ vaticiniis ſuis, ſacerdotes miniſterio ſuo, Judæi inſigniores actis ſuis ſervierunt per quatuor mille annos. Tanta res nec multis voluminibus ſatis pro dignitate poſſet explicari.

CAPUT PRIMUM.

Jeſus pullo aſinæ vectus, comitante turba cum palmis ingreditur Hieroſolymam & pro Meſſia agnoſcitur. Flet ſuper illam urbem.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 21. ℣. 1-11.	MARC. Cap. 11. ℣. 1-11.	LUC. c. 19. ℣. 29-44. Jo. c. 12. ℣. 12-19.
1 IN craſtinum autem *Mt.* cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti,	1 Et ✠ cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti.	1 Et cùm appropinquaret Hieroſolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum,	29 Et fa- 12 In cra- ctum eſt, ſtinū au- cùm ap- tem. propinquaſſet ad Bethphage & Bethaniā, ad montem qui vocatur Oliveti, miſit duos diſcipulos ſuos,
2 Tunc Jeſus *Mc.* mittit duos ex diſcipulis ſuis.	tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,	mittit duos ex diſcipulis ſuis,	
3 Et ait illis: *MM. L* Ite in caſtellum, quod contra *MM.* vos *MM. L* eſt.	2 Dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,	2 Et ait illis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,	30. Dicens: Ite in caſtellum, quod contra eſt;
4 *MM.* Et ſtatim *Mc.* introeuntes illuc *MM.* invenietis *Mt.* aſinam alligatam, & pullum cum ea, *Mc.* ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit. *MM. L* Solvite *Mc. L* illum, *MM. L* & adducite *Mt.* mihi.	& ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & adducite mihi.	& ſtatim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite.	in quod introeuntes, invenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo unquam hominum ſedit, ſolvite illum, & adducite.
5 *L* Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? *Mt.* Dicite, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos.	3 & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos.	3 Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite quia Domino neceſſarius eſt; & continuò illum dimittet huc.	31 Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus deſiderat.

✠ *Domin. in palmis ad bened. palm.*

M A T T H Æ U S.

6 * 4 Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetam, dicentem:

7 * 5 † Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. † *Iſa. 62. 11. Zach. 9. 9. infra ℣. 16.*

8 * 6 Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 *Mc.* Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum.		4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum.	32 Abierunt autem qui miſſi erant & invenerunt, ſicut dixit illis, ſtantem pullum,
10 *L* Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: *Mc.* Quid facitis ſolventes pullum?		5 Et quidam de hic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſolventes pullum?	33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum?
11 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Jeſus, *L* quia Dominus eum neceſſarium habet; *Mc.* & dimiſerunt eis.		6 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis.	34 At illi dixerunt: Quia Dominus eum neceſſarium habet.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
12 *Mt.* Et adduxerunt aſinam & pullum *Mc. L* ad Jeſum.	7 Et adduxerunt aſinam & pullum :	7 Et duxerunt pullum ad Jeſum.	35 Et duxerunt illum ad Jeſum.

J O A N N E S.

13 * Turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent, quia venit Jeſus Hieroſolymam.

14 * 13 Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviàm ei; & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
15 Et invenit Jeſus aſellum. † *Mc.* Et imponunt illi veſtimenta ſua; *Mt.* & eum deſuper ſedere fecerunt, *J* ſicut ſcriptum eſt: (marg.: † 4. Reg. 9. 13.)	& impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.	& imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.	Et jactantes veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Jeſu.	14 Et invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt.

J O A N N E S.

16 * 15 Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit, ſedens ſuper pullum aſinæ.

17 * 16 Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primùm: ſed quando glorificatus eſt Jeſus, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
18 *Mc.* Multi autem *L* eunte illo, ſubſternebant *Mt. L* veſtimenta ſua in via. *MM.* Alii autem cædebant *Mt.* ramos *MM.* de arboribus, & ſternebant in via.	8 Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.	8 Multi autem veſtimenta ſua ſtraverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & ſternebant in via.	36 Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via.

L U C A S.

19 * 37 Et cùm appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus,

20 * 38 Dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in
† Luc. 2. 14. Eph. 2. 14. cœlo † & gloria in excelſis.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
21 *Mt.* Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ *MM.* ſequebantur, clamabant dicẽtes: Hoſanna *Mt.* Filio David.	9 Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Filio David:	9 Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna.
22 *MM.* † Benedictus qui venit in nomine Domini: *Mc.* Benedictum quod venit regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis. (marg.: † Pſ. 117. 24. 25.)	Benedictus qui venit in nomine Domini: ¶ hoſanna in altiſſimis.	10 Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis.

J O A N N E S.

23 * 17 Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando
Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis.
24 * 18 Propterea & obviàm venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe
hoc ſignum.
25 * 19 Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil pro-
ficimus? Ecce mundus totus poſt eum abiit.

L U C A S.

26 * 39 Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magi-
ſter increpa diſcipulos tuos.
27 * 40 Quibus ipſe ait: † Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides † *Habac.* 2.11.
clamabunt.
28 * 41 * Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam, dicens: * *Dom.* 9. *poſt*
29 * 42 Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad *Pent.*
pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.
30 * 43 Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo,
& circumdabunt te: & coanguſtabunt te undique:
31 * 44 † Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non † 2. *Reg.* 9. 7. 8.
relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quòd non cognoveris tempus vi-
ſitationis tuæ. 45 *Et ingreſſus &c. infrà, cap. ſequenti.*

M A T T H Æ U S.

32 * 10 * Et cùm intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas,
dicens: Quis eſt hic?
33 * 11 Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus propheta à Nazareth Galilææ. * *Fer.* 3. *poſt* *Dom.* 1. *Quadrag.*
12 *Et intravit &c. infrà, cap. ſequenti.*

M A R C U S.

34 * 11 Et introivit Hieroſolymam in Templum, & circumſpectis omnibus,
cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

QUINTUM librum Harmoniæ Evangelicæ, in quo deſcribimus extremum vitæ D. N. J. C. actum, auſpicamur ab illa die, qua Hieſoſolymam acclamante turba ovans ingreſſus eſt. Cùm enim ſuſcipiamus enarrare paſſiones ejus, in quibus veteres paſchatis typos implevit, inde harum paſſionum exordium ſumendum erat, ubi incipiebant ſolemnia paſchatis. Aſſumebatur & reſervabatur ad paſchale ſacrificium agnus die decima primi menſis: ſic Deus præceperat, in Exodo cap. 12. quando primùm ritus paſchatis inſtituit. Horum omnium rituum non quidem perpetuus uſus fuit; cùm autem ex libris Judæorum diſcamus quòd agnos in quotidianum ſacrificium legerent ſacerdotes quatuor ante diebus, quàm offerrentur; veriſimile eſt quòd circa legendos agnos paſchales primò inſtitutū fuerat, poſtea eodem ritu ſervatum. Quia ergo agni paſchales non alibi quàm Hieroſolymis & in atrio Templi mactabantur, adducendi erant Hieroſolymam decima die primi menſis.

Anno quo paſſus eſt Dominus, dies decimaquarta primi menſis, qua occidebatur paſcha, cœpit feria quinta poſt ſolis occaſum, pridie quam pateretur Jeſus, ut evicimus in chronologicis. Ita decima dies incœperat feria prima, hoc eſt, ut nunc loquimur, Dominica, die, circa initium noctis; dies enim ſuos numerant Hebræi ab occaſu ſolis. Ea autem hora, nempe veſpertina, Hieroſolymam & Templum Jeſum ingreſſum eſſe (ſic eadem die qua adducebantur agni in paſchale ſacrificium mactandi) quæ ſequuntur demonſtrabunt. Agni hujus ſacrificii ab hac die qua adducti fuerant in Templum uſque ad horam qua funderetur eorum ſanguis, explorabantur, utrùm ſine macula eſſent. Credimus & hoc factum in agnis paſchalibus. Hac de cauſa Dominus, quem omnes paſchales ritus figurabāt, reli-

§. IX.

Supradictæ leges paſchatis ſervabantur, cùm viveret Chriſtus; ut non potuerit paſcha facere niſi cum Judæis eodem tempore & loco.

Supradictæ leges paſchatis ſunt apertæ; ſed ut ſepia atramentum quod pro ſanguine illi eſt, effundit, ut viam piſcatoribus ſepiens latere poſſit; ita ſunt nonnulli, qui ne error ſuus deprehendatur in luce, ſtudent has leges obſcurare. Multa fingunt ignorata antiquitùs circa feſtum paſchatis, ne appareat quod verum eſt. Quis enim niſi ſerviret alicui præconceptæ opinioni, cogitaſſet leges paſchatis eo tempore quo Chriſtus vivebat, à Judæis aut neglectas, aut perturbatas; cùm ex Evangelio conſtet ſummam ab illis adhibitam religionem & diligentiam in cultu Dei exteriori, nempe in ritibus & ceremoniis, licèt parùm ſatagerent animum excolere, & eum gratum Deo reddere officiis charitatis erga proximum. Certè in alicujus mentem non veniſſet Judæos eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, ſtata die & hora paſcha non feciſſe, ſi ſtare poſſet opinio quam induerant, Jeſum paſcha feciſſe, etiamſi occiſus ſit ea ipſa hora qua Judæi paſcha immolabant. Ergo omnia perturbata eſſe oportuit, ut non plana ſint quæ ſacer codex habet de paſchate.

Alii alias turbas excitant, vim facientes paſchatis legibus, quas præjudiciis ſuis conantur accommodare; neque enim iiſdem machinis utuntur. Sunt qui ſupponunt biduum Judæis conceſſum fuiſſe ad celebrandum paſcha, quoniam una & eadem die tot agni immolari non poſſent in Templo; quod magnum licèt, inquiunt, non capiebat omnes Iſraelitas; quibus ergo licitum fuerit per duos dies facere, quod uno die fieri non poterat. Verùm an ſcriptura ſtatuens tempus paſchatis, prætermiſſet indictum biduum illud, quæ admonet, Iſraelitas quòd legitimè in primo menſe impediti, non fecerint, facere in ſecundo menſe? Saltem quæpiam hujus bidui obſervarentur veſtigia aut in ſcripturis, aut in Joſepho, aut in Philone, cæteriſque libris Judæorum. Judæi quidem teſtantur olim per biduum feſta celebrata fuiſſe; ſed addunt id moris fuiſſe non intra Hieroſolymam & Judæam, ſed extra, in his regionibus ad quas literæ Synedrii, quibus tempora feſtorum præciſè indicabantur, tardiùs perveniebant, quàm ut hæc feſta agerentur proprio tempore. Ideo enim regionum remotarum Judæi biduo celebrabant feſta, quia incerti quo die celebranda eſſent. Teſtimonia Judæorum in hanc rem protulimus ſuo loco.

Sunt qui contendunt etiam Hieroſolymis non ſemper celebrata feſta eo die quo occurrerent, ſed quandoque translata. De his translationibus pariter ſilentium altum eſt in ſacro codice, in Joſepho, in Philone; ita pro figmento habendas eſſe diximus; harum enim regulas tradidiſſent ſcriptores ſacri, qui proſpiciunt ne quis legi paſchatis deeſſet, impeditus in die in quam illud incidebat. Equidem fateor Judæos ab hiſce temporibus, quibus exules ſunt ſine Templo, ſine ſacrificiis & ſacerdotibus, conveniſſe inter ſe, ne duobus diebus continuis feſta agentes vacarent à ſervilibus operibus. Ideo ſic feſta diſponunt ut non conjungantur, unumque ex duobus ſuo loco moveant ac transferant. Sed ipſi Judæi quorum ſi fides incerta, translationes illæ pariter incertæ ſunt, docent nos has translationes non uſitatas fuiſſe ante everſionem Templi Hieroſolymitani; dum illud ſtaret, & feſta celebrata ipſis diebus quibus occurrebant.

Pentecoſtem eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, in primam ſabbati, quam nunc

Domi-

Digitized by Google

Dominicam diem appellamus, incidiſſe traditum eſt. Inde concludimus Chriſtum neceſſariò occiſum ea ipſa die, qua fiebat paſchatis immolatio ſecundùm legem. Similiter ne admitterent iſtam concluſionem, qui nos impugnant, etiam leges de die quo deberet offerri manipulus, perturbant. Fingunt enim ne hujus manipuli oblatio cum ſabbato concurreret, translatam in diem ſequentem; quia inquiunt, in ſabbato non licuiſſet illum manipulum demetere, qui eadem die colligendus & offerendus erat. Verùm errant illi toto cælo; nam apertum eſt ex Evangelio violatum impunè ſabbatum in Templo à ſacerdotibus, ſive non illicitum fuiſſe quodcumque opus in ſabbato fieri, cujus tempus eſſet à Deo præſcriptum ſine exceptione. Ita puer circumcidebatur in ſabbato, quod erat octavus dies ab ortu ejus. Cùm igitur lex ſanciviſſet, ut decima ſexta die colligeretur manipulus, qui id facerent hac ſtata die, non religionem ſabbati violabant, ſed ſe Deo obſequentes, & ideò religioſos oſtendebant.

Hæc omnia inſuper probant legitimum paſchatis tempus, quod tam apertis verbis præſcriptum erat, nullo modo occupari potuiſſe, nec in aliud tempus transferri quàm in ſecundum menſem. Reus fuiſſet qui non paruiſſet legi, quæ horam & diem paſchatis deſignabat. Sed nec fieri poterat, ut quis extra diem & horam paſcha immolaret; hoc enim in Templo immolandum, congregatis omnibus Iſraelitis; ſanguis agnorum manibus ſacerdotum excipiendus, & ad baſim altaris effundendus. Non ergo quis privatus ſeorſim & diſtincta die poterat munus paſchale obire. His adjungamus, nuſquam Judæi rituum ſuorum tenaciores fuiſſe, quàm iis temporibus de quibus loquimur, cùm in terris Chriſtus verſabatur. Quomodo ergo legibus paſchatis minùs addicti fuiſſent, qui ſcelus reputabant manibus illotis manducare, ſabbato vellere ſpicas; aut ultrò ferre potuiſſent, ut quiſquis pro arbitrio occuparet legitimum diem paſchatis. Hæc omnia figmenta alibi fuſiùs exagitavimus & confutavimus.

§. X.

Immolatio paſchatis eo anno quo J. C. D. N. paſſus eſt, contigit fieri ipſa hora qua in cruce moriebatur.

Demonſtratum eſt in chronologicis J. C. D. N. paſſum eſſe anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, Aprilis tertia die, quæ incidebat in feriam ſextam. Decima quarta dies Niſan, ſive menſis paſchalis, cœperat feria præcedenti, nempe quinta poſt occaſum ſolis, quo ergo tempore paſcha præparandum fuerat, & initio noctis expurgandæ ædes omni fermento; quæ jam electa eſse debuerant ad agni paſchalis comeſtionem, neque enim expectandum manè ſequentis diei, cùm cæteri Judæi ab omnibus orbis plagis Hieroſolymam confluentes, omnia vacua cœnacula forſan occupata tenerent; & pleraque celebrando paſchati neceſsaria vix ſuppetere potuiſsent pretio comparanda.

Itaque feria ſexta horis pomeridianis tempus fuit, quo paſcha legitimè faciendum erat: quo ſcilicet mactandI erant in Templo agni paſchales, & reipſa mactati ſunt; quoniam Judæi hiſce in rebus legi obedientes eſsent. Jeſus Chriſtus in cruce emiſit ſpiritum circa horam nonam, qua ut dicit Joſephus, loco quem ſuprà allegavimus, potiſſimùm fiebat mactatio paſchatis. Non potuit ergo Dominus hocce anno paſcha facere morte impeditus; cùm tempus nec debuiſset, nec potuiſset occupare. Attamen factum ab eo paſcha vulgò creditur; quam

 opi-

opinionem animis amovendam ideo ſuſcepi, quia qui hac ſemel occupatus eſt, neceſſariò laborat in conciliandis Evangeliſtis, nec advertit verum & apertum ſenſum Evangelii. Etenim non uno loco, ſed ſex locis Ioannes Evangeliſta clarè ſignificat, id quod proponimus in hocce articulo, Dominum paſſum eſſe ea hora, qua fiebat paſcha. Primi verò Evangeliſtæ dum enarrant poſtremam cœnam ejus, non aliud ſignificant quàm Apoſtolos incubuiſſe parando paſchati; quod tunc parare urgebat tempus, de paſchatis autem immolatione nihil innuunt, quod tunc oſtenderet jam factam cùm Dominus cœnavit. Neque enim ille, aut diſcipuli ejus aſcenderunt in Templum, extra quod fieri non poterat mactatio paſchatis. Dominus mittit illos in civitatem, occurrunt viro lagenam portanti, quem ſequentes cum illo ingrediuntur in ædes ubi reperiunt cœnaculum paratum; mox advenit, cœnat ex paratis cibis, ut videre erit cùm ad illum locum Evangelii pervenerimus; ita ex aliqua re, quam Evangeliſtæ notent, non poteſt colligi à Domino, vel à diſcipulis factam immolationem paſchatis.

§ XI.

Chriſtus reſurrexit die qua manipulus novæ frugis offerebatur. Spiritus ſanctus in diſcipulos deſcendit die feſto Pentecoſtes Judæorum.

Hancce diſſertationem adornans in eum ſcopum collimavi, ut liqueret actum illum poſtremum vitæ J. C. D. N. de quo acturi ſumus, clarè figuratum & prænuntiatum fuiſſe antiquis ſacrificiis, præſertim paſchate. Hoc manifeſtum fit notis paſchatis legibus non ſolùm de morte ejus, quem diximus occiſum ea ipſa hora qua occidebatur agnus paſchalis, ſed de iis quæ hanc pretioſam mortem ſtatim conſecuta ſunt. Etenim ut hæc habuit in veteri paſchate ſuos typos & vaticinia, ita & cætera quæ eam ſubſecuta ſunt non caruere ſuis figuris & typis, ut jam diximus. Deceret potiùs quemque interpretem his demonſtrandis incumbere, quàm vetuſta placita propugnare hactenus non ſatis expenſa, & ex quibus aſſertis nulla utilitas redundat. Quid enim profuerit demonſtrare manducatum à Chriſto agnum in pervigilio mortis ſuæ? Cùm è contra iſta confutata opinione, vinci poſſit pertinacia Iudæorum, & arguatur inanis ſapientia Græcorum. Neque enim fieri poteſt ut in pſeudo-chriſtum conveniant veteres typi, & antiqua vaticinia, & crux Chriſti ſit ſtultitia, ad quam præſignificandam omnia quæ ab exordio mundi contigerunt, fuere præordinata.

Feria quinta ſole occidente cœperat dies decima quarta menſis Niſan, ergo feria ſexta veſpere inchoabatur decima quinta dies, ſic die ſabbati, poſt occaſum ſolis, oriebatur decima ſexta dies, loquor de anno paſſionis dominicæ. Igitur die qua collectus & oblatus eſt manipulus, primitiæ novarum frugum, ſurrexit Chriſtus primitiæ dormientium. *ut eum Apoſtolus vocat* [1. Cor. cap. 15. ℣. 20.] *dies illa reſurrectionis prima erat hebdomadis, ut nunc loquimur,* Dominica. *Ita numeratis à decima ſexta die, qua erat ſabbatum, quinquaginta diebus. Pentecoſte, ſive quinquageſima dies, hoc anno incidit in Dominicam, quod aliunde ex vetuſta traditione conſtat, quæ falſa eſt, ſi in alium diem quàm feriam ſeptimam hoc anno magna dies azymorum inciderit: ſive paſcha Iudaicum non occurrerit ea die qua Chriſtus mortuus eſt.*

Pentecoſte Iudæorum dicebatur Feſtum meſſis, quia ampla collecta eſt ea ipſa

die

die cùm Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos, & his prædicantibus plurimi Chriſtum agnoverunt. Appellabatur quoque Azarta, *id eſt* concluſio; *qua appellatione ſignificabatur idem feſtum Pentecoſtes typum, ſive vaticinium eſſe rei certò futuræ. Spiritus enim illapſus Apoſtolis* concluſio *fuit mortis Chriſti; qui hunc illapſum promiſerat, & morte ſua obtinuerat à Patre. Tunc propriè lex nova, ſive chriſtiana cœpit promulgari: cœpere Apoſtoli docere; & id præſignificatum fuerat promulgatione veteris legis hac ipſa die in monte Sinai; quæ lex vetus non niſi umbra fuit novæ legis, ut loquitur ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos,* cap. 10. ℣. 1.

Hæc concordia quam maximam eſſe demonſtrat ſententia noſtra, adſtruenda eſſet, non impedienda; quod faciunt qui propugnant opiniones quidem vetuſtas, ſed nullo alio fundamento nixas, niſi quòd error vetus eſt. Saltem æquus lector qui hac legis, præjudicatis opinionibus vacans, ſi fieri poteſt, expende partem illam Evangelii, ubi de poſtremo Chriſti paſchate diſſeremus; nec abjice quem animo tuo verba Evangeliſtarum ingerent ſenſum. Dices à me ipſo occupari mentes præjudiciis, qui præmittam iſtam diſſertationem. Verùm illa præjudicia æqua ſunt, cùm ipſæ ſint leges Dei ſcriptæ in codice ſacro. Etenim ſi leges quas Iudæi à patribus ſuis ſibi traditas referunt, tibi ſuſpectæ ſunt, ultrò concedam ut ſola verba ſacri codicis litem noſtram dijudicent.

Magnum quidem adverſus partes quas tueor, præjudicium eſt à multitudine; ſed in iis quæ non definita ſunt ab aliqua certa auctoritate, plerumque turba peſſimum eſt argumentum veri. Nulla autem certa auctoritas hactenùs definivit J. C. D. N. paſcha Iudaicum feciſſe in pervigilio mortis ſuæ. Non diffiteor in hac ſententia fuiſſe non paucos è ſanctis Patribus, ſed & aliter ſenſerunt magni nominis ſcriptores, numero ſanctorum Patrum etiam adſcripti; & quod animadverſione dignum eſt defenſores Eccleſiæ adverſus Quartodecimanos. Illi hæretici ſupponentes paſcha Iudaicum à Ieſu Chriſto factum, quarta decima die quæ occurreret in pervigilio mortis ejus, contendebant quacumque feria, in quam incideret eadem decima quarta dies, Domini exemplo paſcha chriſtianum potiùs eſſe celebrandum, quàm in die Dominica. Verùm Sancti doctores arguebant eos niti falſo fundamento, quoniam Ieſus eo anno quo paſſus eſt, non feciſſet paſcha ſed fuiſſet.

Sancti Patres qui citantur pro contraria ſententia, hanc non ſatagunt confirmare argumentis. Dicunt, non probant Ieſum agnum comediſſe: ut videantur loqui, ex opinione quam ad examen non revocaverant, nec ſatis expenderant; neque enim quæſtionem niſi breviter & leviter attingunt, non dedita opera, ſed quaſi fortuitò, contrà verò, id quod præcipuum eſt ſententiæ quam tueor, præſidium, ſæpiùs & copioſè confirmant, videlicet paſcha vetus fuiſſe vaticinium & typum mortis Chriſti; & pro argumento afferunt ipſum rerum eventum, quo contigit, ut ille occiſus ſit eadem die & hora qua agni paſchatis juxta legem occidebantur. Hoc ipſum eſt fundamentum, quo doctrina quam ſtatuo, ſuperſtructa eſt; hanc doctrinam niti hocce fundamento nemo negare poteſt; & in hocce adſtruendo omnes antiquos Patres conſentire.

Deſinant ergo adverſarii nobis dare crimini, quòd non adhæreamus ſententiæ, in qua fuerint plerique ex ſanctis Patribus: ſed quam non expenderint, nec ſategerint roborare argumentis, & ex qua aſſerta nullum percipitur emolumentum; cùm ipſi, adverſarios dico, impetant doctrinam omnium ſanctorum Patrum, manifeſtam, dijudicatam & comprobatam; qua everſa evertitur veritas typorum & vaticiniorum; ſi enim ea ipſa die & hora qua juxta tempus à lege definitum, Ieſus Chriſtus non mortuus ſit; quomodo paſcha fuit typus & vaticinium temporis

quo Chriſtus debebat mori, ut Sancti Patres obſervant. Congeſſi pleraque teſtimonia eorum in diverſis libellis quos edidi occaſione litis quam plerique mihi intenderunt adverſus meam de paſchate opinionem. Inſtar omnium ſit, quod iterum depromam ex D. Auguſtino, Tract. 50. in Joan.

Illum diem feſtum [*loquitur Auguſtinus, verba illa Ioannis* proximnm ergo erat paſcha Judæorum *expendens*.) Judæi cruentum habere Domini ſanguine voluerunt. Illo die feſto occiſus eſt Agnus, qui nobis eundem diem feſtum ſuo ſanguine conſecravit. Conſilium erat inter Judæos de occidendo Jeſu: ille qui de cœlo venerat pati, propinquare voluit loco paſſionis, quia imminebat hora paſſionis. *Aſcenderunt ergo multi Hieroſolymam de regione ante paſcha, ut ſanctificarent ſe ipſos.* Hoc faciebant Judæi ſecundùm præceptum Domini, per ſanctum Moyſem in lege mandatum, ut die feſto quod paſcha erat, omnes undique convenirent, & illius diei celebratione ſanctificarentur: ſed illa celebratio umbra erat futuri. Quid eſt umbra futuri? Prophetia Chriſti venturi, prophetia pro nobis illo die paſſuri: ut tranſiret umbra, & lux veniret, ut tranſiret ſignificatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Judæi paſcha in umbra, nos in luce, quid enim opus erat, ut eis Dominus præciperet per ipſum feſtum diem ovem occidere, niſi quia ille erat, de quo prophetatum eſt: ſicut ovis ad immolandum ductus eſt.

Hæc ut in apertum diem proferrem, deſcripſi ritus paſchatis, quibus figurabatur, & prænunciabatur mors Chriſti pretioſa. Mors illa argumentum eſt libri quem auſpicamur, cui præmiſimus vice præfationis hanc de ritibus paſchatis diſſertationem, ut clarè appareret ſingulos & diverſos paſchatis ritus totidem eſſe typos circumſtantiarum occiſionis Chriſti, ſimul & vaticinia his circumſtantiis eſſe occidendum. Etſi autem liber ille quintus Harmoniæ noſtræ contineat quæ paucis diebus abſoluta ſunt, nimirum hiſtoriam horum dierum, quibus J. C. D. N. ovans ingreſſus eſt Hieroſolymam, paſſus & reſurrexit: attamen tertiam ferè partem codicis Evangeliorum occupat. Neque id mirum eſt, cùm hæc hiſtoria complectatur rem, cui ſignificandæ prophetæ vaticiniis ſuis, ſacerdotes miniſterio ſuo, Judæi inſigniores actis ſuis ſervierunt per quatuor mille annos. Tanta res nec multis voluminibus ſatis pro dignitate poſſet explicari.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Jeſus pullo aſinæ vectus, comitante turba cum palmis ingreditur Hieroſolymam & pro Meſſia agnoſcitur. Flet ſuper illam urbem.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 21. ℣. 1-11.	MARC. Cap. 11. ℣. 1-11.	LUC. c. 19. ℣. 29-44. Jo. c. 12. ℣. 12-19.
1 IN craſtinum autem *Mt.* cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti,	1 Et ✠ cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti.	1 Et cùm appropinquaret Hieroſolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum,	29 Et factum eſt, 12 In craſtinum autem, cùm appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniā, ad montem qui vocatur Oliveti, miſit duos diſcipulos ſuos,
2 Tunc Jeſus *Mc.* mittit duos ex diſcipulis ſuis.	tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,	mittit duos ex diſcipulis ſuis,	
3 Et ait illis: *MM. L* Ite in caſtellum, quod contra *MM.* vos *MM. L* eſt.	2 Dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,	2 Et ait illis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,	30. Dicens: Ite in caſtellum, quod contra eſt;
4 *MM.* Et ſtatim *Mc.* introeuntes illuc *MM.* invenietis *Mt.* aſinam alligatam, & pullum cum ea, *Mc.* ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit. *MM. L* Solvite *Mc. L* illum, *MM. L* & adducite *Mt.* mihi.	& ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & adducite mihi.	& ſtatim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite.	in quod introeuntes, invenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo unquam hominum ſedit, ſolvite illum, & adducite.
5 *L* Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? *Mt.* Dicite, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos.	3 & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos.	3 Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite quia Domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet huc.	31 Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus deſiderat.

✠ *Domin. in palmis ad bened. palm.*

M A T T H Æ U S.

6 * 4 Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetam, dicentem:

7 * 5 † Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. † *Iſa. 62. 11. Zach. 9. 9. infra ℣. 16.*

8 * 6 Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 *Mc.* Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum.		4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum.	32 Abierunt autem qui miſſi erant & invenerunt, ſicut dixit illis, ſtantem pullum,
10 *L* Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: *Mc.* Quid facitis ſolventes pullum?		5 Et quidam de hic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſolventes pullum?	33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum?
11 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Jeſus, *L* quia Dominus eum neceſſarium habet; *Mc.* & dimiſerunt eis.		6 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis.	34 At illi dixerunt: Quia Dominus eum neceſſarium habet.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
12 *Mt.* Et adduxerunt aſinam & pullum *Mc. L* ad Jeſum.	7 Et adduxerunt aſinam & pullum:	7 Et duxerunt pullum ad Jeſum.	35 Et duxerunt illum ad Jeſum.

JOANNES.

13 * Turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent, quia venit Jeſus Hieroſolymam.

14 * 13 Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviàm ei; & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
15 Et invenit Jeſus aſellum. † *Mc.* Et imponunt illi veſtimenta ſua; *Mt.* & eum deſuper ſedere fecerunt, *J* ſicut ſcriptum eſt:	& impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.	& imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.	Et jactantes veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Jeſum.	14 Et invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt.

† 4. Reg. 9. 13.

JOANNES.

16 * 15 Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit, ſedens ſuper pullum aſinæ.

17 * 16 Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primùm: ſed quando glorificatus eſt Jeſus, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
18 *Mc.* Multi autem *L* euntе illo, ſubſternebant *Mt. L* veſtimenta ſua in via. *MM.* Alii autem cædebant *Mt.* ramos *MM.* de arboribus, & ſternebant in via.	8 Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.	8 Multi autem veſtimenta ſua ſtraverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & ſternebant in via.	36 Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via.

LUCAS.

19 * 37 Et cùm appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus,

20 * 38 Dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo † & gloria in excelſis.

† Luc. 2. 13. Eph. 2. 14.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
21 *Mt.* Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ *MM.* ſequebantur, clamabant dicẽtes: Hoſanna *Mt.* Filio David.	9 Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Filio David:	9 Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna.
22 *MM.* † Benedictus qui venit in nomine Domini: *Mc.* Benedictum quod venit regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis.	Benedictus qui venit in nomine Domini: ¶ hoſanna in altiſſimis.	10 Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis.

† Pſ. 117. 24. 25.

JO-

JOANNES.

23 * 17 Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis.

24 * 18 Propterea & obviàm venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.

25 * 19 Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus poſt eum abiit.

LUCAS.

26 * 39 Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magiſter increpa diſcipulos tuos.

27 * 40 Quibus ipſe ait: † Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. † *Habac.* 2. 11.

28 * 41 * Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam, dicens: * *Dom.* 9. *poſt Pent.*

29 * 42 Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.

30 * 43 Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coanguſtabunt te undique:

31 * 44 † Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. 45 *Et ingreſſus &c. infrà, cap. ſequenti.* † 2. *Reg.* 9. 7. 8.

MATTHÆUS.

32 * 10 * Et cùm intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic? * *Fer.* 3. *poſt Dom.* 1. *Quadrag.*

33 * 11 Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus propheta à Nazareth Galilææ.
12 *Et intravit &c. infrà, cap. ſequenti.*

MARCUS.

34 * 11 Et introivit Hieroſolymam in Templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

QUINTUM librum Harmoniæ Evangelicæ, in quo deſcribimus extremum vitæ D. N. J. C. actum, auſpicamur ab illa die, qua Hieroſolymam acclamante turba ovans ingreſſus eſt. Cùm enim ſuſcipiamus enarrare paſſiones ejus, in quibus veteres paſchatis typos implevit, inde harum paſſionum exordium ſumendum erat, ubi incipiebant ſolemnia paſchatis. Aſſumebatur & reſervabatur ad paſchale ſacrificium agnus die decima primi menſis: ſic Deus præceperat, in Exodo cap. 12. quando primum ritus paſchatis inſtituit. Horum omnium rituum non quidem perpetuus uſus fuit; cùm autem ex libris Judæorum diſcamus quòd agnos in quotidianum ſacrificium legerent ſacerdotes quatuor ante diebus, quàm offerrentur; veriſimile eſt quòd circa legendos agnos paſchales primò inſtitutū fuerat, poſtea eodem ritu ſervatum. Quia ergo agni paſchales non alibi quàm Hieroſolymis & in atrio Templi mactabantur, adducendi erant Hieroſolymam decima die primi menſis.

Anno quo paſſus eſt Dominus, dies decimaquarta primi menſis, qua occidebatur paſcha, cœpit feria quinta poſt ſolis occaſum, pridie quam pateretur Jeſus, ut evicimus in chronologicis. Ita decima dies incœperat feria prima, hoc eſt, ut nunc loquimur, Dominica, die, circa initium noctis; dies enim ſuos numerant Hebræi ab occaſu ſolis. Ea autem hora, nempe veſpertina, Hieroſolymam & Templum Jeſum ingreſſum eſſe (ſic eadem die qua adducebantur agni in paſchale ſacrificium mactandi) quæ ſequuntur demonſtrabunt. Agni hujus ſacrificii ab hac die qua adducti fuerant in Templum uſque ad horam qua funderetur eorum ſanguis, explorabantur, utrùm ſine macula eſſent. Credimus & hoc factum in agnis paſchalibus. Hac de cauſa Dominus, quem omnes paſchales ritus figurabāt,

reli-

§. IX.

Supradictæ leges paſchatis ſervabantur, cùm viveret Chriſtus; ut non potuerit paſcha facere niſi cum Judæis eodem tempore & loco.

Supradictæ leges paſchatis ſunt apertæ; ſed ut ſepia atramentum quod pro ſanguine illi eſt, effundit, ut viam piſcatoribus ſepiens latere poſſit; ita ſunt nonnulli, qui ne error ſuus deprehendatur in luce, ſtudent has leges obſcurare. Multa fingunt ignorata antiquitùs circa feſtum paſchatis, ne appareat quod verum eſt. Quis enim niſi ſerviret alicui præconceptæ opinioni, cogitaſſet leges paſchatis eo tempore quo Chriſtus vivebat, à Judæis aut neglectas, aut perturbatas; cùm ex Evangelio conſtet ſummam ab illis adhibitam religionem & diligentiam in cultu Dei exteriori, nempe in ritibus & ceremoniis, licèt parùm ſatagerent animum excolere, & eum gratum Deo reddere officiis charitatis erga proximum. Certè in alicujus mentem non veniſſet Judæos eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, ſtata die & hora paſcha non feciſſe, ſi ſtare poſſet opinio quam induerant, Jeſum paſcha feciſſe, etiamſi occiſus ſit ea ipſa hora qua Judæi paſcha immolabant. Ergo omnia perturbata eſſe oportuit, ut non plana ſint quæ ſacer codex habet de paſchate.

Alii alias turbas excitant, vim facientes paſchatis legibus, quas præjudiciis ſuis conantur accommodare; neque enim iiſdem machinis utuntur. Sunt qui ſupponunt biduum Judæis conceſſum fuiſſe ad celebrandum paſcha, quoniam una & eadem die tot agni immolari non poſſent in Templo; quod magnum licèt, inquiunt, non capiebat omnes Iſraelitas; quibus ergo licitum fuerit per duos dies facere, quod uno die fieri non poterat. Verùm an ſcriptura ſtatuens tempus paſchatis, præteriſſet indictum biduum illud, quæ admonet, Iſraelitas quòd legitimè in primo menſe impediti, non fecerint, facere in ſecundo menſe? Saltem quæpiam hujus bidui obſervarentur veſtigia aut in ſcripturis, aut in Joſepho, aut in Philone, cæteriſque libris Judæorum. Judæi quidem teſtantur olim per biduum feſta celebrata fuiſſe; ſed addunt id moris fuiſſe non intra Hieroſolymam & Judæam, ſed extra, in his regionibus ad quas literæ Synedrii, quibus tempora feſtorum præcisè indicabantur, tardiùs perveniebant, quàm ut hæc feſta agerentur proprio tempore. Ideo enim regionum remotarum Judæi biduo celebrabant feſta, quia incerti quo die celebranda eſſent. Teſtimonia Judæorum in hanc rem protulimus ſuo loco.

Sunt qui contendunt etiam Hieroſolymis non ſemper celebrata feſta eo die quo occurrerent, ſed quandoque tranſlata. De his tranſlationibus pariter ſilentium altum eſt in ſacro codice, in Joſepho, in Philone; ita pro figmento habendas eſſe diximus; harum enim regulas tradidiſſent ſcriptores ſacri, qui proſpiciunt ne quis legi paſchatis deeſſet, impeditus in die in quam illud incidebat. Equidem fateor Judæos ab hiſce temporibus, quibus exules ſunt ſine Templo, ſine ſacrificiis & ſacerdotibus, conveniſſe inter ſe, ne duobus diebus continuis feſta agentes vacarent à ſervilibus operibus. Ideo ſic feſta diſponunt ut non conjungantur, unumque ex duobus ſuo loco moveant ac transferant. Sed ipſi Judæi quorum ſi fides incerta, tranſlationes illæ pariter incertæ ſunt, docent nos has tranſlationes non uſitatas fuiſſe ante everſionem Templi Hieroſolymitani; dum illud ſtaret, & feſta celebrata ipſis diebus quibus occurrebant.

Pentecoſtem eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, in primam ſabbati, quam nunc

Dominicam diem appellamus, incidiſſe traditum eſt. Inde concludimus Chriſtum neceſſariò occiſum ea ipſa die, qua fiebat paſchatis immolatio ſecundùm legem. Similiter ne admitterent iſtam concluſionem, qui nos impugnant, etiam leges de die quo deberet offerri manipulus, perturbant. Fingunt enim ne hujus manipuli oblatio cum ſabbato concurreret, translatam in diem ſequentem; quia inquiunt, in ſabbato non licuiſſet illum manipulum demetere, qui eadem die colligendus & offerendus erat. Verùm errant illi toto cœlo; nam apertum eſt ex Evangelio violatum impunè ſabbatum in Templo à ſacerdotibus, ſive non illicitum fuiſſe quodcumque opus in ſabbato fieri, cujus tempus eſſet à Deo præſcriptum ſine exceptione. Ita puer circumcidebatur in ſabbato, quod erat octavus dies ab ortu ejus. Cùm igitur lex ſanciviſſet, ut decima ſexta die colligeretur manipulus, qui id facerent hac ſtata die, non religionem ſabbati violabant, ſed ſe Deo obſequentes, & ideò religioſos oſtendebant.

Hac omnia inſuper probant legitimum paſchatis tempus, quod tam apertis verbis præſcriptum erat, nullo modo occupari potuiſſe, nec in aliud tempus transferri quàm in ſecundum menſem. Reus fuiſſet qui non paruiſſet legi, quæ horam & diem paſchatis deſignabat. Sed nec fieri poterat, ut quis extra diem & horam paſcha immolaret; hoc enim in Templo immolandum, congregatis omnibus Iſraelitis; ſanguis agnorum manibus ſacerdotum excipiendus, & ad baſim altaris effundendus. Non ergo quis privatus ſeorſim & diſtincta die poterat munus paſchale obire. His adjungamus, nuſquam Judæi rituum ſuorum tenaciores fuiſſe, quàm iis temporibus de quibus loquimur, cùm in terris Chriſtus verſabatur. Quomodo ergo legibus paſchatis minùs addicti fuiſſent, qui ſcelus reputabant manibus illotis manducare, ſabbato vellere ſpicas; aut ultrò ferre potuiſſent, ut quiſquis pro arbitrio occuparet legitimum diem paſchatis. Hæc omnia figmenta alibi fuſiùs exagitavimus & confutavimus.

§. X.

Immolatio paſchatis eo anno quo J. C. D. N. paſſus eſt, contigit fieri ipſa hora qua in cruce moriebatur.

Demonſtratum eſt in chronologicis J. C. D. N. paſſum eſſe anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, Aprilis tertia die, quæ incidebat in feriam ſextam. Decima quarta dies Niſan, ſive menſis paſchalis, cœperat feria præcedenti, nempe quinta poſt occaſum ſolis, quo ergo tempore paſcha præparandum fuerat, & initio noctis expurgandæ ædes omni fermento; quæ jam electæ eſse debuerant ad agni paſchalis comeſtionem, neque enim expectandum manè ſequentis diei, cùm cæteri Judæi ab omnibus orbis plagis Hieroſolymam confluentes, omnia vacua cœnacula forſan occupata tenerent; & pleraque celebrando paſchati neceſsaria vix ſuppetere potuiſsent pretio comparanda.

Itaque feria ſexta horis pomeridianis tempus fuit, quo paſcha legitimè faciendum erat: quo ſcilicet mactandi erant in Templo agni paſchales, & reipſa mactati ſunt; quoniam Judæi hiſce in rebus legi obedientes eſsent. Jeſus Chriſtus in cruce emiſit ſpiritum circa horam nonam, qua ut dicit Joſephus, loco quem ſuprà allegavimus, potiſſimùm fiebat mactatio paſchatis. Non potuit ergo Dominus hocce anno paſcha facere morte impeditus; cùm tempus nec debuiſset, nec potuiſset occupare. Attamen factum ab eo paſcha vulgò creditur; quam

opinionem animis amovendam ideo ſuſcepi, quia qui hac ſemel occupatus eſt, neceſſariò laborat in conciliandis Evangeliſtis, nec advertit verum & apertum ſenſum Evangelii. Etenim non uno loco, ſed ſex locis Ioannes Evangeliſta clarè ſignificat, id quod proponimus in hocce articulo, Dominum paſſum eſſe ea hora, qua fiebat paſcha. Primi verò Evangeliſtæ dum enarrant poſtremam cœnam ejus, non aliud ſignificant quàm Apoſtolos incubuiſſe parando paſchati; quod tunc parare urgebat tempus, de paſchatis autem immolatione nihil innuunt, quod tunc oſtenderet jam factam cùm Dominus cœnavit. Neque enim ille, aut diſcipuli ejus aſcenderunt in Templum, extra quod fieri non poterat mactatio paſchatis. Dominus mittit illos in civitatem, occurrunt viro lagenam portanti, quem ſequentes cum illo ingrediuntur in ædes ubi reperiunt cœnaculum paratum; mox advenit, cœnat ex paratis cibis, ut videre erit cùm ad illum locum Evangelii pervenerimus; ita ex aliqua re, quam Evangeliſtæ notent, non poteſt colligi à Domino, vel à diſcipulis factam immolationem paſchatis.

§ XI.

Chriſtus reſurrexit die qua manipulus novæ frugis offerebatur. Spiritus ſanctus in diſcipulos deſcendit die feſto Pentecoſtes Judæorum.

Hancce diſſertationem adornans in eum ſcopum collimavi, ut liqueret actum illum poſtremum vitæ J. C. D. N. de quo acturi ſumus, clarè figuratum & prænuntiatum fuiſſe antiquis ſacrificiis, præſertim paſchate. Hoc manifeſtum fit notis paſchatis legibus non ſolùm de morte ejus, quem diximus occiſum ea ipſa hora qua occidebatur agnus paſchalis, ſed de iis quæ hanc pretioſam mortem ſtatim conſecuta ſunt. Etenim ut hæc habuit in veteri paſchate ſuos typos & vaticinia, ita & cætera quæ eam ſubſecuta ſunt non caruere ſuis figuris & typis, ut jam diximus. Deberet potiùs quemque interpretem his demonſtrandis incumbere, quàm vetuſta placita propugnare hactenus non ſatis expenſa, & ex quibus aſſerti nulla utilitas redundat. Quid enim profuerit demonſtrare manducatum à Chriſto agnum in pervigilio mortis ſuæ? Cùm è contra iſta confutata opinione, vinci poſſit pertinacia Iudæorum, & arguatur inanis ſapientia Græcorum. Neque enim fieri poteſt ut in pſeudo-chriſtum conveniant veteres typi, & antiqua vaticinia, & crux Chriſti ſit ſtultitia, ad quam præſignificandam omnia quæ ab exordio mundi contigerunt, fuere præordinata.

Feria quinta ſole occidente cœperat dies decima quarta menſis Niſan, ergo feria ſexta veſpere inchoabatur decima quinta dies, ſic die ſabbati, poſt occaſum ſolis, oriebatur decima ſexta dies, loquor de anno paſſionis dominicæ. Igitur die qua collectus & oblatus eſt manipulus, primitiæ novarum frugum, ſurrexit Chriſtus primitiæ dormientium. *ut eum Apoſtolus vocat* [1. Cor. cap. 15. ℣. 20.] *dies illa reſurrectionis prima erat hebdomadis, ut nunc loquimur,* Dominica. *Ita numeratis à decima ſexta die, qua erat ſabbatum, quinquaginta diebus. Pentecoſte, ſive quinquageſima dies, hoc anno incidit in Dominicam, quod aliunde ex vetuſta traditione conſtat, quæ falſa eſt, ſi in alium diem quàm feriam ſeptimam hoc anno magna dies azymorum inciderit: ſive paſcha Iudaicum non occurrerit ea die qua Chriſtus mortuus eſt.*

Pentecoſte Iudæorum dicebatur Feſtum meſſis, quæ ampla collecta eſt ea ipſa

die

die cùm Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos, & his prædicantibus plurimi Chriſtum agnoverunt. Appellabatur quoque Azarta, *id eſt* concluſio; *qua appellatione ſignificabatur idem feſtum Pentecoſtes typum, ſive vaticinium eſſe rei certò futuræ. Spiritus enim illapſus Apoſtolis* concluſio *fuit mortis Chriſti; qui hunc illapſum promiſerat, & morte ſua obtinuerat à Patre. Tunc propriè lex nova, ſive chriſtiana cœpit promulgari: cœpere Apoſtoli docere; & id præſignificatum fuerat promulgatione veteris legis hac ipſa die in monte Sinai; quæ lex vetus non niſi umbra fuit novæ legis, ut loquitur ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos*, cap. 10. ℣. 1.

Hæc concordia quam maximam eſſe demonſtrat ſententia noſtra, adſtruenda eſſet, non impedienda; quod faciunt qui propugnant opiniones quidem vetuſtas, ſed nullo alio fundamento nixas, niſi quòd error vetus eſt. Saltem æquus lector qui hæc legis, præjudicatis opinionibus vacans, ſi fieri poteſt, expende partem illam Evangelii, ubi de poſtremo Chriſti paſchate differemus; nec abjice quem animo tuo verba Evangeliſtarum ingerent ſenſum. Dices à me ipſo occupari mentes præjudiciis, qui præmittam iſtam diſſertationem. Verùm illa præjudicia æqua ſunt, cùm ipſæ ſint leges Dei ſcriptæ in codice ſacro. Etenim ſi leges quas Judæi à patribus ſuis ſibi traditas referunt, tibi ſuſpectæ ſunt, ultrò concedam ut ſola verba ſacri codicis litem noſtram dijudicent.

Magnum quidem adverſus partes quas tueor, præjudicium eſt à multitudine; ſed in iis quæ non definita ſunt ab aliqua certa auctoritate, plerumque turba peſſimum eſt argumentum veri. Nulla autem certa auctoritas hactenùs definivit J. C. D. N. paſcha Judaicum feciſſe in perviligio mortis ſuæ. Non diffiteor in hac ſententia fuiſſe non paucos è ſanctis Patribus, ſed & aliter ſenſerunt magni nominis ſcriptores, numero ſanctorum Patrum etiam adſcripti; & quod animadverſione dignum eſt defenſores Eccleſiæ adverſus Quartodecimanos. Illi hæretici ſupponentes paſcha Judaicum à Jeſu Chriſto factum, quarta decima die quæ occurreret in pervigilio mortis ejus, contendebant quacumque feria, in quam incideret eadem decima quarta dies, Domini exemplo paſcha chriſtianum potiùs eſſe celebrandum, quàm in die Dominica. Verùm Sancti doctores arguebant eos niti falſo fundamento, quoniam Jeſus eo anno quo paſſus eſt, non feciſſet paſcha ſed fuiſſet.

Sancti Patres qui citantur pro contraria ſententia, hanc non ſatagunt confirmare argumentis. Dicunt, non probant Jeſum agnum comediſſe: ut videantur loqui, ex opinione quam ad examen non revocaverant, nec ſatis expenderant; neque enim quæſtionem niſi breviter & leviter attingunt, non dedita opera, ſed quaſi fortuitò, contrà verò, id quod præcipuum eſt ſententiæ quam tueor, præſidium, ſæpiùs & copioſè confirmant, videlicet paſcha vetus fuiſſe vaticinium & typum mortis Chriſti; & pro argumento afferunt ipſum rerum eventum, quo contigit, ut ille occiſus ſit eadem die & hora qua agni paſchatis juxta legem occidebantur. Hoc ipſum eſt fundamentum, quo doctrina quam ſtatuo, ſuperſtructa eſt; hanc doctrinam niti hocce fundamento nemo negare poteſt; & in hocce adſtruendo omnes antiquos Patres conſentire.

Deſinant ergo adverſarii nobis dare crimini, quòd non adhæreamus ſententiæ, in qua fuerint plerique ex ſanctis Patribus: ſed quam non expenderint, nec ſategerint roborare argumentis, & ex qua aſſerta nullum percipitur emolumentum; cùm ipſi, adverſarios dico, impetant doctrinam omnium ſanctorum Patrum, manifeſtam, dijudicatam & comprobatam; qua everſa evertitur veritas typorum & vaticiniorum; ſi enim ea ipſa die & hora qua juxta tempus à lege definitum, Jeſus Chriſtus non mortuus ſit; quomodo paſcha fuit typus & vaticinium temporis

quo Chriſtus debebat mori, ut Sancti Patres obſervant. Congeſſi pleraque teſtimonia eorum in diverſis libellis quos edidi occaſione litis quam plerique mihi intenderunt adverſus meam de paſchate opinionem. Inſtar omnium ſit, quod iterum depromam ex D. Auguſtino, Tract. 50. in Joan.

Illum diem feſtum [*loquitur Auguſtinus, verba illa Ioannis* proximum ergo erat paſcha Judæorum *expendens.*) Judæi cruentum habere Domini ſanguine voluerunt. Illo die feſto occiſus eſt Agnus, qui nobis eundem diem feſtum ſuo ſanguine conſecravit. Conſilium erat inter Judæos de occidendo Jeſu: ille qui de cœlo venerat pati, propinquare voluit loco paſſionis, quia imminebat hora paſſionis. *Aſcenderunt ergo multi Hieroſolymam de regione ante paſcha, ut ſanctificarent ſe ipſos.* Hoc faciebant Judæi ſecundùm præceptum Domini, per ſanctum Moyſem in lege mandatum, ut die feſto quod paſcha erat, omnes undique convenirent, & illius diei celebratione ſanctificarentur: ſed illa celebratio umbra erat futuri. Quid eſt umbra futuri? Prophetia Chriſti venturi, prophetia pro nobis illo die paſſuri: ut tranſiret umbra, & lux veniret, ut tranſiret ſignificatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Judæi paſcha in umbra, nos in luce, quid enim opus erat, ut eis Dominus præciperet per ipſum feſtum diem ovem occidere, niſi quia ille erat, de quo prophetatum eſt: ſicut ovis ad immolandum ductus eſt.

Hæc ut in apertum diem proferrem, deſcripſi ritus paſchatis, quibus figurabatur, & prænunciabatur mors Chriſti pretioſa. Mors illa argumentum eſt libri quem auſpicamur, cui præmiſimus vice præfationis hanc de ritibus paſchatis diſſertationem, ut clarè appareret ſingulos & diverſos paſchatis ritus totidem eſſe typos circumſtantiarum occiſionis Chriſti, ſimul & vaticinia his circumſtantiis eſſe occidendum. Etſi autem liber ille quintus Harmoniæ noſtræ contineat quæ paucis diebus abſoluta ſunt, nimirum hiſtoriam horum dierum, quibus J. C. D. N. ovans ingreſſus eſt Hieroſolymam, paſſus & reſurrexit: attamen tertiam ferè partem codicis Evangeliorum occupat. Neque id mirum eſt, cùm hæc hiſtoria complectatur rem, cui ſignificandæ prophetæ vaticiniis ſuis, ſacerdotes miniſterio ſuo, Judæi inſigniores actis ſuis ſervierunt per quatuor mille annos. Tanta res nec multis voluminibus ſatis pro dignitate poſſet explicari.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Jeſus pullo aſinæ vectus, comitante turba cum palmis ingreditur Hieroſolymam & pro Meſſia agnoſcitur. Flet ſuper illam urbem.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 21. ℣. 1-11.	MARC. Cap. 11. ℣. 1-11.	LUC. c. 19. ℣. 29-44.	Jo. c. 12. ℣. 12-19.
1 IN craſtinum autem *Mt.* cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti,	1 Et ✠ cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti.	1 Et cùm appropinquaret Hieroſolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum,	29 Et factum eſt, cùm appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniã, ad montem qui vocatur Oliveti, miſit duos diſcipulos ſuos,	12 In craſtinum autem.
2 Tunc Jeſus *Mc.* mittit duos ex diſcipulis ſuis.	tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,	mittit duos ex diſcipulis ſuis,		
3 Et ait illis: *MM. L* Ite in caſtellum, quod contra *MM.* vos *MM. L* eſt.	2 Dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,	2 Et ait illis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt,	30. Dicens: Ite in caſtellum, quod contra eſt;	
4 *MM.* Et ſtatim *Mc.* introeuntes illuc *MM.* invenietis *Mt.* aſinam alligatam, & pullum cum ea, *Mc.* ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit. *MM. L* Solvite *Mc. L* illum, *MM. L* & adducite *Mt.* mihi.	& ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & adducite mihi.	& ſtatim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite.	In quod introeuntes, invenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo unquam hominum ſedit, ſolvite illum, & adducite.	
5 *L* Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? *Mt.* Dicite, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos.	3 & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos.	3 Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite quia Domino neceſſarius eſt; & continuò illum dimittet huc.	31 Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus deſiderat.	

MATTHÆUS.

6 * 4 Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetam, dicentem:

7 * 5 † Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. † *Iſa. 62. 11. Zach. 9. 9. infra ℣. 16.*

8 * 6 Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 *Mc.* Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum.		4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum.	32 Abierunt autem qui miſſi erant & invenerunt, ſicut dixit illis, ſtantem pullum,
10 *L* Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: *Mc.* Quid facitis ſolventes pullum?		5 Et quidam de hic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſolventes pullum?	33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum?
11 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Jeſus, *L* quia Dominus eum neceſſarium habet; *Mc.* & dimiſerunt eis.		6 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis.	34 At illi dixerunt: Quia Dominus eum neceſſarium habet.

Digitized by Google

J O A N N E S.

23 * 17 Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis.
24 * 18 Propterea & obviàm venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.
25 * 19 Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus poſt eum abiit.

L U C A S.

26 * 39 Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magiſter increpa diſcipulos tuos.
27 * 40 Quibus ipſe ait: † Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. † *Habac. 2. 11.*
28 * 41 * Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam, dicens: * *Dom. 9. poſt Pent.*
29 * 42 Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.
30 * 43 Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coanguſtabunt te undique:
31 * 44 † Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. 45 *Et ingreſſus &c. infrà, cap. ſequenti.* † *2. Reg. 9. 7. 8.*

M A T T H Æ U S.

32 * 10 * Et cùm intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?
33 * 11 Populi autem dicebant: Hic eſt Jeſus propheta à Nazareth Galilææ. * *Fer. 3. poſt Dom. 1. Quadrag.*
12 *Et intravit &c. infrà, cap. ſequenti.*

M A R C U S.

34 * 11 Et introivit Hieroſolymam in Templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

QUINTUM librum Harmoniæ Evangelicæ, in quo deſcribimus extremum vitæ D. N. J. C. actum, auſpicamur ab illa die, qua Hieroſolymam acclamante turba ovans ingreſſus eſt. Cùm enim ſuſcipiamus enarrare paſſiones ejus, in quibus veteres paſchatis typos implevit, inde harum paſſionum exordium ſumendum erat, ubi incipiebant ſolemnia paſchatis. Aſſumebatur & reſervabatur ad paſchale ſacrificium agnus die decima primi menſis: ſic Deus præceperat, in Exodo cap. 12. quando primùm ritus paſchatis inſtituit. Horum omnium rituum non quidem perpetuus uſus fuit; cùm autem ex libris Judæorum diſcamus quòd agnos in quotidianum ſacrificium legerent ſacerdotes quatuor ante diebus, quàm offerrentur; veriſimile eſt quòd circa legendos agnos paſchales primò inſtitutũ fuerat, poſtea eodem ritu ſervatum. Quia ergo agni paſchales non alibi quàm Hieroſolymis & in atrio Templi mactabantur, adducendi erant Hieroſolymam decima die primi menſis.

Anno quo paſſus eſt Dominus, dies decimaquarta primi menſis, qua occidebatur paſcha, cœpit feria quinta poſt ſolis occaſum, pridie quàm pateretur Jeſus, ut evicimus in chronologicis. Ita decima dies incœperat feria prima, hoc eſt, ut nunc loquimur, Dominica, die, circa initium noctis; dies enim ſuos numerant Hebræi ab occaſu ſolis. Ea autem hora, nempe veſpertina, Hieroſolymam & Templum Jeſum ingreſſum eſſe (ſic eadem die qua adducebantur agni in paſchale ſacrificium mactandi) quæ ſequuntur demonſtrabunt. Agni hujus ſacrificii ab hac die qua adducti fuerant in Templum uſque ad horam qua funderetur eorum ſanguis, explorabantur, utrùm ſine macula eſſent. Credimus & hoc factum in agnis paſchalibus. Hac de cauſa Dominus, quem omnes paſchales ritus figurabãt, reli-

reliquis diebus à ſummo mane, uſque ad ſerotinum tempus verſatus eſt in Templo, colloquens cum Judæis, quaſi ſe præberet explorandum. Exploravere inſuper cùm eum apprehenderunt, nec invenerunt teſtes, quorum certo teſtimonio reum arguerent; ideo fictis criminibus accuſaverunt.

1 * 12. J. *In craſtinum autem, τῇ ἐπαύριον,* die ſequenti, poſt hanc diem in qua cœnaverat Dominus in Bethania cum Lazaro: reverſus à deſerto Ephrem feria ſexta, cùm deſineret dies ſeptima menſis paſchalis. Cœnavit noctu cùm inciperet octava, quæ ſabbatum fuit. Cognovit turba hunc reverſum eſſe; itaque tranſacto ſabbato ad eum venit die nona, quæ fuit prima hebdomadis, in qua ſic contigit triumphalem ejus in urbem ingreſſum fieri veſpere; nam ea hora iter versùs illam carpens, obviam turbam habuit, quæ ad eum confluebat à qua deductus. 1. *Mt. cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti.* Matthæus, Marcus & Lucas, qui ſilentio prætermiſerant hiſtoriam Lazari à morte excitati, narratione ſua conjungunt quæ Jeſus fecerat & dixerat in urbe Jericho, cum illo triumphali ejus ingreſſu. Quaſi nec receſſiſſet in deſertum juxta Ephrem, & ab ipſa urbe Jericho profectus, ſine diverticulo veniſſet Hieroſolymam; verùm Joannis narratio plenior eſt. Ut clariora ſint quæ hic & infrà narrantur ab omnibus Evangeliſtis, animadvertendum tria loca in monte Oliveti diſtinguenda eſſe quæ denominabantur à rebus, quarum feracia erant. 1. *Gethſemani*, à torcularibus quibus oleum premebatur, quod notat vox Gethſemani. 2. *Bethphage* dicebatur pars altera, quaſi dicas *domus Groſſulorum*, ſive ficuum immaturarum בית פגים. ſed alii *Bethphage*, ſic dictum volunt quia בית פי גיא *domus oris vallis*, id eſt, locus ubi ſe vallis aperiebat. 3. Pars verò tertia, quia abundabat palmis, ideo *Bethania* dicebatur, quod nomen interpretari poſſumus, *domus palmarum*.

Ergo profectus eſt Dominus Bethania; Marcus dicit: *Et cùm appropinquarent Hieroſolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum.* Lucas verò: *Et cùm appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam.* ſcilicet, ut notatum eſt, rem narrant quaſi recto itinere Jericho Hieroſolymam venerit Dominus; ſed juxta Joannem qui rem fuſiùs explicat, profectus erat Bethania, unde primùm Bethphage venit, qui vicus erat circa radices montis Olivarum. 2 * *Tunc Jeſus*, cùm jam eſſet vicinus urbi, *Mc. mittit duos ex diſcipulis ſuis*, 3 * *Et ait illis: MM. L. Ite in caſtellum, κώμην, quod contra MM. vos MM. L. eſt*, è regione veſtri, in conſpectu veſtro eſt; forſan manu demonſtrans vicinum pagum, in quem eos mittebat 4 *MM. Et ſtatim Mc. introeuntes illuc*, in hunc pagum, *MM. invenietis Mt. aſinam alligatam, & pullum cum ea, Mc. ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit.* his omnibus ſignis inſtruit diſcipulos ſuos, tùm ut ſcirent quem ſibi adduci vellet aſinæ pullum, tùm ut his circumſtantiis revocaret in animos vaticinium prophetæ, de quo modò fiet ſermo, inſuper hac re probans omnia ſuæ patere cognitioni. Cùm autem talem aſinam cum pullo inveneritis, *MM. L. ſolvite Mc. L. illum pullum, MM. L. & adducite Mt. mihi.*

5. * 3. *L. Et ſi quis vos interrogaverit, quare ſolvitis? Mt. Dicite: Quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos*, aſinam & pullum. Ambiguitas eſt in verbo *dimittet*. Alii ad Chriſtum referunt, qui non diu aſinam & pullum retenturus eſſet, ſed brevì ad herum remiſſurus. Ad herum alii referre malunt: quaſi dixerit Chriſtus: non incaſſum ibitis: nec opus erit invito hero ea jumenta extorquere: ſimul ac dixeritis me iis egere, ſtatim dimittet, quod & factum narrat Marcus. Non dicit *Dominus noſter*, aut *veſter*, ſed ſimpliciter *Dominus*: univerſi videlicet, tum jumentorum iſtorum tum dominorum, & abſolutè omnium. Qui ſeſe mox regem exhibiturus erat, auctoritatem regiam, adeoque & divinam exercere voluit.

6 * 4. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem*: id eſt, in eo impletum eſt vaticinium Prophetæ, dicentis: 7 * 5. *Dicite Filiæ Sion: εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών*, id eſt annuntiate urbi Hieroſolymæ, quæ filia Sion interdum appellatur; *Ecce ſalvator tuus venit*, ut habet Iſaias, cap. 62. ℣. 11. Prima ergo illa verba, *Dicite Filiæ Sion*, ſunt Iſaiæ: reliqua Zachariæ, cap. 9. ℣. 9. *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.* Hunc locum veteres Judæi intelligebant de Meſſia, extitere poſtea qui interpretarentur de Zorobabele, aut de Juda Machabæo; ſed uterque nunquam ſalutatus eſt rex. Præterea propheta virum pauperem deſcribit; Zorobabel verò potens opibus erat, qui Templum ædificavit; Machabæi autem, qui poſtea reges fuere, non filii erant Davidis. Contrahit verba Prophetæ Matthæus; ſive ex duobus Prophetis componit vaticinium, ideo unum prophetam in genere allegat. Sic ipſe Zacharias loquitur. *Exulta ſatis*, id eſt, valdè *filia Sion, jubila filia Hieruſalem: ecce rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator: ipſe pauper* עני *ani*; videtur Matthæus legiſſe ענו *anau*, id eſt *manſuetus*. Sed utriuſque nominis non multùm diverſa eſt ſignificatio; pauperes enim & afflicti ſolent eſſe manſuetiores. Hæc Matthæus ex veteri vaticinio allegat, ut ab animo Judæorum iſtam opinionem amoveret; quòd fore erat ut Chriſtus inſigniretur ſplendore divitiarum; ideo enim Jeſum aſpernabantur, quia pauper, & man-

ſue-

ſuetus, hoc eſt, non armis potens, nec conſpicuus divitiis; quo tamen caractere agnoſcendus erat, cùm juxta Zachariam Hieroſolymam venit *ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubjugalis*, ὑποζυγίου, *ſubjugis*, id eſt, jumenti onerarii, quod inſerviebat non ad iter faciendum, ſed ad geſtandum onera.

8 * 6 *Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus*. 9 * 4 *Mc. Et abeuntes* in caſtellum, quod in conſpectu erat, *invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio*, ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, hoc eſt, in platea, in tranſitu. *Et ſolvunt eum*. Marcus & Lucas aſinæ mentionem non faciunt, quòd ſuper eam non ſederit Dominus. 10 * 33 *L. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Mc. Quid facitis ſolventes pullum?* Quorſum ſolvitis hunc pullum? 11 * 6 *Qui dixerunt eis*, reſponderunt; ſicut præceperat illis Jeſus. 34 *L. Quia Dominus eum neceſſarium habet, Mc. & dimiſerunt eis*. Veriſimile eſt agnitos diſcipulos & notum fuiſſe Jeſum incolis hujuſce vici.

12 * 7 *Mt. Et adduxerunt aſinam & pullum Mc. L. ad Jeſum*. aſina inutilis fuiſſet; ſufficiebat enim pullus cui inſidebat Jeſus, ſed vaticinio implendo ſerviebat. Etenim cùm Judæi aſinis frequenter veherentur, vaticinium Zachariæ non proprium fuiſſet Chriſto ſine hac circumſtantia. igitur, quæ inutilis videbatur aſina, revocabat vaticinium Prophetæ in Judæorum mentem.

13 * J *Turba* autem *multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent, quia venit Jeſus Hieroſolymam*. obviàm ei proceſſerunt: idcirco nullus auſus eſt vim ei inferre; turba enim frequens ſtipabat illum. Sic factum eſt, ut eo ipſo tempore, quo mortis ſubeunda erant illi opprobria, triumphaverit. Sæpiùs inculcamus decuiſſe Jeſum verè ſe Meſſiam demonſtrare; neque enim videretur Deus impleviſſe promiſſa ſua, ſi cujus ſpem fecerat, miſiſſet adeo obſcurum, ut advenientem nemo potuiſſet agnoſcere. Quinque autem dies antequam Hieroſolymis educeretur ad ſupplicium ut pſeudochriſtus, ingreditur Hieroſolymam cum tanta demonſtratione dignitatis ſuæ, ut à turbis populorum ſalutetur verus Dei Chriſtus, rex ille Iſrael deſideratus & expectatus; quapropter nullus queri potuit ignotam ſibi fuiſſe illam Jeſu dignitatem.

Turba inquam multa cùm audiſſet, quia venit Jeſus Hieroſolymam 14 * 13. *Acceperunt ramos palmarum*, quibus abundabat locus, *& proceſſerunt obviàm ei; & clamabant, Hoſanna*. Sic in nova dedicatione Templi Macchabæorum temporibus ramos geſtantes ſignificaverant lætitiam ſuam Judæi, ut dicitur lib. 1. Mach. cap. 13. ℣. 51. *cum laude & ramis palmarum*, & 2. Mach. cap. 10. ℣. 7. *propter quod thyrſos & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui proſperavit mundari locum ſuum*. id quot annis fiebat ex lege Dei in feſto Tabernaculorum. Levit cap. 23. ℣. 40. *Sumetiſque vobis die primo* feſti Tabernaculorum *fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro*. In hocce feſto cantabatur illud pſalmi 117. *O Domine ſalvum me fac; ò Domine benè proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini*. In fonte eſt הושיעה נא, id eſt, *ſerva quæſo*, unde factum per ſyncopem הושע־נא *Hoſanna*. Quam vocem cùm ſæpiùs repeterent Judæi geſtantes & quaſſantes ramos, ipſos etiam ramorum faſciculos appellaverunt *Hoſannas*, ut docet Elias Levita in ſuo Thiſbi: quin eo quòd in feſto Tabernaculorum crebriùs perſonaret dicta vox, feſtum illud & *Hoſanna* appellatum eſt.

Ergo turbæ illæ exceperunt Jeſum hiſce lætitiæ ſignis, quæ edebantur in feſto Tabernaculorum, in quo credebant Judæi memoriam Ægyptiaci exitus non tantùm contineri, ſed & præſagium temporum Meſſiæ. Etiamnum hodie Judæi feſtum illud celebrantes, dicunt optare ſe, ut eum in modum lætos dies agere poſſint, regnante Meſſia, ſuis devictis hoſtibus. Itaque qui Jeſum, adducti miraculis ejus, pro Meſſia agnoſcebant, velut impetu præſago, ritus & verba feſti Tabernaculorum uſurpabant.

Et clamabant, Hoſanna, invocantes Jeſum ut eos ſervaret; ſe enim à Chriſto ſervandos ſciebant omnes Judæi. miſſum à Deo fatentur, quod ſacerdotes negabant. *Benedictus*, inquiunt, *qui venit in nomine Domini*; quaſi dicerent: laudetur & extollatur: dixiſſent Latini, felix ſit, vivat *qui venit*, ὁ ἐρχόμενος, qui venit, vel qui venturus erat. Scilicet agnoſcunt Jeſum eum eſſe qui venturus erat, quem miſſurus erat Deus: *rex Iſrael*, clamant eum verè eſſe regem Iſrael; regia enim dignitas competit Chriſto etiam juxta hodiernos Judæos.

15 * 14. *Et invenit Jeſus aſellum*, quem ei adduxerant diſcipuli. *Mt. & imponunt illi veſtimenta ſua*; neque enim adhuc ullum ephippii genus fuerat impoſitum, cui nemo inſederat: *Mt. & eum deſuper ſedere fecerunt*, ἐπάνω αὐτῶν, ſuper ea veſtimenta, quæ impoſuerant, vel ſuper illa jumenta; hoc eſt ſuper unum eorum, videlicet ſuper pullum, ut liquet ex aliis Evangeliſtis. ſic Gen. cap. 8. ℣. 4. *ſuper montes*, id eſt, *ſuper unum montium*. ſic Matth. cap. 26. ℣. 8. *diſcipuli*, pro *unus diſcipulorum*. & cap. 27. ℣. 44. *crucifixi*, pro *unus ex* crucifixis. Enallage eſt, ſive mutatio numeri, qua pluribus indefinitè tribuitur quod illorum uni convenit: cujus mutationis paſſim occurrunt exempla in ſcripturis.

J Si-

Digitized by Google

J *Sicut ſcriptum eſt.* Scilicet id quod tunc à Domino factum eſt, ut intraret Hieruſalem, inſidens pullo aſinæ, ſcriptum erat apud Prophetam. 16 * 15. *Noli timere*, exulta, *filia Sion: Ecce rex tuus venit, ſedens ſuper pullum aſinæ.* frequentius eſt ſedere ſuper matrem comitante pullo; Jeſum autem ſediſſe ſuper pullum, qui hactenus nullum ſeſſorem habuerat, plerique notant, ut ſignificaret Deo obtemperaturos qui hactenus colla non ſubdiderant. quidquid ſit, exitu vaticinium peculiaribus circumſtantiis notatum reddebatur apertum; attamen ea hora 17 * 16. *Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primùm.* non ſubiit mentem diſcipulorum hæc prænuntiata à Zacharia: *ſed quando glorificatus eſt Jeſus*, cùm aſcendit in gloriam ſuam, & ſpiritu Dei pleni facti ſunt, *tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo*, id eſt, quòd iſta ſcribens Propheta eum intueretur. *Et hæc fecerunt ei*: & tamen iſta fecerunt, vel ita factum eſt ei, juxta vaticinium prophetæ; nam perſonale interdum ponitur pro imperſonali.

18 * 8 *Mt. Multi autem L. eunte illo ſubſternebant Mt. L. veſtimenta ſua in via*, pedibus ejus in ſignum ſubmiſſionis. ſic 4. Reg. cap. 9. ℣. 13. cùm Jehu rex conſtitutus eſt, *unuſquiſque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus ejus.* Idem uſitatum fuiſſe apud Gentiles teſtatur Plutarchus in vita Catonis minoris, de quo ſic loquitur: *finito tempore, provincia abeuntem non votis & præconiis, ſed lacrymis & inſatiabili amplexu milites proſequebantur, ſternentes veſtes per ea loca quibus ipſe pedibus iturus erat.* Pergunt Evangeliſtæ. *MM. Alii autem cædebant Mt. ramos MM. de arboribus, & ſternebant in via.* Ornabant vias lætitiæ causâ, ut feſtis diebus antiqui facere ſolebant. Scribit Philo Agrippam à populo ramis, frondibus & floribus aſperſum fuiſſe, cùm Hieroſolymam veniret: idem Alexandro factum eſſe narrat Joſephus. Inde autem colligitur rem non tranſactam ſabbato; etenim non licitum erat, ut Philo dicit lib. 2. de vita Moſis ramos cædere in die ſabbati. Quidam volunt non ſparſas veſtes, nec ſparſos ramos in ipſa ſemita, quod equitantem impediviſſet, ſed juxta viam Judæos tentoriola ex veſtibus & ramis feciſſe ad morem feſti Tabernaculorum.

19 * 37 *L. Et cùm appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti*, facti urbi proximiores, *cœperunt omnes turbæ diſcipulorum*, τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, id eſt, omnes diſcipuli permixti turbæ populorum, *gaudentes laudare Deum voce magna*, cantantes cantica *ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus*, nempe clamantes *hoſanna*; verba pſalmi 117. ℣. 25. *O Domine ſalvum me fac*, quibus ſequenti verſiculo adnectuntur iſta quæ proferebant ſive diſcipuli, ſive Judæi omnes. 20 * 38. *Dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini*: nempe rex ille Meſſias tamdiu expectatus. *Pax in cælo, & gloria in excelſis*; Hæc enim quoad ſenſum non diſcrepant ab eo quod canitur in dicto verſiculo pſalmi 117. *O Domine benè proſperare*: videlicet procuretur in cælo proſperitas regni tui: vetus diſſidium, quod mortales habuimus contra Deum, diremptum ſit: cum ſumma gloria & laude agantur gratiæ Patri.

21 * 9 *Mt. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ MM. ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Mt. Filio David.* id eſt, jam canamus *Hoſanna* Meſſiæ, qui Filius David eſt. Jeſum pro Meſſia habemus, & ideo occinamus illi *Hoſanna*, id eſt, *ſerva nos*. Quidam interpretes, ex eo quòd dicitur *Hoſanna filio David*, & non *Hoſanna fili David*, contendunt non accipiendam vocem *Hoſanna*, quaſi Judæi quærerent à Jeſu, ut illis opitularetur; ſed habendam pro voto & acclamatione, ut eam uſurpantes Judæi nihil aliud ſignificarent, quàm optare ſe, ut contingeret filio Davidis ſalus illa, & auxilium, quod per *Hoſanna* innuitur, non ſolùm in terra, ſed & in cœlo. Verùm iſti interpretes longè abeunt à mente prophetæ, qui prædixerat Meſſiam adventurum ſervatorem. Hæc erat de Chriſto Judæorum omnium expectatio; unde diſcipuli poſt paſſionem ejus dicebant: Luc. cap. 24. ℣. 21. *Nos autem ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſrael.* Cur ergò, quem pro Chriſto habebant, non invocaſſent ſervatorem. *Hoſanna filio David*: id eſt, acclametur Meſſiæ, qui filius David eſt, *Hoſanna*: nempe omnes clament, *opitulare quæſo*, Acclamatio illa ut diximus, deſumpta eſt ex pſalmo 117. ubi populus ipſum Deum *Jehova* invocat. Si *Hoſanna* non aliud ſonaret quàm *ſervetur rex Meſſias, vivat & felix ſit*, iiſdem verbis ſæpiùs à Judæis acclamatum fuiſſet cuique regi; quod nulli factum legimus. Ita Chriſto ut ſervatori Judæi tunc acclamabant; ac ſubdebant. 22. * *Mt. 10. Mc. Benedictus qui venit in nomine Domini, Mc. Benedictum quod venit regnum patris noſtri David.* Sic Meſſiæ regnum appellabatur, cujus typus fuerat regnum David: *Hoſanna in excelſis*, id eſt, audiatur in altiſſimis: acclametur à nobis ſublatis in cælum vocibus. Vox illa quæ conſtabat ex verbo & particula Hebræa, induerat naturam nominis, & uſurpabatur pro ipſo hymno, ut Græci ſumunt voce παιὰν, *pæan*, cujus origo παύω, *ſedo*, vel παίω, *ferio*; qua voce primùm rogabant Græci Apollinem, ut ſedaret mala, vel feriret inimicos eorum. Itaque *Hoſanna in altiſſimis*, dicitur pro, audiatur hoſanna noſtrum in altiſſimis, nempe talis hymnus 23 * 17 J *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis.* Scilicet

turbæ

turbæ illæ teſtes ſuſcitati Lazari, demonſtrabant hocce miraculo Jeſum eſſe Meſſiam, adverſus eos quibus hæ laudes forſan non placebant. 24 * 18. *Propterea & obviàm venit ei turba.* his qui viderant Lazarum revocatum à mortuis plures alii ſe adjungebant, *quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.*

25 * 19. *Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos,* cùm ſectatores Jeſu in tantum creſcentes viderent: *Videtis quia nihil proficimus,* machinamentis noſtris. *Ecce mundus totus poſt eum abiit.* 26 * 39 L. *Et quidam Phariſæorum de turbis,* id eſt, qui turbæ erant permixti *dixerunt ad illum: Magiſter increpa diſcipulos tuos,* ne videaris his adulationibus capi. 27 * 40. *Quibus ipſe ait: Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* proverbiali illo loquendi genere ſignificabat non poſſe fieri, ut non agnoſceretur ab aliquibus Chriſti regnum.

28 * 41. *Et ut appropinquavit videns civitatem,* antequam in illam intraret, *flevit ſuper illam,* ex qua ad crucem intra paucos dies ejiciendus, *dicens:* 29 * 42. *Quia ſi cognoviſſes & tu;* ſi vel tu noſſes, *& quidem in hac die tua,* qua ad te venio, *quæ ad pacem tibi,* quæ pacem tibi poterant procurare. *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis:* ignota, & quaſi remota ab oculis tuis. Notatur prodigioſus ſtupor Hieroſolymitanorum, qui Chriſtum præſentem, & tot fulgentem conſpicuis dignitatis ſuæ notis non agnoſcebant.

30 * 43. *Quia venient dies in te,* ſive erit tempus, cùm oppugnaberis: & hæc cauſa fletus Domino erat. Et circumdabunt te inimici tui vallo, *& circumdabunt te: & coanguſtabunt te undique:* arcta obſidione prement, ut re patuit, cùm oppugnata eſt à Tito; cujus oppugnationis & expugnationis hiſtoria videtur à Joſepho ſcripta, Deo regente ſtilum ejus, ut hujuſce vaticinii confirmaret veritatem; ſic enim conſtrinxit Judæos Titus, ut nullus impunè potuerit ex urbe egredi. 31 * 44. *Et ad terram proſternent te,* ἐδαφιοῦσί σε, id eſt ſolo æquabunt, funditùs evertent, *& filios tuos, qui in te ſunt,* id eſt, incolas tuos ſolo allident: tuorum incredibilis ſtrages edetur. *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem,* id eſt, lapidem lapidi cohærentem, quod contigit, & pro inſigni miraculo haberi poteſt: lapides enim quibus mœnia urbis & Templi conſtructa, prodigioſæ erant magnitudinis, & tamen veluti pulvis diſſipati ſunt. *Eo quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* cauſa excidii tui erit tempus neglectum oblatæ ſalutis. Quoties Deus inſigne beneficium conferret Judæis, dicebatur viſitare plebem ſuam.

Ut certè conſtet vaticinium Domini de excidio Hieroſolymorum plenè completum eſſe, juvat huc afferre quod Joſephus narrat de illo excidio. Deſcribit lib. 7. de bello, cap. 18. quæ contigere poſt captam urbem, cùm jam civium incredibilis ſtrages edita fuiſſet. *Poſtquam verò,* inquit, *quos occideret, quidve raperet non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant (nec enim parcendo, ſi eſſet quod agerent, abſtinuiſſent) jubet eos Cæſar totam funditùs jam eruere civitatem ac Templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaſaelo, & Hippico, & Mariamne: & muro relicto quo civitas ab Occidente cingebatur, ut eſſet caſtrum illic cuſtodiæ cauſa relinquendis: turres autem, ut poſteris indicarent qualem civitatem, quamve munitiſſimam Romanorum virtus obtinuiſſet. Alium verò totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent.*

32 * 10 Mt. *Et cùm intraſſet* Jeſus: *Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?* Cives perculſi ſunt, Jeſum videntes apparatu illo triumphantis ingredientem. Non omnibus de facie notus erat, ſiquidem multi carnales Judæi quorum major numerus, deſpectui habebant virum pauperi habitu incedentem. 33 * 11. *Populi autem,* quorum plerique advenæ, qui ad feſtum venerant, & Jeſum comitabantur, *dicebant: Hic eſt Jeſus Propheta,* ὁ προφήτης, *ille propheta;* nempe quem habemus pro Propheta illo magno, quem expectabamus; *à Nazareth Galilææ,* cujus patria Nazareth Galilææ.

34 * 11 Mc. *Et introivit in Templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora; exiit in Bethaniam cum duodecim.* ex his verbis liquet ſerò Jeſum intraſſe Hieroſolymam; ideo non potuit diutiùs commorari in Templo. Oculos tantùm conjecit in ea quæ illic fierent, & clam ſe ſubducens, ut videtur, cum Apoſtolis Bethaniam reverſus eſt, ubi lateret Phariſæos, quos ingreſſus ejus commoverat.

CAPUT II.

Altera die Dominus Hieroſolymam revertens, ficui maledixit, quæ protinus aruit. Templum ingreſſus, ex eo expulit vendentes & ementes.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 21. ℣. 12-22.	MARC. Cap. 11. ℣. 12-26.
1 *Mc.* ET alia die *Mt.* manè *Mc.* à Bethania *Mt.* revertens in civitatem eſuriit.	12 *Et intravit &c. infra.* 18 Manè autem revertens in civitatem eſuriit.	12 Et alia die cùm exirent à Bethania eſuriit.
2. *Mc.* Cùmque vidiſſet à longè *Mt.* unam ſecus viam *Mc.* ficum, habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in ea.	19 Et videns fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam.	13 Cùmque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in ea, & cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia; non enim erat tempus ficorum.
3 Et cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.	& nihil invenit in ea niſi folia tantùm,	
4 Et reſpondens dixit ei: *Mt.* Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. *Mc.* Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet.	& ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.	14 Et reſpondens dixit ei: Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet.
5 Et audiebant diſcipuli ejus; *Mt.* & areſacta eſt continuò ficulnea.	& areſacta eſt continuò ficulnea.	Et audiebant diſcipuli ejus.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS Cap. 19. ℣. 45-48.
6 *Mc.* Et veniunt Hieroſolymam. Et cùm introiſſet *Mc. L* in Templum; † cœpit ejicere vendentes & ementes *L* in illo. (†*Matt.* 21. 13.)	20 *Et videntes &c. infra.* 12 Et intravit Jeſus in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo;	15 Et veniunt Hieroſolymam. Et cùm introiſſet in Templum cœpit ejicere vendentes & ementes in Templo:	45 Et ingreſſus in Templum cœpit ejicere vendentes in illo & ementes.
7 *MM.* Et menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.	& menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.	& menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.	
8 *Mc.* Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per Templum.		16 Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per Templum.	
9 Et docebat, dicens eis: *MM. L* Scriptum eſt, *Mc. L* † quia *MM. L* domus mea domus orationis *MM.* vocabitur. *Mc.* omnibus gentibus; *MM. L* vos autem feciſtis *Mt. L* illam *MM. L* ſpeluncam latronum. († *Iſa.* 56. 7. *Ier.* 7. 11. 3. *Reg.* 8. 29.)	13 Et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.	17 Et docebat, dicens eis: Nonne ſcriptum eſt: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.	46 Dicens illis: Scriptum eſt: Quia domus mea domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

MARCUS.

10 * 18 Quo audito principes ſacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam univerſa turba admirabatur ſuper doctrina ejus.

MAT-

MATTHÆUS.

11 * 14 Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in Templo; & ſanavit eos.
12 * 15 Videntes autem principes ſacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hoſanna Filio David: indignati ſunt.
13 * 16 Et dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis: Utique nuſquam legiſtis: Quia † ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? † *Pſal.* 8. 3.

HARMONIA.	MARCUS.	MATTHÆUS.
14 *Mc.* Et cùm veſpera facta eſſet; *Mt.* relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique manſit.	19 Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de civitate.	17 Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique manſit ¶ 18. *Manè &c. ſupra* ℣. 2.
15 *Mc.* Et cùm manè tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.	20 Et cùm manè tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.	
16 *Mt.* Et videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuò aruit?		20 Et videntes diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuò aruit?
17 *Mc.* Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit.	21 Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti, aruit.	
18 † Et reſpondens Jeſus, ait illis: Habete fidem Dei.	22 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Habete fidem Dei.	21 Reſpondens autem Jeſus, ait eis: † *Luc.* 17. 6.
19 *MM.* Amen dico vobis, *Mc.* quia *Mt.* ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis; ſed &	23 Amen dico vobis, quia	Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet.

MARCUS.

20 quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare: & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat; fiet ei.
21 * 24 † Propterea dico vobis: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

22 Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. † *Joan.* 15. 7. 1. *Joan.* 3. 22. & 5. 14.

22 * 25 Et cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.
23 * 26 Quòd ſi vos non dimiſeritis: nec pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

LUCAS.

24 * 47 Et erat docens quotidie in templo. ¶ Principes autem ſacerdotum & Scribæ, & principes plebis quærebant illum perdere,
25 * 48 Et non inveniebant quid facerent illi: omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

EX Matthæo & Luca eadem die, qua vectus aſino Hieroſolymam ingreſſus eſt Dominus, videtur è Templo ejeciſſe quotquot in eo vendebant & emebant; ſed poſtridie hujus diei id factum tam liquidò docet Marcus, ut in alium ſenſum ſermo ejus torqueri non poſſit. Hic ergo temporum ordinem ab eo ſervatum credo; quia rem deſcribit diligentiùs. Obſervat enim prima die

die Jeſum; cùm ovans Hieroſolymam ingreſſus eſt, quia jam veſpera eſſet, circumſpectis omnibus, iis nempe quæ in Templo fierent, exiiſſe in Bethaniam. Abierat tota iſta prima dies, tùm in apparatu triumphi, tùm in ipſo triumpho. Miſerat diſcipulos, qui ſibi aſinam cum pullo adducerent. poſtquam rumor pervenit Hieroſolymam eum Bethaniam reverſum, & iter ad hanc urbem parare, ei obviam venerat turba, qua comitante non potuit catervatim niſi ut fieri ſolet, lento gradu iter conficere. Ita ſerò Hieroſolymam ingreſſus eſt; & ideo hac die non potuit ejicere vendentes & ementes in Templo.

Etiam in iis quæ pertinent ad ficum cui Dominus maledixit, uſus videtur Matthæus breviori ſermone, ſimul maledictam & areſactam narrans. Marcus verò rem diſtinguit. maledictam ſcribit, quando Jeſus Hieroſolymam revertens, in ea fructus non invenit; areſactam verò non dicit niſi poſtquam narravit, quomodo Dominus in hac reverſione ejecerit Templo mercatores: videlicet areſactam dicit quando id verè contigit, ſive quando obſervatum eſt à diſcipulis hanc arborem cui pridie maledixerat Dominus, exaruiſſe. Ibi igitur cenſendus eſt Marcus diligentior, & ab aliis veram rerum ſeriem neglectam, quam ſic ex hoc Evangeliſta ordinamus.

1 * 12 *Mc. Et alia die* nempe ſequenti, quæ erat ſecunda feria 18. *Mt. manè Mc. à Bethania Mt. revertens in civitatem*; (noctem enim tranſigebat in Bethania) *eſuriit*: ſive quaſi eſuriret ſe geſſit. 2 * 13 *Mc. Cùmque vidiſſet à longè Mt. unam ſecus viam Mc. ficum, habentem folia*, circa enim paſchatis tempus arbores ſe foliis induere incipiunt, *venit, ſi quid fortè inveniret in ea*, fructus nempe. 3 * *Et cùm veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia*: nullus ei fructus; *non enim erat tempus ficorum*. Adhuc longè aberat illud tempus. *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*. Si particula *ου* legatur cum ſpiritu aſpero, & accentu circumflexu ſic ſcripta οὗ, ut olim lectum ſuſpicatur Daniel Heinſius, jam alius ſenſus erit, nempe; *ibi enim jam ficus maturæ*, ideo non mirum eſſet ſterilem arborem maledictam à Domino. Sed præter auctoritatem interpretis vulgati, & antiquorum Patrum qui legunt: *non enim erat &c.* minus cohærent verba Evangeliſtæ affecta hoc ſpiritu & accentu, quo affecta vult Heinſius. Nam Marcus videtur cauſam reddere cur tantùm folia reperta ſint in ficu; quæ cauſa aperta eſt in lectione vulgata: *Non enim erat tempus ficorum &c.* ſed è contra ſi ibi eſſet tempus ficuum, mirum erat nihil aliud præter folia reperiri in arbore. Cur autem Dominus maledicebat arbori eo quòd fructus non haberet, ſi nondum inſtaret tempus fructuum? Hoc factum Domini, ut loquitur Auguſtinus, *niſi figuratum accipiatur; ſtultum invenitur. Primò quæſiſſe poma in illa arbore, quando tempus non erat ut eſſent in illa arbore. Deinde ſi pomorum non tempus eſſet, non habere poma, quæ culpa arboris eſſet?* Nam efficacibus verbis ficui maledixit. 4 * 14. *Et reſpondens dixit ei*: ſis maledicta; *Mt. Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Mc. Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet*, ſterilis ſis omnino. 5 * *Et audiebant diſcipuli ejus*: *Mt. & areſacta eſt continuò ficulnea*. ſcilicet ſtatim ac abierunt; neque enim niſi ſequenti die areſactam adverterunt.

Hac ergo maledicta ficu, tanquam parabola (parabolæ enim non ſolum verbis, ſed & rebus fiunt) id ſignificatum volebat Dominus, quod etſi requiſiſſet à Judæis ut ſeſe converterent; cùm nondum inſtaret tempus, quo convertendos ſciebat, attamen maledictis ſubjacerent; quippe qui rei eſſent qui eum non agnoſcerent pro Chriſto quem ſe probaverat. Forſan & voluit in memoriam revocare, quod Michæas typus ejus, ut cæteri prophetæ, dicebat de ſe: cap. 7. ℣. 1. *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſideravit anima mea. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur*. His attexam verba elegantia Eraſmi in paraphraſi: *Habent*, inquit, *arbores ſtata tempora, quibus edunt fœtus ſuos, ut iniquus videatur, qui ſterilitatem perpetuam imprecetur ei, quæ non ante tempus produxit. Ad hæc quid attinebat Jeſum accurrere ad ficum, excutere ſiquid eſſet fructuum, cùm ſciret nihil eſſe? Verùm hæc abſurditas rei juxta ſpeciem corporalem reddebat Apoſtolos attentiores, eoſque relegabat ad ſcrutationem ſenſus myſtici. Dominus Jeſus eſurientiſſimus humanæ ſalutis, reperit fructum in arboribus infrugiferis, quæ nullam ſpem de ſe præbebant, in meretricibus, in publicanis, in peccatoribus..... in ſolis ſacerdotibus, Scribis & Phariſæis, qui dulciſſimi fructus Evangelici ſummam de ſe ſpem præbebant, nihil omninò fructus invenit....... Prolixè orabant, dabant eleemoſynam, quin & ſtolæ, lataque Phylacteria mirum quoddam pietatis ſtudium præſeferebant. Hæc nimirum erant folia, vel ante tempus fructum pollicentia. Sed Dominus hoc docere voluit nihil eſſe deploratius impietate, falſa religionis ſpecie fucata, Hæc ficus meretur execrationem Jeſu, ne quis foliorum pompa deceptus, ex hoc hominum genere poſthac ſperet ullum fructum ſuaviſſimæ charitatis Evangelicæ.*

8 * 15. *Mc. Et veniunt Hieroſolymam. Et cùm introiſſet Mc. L in Templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes L in illo*; quod fieri pridie conſpexerat. 7 * *MM. Et menſas nummulariorum*, τῶν

κολλυβιστῶν

κολλυβιςῶν, commutantium, ſive trapezitarum evertit. Suprà obſervatum eſt, dum ageremus de prima ejectione mercatorum è Templo, ſediſſe nummularios ad menſas, qui commutarent certo pretio nummos ſacros cum prophanis: ſcilicet capitatim pendebant Judæi Templo ſemiſiclum; quem ſacrum nummum, cui non ſuppetebat, data altera moneta & ſoluto commutationis pretio accipiebat à nummulariis hunc exactoribus tributi perſoluturus. Horum, inquam, nummulariorum menſas, *& cathedras*, id eſt, ſedes *vendentium columbas evertit*.

8 * 16 *Mc. Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per Templum*, ſuppellectilem ullam, aut inſtrumentum profanis uſibus ſerviens; ut per Templum quis incederet vaſis ullis, aut impedimentis onuſtus. *Vas* vox eſt quæ multis rebus accommodatur in ſacro codice; ubi & ſagittæ appellantur *vaſa mortis*, id eſt res mortiferæ. Locum illum Evangelii illuſtrant quæ de reverentia Templi leguntur in Talmudicis libris. *Quænam eſt reverentia Templi? Ne quis eat in montem domus, vel atrium gentium, cum baculo ſuo, & calceis ſuis, crumena ſua, & pulvere in pedibus ſuis; neque cum mantica, aut pecuniis linteo involutis: Non per illud facias viam ſuam tranſitivam, nec facias locum ſputationis.*

9 * 17. *Et docebat, dicens: Nonne MM. L ſcriptum eſt* apud Iſaiam, cap. 56. ℣. 7. *Mc. L quia MM. L domus mea domus orationis MM. vocabitur Mc. omnibus gentibus*, ad quam ſcilicet promiſit Deus ſe adducturum omnes gentes: *MM. L vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. De quo & queritur Deus apud Jeremiam, cap. 7. Latro eſt, & Templum Dei in latronum convertit ſpecum, inquit B. Hieronymus, qui lucra de religione ſectatur, cultuſque ejus, non tam cultus Dei, quàm negotiationis occaſio eſt.

10 * 18. *Mc. Quo audito*, id enim ſibi dici intelligebant; conſcii iſta mercatura, quæ in Templo exercebatur, multam corradere pecuniam, *principes ſacerdotum & Scribæ quærebant, quomodo eum perderent*. non de re conſultabant, nam decreverant ipſum de medio tollere, ſed de modo & opportunitate. *Timebant enim eum, quoniam univerſa turba*, omnis populus qui ad feſtum paſchatis venerat *admirabatur ſuper doctrina ejus*; capiebatur verbis ejus. Multos enim hac & ſequenti die ſermones habuit, quos in hoc loco, ut videtur, non referunt Evangeliſtæ, ne interpellent hiſtoriam.

Sed & miraculis ſuis fidem ſibi conciliabat Dominus. 11 * 14 *Mt. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in Templo, & ſanavit eos*. non ſolis ſuis verbis; ſed & rebus ſe probans verè filium Dei, & ideo Deum cui jus erat in Templum ut in propriam domum. 12 * 15. *Videntes autem principes ſacerdotum & Scribæ mirabilia, quæ fecit & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hoſanna Filio David: indignati ſunt*. ægrè ferebant etiam à pueris celebrari ut Chriſtum. Vox illa, ut diximus, uſurpabatur in lætitia feſti Tabernaculorum; & hac iterata perſonabat Templum in certis ſacrificiis, dum circumdaretur altare, ut colligimus ex pſalmo 117. Hanc ergo vocem nec pueri ignorabant decantandam in lætitia advenientis Meſſiæ, quam repreſentabat lætitia feſti Tabernaculorum. Itaque qui didicerant Jeſum verum eſſe Meſſiam, cæterorum exemplo retinebant *Hoſanna Filio David*, id eſt clamabant *ſervet nos Filius David rex Meſſias*.

13 * 17. *Et dixerunt ei* ſacerdotes: *Audis quid iſti dicunt?* Cur non compeſcis? Oſtendis ambitionem tuam dum & à pueris quorum leve eſt teſtimonium, gaudes tibi tanquam Meſſiæ & regi acclamari: plebem commoves. Hæc ſacerdotes; quia ſupponebant Jeſum non verè eſſe Meſſiam.

Jeſus autem dixit eis: Utique nunquam legiſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? integram reddidiſti laudem tuam. Infantes ſtatim ac nati ſunt, os admovent maternis uberibus, dum alio cibo veſci non poſſunt. Hac iſta re in pſalmo octavo cujus verba allegabat Dominus, adſtruitur divina providentia. Hæc verò dicta de ore infantium, quo admoto ſugunt ubera matris, accommodat innocentibus & ſimplicibus, quorum ore tunc laudabatur; cùm hi, qui ſoli ſapere ſibi videbantur, eum ſpernebant: quaſi dicat, uſurpare hacce occaſione licet quod canitur in pſalmis; *ex ore infantium &c.*

14 * 19 *Mc. Et cùm veſpera facta eſſet*; non adveniſſet, *Mt. relictis illis*, ſe ſubtrahens, de more *abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique manſit*, ηὐλίϑη, diverſatus eſt, pernoctavit. Non hunc diem abire paſſus eſt Dominus ſine aliquo ex his ſermonibus quos conſtat hiſce diebus habitos; quos & modò ſubjiciemus.

15 * 20 *Mc. Et cùm manè tranſirent* feria tertia revertentes Bethania in Templum, *viderunt* diſcipuli *ficum*, cui pridie maledixerat Dominus, *aridam factam à radicibus*. Hoc contigiſſe videtur non multo poſt maledictionem, ſed nocte revertentes non obſervaverunt diſcipuli. 16 * 20 *Mt. Et videntes diſcipuli* manè, cùm redirent in urbem, *mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuò*, ſine mora, *aruit*. 17 * 21 *Mc. Et recordatus Petrus*, iſtam areſactam ficum eam ipſam eſſe, cui maledixerat Jeſus, *dixit ei: Ecce ficus, cui maledixiſti, aruit?*

18 * 22. *Et reſpondens Jeſus, ait illis*: Ne mi-remini, ſi verbum maledictionis, quod protuli, tam efficax ſit. *Habete fidem Dei*, id eſt, confidite

fidite Deo, credite eum omnia poſſe, & his, qui crediderint in filium ejus, conferre omnem poteſtatem: & pariter verbum veſtrum erit efficax. 19 * 21 Mt. 23 Mc. *Amen dico vobis* Mc. *quia* Mt. *ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis* dubii de poteſtate Dei, *non ſolùm de ficulnea facietis, ſed &* 20 * Mc. *Quicumque dixerit huic monti: Tollere: ἄρθητι, & mittere, βλήθητι*, modo ſcilicet imperandi paſſivo, *in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo*, non diſcrepaverit utrùm id poſſit, etiam à Deo adjutus: *ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei*, id eſt, verbum ejus erit efficax. Montes parebunt ei, ut mihi ficulnea. His ſignificabat Deus quantùm poſſet fides, 21 * 24. *Propterea dico vobis*: ex his ſic concludo: *Omnia quæcumque orantes petitis*, à Deo, *credite quia accipietis, & evenient vobis*. ſiquidem id etiam obtinere poteſtis, ut transferatis montes, ſi opus ſit.

Dum facit mentionem orationis Dominus; admonet, quod ſæpiùs inculcavit, priuſquam illa ſuſcipiatur, condonandas eſſe injurias. 22 * 25. *Et cùm ſtabitis ad orandum*, apparueritis coram altari Domini precantes. Tempus illud, quod impendebatur orationi in Templo, diceba tur *ſtatio*; ut obſervavimus, diſſerentes de ſtationibus Iſraelitarum in libris de Templo. Cùm ergo ſtabitis ad orandum, ait Dominus, antequam etiam ſtetis, *dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra*. neque enim condonat veniam niſi condonantibus. 23 * 26. *Quòd ſi vos non dimiſeritis; nec Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra*: qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

24 * 47 L. *Et erat docens quotidie in Templo*, *καθ' ἡμέραν*, *interdiu*; nam veſperè ſe extra urbem recipiebat; tota verò die docebat: unde colligo ſecunda feria aliquos habitos ſermones ex illis quos modò ſubjiciemus. *Principes autem ſacerdotum, & Scribæ, & principes plebis*, primores populi, id ægrè ferentes quærebant illum perdere. 25 * 48. *Et non inveniebant quod facerent illi*: non audebant vim inferre. *Omnis enim populus ſuſpenſus erat*, pendebat ex ore illius, *audiens illum*, captus & divina ejus docendi ratione, & dicendi ſuavitate. Tunc ergo temporis, cùm circa dies feſtos paſchatis tantus eſſet concurſus populi in Templo, quis impunè vim Jeſu feciſſet? Ita factum ut duos aut tres dies continuos potuerit eos omnes ſermones habere, quos ex Evangeliſtis huc afferemus.

CAPUT III.

Gentiles quærunt Jeſum videre; quem vox de cælo clarificat.

JOANNES, Cap. 12. ℣. 20—50.

20 ERant autem quidam Gentiles, ex his, qui aſcenderant ut adorarent in die feſto.

21 Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jeſum videre.

22 Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus, dixerunt Jeſu.

23 Jeſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

† *Com. unius Mart. ad ℣. 26.*

24 † Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

25 Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

† *1. Theſſ. 4. 17.*

26 † Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. ¶

27 Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

28 Pa-

28 Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificavi,
& iterùm clarificabo.

29 Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum.
Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt.

30 Reſpondit Jeſus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed
propter vos.

31 † Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. † *Exalt. S. Crucis ad m. d.*
32 Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. *℣. 36.*
33 (hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus.)
34 Reſpondit ei turba: Nos audivimus † ex lege, quia Chriſtus manet in † *Pſal. 109. 4. & 116. 2.*
æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis eſt *Iſa. 40. 8.*
iſte Filius hominis? *Ezech. 37. 25.*

35 Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate
dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in
tenebris, neſcit quò vadat.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Hæc locutus
eſt Jeſus: & abiit, & abſcondit ſe ab eis. ¶

37 Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum:
38 Ut ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: † Domine, quis credi- † *Iſa. 6. 19.*
dit auditui noſtro: & brachium Domini cui revelatum eſt? *Rom. 10. 16.*
39 Proptereà non poterant credere, quia iterùm dixit Iſaias:
40 † Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant ocu- † *Iſa. 53. 1.*
lis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos. *Rom. 11. 8.*
41 Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo. *Act. 28. 26.*
42 Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter
Phariſæos non confitebantur, ut è ſynagoga non ejicerentur.
43 Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.
44 Jeſus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed
in eum, qui miſit me.
45 Et qui videt me, videt eum, qui miſit me.
46 Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris
non maneat.
47 Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non judico eum:
non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.
48 Qui ſpernit me, & non accipit verba mea: habet qui judicet eum: ſer-
mo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.
49 Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe man-
datum dedit quid dicam, & quid loquar.
50 Et ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor,
ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

20 ERANT *autem quidam Gentiles, ex his qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto.* id eſt, ex iis, vel inter eos qui venerant Hieroſolymam, ut Deum adorarent in hocce feſto paſchatis: erant quidam Gentiles, qui volebant Jeſum videre. Gentiles illi, *Ἕλληνες*, erant alienigenæ, non ex Judæis, ſed ex gentibus nati. Omnes ferè populos de non Iſraelitica gente *Ἕλληνας*, Græcos appellabant Judæi, *Ἑλληνιστὰς*, Helleniſtas verò Judæos qui Græca biblia in ſynagogis legebant. Plerique autem inter Græcos ſive alienigenas, licèt Moyſis legibus colla non ſubderent, nec ritus omnes Judaicos ſervarent, attamen unum Deum colebant, non alium, quàm cui ſacrificaretur Hieroſolymis. Itaque in diebus feſtis Hieroſolymam aſcendebant adoraturi in Templo; hos vulgatus interpres appellat *colentes*, in Actis, cap. 17. in fonte

[illegible]. Univerſè Græci opponuntur Judæis. Unde quæ à Marco, cap. 7. ℣. 26. Ἑλληνὶς, *Græca*, ab aliis Evangeliſtis dicitur *Syrophœniſſa*. Græci autem illi, ſive Gentiles intra Templi penetralia non admiſſi morabantur in exteriori atrio, quod ideo dicebatur *atrium Gentium*, de quo multa diximus in libris de Templo. Fieri non poterat quin pluribus Gentilibus jam Dominus innotuiſſet: non latebat eos venturum Meſſiam mundi ſervatorem; ſæpiùs enim Judæos, quibus erant permixti, & quorum Deum colebant, de Meſſia ſuo loquentes audiebant. Ita Deum Iſraelis colentes, & in Meſſiam redemptorem Iſraelis ſperabant.

Cùm ergo illi Gentiles audiſſent de Jeſu, quem fama celebrabat Meſſiam, quærebant illum videre, quod fortè contigit ſecunda feria, poſtquam ejecerat vendentes & ementes è Templo, & triumphalis ingreſſus ejus in urbem multum de eo rumorem excitaverat. Nam ne hiſtoriam maledictæ ficus interpellaremus, maledictam ſimul & areſactam diximus; licèt id quod huic obtigerat ex maledicto Domini, non obſervatum ſit niſi manè feriæ tertiæ, ut dictum eſt. Jeſus, qui Iſraelitas ſuſcipiebat erudiendos, tunc in atrio Iſraelis ut veriſimile eſt, commorabatur: à quo atrio excluſi Gentiles eum non poterant videre. 21. *Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ*, vel ſibi notum, vel quem ſciebant unum eſſe ex diſcipulis Jeſu. Philippus aliquo caſu verſabatur in atrio Gentium, vel per illud tranſibat. *Et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jeſum videre*: fac ut detur nobis locus & occaſio Jeſum videndi, & audiendi doctrinam ejus.

22. *Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus, dixerunt Jeſu*, quàm cupidi eſſent eum videndi Gentiles illi. 23. *Jeſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis*: jam adeſt tempus, quo glorificandus eſt Filius hominis, quo ſcilicet agnoſcar Filius Dei, ut iſte Gentilium ad me acceſſus portendit. Simul Jeſus denuntiat mortem priùs ſibi eſſe ſubeundam antequam clarificaretur, utens ſequenti comparatione. 24. *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram* ſparſum & ſeminatum, *mortuum fuerit*, putrefactum ſit, & terræ calore reſolutum, 25. *ipſum ſolum manet*, ſine fructu eſt; *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Sic niſi ego mortuus fuero, quod relinquit cogitandum diſcipulis, infructuoſa erit ſatio Evangelica: mortuus verò, multum utilitatis afferam mundo. Et ne id verum putaretur de ſe ſolo, quòd mors ejus futura eſſet ſalutis & gloriæ radix, profert generalem ſententiam, qua confirmat animos diſcipulorum adverſus imminentem perſecutionem. *Qui amat animam ſuam*, id eſt vitam temporalem, ſive vitæ præſentis commoda pluſquàm me, *perdet eam*, vitam enim æternam amittet: *& qui odit animam ſuam in hoc mundo*, minoris faciens vitam ſuam, quàm ea quæ ad regnum Dei pertinent, hanc cùm in mundo perdiderit, ſervabit ſibi, æternum deinceps in cœlis poſſidendam: *in vitam æternam cuſtodit eam*. Noli ergo amare animam tuam, monet Auguſtinus, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in æterna. Subdit deinde S. doctor: *Magna & mira ſententia quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor, ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti: ſi benè oderis, tunc amaſti. Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.*

26. *Si quis mihi miniſtrat*, ſi quis miniſtrare vult, ſicut ſubditos regi ſuo, ſervos domino miniſtrare decet, *me ſequatur*, exemplum meum imitetur in morte pro Deo obeunda. *Et ubi ſum ego* in cœlo ut Deus, *illic & miniſter meus erit*. Non divelletur in lætis, qui aderit in triſtibus. *Si quis mihi miniſtraverit*, ut decet, *honorificabit eum Pater meus*.

27. *Nunc anima mea turbata eſt*. Etenim, intuebatur proximam mortem, cujus hororem perſentiebat, ſi quidem ſinebat ſe affectibus humanis commoveri. *Et quid dicam?* id eſt, quid orabo? Num illud? *Pater, ſalvifica me ex hac hora*, eripe me, ſi fieri poteſt, ex illo periculoſiſſimo tempore, quo paſſurus ſum; *ſed propterea veni in horam hanc*. corrigit ſe; & declarat ſe non deprecari mortem quam ſubiturus veniſſet.

28. *Pater, clarifica nomen tuum*. Quando ita tibi placet Pater, ecce offero me tibi, ut ſim inſtrumentum gloriæ tuæ: ut morte mea innoteſcat & celebretur nomen tuum. *Venit ergo vox de cœlo*. Quod ſolum fermè oraculi genus temporibus ſecundi Templi reſtabat, ut Judæi omnes fatentur, & alibi notatum eſt. Vox, inquam articulata, ut conjicio, in medio tonitru audita eſt; *Et clarificavi*, nempe miraculis, & teſtimonio cœleſti, ut in baptiſmo & in transfiguratione, *& iterùm clarificabo* per alia miracula, per reſurrectionem.

29. *Turba ergo, quæ ſtabat*, adſtabat, *& audierat, dicebat tonitruum eſſe factum*, vox enim magna inſtar tonitrui inſonuerat. *Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt*. hoc eſt, Deus eum miniſterio Angeli allocutus eſt; opinio enim multorum apud Hebræos erat Deum non loqui niſi Angelorum miniſterio.

30. *Reſpondit Jeſus, & dixit: Non propter me* ſolum, ad me conſolandum adverſus mortis horrorem, *hæc vox venit, ſed propter vos*, ſcilicet erudiendos de me, ut credatis me verè à Deo miſſum; 31. *Nunc judicium eſt mundi*, jam judicandi, & damnandi, qui adverſarii Dei

ſunt,

ſunt, dæmones. *Nunc jam princeps mundi ejicietur foras*, ex arce, & poſſeſſione ſua: de regno deturbabitur; non quaſi cœli terræque Dominus ſit dæmon; ſed mundi, id eſt, hominum in mundo habitantium, quibus univerſis peccati perſuaſione hactenus dominatus fuerat. 32. *Et ego, ſi exaltatus fuero* è terra in crucem, *omnia traham ad me ipſum*, tunc πάντας, *omnes*, non aliquos alienigenas, ſed innumeros ad me traham: quod exitu patuit. 33. (*Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte*, quo mortis genere, nempe crucis, *eſſet moriturus.*) Crux ſtipes erat altus, quo exaltabatur reus, ut ſub plurium oculis de eo ſumeretur ſupplicium.

34. *Reſpondit ei turba*, à qua habebatur pro Meſſia, *nos audivimus ex lege*, id eſt ex ſacris codicibus, *quia Chriſtus manet in æternum*, ſiquidem regni ejus nullus futurus ſit finis: *& quomodo igitur, tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis*, in crucem agi? *Quis eſt iſte Filius hominis*, quem ſcilicet exaltandum dicis? neque enim id congruit tibi, ſi verè ſis Meſſias.

35. *Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt*, ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, id eſt: adhuc modicum tempus lumen in vobis eſt, ſeu, vobiſcum eſt. Ego qui inſtar lucis vobis monſtro viam veritatis in credendis & agendis, verbo & exemplo, non diu vobis adero, ſed brevì moriar. *Ambulate dum lucem habetis*, id eſt, me præſentem, exemplis, doctrina, ac miraculis vobis prælucentem: *ut non vos tenebræ comprehendant*. Allegoria eſt ducta à viatoribus, qui niſi noctem occupent, in tenebris errant. Utimini luce præſenti; ne illa ſublata cæcitas cordis inſuperabilis vos comprehendat. *Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat*, in tenebris neſcitur quò eundum ſit. 36. *Dum lucem habetis, credite in lucem*. Explicat quod modò dixerat figuratè, *ut filii lucis ſitis*, ut participes ſitis æternæ felicitatis; vel digni qui majori iterùm luce illuſtremini.

Hæc locutus eſt Jeſus, & alia, quæ ab aliis Evangeliſtis prolata noluit Joannes iterùm literis mandare. Hæc quæ ſuprà narravit, dicta videntur piis, quibus Jeſus habebatur pro Meſſia; quæ autem ſubjungit, indicant Jeſum alios ſermones habuiſſe haud gratos viris, penes quos ſumma poteſtas eſſet. *Et abiit, & abſcondit ſe ab eis*, nempe, ut ſæpiùs obſervavimus, Bethaniam ſecedens, ubi pernoctabat, nolens ſe objicere mortis periculo ante tempus.

37. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis*, intelligit Evangeliſta ſacerdotes, & Phariſæos, *non credebant in eum*; etenim, ut vidimus, pleriſque aliis probabatur, iis nempe, qui eum exceperant cum ramis & acclamationibus, dum ingreſſus eſt Hieroſolymam. 38. *Ut ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur*, id eſt, ita ut impletus ſit ſermo, *quem dixit* Iſaias capite. 53. *Domine, quis credidit auditui noſtro &c.* id eſt, ſermoni noſtro; auditus pro re audita ponitur. Quis vaticiniis noſtris fidem adhibuit? *Et brachium Domini cui revelatum eſt?* ſcilicet quis agnovit Chriſtum tuum, cujus incarnatio præſtantiſſimum eſt opus brachii tui, ſive poteſtatis tuæ. Deus dicitur feciſſe potentiam in brachio ſuo, hoc eſt poteſtatem ſuam ad inſigne opus exſeruiſſe, cùm Filium ſuum miſit in terras ad principem mundi foras ejiciendum.

39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias* alio loco, cap. 6. ℣. 9. 40. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & ſanem eos.* Joannes non allegat verba Iſaiæ, ut habentur in codice hujus prophetæ, ſed ſenſum; quem ſic expreſſere Matthæus cap. 13. ℣. 15. & Paulus in Act. cap. 28. ℣. 27. *Incraſſatum cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt.* Sæpiùs verba tertiæ perſonæ imperſonaliter uſurpant Hebræi, ut *levabit, flebit, dicet*, pro *levabitur, flebitur, dicetur*. Neque enim non poterant credere quia Iſaias propheta prædixerat; nec Deus excæcat & obdurat niſi deſerendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt; ut ait Auguſtinus. Eventum ergo prænunciabat Iſaias: quem Deus futurum præſciebat; & ut verbis Auguſtini loquar; *ſi à me quæratur quare non poterant credere, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.* Neque enim Deus excœcabat Judæos, quos filius ejus luce doctrinæ ſuæ illuſtrabat. Igitur, vaticinium Iſaiæ ideo Joannes affert, ne quis elevaret pondus ſermonum Chriſti, quibus Judæi non vincerentur; nam iſta pertinacia prædicta à propheta confirmabat veram eſſe miſſionem Jeſu, quem illi repudiabant. Unde addit Joannes. 41. *Hæc dixit Iſaias*, illud edidit vaticinium *quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.* Apparitio Dei in majeſtate dicitur *Gloria Dei*, ut ſæpiùs obſervatum. Allegatum autem vaticinium occurrit in capite ſexto, in cujus exordio ſic loquitur Iſaias: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant Templum &c.* Ibi Iſaias certò loquitur de apparitione Dei; quæ cùm Joannes interpretetur de Jeſu Chriſto, neceſſe eſt ut eum crediderit ſummum Deum. Sæpiùs vidimus Jeſum quatenus Verbum Dei viſum eſſe antiquis prophetis. Itaque ipſe Jeſus erat iſta gloria Dei facta conſpicua Iſaiæ. Ideò cùm apparuit in terris, dixit de eo Joannes: *& vidimus gloriam ejus &c.* quod ſuo loco declaratum eſt.

42 *Verumtamen*, quamquam induratum eſſet cor complurium Judæorum, attamen *& ex principibus multi crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut ſynagoga non ejicerentur*; juxta decretum de quo ſuprà ſermo factus eſt Joan. cap. 9. ℣. 22. 43. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*. nam probroſum valdè habebatur ſynagoga expelli.

44. *Jeſus autem clamavit, & dixit*, Ergo non ſtatim obiecat de Templo, ut ſupra verſu 36. dixiſſe videbatur Evangeliſta, *qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me*. Non tam mihi quàm Patri confidit, cujus legatus ſum. 45. *Et qui videt me, videt eum qui miſit me*. ſiquidem, ut alibi dicit, *Ego & Pater unum ſumus*.

46. *Ego lux in mundum veni*: ego qui lux ſum mentium, humanam naturam induens me præbui conſpicuum ſenſibus: *ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*. Ego enim, qui illumino omnem hominem venientem in hunc mundum, eos non deſeram qui in me credunt. Oratio illa convenit Jeſu, quia Deus eſt; quæ jactabunda jure diceretur, ſi homo merus fuiſſet.

47. *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit*, juxta fontem hodiernum *non crediderit, ego non judico eum*, id eſt, non damno. *Non enim veni ut judicem*, damnem, *mundum, ſed ut ſalvificem mundum*. Scilicet hoc unicè ago, ne quiſquam pereat; etenim id quod ſubjungit clarè ſatis indicat malos a Chriſto damnandos.

48. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea*, ut faciebant Phariſæi: *habet qui judicet eum*, damnet & arguat malum: *ſermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die*. tam enim liquidò locutus ſum, ut nemo ex vobis cauſari poſſit; me ſibi fuiſſe ignotum. 49. *Quia ergo ex me ipſo non ſum locutus*, eorum more, qui ad ſuam gloriam, aut quæſtum quæ volunt comminiſcuntur; *ſed* omnia ſuadebant quòd *qui miſit me Pater, ipſo mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*; ita ut nullus me habere poſſit pro viro qui ſe mendaciter jactaret miſſum à Deo. 50. *Et ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt*. Ego novi doctrinam, quam pater mihi præcepit ut hominibus traderem, certiſſimam eſſe viam perveniendi ad vitam æternam. *Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*. Non ego ſum mendax: cur his verbis fidem non adhibeRent, in cauſa erat mala mens, malus eorum animus.

C A P U T IV.

Eludit Dominus principes Sacerdotum, quærentes qua auctoritate pollens doceret in Templo: ipſe quærit ab eis unde erat baptiſmus Joannis. Parabola duorum filiorum unius reſipiſcentis, & alterius inobedientis.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 21. ℣. 23-32.	MARCUS Cap. 11. ℣. 27-33.	LUCAS Cap. 20. ℣. 1-8.
1 L ET factum eſt in una dierum, docente illo populum in Templo, & Evangelizante, convenerunt principes ſacerdotum, & Scribæ cum ſenioribus.	23 Et cùm veniſſet in Templum, acceſſerunt ad eum docentem, principes ſacerdotum, & ſeniores populi.	27 Et veniunt rurſus Hieroſolymam. Et cùm ambularet in Templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & Scribæ & ſeniores:	1 Et factum eſt in una dierum, docente illo populum in Templo, & Evangelizante, convenerunt principes ſacerdotũ, & Scribæ cum ſenioribus.
2 Et aiunt, dicentes ad illum: *MM. L* † In qua poteſtate hæc facis? *MM.* Et quis *MM. L* dedit tibi hanc poteſtatem, *Mt.* ut iſta facias?	dicentes: In qua poteſtato hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem?	28 Et dicunt ei: In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, ut iſta facias?	2 Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis? aut; Quis eſt, qui dedit tibi hanc poteſtatem.
3 Jeſus autem reſpondens, ait illis: *MM. L* Interrogabo vos & ego unum *Mt.* ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc facio.	24 Reſpondens Jeſus, dixit eis: Interrogabo vos & ego unum ſermonem: quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc acio.	29 Jeſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & & ego unum verbum, & reſpondete mihi: & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam.	3 Reſpondens autem Jeſus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Reſpondete mihi.

† Act. 4. 7. & [illegible] 27.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
4 Baptiſmus Joannis unde erat? E cœlo. *MM. L* An ex hominibus? *Mc.* Reſpondete mihi.	25 Baptiſmus Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus?	30 Baptiſmus Joannis, de cœlo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi.	4 Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?
5 *MM. L* At illi cogitabant *Mt.* inter ſe, *MM. L* dicentes:	At illi cogitabant inter ſe dicentes:	31 At illi cogitabant ſecum, dicentes:	5 At illi cogitabant intra ſe dicentes:
6 *L* Quia *MM. L* ſi dixerimus, *Mc. L* de *MM. L* cœlo, dicet *Mt.* nobis: *MM. L* Quare ergo non credidiſtis *Mt. L* illi.	26 Si dixerimus, è cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi?	Si dixerimus, de cœlo, dicet: Quare ergo non credidiſtis ei?	Quia ſi dixerimus, de cœlo, dicet: Quare ergo non credidiſtis illi?
7 *MM. L* Si *Mt.* Si autem *MM. L* dixerimus ex hominibus, *MM.* timemus *MM.* turbam; *L* plebs univerſa lapidabit nos: certi ſunt enim Joannem prophetam eſſe.	Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam;	32 Si dixerimus ex hominibus, timemus populum.	6 Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs univerſa lapidabit nos: certi ſunt enim Joannem prophetam eſſe.
8 *MM.* Omnes enim habebant Joannem, *Mt.* ſicut prophetam.	omnes enim habebant Joannem, ſicut prophetam.	omnes enim habebant Joannem, quia verè propheta eſſet.	
9 Et reſpondentes Jeſu, dixerunt, *L* ſe neſcire unde eſſet: *MM.* Neſcimus.	27 Et reſpondentes Jeſu, dixerunt:	33 Et reſpondentes dicunt Jeſu:	7 Et reſponderunt, ſe neſcire unde eſſet.
10 *L* Et Jeſus *Mc. L* ait illis: Neque *MM. L* ego dico vobis: in qua poteſtate hæc *Mt. L* facio.	Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.	Neſcimus Et reſpondens Jeſus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.	8 Et Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.

M A T T H Æ U S.

11 * 28 Quid autem vobis videtur. Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

12 * 29 At ille reſpondens, ait: Nolo. Poſteà autem pœnitentia motus abiit.

13 * 30 Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait. Eo, Domine, & non ivit.

14 * 31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jeſus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

15 * 32 † Venit enim ad vos Joannes in via juſtitiæ, & non credidiſti † *Luc. 3.12.13.*
ei; publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſteà, ut crederetis ei.

DOMINUS, ſecunda, & tertia feria hebdomadis, in qua mortem ſubiit, totum diem, ut diximus, verſatus eſt in Templo, docens populos, & multis parabolis, apertiſque ſermonibus Judæos revocans à pravo facinore quod meditabantur; adeò ut nulla obſtinatior cogitari poſſit malitia, quam vincere non potuerint iſti ſermones. Mirum autem eſſet, frendentibus Judæorum proceribus Jeſum hos ſermones pronuntiaſſe impunè, niſi intelligeretur ſibi conciliaviſſe turbam, quæ ob dies feſtos paſchatis frequens aderat in Templo, parata vim arcere quam Phariſæi & ſacerdotes voluiſſent inferre ſub oculis ejus.

1 * 1 *L. Et factum eſt in una dierum*, hebdomadis qua paſſus eſt, *docente illo populum in Templo, & evangelizante*, nuntium adventus ſui propalante, *convenerunt principes ſacerdotum, & Scribæ* Legiſperiti, *cum ſenioribus* plebis,

Digitized by Google

quibus tribus hominum generibus conſtabat Synedrium: pontificibus quidem & ſenioribus populi, ut parte ſenatus: Scribis autem, ſive Legiſperitis, ut eorum aſſeſſoribus, & conſiliariis. Hoc factum ſcribit Matthæus, cùm veniſſet in Templum, ſed non dicit qua die: Marcus cùm veniſſet rurſus Hieroſolymam & ambularet in Tẽplo, ut ambo ſignificarent rem actam in Templo.

2 * 2. *Et aiunt, dicentes ad illum: MM. L in qua poteſtate hæc facis* ut doceas? Ad Synedrium magnum pertinebat veros falſoſque prophetas diſcernere; ſic per legatos ſuos quæſierat à Joanne præcurſore, cur baptizaret. Ergo ſi mens procerum hujus Synedrii bona fuiſſet, nempe ſi parati fuiſſent notam veritatem amplexari, legitima erat iſta eorum interrogatio: *MM. Et quis MM. L dedit tibi hanc poteſtatem, Mc. ut iſta facias?* neque enim tibi à nobis data qui ſumus legitimi præpoſiti Eccleſiæ, à quibus ergo omnis docendi regendique auctoritas accipienda eſt. Acceperat Chriſtus à Patre, à quo ſe miſſum probaverat; quod ſi iterùm dixiſſet apertis verbis, ſtatim clamaſſent pſeudoprophetam; neque enim alio fine interrogabant, niſi ut quod liquidò reſponſurum putabant, in crimen verterent. Verùm ſic reſpondet Jeſus ut anſam criminationis non habeant.

3 * 29. *Jeſus autem reſpondens, ait illis: MM. L Interrogabo vos & ego unum Mt. ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc facio.* Quæſtionem quæſtione diſſolvit, ut oſtenderet juſtis de cauſis ad eorum interrogationem non directè reſpondere. Quomodo enim crediſſent ſibi mandatum divinum allegandi, cùm Joannem, cujus major apud eos fuerat auctoritas, ſæpius de hoc teſtantem non audiſſent.

4 * 25. *Baptiſmus Joannis unde erat? E cælo,* id eſt, à Deo, *MM. L an ex hominibus? Mc. Reſpondete mihi.* ſi ille auctoritate divina baptizaverat, verè Miſſus à Deo, ergo Jeſum cui teſtimonium perhibuerat, negare non poterant verè à Deo miſſum, & idcircò non pſeudoprophetam. Concluſio illa hos conſtringebat; eam enim animadvertebant, ut indicant Evangeliſtæ. 5 * 31 *Mc. L At illi cogitabant Mt. inter ſe,* rationes conferebant, *dicentes:* 6 * *L Quia* 26 *MM. L ſi dixerimus Mc. L de MM. L cælo, dicet Mt. nobis: MM. L Quare ergo non credidiſtis Mt. L illi?* tum in cæteris, tum in teſtimonio, quod mihi perhibuit conteſtans me eſſe Chriſtum. 7 * *Mt.* 32 *Mc.* 6 *L Si Mt. L autem MM. L dixerimus, ex hominibus* eſſe baptiſmum Joannis, *MM. timemus Mt. turbam,* ſive timere debemus: *L plebs enim univerſa lapidabit nos; certi ſunt enim Joannem Prophetam eſſe.* 8 * *MM. Omnes enim habebant Joannem Mt. ſicut prophetam.* Ex hoc loco conſtare debet Sacerdotes & Phariſæos non credidiſſe Joanni, quem ergo potuerunt in vincula conjicere, cùm penes eos eſſet ſumma auctoritas; ſiquidem verò, ut hic videre eſt, timerent plebem non mirum eſt ſi aliquo poſt tempore dimiſerint liberum. Saltem hæc eſſe veriſimilia æquus lector judicabit.

9 * 27 *Mt. Et reſpondentes Jeſu, dixerunt L ſe neſcire unde eſſet,* baptiſmus Joannis: *MM. Neſcimus.* In anguſtias adducti, hinc diſcriminis vitæ, illinc confitendæ veritatis, quam oderant, eligunt (ut pote ſibi minus incommodum) ſimulare ignorantiam rei, quam pro officii ſui ratione ſcire debebant. 10 * 8 *L Et Jeſus Mc. L ait illis: Neque MM. L ego dico vobis, in qua poteſtate hæc Mt. L facio.* quando vos mentimini neſcire quod ſcitis, nec ego quod ſcio disertè reſpondebo.

11 * 28 *Mt. Quid autem vobis videtur?* nempe de iſta parabola, quam proponam: *Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade, hodie operare in vinea mea;* excole vineam meam. 12 * 29. *Ille autem reſpondens ait: Nolo* ſcilicet operari. *Poſtea autem pœnitentia motus abiit* in vineam. In iſta imagine exhibet publicanos & meretrices, qui diu ita vixerant, quaſi jura negarent ſibi nata; quos deinde pœnituit, & quam Sacerdotes & Phariſæi repudiabant, fidem amplexati ſunt. 13 * 30. *Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter:* Vade, hodie operare in vinea mea. *At ille reſpondens, ait: Eo, Domine.* Nunc legitur in fonte *ἐγὼ κύριε,* quod Hebrxis & Helleniſtis idem valet quod *præſto adſum* Latinis. *Et non ivit,* ut promiſerat. Hi ſunt ſacerdotes & Phariſæi, qui dicentes ſe ſcientiam Dei habere, & promittentes huic obtemperaturos, adverſabantur omnibus, quos ad eos mittebat, Chriſto & præcurſori ejus.

15 * 31. *Quis ex duobus* hiſce filiis *fecit voluntatem patris? Dicunt ei* Judæi: *Primus* qui ſtatim ire noluerat. *Dixit illis Jeſus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* ſtatim enim noluerunt Dei legibus parere, ſed poſtea pœnitentia moti ſunt. 15 * 32. *Venit enim ad vos Joannes in via juſtitiæ* incedens, id eſt, vita & moribus integer, *& non credidiſtis ei,* qui profitemini Deo obedire. Iterùm dicam, apertum eſt viros Synedrii Joanni non crediditſe; quomodo ergo non coercuiſſent quem ſibi infenſum crederent? *Publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes* exempla illorum, *nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei,* Jeſum pro Chriſto illi habuiſſent, ſi credidiſſent Joannem fuiſſe Chriſti præcurſorem. Cùm ergo immineret tempus quo occidendus erat ab illis, ne cauſarentur ignorantiam, pluribus argumentis, potiſſimum teſtimonio Joannis, Jeſus ſe Chriſtum probat.

Digitized by Google

CAPUT V.

Parabola agricolarum, qui filium heri ſui occiderunt. Hanc parabolam de ſe narrari intellexerunt ſacerdotes.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 21. ℣. 33-46.	MARCUS Cap. 12. ℣. 1-12.	LUCAS Cap. [illegible] ℣. 9-19.
1 *L* CŒpit autem dicere ad plebem : *Mt.* Aliam parabolam audite :		1 Et cœpit illis in parabolis loqui :	9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc :
2 † Homo erat pater familias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular : *MM.* & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt *L* multis temporibus.	33 Aliam parabolam audite : ✠ Homo erat pater familias, qui plātavit vineam, & ſepem circumdedit ei : & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.	Vineam paſtinavit homo, & circumdedit ſepē, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.	Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis : & ipſe peregrè fuit multis temporibus.
3 *Mt.* Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit *Mc.* ſervum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.	34 Cùm autē m tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas ut acciperent fructus ejus.	2 Et miſit ad agricolas in tempore ſervum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ,	10 Et in tempore miſit ad cultores ſervū, ut de fructu vineæ darent illi.
4 Qui apprehenſum eum ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.	35 Et agricolæ, apprehenſis ſervis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt.	3 Qui apprehenſum eum ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.	Qui cæſum dimiſerunt eum inanem.
5 Et iterùm miſit ad illos alium ſervum : *L* illi autem hunc quoque cædentes *Mt.* lapidaverunt, *Mc.* & illum in capite vulneraverunt, *L* & afficientes contumelia, dimiſerunt inanem.	alium lapidaverunt.	4 Et iterùm miſit ad illos alium ſervum : & illū in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.	11 Et addidit alterum ſervum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiſerunt inanem.
6 Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes ejecerunt, *Mc.* & illum occiderunt.		5 Et rurſùm alium miſit, & illum occiderunt,	12 Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes ejecerunt.
7 *Mt.* Iterùm miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter; *Mc.* quoſdam cædentes, alios verò occidentes.	36 Iterùm miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter.	& plures alios : quoſdam cædentes, alios verò occidentes.	
8 *L* Dixit autem Dominus vineæ : Quid faciam? Mittam filium meum dilectum : forſitan, cùm hunc viderint, verebuntur.			13 Dixit autem Dominus vineæ : Quid faciam ? mittam filium meum dilectū : Forſitan, cum hunc viderint, verebuntur.

✠ *Fer. 6. poſt Dom. 2. Quad.*
† *Iſa.* 5. 1. *Jerem.* 2. 21.
† *Pſalm.* 80. 9. *Cant.* 8. 11. 12.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
9 *Mc.* Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum, & illum miſit ad eos noviſſimùm, dicens: Quia reverebuntur filium meum.	37 Noviſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum.	6 Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum, & illum miſit ad eos noviſſimùm, dicens: Quia reverebuntur filium meũ.	
10 *Mt.* Agricolæ autem videntes filium, *Mc.* dixerunt ad invicem:	38 Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe:	7 Coloni autem dixerunt ad invicem:	14 Quem cùm vidiſſent coloni, cogitaverunt intra ſe, dicentes:
11 *MM. L* † Hic eſt hæres; *MM.* venite, occidamus eum, *Mt.* & habebimus hæreditatem ejus. (marg.: † Pſal. 2. 8. Gen. 17. 18. Hebr. 1. 2.)	Hic eſt hæres; venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.	Hic eſt hæres: venite, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.	Hic eſt hæres, occidamus illum, ut noſtra fiat hæreditas.
12 Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.	39 Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.	8 Et apprehendentes eum, occiderunt: & ejecerunt extra vineam.	15 Et ejectum illum extra vineam, occiderunt.
13 Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?	40 Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?	9 Quid ergo faciet Dominus vineæ?	Quid ergo faciet illis Dominus vineæ.
14 Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.	41 Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructũ temporibus ſuis.		
15 *Mc. L* Veniet, & perdet colonos *L* iſtos, *Mc. L* & dabit vineam aliis. *L* Quo audito, dixerunt illi: Abſit.		Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis.	16 Veniet, & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Abſit.
16 Ille autem aſpiciens eos, ait: Quid eſt ergo hoc, quod ſcriptum eſt: † *MM. L* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? (marg.: † Pſal. 117. 22. Iſa. 28. 16. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 7.)	42 Dicit illis Jeſus: Nunquam legiſtis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?	10 Nec ſcripturam hanc legiſtis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?	17 Ille autem aſpiciens eos, ait: Quid eſt ergo hoc, quod ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?
17 *MM.* A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?	A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?	11 A Domino factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris?	
18 *Mt.* Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.	43 Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.		
19 † Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. (marg.: † Iſa. 8. 13. Zach. 12. 3.)	44 Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.		18 Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum.
20 Et cùm audiſſent principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipſis diceret	45 Et cùm audiſſent principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipſis diceret.		

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCSU.	LUCAS.
21 Et quærentes *L* mittere in illum manus in illa hora, *Mt.* timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant; *Mc.* & relicto eo abierunt.	45 Et quærentes eũ tenere, timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant. ¶	12 Et quærebant eũ tenere: & timuerunt turbam, cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierũt.	19 Et quærebãt principes ſacerdotũ mittere in illum manus in illa hora, & timuerunt populũ: cognoverunt enim quod ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc.

1 * 9 *L* COEPIT *autem dicere ad plebem*, adſtabant etiam ſacerdotes, & Scribæ: 33. *Mt. Aliam parabolam audite.* Hæc ſecunda parabola directum reſponſum continet ad interrogationem à Sinedrio propoſitam, in qua poteſtate doceret; quam eluſiſſe potiùs quàm ſolviſſe videbatur. Huic nunc ſatisfacit, apertè profitens ſe eſſe ipſum filium Dei, quem tamen erant occiſuri, rejicientes ædificando lapidem, quem Deus angularem fecerat.

2 * *Homo erat pater familias*, indubiè Deus, *qui plantavit vineam.* Sæpius in ſcripturis populus Dei, nempe Iſrael appellatur *vinea*, ut pſal. 79. ℣. 9. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti; ejeciſti gentes, & plantaſti eam &c.* Inſtruxerat Deus Iſraelitas iis omnibus, quæ ad excolendam virtutem neceſſaria ſunt: quod hìc declaratur ſimilitudine curæ, qua vinea colitur. *Plantavit*, ſive, ut ait Marcus, *paſtinavit vineam*, priùs paſtino, quod inſtrumentum eſt idoneum vineæ ſodiendæ. *Et ſepem circumdedit ei*, ne aut beſtiæ, aut fures irruere poſſent. *Et fodit in ea torcular*, ληνὸν, pro quo Marcus habet ὑπολήνιον, *ſubtercular*, nempe lacum, quo excipitur vinum defluens ex torculari. Ibi ergo Matthæus accipit torcular pro lacu ut verbum *fodis* oſtendit. *MM. Et ædificavit turrim*; partim ad ornamentum, partim ut ex ea vinitor ſpeculetur, ne quis in vinem invadat. *Et locavit eam agricolis*, peritos ſe profitentibus colendæ vineæ: *& peregrè profectus eſt L multis temporibus* vitem ſuam his agricolis curandam reliquens.

3 * 34. *Mt. Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet*, id eſt., tempore vindemiæ, *miſit Mc. ſervum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.* Chriſtus ſignificat non tantummodo ſe occidendum ab ipſo Dei populo, ſed & pleroſque alios, quos ad eum priùs miſiſſet, etiam occiſos. 4 * 3. *Qui apprehenſum eum ſervum ceciderunt*, ἔδειραν, excoriaverunt, *& dimiſerunt vacuum*, inanem: de fructu vineæ non illi dederunt. Sic olim Jeremiam contumeliis affecerant Judæi; quem in carcerem conjecerunt, ut & Joannem Baptiſtam.

5 * 4. *Et iterùm* Dominus vineæ *miſit ad illos alium ſervum.* neque enim unum prophetam miſit Deus ad Judæos: 11 *L illi autem hunc quoque cædentes* 35. *Mt. lapidaverunt*, *Mc. & illum in capite vulneraverunt*, *L & afficientes contumeliis* pariter *dimiſerunt inanem.*

6 * 12. *Et addidit tertium mittere*, *qui & illum vulnerantes ejecerunt* extra vineam, 5 *Mc. & illum occiderunt*, quod fecerunt Iſaiæ & Zachariæ filio Joiadæ. 7 * 36 *Mt. Iterum miſit alios ſervos plures prioribus*, ſcilicet innumeros prophetas, *& fecerunt illis ſimiliter*, *Mc. quoſdam cædentes*, *alios verò occidentes.*

8 * 13 *L Dixit autem Dominus vineæ quid faciam?* Quoniam ſervos meos malè exceperunt, *mittam filium meum dilectum; forſitan cùm hunc viderint*, non ſervum, ſed proprium meum filium, *verebuntur* manus violentas in illum mittere. 9 * 6 *Mc. Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum, & illum miſit ad eos noviſſimum. dicens: Quia reverebuntur filium meum.* hoc expectandum erat, ſed contrarium evenit. 10. * 38 *Mt. Agricolæ autem videntes filium Mc. dixerunt ad invicem*, ſecum concilium ineuntes: 11 * *MM. L Hic eſt hæres, MM. venite, occidamus eum, Mt. &* ſublato hærede ipſi *habebimus hæreditatem ejus*, vineam ſcilicet. regnabimus tamquam in orbata domo. 12 * 39. *Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.* extra Hieroſolymam eductus Dominus mortis ſupplicium ſubiit.

13 * 40. *Cùm ergo venerit Dominus vineæ* ipſe, *quid faciet agricolis illis?* qui nec proprio ejus filio pepercerunt. 14 * 41. *Aiunt illi* qui aſtabant: *Malos malè perdet* mala morte, vel malis affectos *Et inſuper vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis*, quod non fecerunt primi. 15 * *Mc.* 16 *L Veniet*, non patienter feret illatam ſibi injuriam; protinus veniet, *& perdet colonos L iſtos*, *Mc. L & dabit vineam* aliis colonis. Verbum Dei, quod audire noluerunt Judæi, prædicabitur Gentibus. *L quo audito dixerunt illi: Abſit.* μὴ γένοιτο, *ne ſit* vel *fiat*. Vox omen averſantium. חלילה *chalila*, id eſt, abſit experimentum dicti. Abſit ut nos talem pœnam experiamur. qualem repetiturus eſt Dominus vineæ à talibus agricolis.

Quò tenderet iſta parabola obſcurum eſſe non poterat Judæis. Se Filium Dei declarabat, ab eis repudiandum, ut prophetæ vaticinati erant;

ſimul

ſimul & mortem ſibi ſubeundam, cujus auctoribus graves pœnas denuntiabat; nempe vineæ ademptionem, & ad extraneos, quos ut profanos abominabantur, translationem. 16 * 17. *Ille autem aſpiciens eos*, indicans notum habere quod inierant conſilium, ac decretum ſtatuerant adverſus eum, *ait: Quid eſt ergo hoc quod ſcriptum eſt?* Quaſi diceret: ſi contendatis vos alienos ab occidendo filio Dei, cur ergo ſcriptum eſt de vobis Judæis pſalmo 117. ℣. 22. *MM. L. lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* hæc ſimilitudo ſumpta eſt ab ædificiis, in quibus angulorum parietes muniuntur maximis ſolidiſſimiſque lapidibus; lapis autem ille, quem rejecerunt qui primi operarii videbantur, nempe ſacerdotes, à Deo angularis, & primarius lapis conſtitutus eſt. Chriſtus enim quaſi lapis angularis conjungit veterem ſynagogam Judæorum cum nova Eccleſia Gentium. Sæpiùs à prophetis Chriſtus dictus eſt lapis. *A Domino factum eſt illud, ἐγενήθη αὕτη, facta eſt hæc*: fœmininum pro neutro Hebræorum more, qui neutro genere carent. Senſus eſt autem: hoc factum eſt Deo regente omnia, *& eſt mirabile in oculis noſtris.* Nam iſta œconomia incarnationis & paſſionis Dominicæ adminiſtrata eſt admirabili ſapientia.

18 * 43 *Mt. Ideo dico vobis*, intentat minas, *quia auferetur à vobis regnum Dei*, regimen Eccleſiæ, quod hactenùs penes vos fuerat; vel haud participes eritis regni Meſſiæ, in quo admittentur gentiles, *& dabitur genti facienti fructus ejus.* Prædicabitur verbum *Dei* gentibus, quæ audient & facient illud: ſic facientes fructus, quales conveniunt regno Dei.

19 * 44. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum*: continuatur allegoria. qui lapidi iſti angulari ſolido & magno ſe oppoſuerit, ut teſta ſaxo illiſa comminuetur. Hoc contigit Judæis, qui adverſati Chriſto diſſipati ſunt: poſt excidium Hieroſolymitanum veluti partes vaſis teſtacei huc illuc diſſiluerunt.

20 * 45. *Et cùm audiſſent principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipſis diceret*, loqueretur. Neque enim ſenſus earum erat obſcurus. 21 * 46. *Et quærentes*, conſiderantes quomodo poſſent *L. mittere in illum manus illa eadem hora*, *Mt. timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant*. Non ergo defectu poteſtatis, quaſi hoc jus illis eſſet ereptum à Romanis, ſed quia timebant, ne populi vim arcerent ab eo, quem credebant prophetam. *Mc. & relicto eo abierunt*, alia via, nempe non palàm, ſed quaſi occultis cuniculis eum aggreſſuri, ut videbimus capite ſeptimo. Videtur enim ſubjunxiſſe eodem tempore aliam parabolam, alloquens plebem, cùm abiiſſent ſacerdotes.

CAPUT VI.

Parabola nuptiarum ad quas qui primi vocati erant, non venerunt, innuit Dominus repellendos à regno Dei Judæos & eorum loco Gentes admittendas.

MATTHÆUS, Cap. 22. ℣. 1—14.

1 ET reſpondens Jeſus, dixit iterùm in parabolis eis, dicens:
†. Dom. 19. poſt Pent. 2 † Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.
3 Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.
4 Iterùm miſit alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.
5 Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam:
6 reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.
7 Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.

8 Tunc

8 Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati
erant, non fuerunt digni.
9 Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias.
10 Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt,
malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.
11 † Intravit autem rex ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem † 2. Cor. 5. 3. Eph. 4. 24.
non veſtitum veſte nuptiali.
12 Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?
At ille obmutuit.
13 Tunc dixit rex miniſtris. Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum
in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.
14 Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. ¶

SERMONES quos Jeſus hiſce diebus habuit in Templo, idonei erant demonſtrandæ pertinaciæ malorum Judæorum, & piis erudiendis, ut eum agnoſcerent: maximè præſens parabola, quam Dominus tunc propoſuit juxta Matthæum; forſan & alio tempore propoſita; nam alio tempore narratur à Luca; ideo Harmonia noſtra non eam ſemel exhibet. Huicce autem parabolæ intelligendæ conferet animadvertiſſe ea opinione occupatas Judæorum mentes, ut crederent à Meſſia excipiendos fore lautiſſimo convivio, cui deſcribendo immorantur Rabbini eorum ineptientes, ut plerumque ſolent, circa hanc deſcriptionem. Dicunt enim primùm à Deo leviathanem piſcem immenſæ magnitudinis creatum, marem & fœminam, & ne propter immenſam & inauditam magnitudinem totius orbis deſolaretur, mari vim generandi Deum ademiſſe, fœminam verò mactatam ſaliviſſe in diem convivii Meſſiæ. Eadem dicunt de bove qui montes mille depaſcitur. *in Talm. Bava Bathra,* cap. 5. ſed non ideò minùs certum eſt, Meſſiam in ſacro codice celebratum ut ſponſum, cujus Eccleſia ſponſa ſit. Hocce nomine eum appellat Joannes præcurſor; Joan. cap. 3. ℣. 29.

1. *Et reſpondens Jeſus*, id eſt, pergens loqui, *dixit iterùm in parabolis eis, dicens;* parabolam iſtam eis proponens: 2. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* tale quid accidet in parando condendoque regno cœlorum. Chriſtus venit in terras ut ſibi Eccleſiam ſponſam conjungeret; quibus nuptiis celebrandis Deus Rex regum convivium paravit, fecit nuptias Chriſto ut filio ſuo.

3. *Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias*, Joannem Baptiſtam, & Joannis diſcipulos, qui vocarent Judæos jam à primordio rerum vocatos ad illud nuptiale convivium. *Et nolebant venire*, nec etiam præbere aures vocantibus.

4. *Iterùm miſit alios ſervos*, diſcipulos Domini, & Apoſtolis ejus, *dicens: Ecce prandium meum paravi*, illud convivium quo vos eſſe excipiendos à Meſſia ſcitis. *Tauri mei, & altilia.* τὰ σιτιστὰ, ſaginata *occiſa ſunt: & omnia parata: venite* ergo *ad nuptias*. Altilia, qua voce Latinus interpres reddit τὰ σιτιστὰ, ſunt animantia quæ incluſa aluntur: ſive aves in corte, aut aviario: ſive quadrupedes in roborario, id eſt in pratis ſeptis, ſive piſces in vivario, inquit Valla. 5. *Illi autem qui fuerant invitati, neglexerunt: & abierunt*, caducarum rerum ſtudio beneficia æterna poſthabentes, *alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam.* 6. *Reliqui verò*, quin & cæteri numero plures *tenuerunt ſervos ejus*, apprehendentes in carcerem, *& contumeliis affectos occiderunt*. quod Judæi fecerunt Apoſtolis.

7. *Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt; & miſſis exercitibus ſuis*, bello, fame, peſte, *perdidit homicidas illos*, Judæos, qui in excidio Hieroſolymorum pœnas dedere ob tot interfectos chriſtianos. *Et civitatem illorum ſuccendit*, manibus Romanorum. 8. *Tunc Rex ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni*, & ideò non admittendi, quamquam his excipiendis omnia parata fuiſſent. 9. *Ite ergo ad exitus viarum*, ad compita, ubi frequentes homines occurrunt; *& quoſcumque inveneritis* ſine diſcrimine, *vocate ad nuptias*. 10. *Et egreſſi ſervi ejus in vias*, huic mandato parentes: *congregaverunt omnes quos invenerunt* promiſcuè *malos & bonos*. ſic rete Evangelicum attrahit indiſcriminatim bonos & putridos piſces. *Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium* (græcanicè pro *diſcumbentibus*) licèt non adeſſent qui invitati erant.

11 *Intravit autem Rex: ut videret diſcumbentes*, qui admiſſi aſſidebant menſæ. *Et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*, quæ congrueret. 12. *Et ait illi: Amice*, compellatio leviter notis accomodata, *quomodo*, qua fronte *huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At*

ille

ille obmutuit. Sua ipſius conſcientia damnatus eſt, nec quidquam prætexere potuit. 13. *Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores*, id eſt, obſcuriſſimas & longè poſitas à vera luce. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*; ubi flebit multùm, & ſtridebit dentibus præ dolore.

14. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*. Omnes enim Judæi vocati ſunt ad regnum Meſſiæ, *pauci verò* veniunt, & ex his qui veniunt, aliqui rejiciuntur, quia indigni. pauci ergo *electi* à Deo, ut gaudia regni Meſſiæ percipiant quæ gaudia imagine convivii nuptialis hìc exhibentur.

CAPUT VII.

Phariſæi mittunt qui Jeſum caperent in ſermone, quærentes ab eo, utrum liceret cenſum dare Cæſari.

✠ *Dom. 22. poſt Pent.*

HARMONIA.	MATTH. Cap. 22. ℣. 15-22.	MARC. Cap. 12. ℣. 13-17.	LUCAS Cap. 20. ℣. 20-26.
1 *Mt.* TUnc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent eum in ſermone.	15 Tunc ✠ abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent eum in ſermone.		
2 *L.* Et obſervantes miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, *Mc.* quoſdam ex Phariſæis *Mc.* diſcipulos ſuos, cum Herodianis.	16 Et mittunt ei diſcipulos ſuos, cum Herodianis.	13 Et mittunt ad eum quoſdā ex Phariſæis, & Herodianis.	20 Et obſervantes miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent,
3 *L* Ut caperent eum in ſermone, ut traderent illum principatui, & poteſtati præſidis.		ut eum caperent in verbo.	ut caperent eum in ſermone: ut traderent illū principatui & poteſtati præſidis.
4 Et interrogaverunt eum, *Mt. L* dicentes, *MM. L* Magiſter, ſcimus *MM.* quia verax es,	dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominum.	14 Qui venientes dicunt ei: Magiſter, ſcimus quia verax es,	21 Et interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus
5 *L* Quia rectè dicis, & doces, *Mc.* & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces.		& non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces,	quia rectè dicis & doces, & non accipis perſonam: ſed viam Dei in veritate doces:
6 *Mt.* Dic ergo nobis, quid tibi videtur.	17 Dic nobis, quid tibi videtur.		
7 *L* Licet nobis tributum dare Cæſari, an non?	licet cenſum dare Cæſari, an non?	licet dari tributum Cæſari, an non dabimus?	22 Licet nobis tributum dare Cæſari, an non?
8 *Mt.* Cognita autem Jeſus nequitia eorum, *Mc.* ſciens verſutiam illorum, ait illis:	18 Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait:	15 Qui ſciens verſutiam illorum, ait illis:	23 Conſiderans autem dolum illorum, dixit ad eos:
9 *MM. L* Quid me tentatis *Mt.* Hypocritæ?	Quid me tentatis hypocritæ.	Quid me tentatis?	Quid me tentatis?
10 Oſtendite mihi numiſma cenſus, *Mc. L* denarium, *Mc.* ut videam. *Mt.* At illi obtulerunt ei denarium.	19 Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.	afferte mihi denariū ut videam. 16 At illi attulerunt ei,	24 Oſtendite mihi denarium.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
11 Et ait illis Jeſus: *MM.* Cujus eſt imago hæc, & *Mt.* ſuperſcriptio?	20 Et ait illis Jeſus: Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?	Et ait illis: Cujus eſt imago hæc, & inſcriptio?	Cujus habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes dixerunt ei: Cæſaris.
12 *MM.* Dicunt ei: *MM. L* Cæſaris.	21 Dicunt ei: Cæſaris.	Dicunt ei: Cæſaris.	
13 *Mc.* Reſpondens autem Jeſus, dixit illis: *MM. L* † Reddite *Mt. L* ergo *MM. L* quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.	Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. ¶	17 Reſpondens autem Jeſus, dixit illis: Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.	25 Et ait illis. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. † *Rom.* 13. 7.
14 *Mt.* Et audientes, *L* non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in reſponſo ejus, tacuerunt; & relicto eo, abierunt.	22 Et audientes, mirati ſunt, & relicto eo, abierunt.	Et mirabantur ſuper eo.	26 Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe, & mirati in reſponſo ejus tacuerunt.

PHARISÆI & alii Synedrii proceres cùm fruſtrà conati eſſent Jeſum accerſere reum violatæ legis, ut tanquam pſeudoprophetam lapidandum traderent plebi, voces ex ore ejus elicere, quibus ſtudent ſuadere poſſent præſidi Romano eum ſeditioſum eſſe; & ſic addiceretur morti, cujus ipſi auctores coram plebe non cenſerentur. Cùm ergo his omnibus parabolis, quas propoſuerat Jeſus, ſe deſignari intelligerent, nec eum auderent prehendere metu populi. 1 * 15 *Mt. Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone*, ut ab eo aliquid elicerent, cujus obtentu accuſari poſſet rerum novatarum reus apud præſidem.

2 * 20 *L Et obſervantes*, παρατηρήσαντες, & cùm obſervaſſent, quo poſſet capi, *miſerunt inſidiatores*, ἐγκαθέτους, emiſſarios, exploratores, ſuppoſititios, *qui ſe juſtos ſimularent*. ſcilicet qui fingerent ſe eſſe e numero eorum, quos amor juſtitiæ Moſaicæ legis retineret, ne penderent, Romanis tributum illud, quod Judæis impoſitum eſt, cùm à Quirino recenſiti ſunt, unde tributum illud appellatum tributum cenſus. de hoc cenſu fusè diſſeruimus in Chronologicis. Suprà vidimus quantùm hi juſti (hoc eſt, legi addicti) exoſi eſſent præſidi Romano. Pleroſque ex illis diximus à Pilato interfectos in ipſo Templo. Nomen *juſtus* non ita proprium erat alicui ſectæ quin conveniret & daretur omnibus qui profitebantur nec lato ungue ab obſervationibus legis diſcedere, & omnia juxta Dei placita facere. Ita Hircanus pontifex apud Joſephum, lib. 13. cap. 18. ſignificans ſe velle ſectari Phariſæos. Volo, inquiebat, τ̃ δίκαιον, eſſe juſtus. Cùm ergo Judæ Galilæi ſectatores putarent non placere Deo, ut Judæi alienigenis numiſma cenſus penderent, id ſe tenuere aiebant, quia profitebantur eſſe juſti. Quo prætextu διὰ τ̃ δικαιοσύνης, propter profeſſionem illam juſtitiæ auctores fuerunt defectionis adverſus Romanos & multorum malorum, ut videre eſt apud Joſephum, lib. 7. de bello, cap. 28.

Ergo Phariſæi ut Pilatum concitarent adverſus Jeſum, miſerunt ad eum viros, qui ſe juſtos ſimularent. 13 *Mc. Quoſdam ex Phariſæis*, *Mt. diſcipulos ſuos cum Herodianis*. circa iſtos Herodianos, qui fuerint, mirum quàm diverſa ſentiant interpretes. Aliis ſunt populi, ſive natio quædam: aliis Harodiani videntur Gentiles, qui in ditione Herodis viverent, Judæis permixti. Putant alii fuiſſe ſectæ genus; qui Herodem Chriſtum eſſe crederent; ſed ridiculè, inquit Hieronymus; nuſquam enim hoc legitur. Saniùs ſentiunt, qui putant Herodianos fuiſſe aulicos Herodis Antipæ: Syrus interpres hos appellat domeſticos Herodis, quippe Herodes cùm Judaicam religionem coleret, ipſe in diebus paſcharis Hieroſolymam veniebat; & tunc temporis verſabatur in urbe, ut diſcimus ex hiſtoria paſſionis Dominicæ. Non mirum ergo, ſi domeſtici ejus, quippe Judæi, in atriis Templi reperiantur cum cæteris Judæis, Sacerdotibus, Phariſæis. Unde autem adjunxerint ſibi aulicos Herodis Phariſæi, qui Jeſum capere voluerunt in ſermone, modò, cum hæc ſcriberem, animo incidit illa cogitatio, nempe Herodem publicitùs exercuiſſe odia cum præſide Romano, ut raró concordia reperitur inter potentes vicinos. Uſque ad hunc diem quo paſſus eſt Dominus inimicos fuiſſe Herodem & Pilatum videbimus. Igitur Phariſæi ſecum adduxere Herodianos, ut coram inimicis præſidis Romani liberiùs adverſus

Roma-

Romanos, quod ſperabant, loqueretur Dominus. Veniunt itaque Phariſæorum diſcipuli eum Herodianis 13 *L Ut caperent eum in ſermone*, quem ſperabant emiſſurum coram viris quos ſuſpectos non haberet; *ut traderent illum principatui & poteſtati præſidis*, τῇ ἀρχῇ καὶ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος, *magiſtratui Romani*, penes quem erat imperium ac poteſtas, coram quo eum accuſarent.

4 * 21. *Et interrogaverunt eum.* id eſt, eum allocuti ſunt, ut ab eo reſponſum elicerent *Mt. L dicentes*: *MM. L Magiſter, ſcimus, MM. quia verax es*, amator & doctor veritatis privatim & publicè. 5 * 22 *L Quia rectè dicis, & doces*: nolles adſtruere doctrinam falſam, *Mc. & non curas quemquam*; adeoque nec Cæſarem; *nec enim vides*, reſpicis *in faciem hominum*, dum judicas: hoc eſt quod more Hebræorum dicit Lucas: *Et non accipis perſonam.* id eſt, rationem non habes perſonæ, ſive vultus ejus, qui adſtat judicandus. Matthæus verò: *non reſpicis perſonam*, ſive, ut fons loquitur, *in perſonam*, id eſt, in vultum. ibi enim *perſona* ſonat idem quod facies, vultus. *Sed in veritate viam Dei doces*, ſatagens placere ſoli Deo, parùm anxius ſi ſermo tuus hominibus diſpliceat.

6 * 17 *Mt. Dic ergo nobis* liberè, *quid tibi videtur*, quid cenſes de penſione tributi. 7 * 22 *L Licet ne nobis* ex lege Moyſis *tributum dare Cæſari an non?* eò adducturum ſperabant, ut liquidò & audacter diceret id non licere.

8 * 18 *Mt. Cognita autem Jeſus nequitia eorum*, cognitis malis artibus, *Mt. ſciens verſutiam illorum, ait illis*, ſignificans mala conſilia eorum ſibi eſſe perſpecta, 9 * *MM. L Quid me tentatis*, calumniam ſtruitis, vel nitimini me fallere *Mt. hypocritæ?* ſic vocat, quia conſilium crudele non minùs quàm vaſrum obtegebant verbis pietatem præferentibus. Simulabant ſe religione moveri, huc eum deducturi, ut cauſa religionis diceret non eſſe parendum præſidi Romano. Verùm eos eluſit ſapientia ſua, ſuis propriis ſermonibus confutans hos tentatores.

10 * 9. *Oſtendite*, inquit, *mihi numiſma census*, quod tributi vice datis Romanis, ex quo tempore cenſiti eſtis, nempe ſub Quirino; *Mc. L Denarium* ſcilicet oſtendite *Mc. ut videam* quale ſit illud numiſma. *Mt. At illi obtulerunt ei denarium.* etenim tributum quod pendebatur Cæſari, exigebatur in pecunia Romana, non Judaica, aut quavis alia, ut diſcimus à Dione Caſſio qui ſcribit, Mecœnatem ſuaſiſſe Auguſto inter alias firmandi imperii artes, ut nulli provinciæ alterius ponderis, menſuræ, vel monetæ, quam Romanæ uſum concederet. Veriſimile ergo eſt Judæos quidem ſiclos & ſemiſiclos impendiſſe ſolvendo tributo quod lex imperabat; ſuis enim uti legibus permittebantur; ſed quod pendere tenebantur Romanis, non ſolviſſe niſi Romana moneta, quæ imaginem Cæſaris præferret. Voluit igitur Dominus videre nummum aliquem ejus monetæ, in qua tributum exigi ſoleret.

11 * 20. *Et ait illis Jeſus*: *MM. Cujus eſt imago hæc*, cujus imagine ſignatus eſt ille nummus? quærit, non quòd neſcierit, ſed ut ſolutionem quæſtionis ex ipſorum verbis extorqueret. *& Mt. ſuperſcriptio*, cujus nomen præferunt litteræ huic numiſmati ſuperſcriptæ? 12 * 21 *MM. Dicunt ei*: *Cæſaris.* imaginem & nomen Cæſaris oſtendit. 13 * *Mc. Reſpondens autem Jeſus, dixit illis*: *MM. L Reddite Mt. L ergo MM. L quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* veniunt nummi illi à Cæſare. hos percuſſit, vultu & nomine ſuo ſignavit tanquam ſuos; quoniam ſuum cuique reddendum, reddite hos Cæſari, *& quæ ſunt Dei, Deo*. Docet & Cæſari & Deo ſua jura reddenda, illi numiſmata, huic animum & cultum, primitias, decimas, oblationes. *Imaginem Cæſaris Cæſari, quæ in nummo eſt & imaginem Dei Deo, quæ in homine eſt; ut Cæſari quidem pecuniam reddas, Deo temetipſum.* verba ſunt Tertulliani, lib. de Idolol. cap. 15. Non aliena ſunt ab hoc loco quæ idem Tertullianus ſcribebat ad Scapulam, cap. 2. *Colimus ergo & imperatorem ſic, quomodo & nobis licet & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum; & quidquid eſt, à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet; ſic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Omne pictum ſculptumque videbatur adverſari legibus Moſaicis, & eo ſolo illicitum vel manibus contrectare illud numiſma cenſus, imagine hominis inſcriptum; ſed Dominus mentem legis patefaciens, clarè innuit non ampliùs prohibitam eſſe imaginem, cui non ultrà defertur, quàm quod homini debetur. Quin maxima pars Judæorum, quoniam denarii imagine Cæſaris ſignati in promiſcuo uſu eſſent, non reputabant omnem imaginem eſſe illicitam niſi quæ fieret cultus cauſa. Ideo averſati ſunt cæteras Imperatorum imagines, quia illæ colebantur; ut oſtendunt illa Suetonii de Tiberio, cap. 26. *Templa, Flamines, ſacerdotes, decerni ſibi prohibuit, etiam ſtatuas atque imagines, niſi permittente ſe poni: permiſitque ea ſola conditione, ne inter ſimulachra Deorum, ſed inter ornamenta ædium ponerentur.* Signa Romana, Aquilæ ſacrabantur ut numinum imagines; ut dicit Tertullianus, Apol. cap. 16. *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit.* Præterea Judæi diſtinguunt imagines depreſſas à protuberantibus. Ita Maimonides tractatu de cultu extraneo, cap. 13. num. 12. cùm dixiſſet etiam ornatus cauſa prohibitum eſſe formare hominis figuras, addit: *ſed id hoc capiendum de imagine quæ protuberat, quales ſunt figuræ, ac ſculpturæ in palatiis, & his ſimiles*

Talem

Talem igitur ſi quis fecerit vapulat. ſin figura ſit depreſſa, vel coloribus expreſſa: uti illæ, quæ in tabulis, menſiſve fiunt, aut quæ intextæ operi textorio, pro licitis habentur.

14 * 22 *Mt. Et audientes L non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in reſponſo ejus tacuerunt; Mt. & relicto eo abierunt.* ſapientiſſimo enim reſponſo ſeditionis moræ calumniam in quæſtione inſidioſiſſima effugit.

CAPUT VIII.

Quæſtionem de reſurrectione à Sadducæis propoſitam ſolvit Dominus.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 22. ℣. 23-33.	MARCUS Cap. 12. ℣. 18-27.	LUCAS Cap. 20. ℣. 27-40.	
1 *Mt.* IN illo die acceſſerunt ad eum *L* quidam Sadducæorum, † qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum,	23 In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: & interrogaverunt eum,	18 Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt reſurrectionem non eſſe: & interrogabant eum, dicentes:	27 Acceſſerunt autem quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum.	† *Act.* 23. 6
2 Dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis. † Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, *Mt. L* & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.	24 Dicentes: Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.	19 Magiſter, Moyſes nobis ſcripſit, ut ſi cujus frater mortuus fuerit, & dimiſerit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo.	28 Dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.	† *Deut.* 25. 5.
3 *Mc. L* Septem ergo fratres erant; & primus accepit uxorem, & mortuus eſt *L* ſine filiis, *Mc.* non relicto ſemine.	25 Erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus, uxore ducta, defunctus eſt: & non habens ſemen, reliquit uxorem fratri ſuo.	20 Septem ergo fratres erant; & primus accepit uxorem, & mortuus eſt non relicto ſemine.	29 Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus eſt ſine filiis,	
4 *L* Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine filio.	26 Similiter ſecundus.	21 Et ſecundus accepit eam, & mortuus eſt: & nec iſte reliquit ſemen. Et tertius ſimiliter.	30 Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine filio.	
5 Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem: & non reliquerunt ſemen & mortui ſunt.	& tertius, uſque ad ſeptimum.	22 Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem & non reliquerunt ſemen.	31 Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem: & non reliquerunt ſemen, & mortui ſunt.	
6 Noviſſimè omnium mortua eſt & mulier.	27 Noviſſimè autem omnium & mulier defuncta eſt.	Noviſſima omnium defuncta eſt & mulier.	32 Noviſſimè omnium mortua eſt & mulier.	
7 In reſurrectione ergo cujus eorum erit uxor? ſi quidem ſeptem habuerunt eam uxorem.	28 In reſurrectione cujus erit de ſeptem uxor? omnes enim habuerunt eam.	23 In reſurrectione ergo cùm reſurrexerint, cujus de his erit uxor? ſeptē enim habuerunt eam uxorē.	33 In reſurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorem.	
8 *Mc.* Et reſpondens Jeſus, ait illis: Nonne ideò erratis, non ſcientes *MM.* Scripturas, neque virtutem Dei?	29 Reſpondens autem Jeſus, ait illis: Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.	24 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Nonne ideò erratis, non ſcientes Scripturas, neque virtutem Dei?	34 Et ait illis Jeſus:	
9 *Mc.* Cùm enim à mortuis reſurrexerint neque nubent, neque nubentur; ſed ſunt ſicut Angeli in cœlis.	30 In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.	25 Cùm enim à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli in cœlis.		

LUCAS.

10 * Filii hujus ſæculi nubunt, & traduntur ad nuptias;

11 * 35 Illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:

† 1. Ioan. 3. 2. 12 * 36 † Neque enim ultrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectionis.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
13 *Mc.* De mortuis autem quòd reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi, ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens:	31 De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo, dicente vobis:	26 De mortuis autem quòd reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens:	37 Quia verò reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit
Exod. 3. 6. 16. Act. 7. 32. Hebr. 11. 16. 14 *MM.* † Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob?	32 Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac; & Deus Jacob?	Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob?	Dominum Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob?
15 Non eſt Deus mortuorum, ſed *Mt.* viventium; *L* omnes enim vivunt ei. *Mc.* Vos ergo multùm erratis.	Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.	27 Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Vos ergo multùm erratis.	38 Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum, omnes enim vivunt ei.

LUCAS.

16 * 39 Reſpondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magiſter, benè dixiſti.

MATTHÆUS.

17 * 33 Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.

LUCAS.

18 * 49 Et ampliùs non audebant eum quidquam interrogare.

1 * 23 *Mt.* IN *illo die acceſſerunt ad eum* in Templo, ubi tota die commorabatur, *L quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum* quæſtionem proponentes. Sadducæi in eo opponebantur Phariſæis quòd nihil haberent authenticum præter ſcripturam *κατὰ τὸ ῥητὸν* acceptam, id eſt, prout ſonant verba, quibus ſcripta eſt. *Multas*, inquit Joſephus, Antiquit. lib. 13. cap. 18. *conſtitutiones à majoribus per manus acceptas Phariſæi tradiderunt populo, quæ non ſunt ſcriptæ inter leges Moſaicas, & Sadducæi his auctoritatem abrogant; dicentes oportere eas tantùm ſervari, quæ ſcripto continentur. Atque hinc magna inter utroſque exorta eſt controverſia, dum ditiores ſtant à Sadducæorum partibus, Phariſæi cæteræ multitudinis utuntur favoribus.* Lex Moyſis illa dicitur, quæ in quinque voluminibus, quorum Moyſes auctor, perſcripta eſt; ita vulgò creditum rejectos omnes alios libros ſacri codicis à Sadducæis, in quibus ſolùm aperta fit mentio reſurrectionis; quam non repudiaſſent, ſi cæteri libri præter quinque Moyſis volumina, apud eos fuiſſent alicujus auctoritatis.

Hi Sadducæi interrogaverunt Jeſum, 2 * 28. *Dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis* hanc legem: *Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit*, prole non ſuſcepta ex uxore, quam duxerat: Moyſes, inquam juſſit, *ut accipiat eam ſuperſtes frater ejus uxorem; Mc. L. & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.* ſcilicet procreet filium, qui in nomen defuncti tranſeat, nuncupatus ejus filius & hæres. Alibi diſſeruimus de illa lege ex qua Sadducæus proponit ſequens argumentum adverſus reſurrectionem.

3 * 29 *Mc.* 29 *L. Septem ergo fratres erant* apud nos: *& primus accepit uxorem*, in domum ſuam deduxit, & nuptias perfecit, *& mortuus eſt L. ſine filiis* ſine prole, *Mc. non relicto ſemine* in quo re-

reviviſcat; patres enim vivunt in filiis. 4 * 30 L. *Et ſequens*, nempe ſecundus frater, juxta legem *accepit illam* in propriam uxorem, *& ipſe mortuus eſt ſine filio*, pariter ac primus. 5 * 31. *Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem* eandem uxorem acceperunt: *& non reliquerunt ſemen*, non ſuſceperunt prolem, *& mortui ſunt*.

6 * 32. *Noviſſimè omnium* poſt hos demortuos ſeptem fratres *mortua eſt & mulier*, cui omnes nupſerant. 7 * 33. *In reſurrectione ergo cujus eorum erit? ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorem.* hac cavillatione putabant evinci poſſe ineptam eſſe de reſurrectione opinionem.

8 * 24 *Mc. Et reſpondens Jeſus, ait illis: Nonne ideo erratis*, & proditis errorem veſtrum, iſta opponentes adverſus reſurrectionem, *non ſcientes MM. ſcripturas, neque virtutem Dei*; à qua nimirùm pendet corporum reſurrectio, & vita futura? Non concluditur virtus Dei limitibus cogitationum humanarum: ſi corpora creavit & animos, quidni hæc iterùm excitare poſſet, & illos ab interitu vindicare. Falſa veris forſan admiſcebant Phariſæi, ſi conjecturam capere licet ex Thalmudicis fabulis de ſtatu hominum in altero ſæculo. Ergo putabant Sadducæi reſurrectionem à Chriſto doceri ſecundùm Phariſæorum hypotheſes; ſed ipſe quid ſentiendum ſit aperit.

9 * 25. *Mc. Cùm enim*, inquit, *à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur*; non eſt qui nubat, neque nubatur: *ſed ſunt ſicut Angeli in cælis*; qui, cùm natura ſint immortales, non egent cibo, ut reparent vires, quæ nunquam deficiunt, nec ſexuum commercio, cujus ope ſingulis pereuntibus univerſitas eorum conſervetur. Connubia, inquit Auguſtinus, propter filios; filii autem propter ſucceſſionem; ſucceſſio, propter mortem. ubi ergo mors non eſt, neque connubia. 10 * 34 L. *Filii hujus ſæculi*, qui in hoc ſæculo ſunt, qui vitam hanc mortalem agunt, in qua viciſſitudo naſcentium ac morientium eſt, *nubunt* ipſi, & filiæ à parentibus *traduntur ad nuptias*. 11 * 35. *Illi verò qui digni habebuntur ſæculo illo*, ſtatu illo felici, de quo ſermo eſt, *& reſurrectione* ſcilicet beata *ex mortuis, neque nubent* mares, *neque ducent uxores*, οὔτε ἐκγαμίζονται, neque nubentur, ſcilicet feminæ. 12 * 36. *Neque enim ultrà mori poterunt*, & ideo non opus erit ut genus humanum reparetur: *æquales enim angelis ſunt*, pariter immortales, *& filii ſunt Dei*, adſcripti numero filiorum Dei; *cùm ſint filii reſurrectionis*; ſiquidem eos naſci voluerit Deus in novam vitam.

13 * 26 *Mc. De mortuis autem quòd reſurgant non legiſtis in libro Moyſi ſuper rubum*, in eo quod de apparitione Dei in rubo refert; *Quomodo dixerit illi Deus*, inquiens: 14 * 12 *MM. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob*. Vivunt igitur illi poſt mortem ſuam, non ergo animus cum corpore interit. Ad comprobandam reſurrectionis veritatem multis aliis manifeſtioribus exemplis uti potuiſſet Dominus, inquit Hieronymus, è quibus eſt illud: *Suſcitabuntur mortui & reſurgent qui in ſepulchris ſunt*. Iſa. cap. 26. Et in alio loco: *Multi dormientium de terræ pulvere conſurgent*, Dan. 12. Verùm cùm Sadducæi neque Iſaiam, neque Danielem reciperent, non multi ponderis fuiſſent apud eos horum vatum teſtimonia. ideo illis allegat Dominus Moyſem, quem ſolum probabant. Ut autem liqueat quomodo ex illo teſtimonio Moyſis, ſive ex illis verbis, quæ conſtabat à Deo prolata, ſequebatur dari reſurrectionem; advertendus animus ad id quod ſubjicitur à Chriſto: 15 * *MM. Non eſt Deus mortuorum, ſed Mt. viventium*; neque enim quis gloriatur ſe regem eſſe eorum qui non ſunt; ita neceſſe eſt ut vivant quorum Deus ſe dicit Deum.

Hujuſce argumenti magna eſt efficacia, quod probabat non ſolùm animas eſſe immortales, ſive non penitùs interiiſſe vetuſtos patriarchas; ſed & inſuper demonſtrabat reſurrectionem carnis. Etenim cùm ſe Deus appellat patriarcharum Deum, innuit ſe benefactorem eorum, & remuneratorem; illi autem in vita ſua non receperant bona quorum ſpem illis fecerat Deus, etiam fœdere icto & juramento promiſſionem confirmans. Præterea Abraham ut quilibet alius homo, conſtat mente & corpore; ita verus Abraham, ſive totus Abraham non poterat integra felicitate frui ſua carne in æternum exutus. quare decet Deum corpore è tumulo excitare ut iterum carne ſua induti patriarchæ Deum verè fidelem experiantur. Alludebat ad efficaciam hujus argumenti ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos, ſic concludens, cap. 11. ℣. 16. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem.*

Argumentum igitur Chriſti tale eſt: Deus non eſt Deus, hoc eſt, benefactor aut remunerator mortuorum; qui videlicet ita mortui ſunt, ut nunquam ad vitam redituri ſint, ſed aut actu viventium, aut aliquando revicturorum; atqui Deus dicitur Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, *etiam cùm mortui eſſent*, eo ſcilicet tempore, quo apparuit Moyſi in rubo; ergo illi aliquando in vitam reſurgent, ut promiſſam benedictionẽ accipiant. Hoc ſenſu Lucas dicit eos vivere, *Omnes enim vivunt ei*, hoc eſt, in Decreto Dei, quatenus certò conſtituit illos omnes vitæ reddere. Joſephus in libello ſuo de Machabæis hocce ratiocinio uſam ſcribit matrẽ ſeptem filiorum, dum hos hortaretur ad moriendum: quia qui propter Deum moriuntur, vivunt Deo ſicut Abraham, Iſaac, & Jacob. ὅτι οἱ διὰ τὸν θεὸν ἀποθνήσκοντες,

ζῶσι τῷ θεῷ ἔστιν ἀβραὰμ, ἰσαὰκ, καὶ ἰακὼβ, καὶ πάντες οἱ πατριάρχαι.

Concludebat Dominus: *Mc. Vos ergo* Sadducæi *multùm erratis*, haud intelligentes ſcripturas 16 * 39 *L. Reſpondentes autem quidam Scribarum*, id eſt, cùm hæc audiiſſent quidam Scribæ, nempe viri Legiſperiti, *dixerunt ei: Magiſter, benè dixiſti.* egregiè refutaſti Sadducæos. 17 * 33 *Mt. Et audientes turbæ* illius cum Sadducæis colloquium, *mirabantur in doctrina ejus*, id eſt, in modo dicendi ipſius exprompto, claro, efficaci. 18 * 40 *L. Et ampliùs non audebant* Sadducæi *eum quidquam interrogare.* id eſt, alias quæſtiones proponere; nam, ut modò videbimus ex Matthæo, ſilentium eis impoſuerat.

CAPUT IX.

Quæſtionem Phariſæorum circa mandatum, quod eſſet in lege maximum, ſolvit Dominus.

	HARMONIA.	MATTH. Cap. 22. ℣. 34-40.	MARCUS Cap. 12. ℣. 28-34.
	1 *Mt.* PHariſæi autem audientes quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum:	34 Phariſæi autem audientes quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum:	
✠ *Dom. 17. poſt Pentecoſt.*	2 *Mc.* Et acceſſit unus *Mt.* ex eis legis doctor, *Mc.* qui audierat illos conquirentes: & videns quoniam benè illis reſponderit, interrogavit eum, *Mt.* tentans eum:	35 ✠ Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:	28 Et acceſſit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis reſponderit, interrogavit eum, quod eſſet
	3 Magiſter, quod mandatum magnum in lege? *Mc.* primum omnium mandatum?	36 Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?	primum omnium mandatum.
† *Deut. 6. 5.*	4 Jeſus autem reſpondit ei: Quia primum omnium mandatum eſt: † Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.	37 Ait illi Jeſus:	29 Jeſus autem reſpondit ei: Quia primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.
	5 Et *MM.* diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & *Mc.* ex *MM.* tota anima tua, & *Mc.* ex *MM.* tota mente tua, & *Mc.* ex tota virtute tua.	Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.	30 Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.
† *Levit. 19. 18. Rom. 13. 9. Gal. 5. 14. 1. Tim. 1. 5. Jac. 2. 8.*	6 *MM.* † Hoc eſt *Mt.* maximum, primum mandatum.	38 Hoc eſt maximum, & primum mandatum.	Hoc eſt primum mandatum.
	7 Secundum autem ſimile eſt *Mt.* huic: *MM.* Diliges proximum tuum *Mt.* ſicut *MM.* te ipſum. *Mc.* Majus horum aliud mandatum non eſt.	39 Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.	31 Secundum autem ſimile eſt illi: Diliges proximum tuum tanquam te ipſum. Majus horum aliud mandatum non eſt.

MATTHÆUS.

8 * 40 In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ.

41 *Congregatis &c. infrà, cap. ſequenti.*

MARCUS.

9 * 32 Et ait illi Scriba: Benè, Magiſter, in veritate dixiſti, quia unus eſt Deus, & non eſt alius præter eum:

10 * 33 Et

10 * 33 Et ut diligatur ex toto corde, & ex tota intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificiis.

11 * 34 Jeſus autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet, dixit illi; Non es longè à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare

1 * 24 *Mt.* PHARISÆI *autem audientes quòd* Jeſus *ſilentium impoſuiſſet Sadducæis*, ἐφίμωσεν, obturaſſet os eorum, quippe gaudebant confutatos adverſarios, *convenerunt in unum*: ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id eſt, pariter, ſimul multi ad eum acceſſerunt, quaſi gratulabundi. 2 * 28 *Mc. Et acceſſit unus Mt. ex eis Legis doctor*, νομικὸς, id eſt, qui verſabatur in negotiis legalibus, nempe Scriba, ut ait Marcus, *Mc. qui audierat illos conquirentes*, diſceptantes Sadducæos quæſtionem agitantes cum Jeſu. *Et videns quoniam benè illis reſponderit, interrogavit eum*: quæſtionem ei propoſuit, *Mt. tentans eum*, explorans, aut experimentum ſapientiæ Chriſti capiens; quomodo regina Sabæ dicitur veniſſe πειράζων, tentare Salomonem. 3. Reg. cap. 10. ℣. 1. 3 * 36. *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege; Mc. primum omnium mandatum?* id eſt, præceptum inſigniter magnum præ omnibus aliis mandatis.

4 * 29. *Jeſus autem reſpondit ei: quia primum omnium mandatum eſt*, non ordine tantùm, ſed & dignitate; *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt*: Præfatio eſt Dei loquentis & præcipientis illud præcipuum & magnum mandatum. 5 * 30. *Et Mt. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & Mc. ex MM. tota anima tua, & Mt. ex MM. tota mente tua, Mc. & ex tota virtute tua*, id eſt, quantum poteris. Hac verborum accumulatione nihil aliud ſignificatum volunt Hebræi, quàm id quod Latini dicunt, toto corde aliquid facere, id eſt cogitatione & affectuum vi, ſive omni ſtudio & intentione. *cùm autem ait Deus: Toto corde, tota anima, tota mente*, verbis Auguſtini loquor, lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. *nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui; ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit.*

6 * 38 *MM. Hoc eſt Mt. maximum & MM. primum mandatum.* 7 * 33 *Mt.* 31 *Mt. Secundum autem ſimile eſt Mt. huic*, id eſt, ita ſimile dignitate ut ſecundum ſit; *MM. Diliges proximum tuum*, nempe quemlibet hominem, homo enim homini proximùs, ait Irenæus, *Mt. ſicut MM. te ipſum.* Non ſufficit ipſum non odiſſe, nec ei benefacere, ſed requiritur internus dilectionis affectus, cujus tamen externa ſint indicia atque effecta. Præclara eſt iſta regula. *Amoris tui erga proximum menſura eſto tu ipſe; ſingulos ſic dilige, quomodo tu ab iis diligi velles, ſi eſſes eorum loco.* Sed præterea requiritur ut proximi dilectio referatur in dilectionem Dei, *quæ nullum à ſe rivulum duci extrà patitur, cujus derivatione minuatur*, ut ait Auguſtinus; cujus & iſta ſunt lib. de moribus Eccl. cap. 26. *Solus ſe novit diligere, qui Deum diligit: ſicut ille ſe ſatis diligit, qui ſedulò agit, ut ſummo & vero perfruatur bono ... Quod* autem *agis tecum, hoc agendum eſt cum proximo, id eſt ut ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipſum, ſi non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, adducere non ſatagis.* Aliis verbis eandem doctrinam exprimit idem doctor, lib. 10. de civ. cap. 4. *Cùm ergo mandatur de proximo diligendo ſicut ſe ipſum, quid aliud mandatur, niſi ut ei quantum poteſt commendet diligendum Deum? Dilectio quippe ſui non propter Deum non eſt vera ſui dilectio: Cùm enim ſe diligere ſit ſibi velle ſummum bonum, tunc veriſſimè & propriſſimè homo ſe ipſum diligit, cùm Deum diligit; nam hoc ipſum eſt ſibi velle ſummum bonum.* Revertamur ad Evangelium, in quo ſic ſermonem ſuum de amore Dei & proximi Dominus concludit. *Mc. Majus horum aliud mandatum non eſt*, quod ſit majoris ponderis. Inde omnes leges morum derivari poſſunt. 8 * 40 *Mt. In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ.* ab his duobus præceptis generaliter ſumptis univerſa legis & prophetarum doctrina pendet, & in iſtis continetur.

9 * 32 *Mc. Et ait illi Scriba*, legis doctor: *Benè, Magiſter, in veritate dixiſti: Quia unus eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* 10 * 33. *Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine.* Repetit verba quæ dixerat Dominus: *Et diligere proximum tanquam ſe ipſum majus eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis.* nempe qui diligit proximum, magis colit Deum, quàm qui offert holocautomata, genus perfecti ſacrificii & quæcumque alia ſacrificia. Animadvertendum eſt hæc verba legis, *Audi Iſrael Dominus Deus &c.* quæ Jeſus allegaverat, Judæis eſſe in peculiari veneratione. Illam partem legis appellant *fundamentum magnum.* illa, inquam, verba; *Audi Iſrael*, & quæ ſequuntur quaſi pro fidei ſuæ ſymbolo vetus Eccleſia Judaica uſurpabat, ea recitans in publicis ſuis cœtibus. Poſteriores verò Judæi in precem converterunt; & ſibi præceptum eſſe putant repetere

matutino & veſpertino tempore, puro lotoque corpore; quam precem à primo ſuo vocabulo שמע id eſt, *audi*, ſolent *ſchema* appellare. 11 * 34. *Jeſus autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet* ille Scriba, dixit illi: *Non es longè à regno Dei*: aptus ex Evangelicæ doctrinæ accipiendæ. *Et nemo jam audebat eum interrogare*; ſatis enim experti erant eum incredibili doctrina pollere.

CAPUT X.

Ipſe Dominus quærit à Phariſæis, quo ſenſu Chriſtus diceretur filius David.

MATTHÆUS Cap. 22. ℣. 41—46.

1 * 41 CONgregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus, dicens:
2 * 42 Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt? Dicunt ei: David.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARC. Cap. 12. ℣. 35-37.	LUCAS Cap. 20. ℣. 41-44.
3 *Mc.* Et reſpondens Jeſus dicebat, docens in Templo: Quomodo dicunt Scribæ, *Mc. L* Chriſtum, filium eſſe David?	43 Ait illis:	35 Et reſpondens Jeſus dicebat, docens in Templo: Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum, filium eſſe David?	41 Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Chriſtum, filium eſſe David?
4 *Mc.* Ipſe enim David *MM.* in ſpiritu *Mt.* ſancto *Mt.* vocat eum Dominum dicens *L* in libro Pſalmorum:	Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens:	36 Ipſe enim David dicit in ſpiritu ſancto:	42 Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum:
5 *MM. L* † Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.	44 Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,	Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,	Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.
6 Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.	donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum?	donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.	43 Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.
7 *Mt.* Si ergo David vocat eum Dominum, *Mt. L* quomodo filius ejus eſt?	45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?	37 Ipſe ergo David dicit eum Dominũ, & unde eſt filius ejus?	44 David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus eſt?
8 *Mt.* Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare. *Mc.* Et multa turba eum libenter audivit.	46 Et nemo poterat ei reſpõdere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare. ¶	Et multa turba eum libenter audivit.	

† *Pſal.* 109. 1. *Act.* 2. 34. 1. *Cor.* 15. 25. *Hebr.* 1. 13. & 10. 12. 13.

JUDÆI pleriique falſam de Chriſto opinionem præconceperant, non alium reputantes quàm regem, qui regno regnaturus eſſet terreno, ut natura Davidi filius, ita & regni Judaici hæres. Jeſus autem ut veriorem de ſe doctrinam ingereret eorum animis, proponit eis quæſtionem ſequentem, qua adduci poterant ut in naturam Chriſti diligentiùs inquirerent. 1 * 41 *Mt. Congregatis autem Phariſæis*, circa eum, quia ſibi eos quodammodo conciliaverat, revincendo Sadducæos, *interrogavit eos Jeſus*, 2 * 42. *dicens*: *Quid vobis videtur de Chriſto* illo promiſſo? *Cujus filius eſt*: hominiſne an Dei? *Dicunt ei*: *David*, ex vaticinio Iſaiæ, cap. 9. ℣. 7. quo tanquam apertiſſimo utitur Gabriel ad Mariam. Et res eſt nunc quoque inter Judæos confeſſa.

3 * 35 *Mc. Et reſpondens Jeſus dicebat, docens in Templo*, à quo interdiu non diſcedebat hiſce

die-

diebus ; *Quomodo dicunt Scribæ Mc. L Chriſtum filium eſſe David ?* cauſam dubitationis reddit. 4 * 36 *Mc. Ipſe enim David MM. in ſpiritu Mc. ſancto*, inſtinctu Spiritus ſancti loquens *Mt. vocat eum Dominum, dicens :* 42 *L in libro Pſalmorum* : pſalmo nempe 109. cujus ſcriptorem Davidem non dixiſſet, niſi id tunc fuiſſet extra controverſiam : nec de Chriſto interpretatus fuiſſet ; quod & facit ſcriptor Epiſtolæ ad Hæbræos, cap. 1. ℣. 17. *Ad quem enim hominum & Angelorum dixit aliquando ; Sede à dextris meis &c.* niſi ad Meſſiam hunc pſalmum pertinere fuiſſet in confeſſo apud omnes Judæos. Equidem poſt ortum chriſtianiſmi, negare id ipſum Judæi cœperunt, ſed ſolo odio chriſtianorum.

5 * *MM. L Dixit Dominus Domino meo.* Ipſe David pſalmi ſcriptor exhibet Dominum Deum ſummum יהוה *Jehova*, loquentem ad Meſſiam, quem vocat אדני *Adoni*, id eſt, Dominum meum : *Sede à dextris meis*, à me ſecundus eſto. 6 * *MM.* 43 *L Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, ita tibi ſubditos ut etiam eos poſſis conculcare pedibus tuis. 7 * 45 *Mt. ergo David vocat eum Dominum.* illud *Si* non indicat dubitationem ; ex Marco enim & Luca ſupponit (de quo conſentiebant Phariſæi) Davidem vocare Chriſtum Dominum ſuum. *Mt. L Quomodo Mc. ergo Mt. L filius ejus eſt ?* neque enim ſi merus homo fuiſſet Chriſtus, mera proles David, dici potuiſſet Dominus Davidis ?

8 * 46 *Mt. Et nemo poterat ei reſpondere verbum*, hæc quærenti. *Neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare.* nemo, ampliùs illum tentare quæſtiunculis audebat : quia videbant omnes ſe longè illi impares eſſe. Ergo ex iſta quæſtione intelligere poterant quod Apoſtoli poſtea luculenter docuerunt, Chriſtum quidem ſecundùm carnem natum eſſe è ſemine David, ſed & filium Dei eſſe ſecundùm alteram naturam, ob quam Meſſiam vocabat David Dominum ſuum : ita innuebat Jeſus quis eſſet. Non video quò tendat iſta quæſtio ; ſi merus homo fuiſſet ; neque enim dubitabant Phariſæi quin & Meſſias etiam à Davide ſuſcipiendus, & colendus eſſet, quanquam ex lumbis ſuis prognatus. Altiorem ergo de ſe opinionem indere volebat Jeſus, ſcilicet verè filium Dei eſſe, nec poſſe reputari tantummodò Filium hominis natum ex Davidis proſapia, cùm & Dominus & Deus ejus אדן *Adon*, eſſet. Hæc ergo evincunt Jeſum verè fuiſſe Deum. *Mt. Et multa turba* omnis turba *eum libenter* perjucundè *audivit.*

CAPUT XI.

Dominus inſectatur vitia Phariſæorum, quorum dicta, quia ſuper cathedram Moyſi ſederent, monet eſſe facienda ; non item facta imitanda.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 23. ℣. 1-39.	MARCUS Cap. 12. ℣. 38-40.	LUCAS Cap. 20. ℣. 45-47.	
1 *Mt.* TUnc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos,	1 Tunc Jeſus ✠ locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos.		45 Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis :	✠ *Fer. 3. poſt Dom. 2. Quad.*
2 Dicens *Mc.* eis in doctrina ſua : † *Mt.* Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.	2 Dicens : Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.	38 Et dicebat eis in doctrina ſua :		† *2. Eſdr. 8. 4.*

MATTHÆUS.

3 * 3 Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite : ſecundùm opera verò eorum, nolite facere : dicunt enim & non faciunt.

4 * 4 † Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum : digito autem ſuo nolunt ea movere. † *Act. 15. 10. Gal. 6. 13.*

5 * 5 Omnia verò opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus.

HARMONIA.

6 *Mc.* Cavete *Mc. L* à Scribis
qui nolunt in ſtolis ambulare:
† Num. 15. 38. Deut. 6. 8. & 22. 12. † *Mt.* dilatant enim phylacteria
ſua, & magnificant fimbrias.
† Luc. 11. 43. 3. Joan. 9. 7 † Amant autem primos
recubitus in cœnis, *Mt. L* & primas cathedras in ſynagogis.
8 *Mt.* Et ſalutationes in foro,
& vocari ab hominibus Rabbi.
† 2. Tim. 3. 6. Tit. 1. 11. 9. *Mc. L* † Qui devorant domos
viduarum *Mc.* ſub obtentu prolixæ orationis, *L* ſimulantes longam orationem: *Mc. L* hi accipient *L* damnationem majorem, *Mc.* prolixius judicium.

MATTHÆUS.

dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.

6 Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis.

7 Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

MARCUS.

Cavete à Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro,

39 Et in primis cathedris ſedere in ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis.

40 Qui devorant domos viduarũ ſub obtentu prolixę orationis.

hi accipient

prolixius judicium.

LUCAS.

46 Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro,

& primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conviviis:

47 Qui devorant domos viduarum.

ſimulantes longam orationem.

Hi accipient damnationem majorem.

M A T T H Æ U S.

† Jac. 3. 1. 10 * 8 † Vos autem nolite vocari Rabbi: unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.

† Mal. 1. 6. 11 * 9 † Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.

12 * 10 Nec vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.

13 * 11 Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter.

† Job. 22. 29. Prov. 29. 23. 14 * 12 † Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur. ¶

† Jac. 4. 6. 1. Pet. 5. 5. 15 * 13 † Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.

16 * 14 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.

17 * 15 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

18 * 16 Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro Templi, debet.

19 * 17 Stulti, & cæci: Quid enim majus eſt, aurum, an Templum, quod ſanctificat aurum?

20 * 18 Et quicumque juraverit in Altari, nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet.

† Ex. 29. 37. 21 * 19 Cæci: † Quid enim majus eſt, donum, an Altare, quod ſanctificat donum?

22 * 20 Qui ergo jurat in Altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt.

23 * 21 & quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo:

24 * 22 & qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.

25 * 23 Væ

25 * 23 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ : qui decimatis men-
tham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis,
judicium, & miſericordiam, & fidem : hæc oportuit facere, & illa non
omittere.
26 * 24 Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.
27 * 25 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ; quia mundatis quod deforis
eſt calicis & paropſidis: intùs autem pleni eſtis rapina, & immunditia.
28 * 26 Phariſæe cæce, munda priùs quod intus eſt calicis & paropſidis,
ut fiat, id quod deforis eſt, mundum.
29 * 27 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ : quia ſimiles eſtis ſe-
pulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs verò ple-
na ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.
30 * 28 Sic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intùs autem
pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.
31 * 29 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra
Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum,
32 * 30 & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſe-
mus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum.
33 * 31 Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui
Prophetas occiderunt.
34 * 32 Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.
35 * 33 Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? † *In feſto S. Stephani Protomart.*
36 * 34 Ideò † ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcri-
bas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synago-
gis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem:
37 * 35 ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper † *Gen. 4. 8. Hebr. 11. 4.*
terram, † à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem † Zachariæ, filii Ba- † *2. Paral. 24. 21.*
rachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare.
38 * 36 Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.
39 * 37 Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos
qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum
gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?
40 * 38 Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.
41 * 39 Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: † *Pſ. 117. 26.*
† Benedictus, qui venit in nomine Domini. ¶


1 * 1 *Mt.* TUNC *Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos.* Videntur enim Phariſæi præ pudore, quia ſe Jeſu impares viderent, fugiſſe ejus colloquium. 2 * 2. *Dicens Mc. eis in doctrina ſua*, id eſt, docens: *Mt. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi;* in cathedra nempe deſtinata legendis & exponendis libris Moyſi & prophetarum. Legebatur quidem lex à ſtantibus, ſed ſedentes eam exponebant magiſtri. Ita Dominus in ſynagoga ſtans legit verſiculum, & librum complicans poſtea ſedit. Sacerdotes & omnes ferè doctores, penes quos erat legitima auctoritas, erant Phariſaici inſtituti. Scribis ergo, id eſt, legis doctoribus & Phariſæis, qui ipſi judices erant, vel judicum aſſeſſores, parendum erat, ut Moyſi ſucceſſoribus.

3 * 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* particula univerſalis, ut ſæpè alias monuimus, reſtringi debet ex natura ſubjectæ materiæ, & ipſa rei æquitate. Senſus igitur eſt: omnia quæ dixerint vobis ſervanda ex lege, prout officii eorum ratio poſtulat, docentes, ea ſervate. *Secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt;* mores eorum ne imitemini. *Audiuntur utiliter qui etiam non utiliter agunt*, ait Auguſtinus, lib. 4. de doctr. chr. cap. 27. *ſua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent, de loco ſcilicet ſuperiori, illo Eccleſiaſtica, quem ſana doctrina*

con-

conſtituit ..... Illa ergo cathedra non eorum, ſed Moyſis, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo ſua in vita ſua. docere autem ſua, cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque profunt dicendo, quæ non faciunt; ſed longè pluribus prodeſſent faciendo quæ dicunt. hactenus Auguſtinus: proſequamur verba Domini. 4* 4. *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum*, traditiones humanas moleſtas, nec neceſſarias præſcribunt, *digito autem ſuo nolunt ea movere*. Proverbialis locutio, qua utentes Romani etiam dicunt: *extremo digito attingere*. Nullum conatum adhibent Phariſæi, ut ea faciant quæ aliis imperant; aut ut leviora fiant pondera, quibus alios gravant: in ſuis enim traditionibus non diſpenſabant, cùm in lege Dei ſæpè diſpenſarent. 5* 5. *Omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus*. ſi quid ex moralibus præceptis faciunt, non ex dilectione Dei & proximi faciunt, ſed quò gloriam hominum aucupentur.

6* *Mc. Cavete* ergo *Mc. L. à Scribis*, ab his legis doctoribus, *qui volunt in ſtolis ambulare*. Stola, στολὴ, eſt veſtis uſque ad talos demiſſa, πόδηρης, gravitatis index; quam Legiſperiti ſollicitè oſtentabant, *Mt. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias*. Deus in Deuteronomio, cap. 6. ℣. 6. ſic locutus fuerat: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.* ſive, ut fons reddi poteſt, *& erunt in frontalia inter oculos tuos*. Ergo Judæi opinabantur verba ſcripturæ in membranis deſcripta alliganda eſſe fronti ac manui loris coriaceis, maximè dum orant, inde hæc vocant *Tephillin*, id eſt *preces*. Judæi verò Græcè loquentes appellavere φυλακτήρια, *phylacteria*, ab uſu, quia de obſervandis præceptis Dei admonebant, ut ex Moyſis loco liquet. Duo erant genera phylacteriorum: alia enim fronti, alia brachio ſiniſtro alligabantur. Quomodo autem phylacteria ſua dilatarent Phariſæi, ſive, ut loquitur B. Hieronymus; complicarent (quod antea vix notum interpretibus noſtris) docuit nos Wagenſeilius, adhibitis ſchematibus, in quibus videre eſt quomodo complicando phylacteria, id eſt membranas ſic dilatarent illas ut plura verba ſcripturarum capere poſſent. Conſidera lector, lignum M, in quo tres ſciſſuræ ſunt. Huic ligno aptatur pellis aquis macerata, quæ immittitur his ſciſſuris, & ubi illa aruit, extrahitur. tunc, ut illam repreſentat figura N, habet in ſe ædiculas quatuor vacuas, quibus includuntur quatuor diſtincta pergamena certis ſcripturæ commalibus inſcripta, & convoluta, ut nos docet Maimonides in tractatu Tephillin, cap. 2. *Quomodo*, inquit, *Tephillæ*, id eſt phylacteria, *capitis ſcribuntur? Scribunt quatuor textus ſanctæ ſcripturæ in quatuor pergamenis, & convolvunt unum quodque ſeorſim, imponuntque ea quatuor ædiculis unius pellis*. Ita licèt hæc pellis occupet exiguam frontis partem, continet in plicaturis ſuis multa ſcripturæ verba. alligatur fronti duobus loris ſuis; & hoc èſt quod frontale, ſive phylacterium frontis dicitur. Sic autem paratur phylacterium manus: pellis pariter



aquis macerata accommodatur ligno quadrato P; quæ cùm exaruit, & extracta eſt, tunc ſimilis eſt figuræ Q. in ſua autem ædicula quæ una formata eſt, includitur pergamenum unum inſcriptum quatuor commatibus, ſive ſectionibus ſcripturæ; ut allegatus Maimonides docet eodem loco. *Tephillas*, id eſt phylacteria *manuum quod attinet, ſcribunt quatuor ſectiones in quatuor paginis in membrana una*, ſive in uno pergameno, *convolvuntque in modum libri legis* (vidimus alibi quæ eſſet forma librorum legis,) *à fine ad initium ejus, & imponunt cellulæ uni* dictæ pellis, quæ loris ſuis alligatur brachio, ut videre eſt in imagine viri Judæi. Cave lector ne lora habeas pro phylacteriis. Philacteria ſunt ipſæ membranæ in quibus inſcripta verba legis ſervabantur.

Fra-

Præceperat etiam Deus, Num. cap. 15. ℣. 38. Iſraelitis, ut per quatuor angulos palliorum ponerent fimbrias, quas illi appellant *Zizith*; pallia enim eorum erant quadrata, ex unico panno non ex diverſis fragmentis panni ſimul conſutis. Hiſce temporibus quibus non licet Judæis palàm ſe profiteri Judæos, dum in privatis ſuis ædibus orant, imponunt capiti ſuo ſimile pallium; ut videre eſt in appoſita viri Judæi imagine; cujus fronti illigatum eſt phylacterium ſicut & manui. Contende oculos lector; ne exilior figura fugiat oculos tuos; & ita non advertas phylacterium verbi cauſa frontis eſſe ſimile huic pelli complicatæ, quam exhibet figura N, capacem multorum verborum. Fimbriæ autem quæ quatuor angulis pallii attexebantur non erant ſimiles his quibus limbus veſtis rotundæ ornatur; vernaculè *des franges* erant propriè id quod dicimus *de houpes*. Scilicet fimbriæ erant hyacintinæ vittæ, ut eas exhibet ſchema F;



quarum fila producebant qui religioſiores ambiebant videri. De phylacteriis parandis fuſus ſermo fit à Judæis doctoribus; circa enim illa maxima eſt eorum religio, quam meritò arguit Chriſtus, quia quæ graviora eſſent legis, negligerent, occupati levioribus.

7 * 6. *Amant autem primos recubitus in cænis*, locum honoratiorem in conviviis ſolemnibus, quæ frequentiùs fiebant nocte. *Mt. L & primas cathedras in ſynagogis*, primarum ſedium honores. Magiſtros primò ſedere non vetat Dominus, ſed id amare, affectare, & pro eo contendere. 8 * 7 *Mt. ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* expetunt ſalutari titulo Rabbinorum, & magiſtrorum. Detegit Dominus ambitionem, qua cæperant laborare; etenim ut in *Aruch*, legimus ad vocem אבי, *ſæcula vetuſtiora, quæ digniora erant, non opus habuerunt titulo, vel Rabban, vel Rabbi, vel Rabh, ſive ad ſapientes Babylonicos, ſive ad ſapientes terræ Iſraeliticæ cum honore deſignandos. Hillel aſcendit Babylone, & tamen non vocatus fuit Rabbi Hillel;*

ſic

fit nec Haggai, nec Eſræ titulo Rabbinatus inſi-gniti fuerunt. Nomen autem רב *Rabb*, unde *Rabban & Rabbi*, idem ſonat. Hebræis quod La-tinis, *multus, magnus, major, amplus, magi-ſter*. Hocce ergo titulo non multum tempus ante Chriſtum natum gaudere cœperat Phariſæorum ambitio, quorum & avaritiam detegit. 9 * 40 *Mc.* 47. *L Qui devorant domos viduarum Mc. ſub ob-tentu prolixæ orationis L ſimulantes longam ora-tionem*. In tribus Evangeliſtis legere eſt in codice Græco προφάσει μακρὰ; quod non eodem modo reddit interpres Latinus. In Matthæo ℣. 16. enim, ut infrà videbimus interpretatur, *oratio-nes longas orantes*; ubi videtur accipere nomen Græcum προφάσει, *prætextus*, pro προσευχῇ, *oratio*, & legiſſe μακρᾷ, in dativo; cùm nunc ubique ſit μακρὰ, *longè*, adverbium. Sed idem interpres eo in loco in quo verſamur, in Mat-eo & in Luca vocem προφάσει, accipit in ſua propria & ordinaria ſignificatione pro *prætextu*, ſcilicet majoris religionis *prætextu longè pre-cantur*; ſive prætextu quòd prolongant oratio-nes ſuas, à viduis religioſis, munera exigunt pretium ſanctitatis, quaſi pro illis apud Deum indefeſſis precibus inſtent, ſic quæſtuariam exer-centes ſanctitatem. *Mc. L Hi accipient L dam-nationem majorem, Mc. prolixius judicium* in utriuſque Evangeliſtæ fonte περισσότερον κρίμα; id eſt abundantius judicium; ſive magis pu-nientur.

10 * 8 *Mt. Vos autem nolite vocari: Rabbi*: ne ambiatis hunc honorem. Non damnat titu-lum, nec vetat honorem exhiberi magiſtratui, aut doctoribus, ſed ambitionem. *Unus eſt enim ma-giſter veſter*, ſupple Chriſtus, ut legitur in fon-te Græco ὁ καθηγητὴς ὁ Χριστός. unus eſt eximius dux, doctor, qui eſt Chriſtus, cujus eſt omnia docere. *Omnes autem vos fratres eſtis*; id eſt pa-riter condiſcipuli. 11 * 9. *Et patrem nolite vo-care vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt*. patris titulus major erat quàm Rabbi aut doctoris. Iſtum enim huic ſoli inter Rabbinos tribuebant, quem tanquam ſcho-læ principem ſectabantur, & in cujus nomen ju-raverant. Ideo Chriſtus hunc titulum patri ſuo vindicat. Unus eſt familiæ veſtræ princeps ac dogmatum auctor, Deus, qui per Filium vo-bis ipſe omnia ſcitu neceſſaria revelavit. Eſtis edocti à Deo, ut dicit apud Joannem, cap. 6. ℣. 45. Non ideo minùs optimo ſenſu vocantur Patres, qui nos in Chriſto per Evangelium ge-nuerunt. 1. Cor. cap. 4. ℣. 15. modò inde non ſuperbiant, qui hoc honoris titulo appellantur. Ibi enim potiſſimum ſuperbiam Phariſæorum Chriſtus exagitabat, ut liquet ex iis quæ ipſe ſubjungit.

12 * 10. *Nec vocemini Magiſtri*, καθηγηταί, duces, ὁδηγοί, doctores, anteceſſores. *Quia Ma-giſter veſter* ὁ καθηγητὴς, *unus eſt Chriſtus*. Sibi tanquam ſupremis fidei dictatoribus credi vole-bant Phariſæi. Tale obſequium ſoli debebatur Chriſto, quem expectabant Judæi; & quem ideo non par erat repudiare, quia repudiaretur à Phari-ſæis. *Quæritur quare adverſum hoc præceptum*, in-quit B. Hieronymus, *doctorem Gentium Apoſtolus ſe eſſe dixerit: aut quomodo vulgato ſermone ma-ximè in Palæſtina & Ægypti monaſteriis ſe in-vicem Patres vocent? quod ſic ſolvitur: Aliud eſſe natura Patrem, aliud indulgentia. Nos ſi hominem Patrem vocamus, honorem ætati defe-rimus, non auctorem noſtræ oſtendimus vitæ. Magiſter quoque dicitur ex conſortio veri Ma-giſtri. Et ne infinita replicem: Quomodo unus per naturam Deus, & unus filius non præjudi-cat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & filii: ita & unus, & Pater, & Magiſter non præjudicat aliis, ut abuſivè appellentur Patres & Magiſtri*.

13 * 11. *Qui major eſt veſtrùm, erit miniſter veſter*. quò quis inter vos majorem in Eccleſia dignitatem obtinebit, eò ſciat ſibi non plus im-perii conceſſum, ſed plus oneris injunctum; un-de ſequitur non eſſe cur vos delectent tituli ma-joris ſervitutis indices. 14. * 12. *Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur*, qui ſe ſuperbè extu-lerit, magnificè de ſe ſenſerit, nimium ſibi tri-buerit, humiliabitur; *& qui ſe humiliaverit, exaltabitur*.

15 * 13. *Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*. ſimilia ex Luca jam protulimus: ſed eadem non ſemel Dominus potuit dicere; aut ipſe Lucas ea proprio loco non inſeruit. Ve-riſimile eſt, cùm tota feria ſecunda & tertia hebdomadis, cujus hiſtoriam nunc teximus, hoſce omnes ſermones habuiſſet, nec illis re-vocati eſſent à malo ſuo propoſito Phariſæi, ſub finem tertiæ tandem erupiſſe in has que-relas; quibus prolaris videbimus modò egre-dientem Templo, à quo abfuit tota feria quar-ta, Hieroſolymam non reverſus, niſi feria quinta poſt occaſum ſolis, cùm aderat dies qua pati eum oportebat. Ergo quia non ampliùs locus futurus erat compellandi turbas, liberè vitia Phariſæorum inſectatur, ut quemque re-vocaret ab admiratione & imitatione virorum hujus inſtituti.

Væ vobis hypocritis, pietatem ſimulantibus, *quia clauditis regnum cælorum*, à me jam aper-tum prædicatione, *ante homines*, id eſt coram & in os hominum parantium ingreſſum, accur-rentium ad Chriſtum, qui ingreſſuri eſſent niſi vos obſtaretis. *Vos enim non introitis, nec in-troeuntes ſinitis intrare*. 16 * 14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui comeditis domos viduarum, ora-tiones longas orantes*, προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι: *propter hoc amplius accipietis judicium*. ſunt quibus ille verſus videtur Matthæo inſertus ex Marco & Luca; citant antiquos codices, & Græ-cum Evangeliorum indiculum, quem canonem vocant, juxta quem hoc verſiculo carere debet

Mat-

Matthæus. Diximus ſuprà auctorem vulgatæ ibi aliter quàm in Marco & in Luca interpretati vocem [illegible], quod & ſuadere poſſet, inſertum hunc verſiculum ab alio auctore, quoniam vulgatus & antiquus interpres non ſic accipiat dictam vocem in Marco & in Luca.

17 * 15. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam*, id eſt, terram. Proverbialis eſt hæc locutio, ſollicitum laborem inquirendi ſignificans, *ut faciatis unum proſelytum*: nempe ut gentilem ad Judaiſmum adducatis. *Proſelytus* vox eſt Græca, idem ſonans quod *advena*. Ita qui ex ethnicis adveniebant in Judæam, amplexaturi leges Judaicas, aut ſaltem adoraturi Deum Iſraelis, appellabantur *proſelyti* à Judæis Græcè loquentibus. *Et cùm fuerit factus; facitis eum filium gehennæ*, id eſt gehennæ obnoxium *duplo quàm vos*, id eſt multò ſuperſtitioſiorem ac ſuperbiorem, mala illum imbuendo doctrina: nam, ut ait S. Chryſoſtomus, probos doctores vix imitari quimus, improbos autem, quia faciliores ad mala ſumus, etiam ſuperamus. Peſſimè audiunt apud Talmudicos proſelyti; de illis dicunt quòd impediant adventum Meſſiæ, & ſcabies ſint Iſraeli. Unum ergo fuit ex vitiis Phariſæorum multos & pravos homines in eccleſiam Judaicam induxiſſe, quibus corrumpebatur; & quos non ſatagebant facere meliores, ſed ex iis aut lucrum, aut gloriam captare.

18 * 16. *Væ vobis duces*, id eſt doctores, rectores, *cæci* craſſa ſupinaque ignorantia, *qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil eſt*, id eſt nullius momenti eſt juramentum illud: non tenetur. *Qui autem juraverit in auro Templi debet.* intelligo aurum in corbonam oblatum; nempe ſi juret hoc modo: *Korban Templo aurum meum; Korban altari pecora mea*, reus eſt, ὀφείλει, debet, tenetur præſtare quod juravit. De hacce voce *Korban* ſuprà egimus, & allegavimus Joſephum qui eam habet pro juramento, ea verò religione conſtrictas mentes Judæorum vidimus, ut qui illam vocem emiſiſſet, ſtatim reum voti ſe crederet & teneri perficere, ſive quod juraverat, ſive quod voverat. 19 * 17. *Stulti & cæci: Quid enim majus eſt, aurum, an Templum, quod ſanctificat aurum*; id eſt, facit ut ex profano ſanctum fiat. Diximus vocem *Korban*, idem ſonare quod *donum*, *oblatio*.

20 * 18. *Et* qui dicitis: *Quicumque juraverit in altari, nihil eſt*, juramentum illud non obſtringit; *quicumque autem juraverit in dono*, ἐν τῷ δώρῳ. (Non dubito quin Matthæus Hebraicè ſcribens ibi dixerit בקרבן *Bekorban*,) *quod eſt ſuper illud*, qui nempe dixerit *Korban*, altari pecora mea, *debet*, tenetur dare alterum holocauſtorum pecora ſua mactanda. 21 * 19. *Cæci: Quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum:* quod illud conſecrat. 22 * 20. *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt*, nempe per omnia ſacrificia & dona, ac proinde per Deum, cujus majeſtas per ea recognoſcitur. 23 * 21. *Et quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo.* nemo enim tam ſtultus cenſeri debet, ut rem inanimem teſtem advocet ſuæ cogitationis & perfidiæ vindicem. Quare in iſtis juramentis ineſt metonymia, ſive nomen pro nomine ponitur. Per Templum intelligitur is cujus eſt Templum. 24 * 22. *Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.* illuſtrat Chriſtus quod dixerat exemplo ſimili. Nam, inquit, & qui per cœlum jurant, cenſendi ſunt teſtem illum invocare, cui cœlum pro ſolio eſt.

25 * 23. *Væ vobis Scribæ Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem:* nempe quod juſtum & æquum eſt in communi vitæ uſu, ut vindicationem injuſtè oppreſſorum, beneficentiam erga proximum, humanitatis officia, conſtantiam in ſervandis promiſſis, ſinceram integritatem. has virtutes negligitis, quæ imperantur in lege; inhærentes iis, quæ non ipſa præcipit, ſed hominum traditio. Neque enim mentham decimandam eſſe dicebat lex, ſed Judæi doctores. *Vicia, quamvis non ſint humana nutrimenta, quia tamen famis tempore comeduntur, etiam addecimari debeat. Sic & hyſſopus, atque origanum quorum ſemina ſunt homini condimenta, decimantur*, inquiunt illi doctores in Talmude, tract. de decimis, cap. 2. quæ lucem fœnerantur huic loco, ubi videmus etiam hortenſia, ut anethum, mentham, & cyminum à Phariſæis addecimari. Hoc autem Chriſtus non ſimpliciter improbat, ſed præpoſterum ſtudium in re minuta, cùm judicium, miſericordia & fides ſecurè interim negligerentur; ſubdit enim: *hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

26 * 24. *Duces cæci, excolantes culicem*, qui percolatis vinum ſi in illud inciderit culex, ne abſorbeatis animal, quod cenſetur lege immundum. Judæos vinum in ſudariis percolaſſe conſtat ex multis locis Talmudis; unum proferam ex lexico Talmudico Buxtorfii ad vocem סנן *colare.* ſic Talmud; *Qui percolat vinum, aut acetum, aut ſiceram, & comedit culices, aut muſcas, & vermes quos percolavit, vapulat.* Ariſtoteles docet culices quos appellat vinariòs, oriri ex vermiculis qui ex fœce aceti oriuntur. Vos Judæi, inquit Dominus, cavetis culices admittere in os cum potu permixtos, *camelum autem glutientes*, craſſum verò animal qualis eſt camelus, non veremini ore deglutire. Proverbialis locutio in eos competens, qui diligentes videri volunt in rebus

mi-

minutis, cùm præcipua officiorum ſecurè negligant; nec enim Chriſti mens erat, camelum poſſe degluriri. *Quæ magna ſunt devoraturus atque negligimus*, cùm querebatur B. Hieronymus, *& opinionem religionis in parvis, quæ lucrum habent, demonſtramus.*

27 * 25. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis.* lavabant pocula, vaſa omnia Judæi, adhibita multa cautione; *intùs autem pleni eſtis rapina, & immunditia.* quaſi dicat: ſimiliter facitis ac ſi quis pocula & patinas diligenter exteriùs lavaret, interiora autem ſordibus & impuritatibus plena eſſe fineret. Sic & vos corpore, item factis externis puros vos præſtatis, at cor veſtrum interiùs plenum eſt rapina, & omni peccatorum illuvie. 28 * 26. *Phariſæe cæce, munda priùs quod intùs eſt calicis & paropſidis, ut fiat id quod deforis eſt, mundum.* Legitimus ordo mundandi eſt, ab interiori incipere, ut deinde externa mundities ſequatur, *Calicis namque uſus interior eſt*, ait Hilarius magnus, *qui ſi obſorduerit, quid proficit lotus exteriùs.*

29 * 27. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis.* τάφοις κεκονιαμένοις, ſparſis pulvere; quo nempe color eorum muteiur, nempe calce, vel gypſo obductis, *quæ ideo à foris parent*, apparent *hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Judæi quinta decima die menſis Adar, ut emundabant vias, aliaque quæ publicum ſpectant, ita ſepulchra notabant, ſive pingebant, idque calce aqua macerata atque infuſa. Cujus rationem hanc reddit gloſſa in Talmude, ut dignoſcerent inde omnes locum iſtum immundum eſſe, ideoque ab eo eſſe declinandum. Etenim ex lege Num. cap. 19. ℣. 16. *Si quis in agro tetigerit cadaver occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſive os illius, vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus*: non ergo ad decorem ſic Judæi inducebant tectorio ſepulchra. his dealbatis ſepulchris ſimiles Phariſæos dicit Dominus. 30 * 28. *Sic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti, intùs autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate*, ſcilicet introrſum turpes eſtis, ſpecioſi tantùm pelle decora,

31 * 29. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarū* vetuſtate collapſa, *& ornatis* ambitioſè *monumenta juſtorum*, ut videamini prophetas magnifacere, alioſque Dei ſervos. 32 * 30. *Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum* fundēdo. ideo reficitis monumenta, ut oſtendatis vos alienos à cædibus, quas patres veſtri patraverunt. 33 * 31. *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis*, teſtamini adverſus vos metipſos grande ſcelus eſſe, occidiſſe viros miſſos à Deo. Attamen & hoc ſcelus admittere parati eſtis, me ſcilicet occidendo; *quia filii eſtis eorum qui prophetas occiderant*; nam patrum imitatores eſtis, filii eorum non natura tantùm, ſed & moribus; quod demonſtratis, ſtatuentes me & meos morti addicere.

34 * 32. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* tanquam genuina proles talium parentum, quando ita vultis, pergite imitari patres veſtros donec tandem improbitas veſtra ad ſummum perveniat, Implete menſuram patrum veſtrorum: quod illis defuit, vos adimplete. illi interfecerunt ſervos: vos Dominum crucifigite; illi prophetas, vos eum qui à prophetis prædicatus eſt. Sic Chriſtum loquentem inducit B. Hieronymus. Ubi verò iſta impleta fuit malitia, tunc funditùs reſpublica eorum everſa eſt; ut Amorræi completa malitia ſua olim deleti fuerant Dei juſſu. 35 * 33. *Serpentes genimina viperarum*, peſſimorum parentum pejor proles *quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Tales cùm ſitis, quì fieri poteſt ut graviſſimum non hujus tantùm, ſed & alterius ſæculi ſupplicium evitetis? Unica fugæ via eſt pœnitentia, cui obſtat pertinax malitia.

36 * 34. *Ideo* quia vos implebitis menſuram, vel, ut menſura divinæ patientiæ pleniſſimæ in vobis impleatur, etiam me occiſo, *ecce ego mitto ad vos prophetas*, viros repletos ſpiritu Dei, *& ſapientes*, *& Scribas*, γραμματεῖς, id eſt, viros litteratos, doctores. Utitur nominibus genti Judæorum uſitatis, diſcipulos deſignans & Apoſtolos ſuos. *Et ex illis alios occidetis, & crucifigetis, & alios* ex eis *flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem.* Hoc Domini vaticinium impletum eſt ſtatim ac Apoſtoli cœperunt promulgare Evangelium.

37 * 35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus*, id eſt, vindicta omnis ſanguinis juſtorum, *qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti*, id eſt, à primo innocente occiſo, *uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ*, ſive Joiadæ, ut alibi diximus, *quem occidiſtis inter Templum, & altare*, nempe in atrio ſacerdotum inter ædem ſanctam & altare holocautomatum, quod poſitum erat in hoc atrio. 38 * 36. *Amen dico vobis: Venient hæc omnia* homicidia ſacrilegia; id eſt, vindicta iis debita, exſtirpatio generis, *ſuper generationem iſtam*, ſuper hoc genus hominum.

39 * 37. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt.* Judices ſynedrii majoris, penes quos judicium Prophetarum erat, Hieroſolymæ ſedebant. *Quoties volui congregare filios tuos*, cives tuos, accolas, Judæos omnes quorum tu metropolis, *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas.* Hac comparatione declarat Dominus quis fuerit amor ſuus erga Judæos. Mirus enim ineſt

avi-

Digitized by Google

avibus omnibus amor fovendi, tuendique pullos, ſed gallinæ præſertim. *Et noluiſti?* Primores tui non permiſerunt; quin obſtiterunt, ne congregarentur à me; cùm tu quæ mater es omnium Judæorum, reliquis præire debuiſſes credendo. Phraſis eſt uſitata in libris Judæorum, *congregari ſub alis divinitatis: hærere ſub alis divinæ majeſtatis* pro eſſe in Dei tutela; in quibus formulis magis reſpiciuntur alæ cherubinorum in Arca, quam gallinarum alæ

40 * 38. *Ecce*, id eſt, mox *relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. Urbs & Templum delebuntur. Prædicebat excidium futurum, quod tam abſolutum fuit toto ambitu civitatis, complanato à Romanis, ut aliquandò fuiſſe habitata vix crederetur; quod adſtruximus Joſephi verbis ſuprà citatis.

41 * 39. *Dico enim vobis: Non me videbitis amodò donec dicatis: Benedictus qui venis in nomine Domini.* ab hacce die non me videbitis vobiſcum, ut nunc facio, colloquentem. Mox egreſſus eſt Dominus de Templo, nec ampliùs eum viderunt beneficum, & ſervatorem, qualem hactenùs experti fuerant. Induratum eſt cor eorum; quam indurationem perpetuam fore illis ſignificat, uſque dum veniat tempus, in quo, quod modò pueros facere prohibuerant, cogentur dicere: Benedictus qui venit in nomine Domini. tunc agnoſcetis me verè miſſum eſſe à Deo, ſed ſerò; nimirum cùm in judicio univerſali ſupremum agam omnium judicem.

CAPUT XII.

Jeſus videns viduam, quæ miſerat duo minuta in gazophilacium eam laudat, quòd ea de penuria ſua offerret.

HARMONIA.	MARCUS. Cap. 12. ℣. 41-44.	LUCAS. Cap. 21. ℣. 1-4 & 37. 38.	
1 *Mc.* ET ſedens Jeſus contra gazophylaciũ, † aſpiciebat quomodò turba jactaret æs *Mc. L* in gazophylacium.	41 Et ſedens Jeſus contra gazophylacium, aſpiciebat quomodò turba jactaret æs in gazophylacium,	1 Reſpiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium.	† 4. *Cor.* 8. 12.
2 *Mc.* Et multi divites jactabant multa.	& multi divites jactabant multa.		
3 *L.* Vidit autem & quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo, *Mc.* quod eſt quadrans.	42 Cùm veniſſet autem vidua una pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans.	2 Vidit autem & quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo.	
4 Et convocans diſcipulos ſuos, ait illis: † Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium.	43 Et convocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit qui miſerunt in gazophylacium.	3 Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes miſit.	† 2. *Reg.* 12. 9.
5 Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt: hæc verò de penuria ſua omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum.	44 Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt: hæc verò de penuria ſua omnia, quæ habuit, miſit totum victum ſuum.	4 Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit miſit.	
		5 *Et quibuſdam &c. vide ſeq. cap. ſequenti.*	

LUCAS.

6 * 37 Erat autem diebus docens in Templo: noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.

7 * 78 Et omnis populus manicabat ad eum in Templo audire eum.

1 * 4 *Mc.* ET *ſedens Jeſus contra gazophylacium*, ex adverſo gazophylacii, *aſpiciebat quomodò turba* plebis *jactabat æs*, mittebat pecuniam ſuam, muneraſua *Mc. L. in gazophylacium* in arculam. Græci interpretes ſæpius vocant *gazophylacia*, loca illa Templi, quæ He-

Digitized by Google

Hebræis dicuntur *leſacoth*, id eſt, *cubicula*; ita in bibliis Græcis loca diverſa inſigniuntur nomine *gazophylaciorum*; ſed unus erat locus cui hoc nomen proprium eſt, in quo diſpoſitæ arcæ excipiendis muneribus. Gazophylacium illud collocamus in porta orientali atrii ſacerdotum, in quo ſitum erat altare. rationes proponimus in libris de Templo. Sufficiat hìc apponere veba Joſephi, lib. 9. Antiq. cap. 8. loquitur de pio rege Joſia, *Arcam paravit ligneam, in qua benè clauſa unum tantùm foramen supernè reliquit. Eam cùm in Templo juxta altare depoſuiſſet, juſſit quemque pecuniæ quantum liberet per foramen immittere, βάλλειν (hoc verbo utitur Lucas) in Templi inſtaurationem conferendæ. Id populus tulit æquiſſimo animo, & multum auri atque argenti certatim contulit. Arcam verò ſingulis diebus præſente rege exinaniebant ſcriba gazophylacii, & ſacerdos ejus cuſtos &c.*

Locus ille gazophylacii celebris erat; & ibi frequentior populus; nam qui offerebant victimas, plerumque huc accedebant, quantum illis licebat, appropinquantes altari. Ibi ergo docebat Jeſus, cùm omninò vellet ſe manifeſtum facere populo ante mortem ſuam. Dum autem poſtremos ſuos ſermones haberet, advertit oculos ad viduam, quæ in arculas gazophylacii mittebat æra minuta duo. 2 * *Mc. Et multi divites jactabant multa.* 3 * 2 *L vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem*, in gazophylacium, *æra minuta duo*, duos minutos æreos nummos, 42 *Mc. quod eſt quadrans*, viliſſimus nummus 4 * 43. *Et convocans diſcipulos ſuos*; ad id convertens oculos & animos diſcipulorum ſuorum, *ait illis*: *Amen* ſive verè *dico vobis*, *quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium*: ſi ſpectetur ejus animus. 5 * 44. *Omnes enim ex eo, quod abundabat illis*, ſcilicet affluentes divitiis, *miſerunt* quæ ſuperflua eſſent, quibus non egerent, partem aliquam, non totum. Illius autem quod fuit exiguum, fuit totum, ut loquitur Leo magnus: nemo plus tribuit, quàm qui ſibi nihil relinquit. *Hæc verò de penuria ſua omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum*; dedit quibus egeret ad vitam alendam, τὸν βίον αὐτῆς, victum ſuum. *βίος*, eſt id quo vita ſuſtentatur, *ſubſtantia, bona*. Eo ſenſu nomen illud uſurpatur à Joſepho, lib. 16. cap. 16. hìc autem ſtrictiùs accipitur pro diurno victu, quantum ſufficit homini pauperrimæ ſortis in diem alendo.

6 * 37. *L Erat autem diebus docens in Templo: noctibus verò exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti*, ſcilicet ab ea die qua Hieroſolymam ingreſſus fuerat cum pompa; ſic effugiens inſidias Phariſæorum, qui non auſi eſſent manus violentas in illum injicere coram populis, quibus acceptus erat; etenim, ut ſubjungit Evangeliſta. 7 * 38. *Et omnis populus manicabat ad eum in Templo, audire eum.* à ſummo mane in Templo aderat, auditurus ſermones Domini; qui ſic tutus erat præſidio turbæ multæ comitantis. toto eo tempore docebat in Templo.

CAPUT XIII.

Prædicit Dominus everſionem Templi, perſecutiones diſcipulorum ſuorum, & pſeudoprophetarum præſtigia.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 24. ℣. 1-14.	MARCUS. Cap. 13. ℣. 1-13.	LUCAS Cap. 21. ℣. 5-19.
1 *Mt.* ET egreſſus Jeſus de Templo ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes Templi.	1 Et egreſſus Jeſus de Templo ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderet ei ædificationes Templi.	1 Et cùm egrederetur de Templo,	
2 *L* Et quibuſdam dicentibus de Templo quòd bonis lapidibus, & donis ornatum eſſet:			5 Et quibuſdam dicentibus de Templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum eſſet, dixit:
3 *Mc.* Ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.		ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.	

4 Et

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	
4 Et reſpondens Jeſus, *Mt.* dixit illis: Videtis hæc omnia, *Mc.* has omnes magnas ædificationes?	2 Ipſe autem reſpondens dixit illis, Videtis hæc omnia?	2 Et reſpondens Jeſus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes?	6 Hæc quæ videtis,	
5 *Mt.* Amen dico vobis: *L* Venient dies in quibus *MM. L* † non relinquetur *Mt.* hic *MM. L* lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.	Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.	Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.	venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.	† 3. *Reg.* 9. 7. 8. *Mich.* 3. 12.
6 *Mt.* Sedente autem eo ſuper montem Oliveti *Mc.* contra Templum, *Mt.* acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò.	3 ✠ Sedente autem eo ſuper montem Oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò,	3 Et cùm ſederet in monte Olivarum, contra Templum,		✠ *Com. plur. Mart.*
7 *L* Interrogaverunt autem illum *Mc.* ſeparatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas, *Mt. L* dicentes: *L* Præceptor;	dicentes:	interrogabant eum ſeparatim Petrus, & Jacobus, & Joannes & Andreas:	7 Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor,	
8 *Mc.* † Dic nobis, quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari?	Dic nobis, quando hæc erunt,	4 Dic nobis, quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari?	quando hæc erunt, & quod ſignum cùm fieri incipient?	† *Act.* 1. 5.
9 *Mt.* Et quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi?	& quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi?			
10 *MM.* Et reſpondens Jeſus, *Mt.* dixit eis: *MM.* † Videte ne quis vos ſeducat.	4 Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat.	5 Et reſpondens Jeſus, cœpit dicere illis: Videte ne quis vos ſeducat.	8 Qui dixit: Videte ne ſeducamini:	† *Epheſ.* 5. 6. *Coloſſ.* 2. 8. 2. *Theſſ.* 2. 3.
11 *MM. L* Multi enim venient in nomine meo, dicentes: *Mc. L* Quia *MM. L* ego ſum *Mt.* Chriſtus: *L* & tempus appropinquavit, *MM.* & multos ſeducent: *L* nolite ergo ire poſt eos.	5 Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.	6 Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego ſum: & multos ſeducent.	multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego ſum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire poſt eos.	
12 † Cùm autem audieritis prælia, & ſeditiones, *Mc.* bella, & opiniones bellorum; *Mt.* videte ne turbemini: *MM. L* oportet *MM.* enim *MM. L* hæc fieri; ſed nondum *L* ſtatim *Mt.* eſt *MM. L* finis.	6 Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis.	7 Cùm audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri; ſed nondum finis.	9 ✠ Cùm autem audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri: ſed nondum ſtatim finis.	† *Jerem.* 4. 20. & 5. 10. 18. ✠ *Com. Plur. Mart.*
12 *L* † Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum.	7 Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.	8 Exurget enim gens contra gentem, & regnum ſuper regnum,	10 Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnū adverſus regnum.	† *Iſa.* 19. 2.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
14 Et terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt.	& erunt peſtilentiæ, & fames, terræ motus per loca.	& erunt terræ motus per loca, & fames.	11 Et terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt.
14 *Mt.* Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.	8 Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.	Initium dolorum, hæc.	

L U C A S.

† *Actor.* 4. 3. *&* 5. 18. *&* 12. 4. *&* 16. 24. *&* 26. 23. *Apoc.* 2. 10.

16 * 12 Sed ante hæc omnia † injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas, & cuſtodias.

HARMONIA.	MARCUS.	LUCAS.
17 *Mc.* Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis *L* propter nomen meum.	9 Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me,	trahentes ad reges & præſides propter nomen meum.
18 Continget autem vobis in teſtimonium.	in teſtimonium illis.	13 Continget autem vobis in teſtimonium.
19 Ponite ergo in cordibus veſtris *Mc.* cùm duxerint vos tradentes, *L* non præmeditari quemadmodum reſpondeatis.	10 *Et in omnes &c. infrà* ℣. 12. 11 Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini:	14 Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis.
20 *Mc.* Sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini.	Sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini.	

L U C A S.

† *Exod.* 4. 12. *Iſa.* 54. 17. *Actor.* 6. 10.

21 * 15 † Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.

M A R C U S.

† *Ezech.* 38. 21. *Mich.* 7. 5. 6.

22 * Non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus.
23 * 12 † Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & conſurgent filii in parentes, & morte afficient eos.

† *Ioan.* 15. 20. *&* 16. 2.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
24 *L* † Trademini autem *Mt.* vos in tribulationem *L* à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis.	9 Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos:		16 Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis.
25 *MM.L* Et eritis odio omnibus *Mt.* gentibus *MM.L* propter nomen meum.	& eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.	13 Et eritis odio omnibus propter nomen meum.	17 Et eritis odio omnibus propter nomen meum.

L U C A S.

† 1. *Reg.* 14. 45. 2. *Reg.* 14. 11. 3. *Reg.* 1. 52.

26 * 18 Et capillus de capite veſtro non peribit.

MAT-

MATTHÆUS.

7 * 10 Et tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent & odio habebunt invicem.

28 * 11 † Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. † 2. Pet. 2. 1.

29 * 12 Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.

30 * 13 Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

MARCUS. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit.
14 *Cùm autem &c. capite ſequenti.*

LUCAS.

31 * 19 in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. ¶

MATTHÆUS.

32 * 14 Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.

10 Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium.
11 *Et cùm duxerint &c. ſupra.* ℣. 19.

1 * 1 *Mt.* ET *egreſſus Jeſus de Templo ibat*, more ſuo Bethaniam, aut aliquod aliud ſuburbium noctu repetens, unde non rediit in urbem niſi feria quinta poſt ſolis occaſum. *& acceſſerunt diſcipuli ejus*, id eſt, unus è diſcipulis acceſſit, ut adſtruit Marcus; *ut oſtenderent ei ædificationes Templi*, τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ, ſtructuram mœniorum extimorum Templi, quibus mons in quo illud ædificatum fuerat, cingebatur. Neque enim de muris ædis ſacræ, ubi altare aureum, menſa panum propoſitionis, hic fit mentio; quæ ædes non appellatur ἱερὸν, ſed ναὸς, ut jam monuimus.

2 * 5 *L. Et quibuſdam dicentibus de Templo*, ὅτι τὸ ἱερὸν, *quòd bonis lapidibus & donis ornatum eſſet*. Quòd muri quibus atria cingebantur ſtructi eſſent bonis lapidibus; etenim egredientes de extremo atrio, retorquentes oculos poterant hujus muri mirari ſtructuram, & ſermonem ea occaſione facere donorum, quibus exornatum fuerat Templum, quod, ut ait Tacitus, *immenſæ opulentiæ* erat; etſi autem veriſimile ſit Dominum non exceſſiſſe Templo niſi nocte appetente, ut ſolebat, Bethaniam rediturus, attamen lux aliqua ſupereſſe poterat; & luna quæ poſt duos dies impletura erat cornua ſua, ante occaſum ſolis orta expellebat primas noctis tenebras. Ergo diſcipuli poterant oculis ſuſpicere ſtructuram Templi; de qua cùm illi ſermonem facerent, 3 * 1 *Mc. Ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter aſpice quales lapides*, quantæ molis ſint. Fidem ſuperaret id quod ſcribit Joſephus, agens de illis lapidibus, niſi ex antiquis ſcriptoribus certum eſſet olim artem & opulentiam oſtenſam eſſe præſertim in lapidibus mole magnis. Lapides illi erant viginti quinque cubitorum longitudine, octo altitudine, & latitudine duodecim ex Joſepho. hos ſacra ſcriptura appellat pretioſos, id eſt, raræ magnitudinis. *Et quales ſtructuræ!* inquiebat hic diſcipulus. ποταπαὶ οἰκοδομαί. Joſephus hac voce οἰκοδομὴ utitur, loquens de iſta ſtructura mœniorum extimorum Templi, quorum altitudinem facit pluſquam trecentorum cubitorum; ita meritò admiranda horum ſtructura; quam in Apparatu Geographico exhibet typus urbis Jeruſalem.

4 * 2 *Et reſpondens Jeſus* 2 *Mt. dixit illis: Videtis hæc omnia*, lapides quibus mœnia illa extructa ſunt, ipſam ſtructuram, *Mc. has omnes magnas ædificationes*, τὰς μεγάλας οἰκοδομάς. 5 * *Mt. Amen dico vobis*, verè prædico vobis, *L venient dies, in quibus Mt. L non relinquetur Mt. hic* ὧδε *MM. L lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*. proverbialis videretur, & hyperbolica locutio, niſi hæc ut prædicta ſunt, contigiſſent non ſine magno miraculo. Templum enim ſic everſum eſt, ut veluti in pulverem abiiſſent, omnes lapides ejus licèt tantæ molis, evanuerint. Radicitus ab ipſis fundamentis cum Templo, urbem erutam fuiſſe à Romanis Joſephus adſtruit ut vidimus. Quin Hebræi dicunt Templo aratrum inductum fuiſſe à Turno Ruſo, quem ſæpè & cum infamia memorant, haud alium quàm Terentium Ruſum, qui dux militiæ à Tito relictus eſt, ut idem Joſeph. ſcribit, lib. 7. de bello cap. 7. De hoc Ruſo ſic loquitur Maimonides Taanith. cap. 5. *Nono iſto die menſis Ab ob vindictas fatali, Turnus Rufus impius aratro Templum fodit, & circumjacentia, ut illud adimpleretur, Sion ut ager arabitur.* quodque animadverſione dignum eſt, etiamſi Titus Templi incendium omnibus modis prohibuiſſet, milites, inquit Joſephus, lib. 7. de bello cap. 9. nihil veriti edictum ducis, *divino quodam moti impetu*, illud incenderunt.

Judæi Juliano Apoſtata imperante, quidquid ſupererat vetuſtarum ruinarum ac funda-

mentorum, ipſi eruerant, eo fine ut nova fundamenta jacerent. Deus verò his utebatur ut impleretur vaticinium Chriſti; quod irritum facere non potuerunt, licèt adjuti opibus imperatoris. Conati ſunt enim Templum excitare, ne perpetuum eſſet ejus excidium, juxta hoc vaticinium Jeſu Chriſti. Sed operam perdiderunt, imo cœpti operis pœnas dedere. *Cùm enim Alypius juſſu Juliani inſtaurationi Templi fortiter inſtaret, metuendi globi flammarum, prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecerunt locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum; atque ita ceſſavit inceptum.* Verba ſunt Ammiani Marcellini viri Ethnici, qui in gratiam Chriſtianorum non mentitus eſſet. Meminerunt etiam hujus miraculi Chryſoſtomus, Ambroſius, & Gregorius Nazianzenus. Olim Aggæus agens de Templi ædificio hanc locutionem uſurpaverat: *Antequam poneretur lapis ſuper lapidem in Templo Domini*, hac eadem locutione utitur Dominus loquens de deſtructione ejus: *non relinquetur lapis ſuper lapidem.*

6 * 5 *Ms. Sedente autem eo ſuper montem Oliveti*, cùm interpellaſſet iter, rediens Bethaniam, 3 *Mc. contra Templum* ex adverſo Templi, unde Templum magis conſpicuum; ea enim ex parte quæ orientem, & ideo montem Olivarum ſpectabat, ſtructuram muri humiliorem fuiſſe Talmudici aſſerunt. Nec decet ſilentio prætermittere quod disertis verbis ſcribit Joſephus, lib. 6. de bello, cap. 3. præceptum à Veſpaſiano Romanis militibus, ut in hoc monte Olivarum (unde Chriſtus prædixit everſionem Templi) caſtra ponerent.

Ubi autem Chriſtus ſtitit iter, *Mt. acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò*, ſeorſim. 7 * 7 *L. Interrogaverunt autem illum Mc. ſeparatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas*, magis familiares, quos ad ſecretiora myſteria adhibuerat *Mt. L. dicentes; L. Præceptor*, magiſter. 8 * 4 *Mc. Dic nobis quando iſta fient* quæ prædicis? *Et quod ſignum erit*; quo conſtabit *quando hæc omnia incipient conſummari?* 9 * *Mt. Et quod ſignum adventus tui & conſummationis ſæculi.* nempe regni tui temporalis, quo eum regnaturum ſperabant, cùm nondum apertum eſſet cor eorum ad intelligendas ſcripturas. Everſionem illam Templi, quam Dominus prædixerat, conjungere videbantur cum regno Chriſti glorioſo, in quo veniet ad judicandas gentes. Sic autem Chriſtus diſtinguit tempora, ut relinquat incertum tempus extremi judicii, ſatagens tantùm ne diſcipuli fruſtrà commoverentur, aut deciperentur à falſis prophetis.

10 * 4 *Mt.* 5 *Mc. Et reſpondens Jeſus Mt. dixit eis: MM. Videte ne quis vos ſeducat.* Vos de tempore noviſſimo quæritis; ſed ante omnia vigilate, & cavete ne quis vos abducat à fide in me, nec ideo vos ſecuros arbitremini quia deſendi Judæi hoſtes veſtri; nam & cavendum vobis à falſis prophetis. 11 * *MM. L. Multi enim venient in nomine meo*, uſurpantes nomen Chriſti, quod mihi proprium eſt; *dicentes Mt. L. quia MM. L. ego ſum Ms. Chriſtus.* Tales pſeudochriſti multi extiterunt, ut Theudas ſub Cuſpio Fado, de quo Joſephus, lib. 20. cap. 2. & Ægyptius ille cujus mentio eſt in Act. cap. 21. ℣. 38. ac plures alii. Centum poſt Chriſti mortem annis Bencosba, qui ſe nominavit Ben-cocaba, id eſt *filius ſtellæ*, dicebat ſe eſſe ſtellam orituram ex Jacob. Ergo Dominus prædicit tales orituros qui ſe Chriſtos dicere auderent, & quod inſtaret tempus quo populus liberandus eſſet. *L. Et tempus appropinquavit*, proximæ ſalutis & libertatis. Verba illa ſunt pſeudoprophetarum. *MM. & multos ſeducent: L. nolite ergo ire poſt eos*, à me admoniti.

12 * 9 *Cùm autem audieritis prælia & ſeditiones*, quæ frequenter poſt mortem Chriſti excitabuntur; quod contigit, ut videre eſt apud Joſephum in hiſtoria de bello, *bella & opiniones*, ἀκοὰς rumores, auditiones, (idiotiſmo Hebraico) *bellorum*, *Mt. videte ne turbemini*, ne terreamini? *MM. L. oportet MM. enim MM. L. hæc fieri*, iſta quidem contingent, *ſed nondum L. ſtatim Mt. eſt MM. L. finis*, ſæculorum conſummatio, nec ſignum præſentis excidii Hieroſolymorum, quo conſpecto ſtatim fugere debeatis. Nondum eſt terminus ille, aut tempus Judæorum excidio divinitùs præfinitum.

13 * 10 *L. Tunc dicebat illis*: Priùs *ſurget gens contra gentem*. Judæi bella gerent cum Græcis, Græci cum Judæis: Judæi qui Cæſareæ, Schytopoli, Ptolemaide, Tyri, Gadaris, Alexandriæ, Damaſci commorabantur, permixti gentibus multa mala perpeſſi ſunt. *Et regnum adverſus regnum*. Judæi bellabunt adverſus Samaritas, Romanos, Agrippam, alioſque Romani imperii ſocios. Prodeſt ad hæc intelligenda evolviſſe libros Joſephi de bello.

14 * 11 *Et terræ motus magni erunt per loca*; in nonnullis locis terram ſæpiùs tremuiſſe hiſce temporibus referunt hiſtoriæ. καὶ λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, *& peſtilentiæ & fames*, quas vicino nomine Græci conjungunt quia ſæpius re conjunguntur. Videre eſt in Actis, cap. 11. ℣. 28. magnam famem contigiſſe imperante Claudio; quam Agabus prædixerat. *Terroreſque de cœlo*, φόβητρα, terriculamenta, *& ſigna magna erunt*. Romphæa de cœlo urbi imminens viſa eſt: flamma in Templo apparuit: fores Templi ſponte apertæ: currus & armatæ phalanges conſpectæ in nubibus: vox audita in Templo: *Migremus*, cum exeuntium ſono. Fanaticus homo, nomen Jeſu ferens, per annos quatuor clamare non deſtitit: *Væ væ Hieroſolymis, Væ væ Urbi & populo & Templo.* Hæc omnia enarrat Joſephus in libris

de

Digitized by Google

de bello. plura etiam ex illis prodigiis Tacitus memorat.

15 * 8 *Mt. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*, ὠδίνων, parturitionum : ſcilicet hæc memorata mala, licèt per ſe gravia ſint, adeò non futura ſunt extremum malorum, ut cum hoc collata, primis tantùm accenſeri debeant parturigiis doloribus, quos multò gravior in partu ipſo ſequitur.

16 * 12 *L Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas & cuſtodias.* vos rapient ad judicia, & in carcerem conjicient; quod poſtea experti ſunt Apoſtoli. 17 * 9 *Mc. Videte autem vosmetipſos*, id eſt, attendite vobiſmetipſis, cavete vobis; *tradent enim vos in conciliis*, εἰς συνέδρια, vos ducent vinctos in ſua ſynedria, in conſeſſus ſuos, conventus: *& in ſynagogis*, εἰς τὰς συναγωγὰς, ſupple ducent vos; nempe ubi non erunt ſynedria, rapient in ſynagogas. Ante verbum δαρήσεσθε, *vapulabitis*, eſt in fonte Græco nota diſtinctionis, ſed idem ſenſus, ſcilicet cædemini, vel in ſynedriis, vel in ſynagogis, ſive in conventibus publicis. Præterea *& ante præſides & reges ſtabitis.* ut Paulum Judæi ſtiterunt ante Feſtum præſidem, & regem Agrippam; *L propter nomen meum*, quia confitebimini me eſſe Chriſtum.

18 * 13. *Continget autem vobis in teſtimonium*, ἀποβήσεται, ſupple ταῦτα; notum eſt neutrum plurale gaudere verbo ſingulari apud Græcos; verti ergo poterat; contingent autem iſta omnia, hæc evenient, ut teſtimonium detis veritati coram conventibus Judæorum, regibus & præſidibus Romanis; quod & Matthæus alibi dicit, nempe cap. 10. ℣. 18. *& ad præſides & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis & gentibus.*

19 * 14 *Ponite ergo in cordibus veſtris*, memori mente condita tenetote, 11 *Mc. cùm duxerint vos tradentes* principibus *L non præmeditari, quemadmodum reſpondeatis.* 20 * *Mc. Sed quod datum fuerit*, quod ſuggeretur *in illa hora, id loquimini.* 21 * 15 *L Ego enim dabo vobis os*, facultatem loquendi, *& ſapientiam*, & ſermonem ſapientem, *cui non poterunt reſiſtere & contradicere*, cui nihil, quod veri habeat ſpeciem, opponere poterunt *omnes adverſarii veſtri.* 22 * *Mc. Non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus*, quo inſpirante loquemini.

23 * 12 *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & conſurgent filii in parentes, & morte afficient.* ipſa religio hæc diſſidia excitabit; neque enim venit Chriſtus, ut ipſe ait, pacem mittere in terram. Adeo quidam exacerbabuntur odio in religionem Chriſtianam, ut nec pater parcat filio, qui eam amplexus fuerit. 24 * 16 *L Trademini autem 9 Mt. vos in tribulationem, L à parentibus, & fratribus, & cognatis & amicis, & morte afficient ex*

vobis. 25 * *Mt.* 13 *Mc.* 17 *L Et eritis odio omnibus Mt. gentibus MM. L propter nomen meum*, propter meam doctrinam; quæ, cùm advertetur corruptis hominum ſtudiis, neceſſe eſt ut odium patiat.

26 * 18 *L Et capillus de capite veſtro non peribit.* proverbiale loquendi genus, quaſi diceret Dominus: ne hilum quidem damni ſentietis. Intelligendum autem eſt damnum poſt ſubductas rationes; nam damnum facere ad tempus, maximum interdùm eſt lucrum. Simile eſt quod alibi dicit Dominus, omnes pilos apoſtolorum numeratos eſſe apud Deum, Mat. cap. 10. ℣. 30. quia ſcilicet ſi quid ipſorum ad tempus interire videtur, non tam interit, quàm apud Deum deponitur, qui cum fœnore eſt redditurus.

27 * 10 *Mt. Et tunc ſcandalizabuntur multi*, offendentur ita ut à chriſtianiſmi profeſſione deficiant; *& invicem tradent, & odio habebunt invicem*; id eſt, alter alterum odio habebit. Senſus eſt, futurum eſt ut chriſtianorum alii alios tradant, nimirum hi, qui à chriſtianiſmo deficiunt, eos qui perſeverant; nulli enim ſunt in veram religionem crudeliores, quàm qui veræ religioni repudium miſerunt, ſeu quia contemptum lucis craſſiſſima mentis caligine Deus ulciſcitur, ſeu quia & ipſi quidvis agunt, ut à ſuſpicione prioris ſtudii ſe liberent.

27 * 11. *Et multi pſeudoprophetæ*, viri qui ſibi falsò vindicabunt titulum prophetarum, qui ſe mentientur prophetas, *ſurgent, & ſeducent multos.* Sicut προφῆται, prophetæ dicebantur Hebræis non ii tantùm qui prædicebant futura, ſed & qui legem interpretabantur; ita Chriſtus novo vocabulo ψευδοπροφήτας, falſos prophetas vocat malos interpretes legis ſuæ, qui inter chriſtianos exurgentes falſis ſuis interpretationibus, vel uſum religionis omnis ſublaturi erant, quales fuere qui dicebant reſurrectionis nullam eſſe ſpem: vel cultum quemvis externum pro indifferenti ducendum; & chriſtianiſmum eum paganiſmo miſcentes, docebant idolothytorum eſum in idoleis licitum eſſe, 1. Cor. cap. 8. ℣. 19. ut gentibus gratificarentur; ſicut contra alii, ut Judæis placerent, legis Moſaicæ obſervationem velut juxta cum Evangelio neceſſarium urgebant, utrique hoc ſpectantes ut ea ratione crucem effugerent. Hi ſunt pſeudoapoſtoli, falſi prophetæ, antichriſti multi, de quibus Paulus, Petrus, Judas, & Joannes meminerunt.

28 * 12. *Et quoniam abundavit iniquitas*, (διὰ τὸ πληθυνθῆναι, quod verbum infinitum præteriti temporis, adhærens verbo futuri temporis, tranſit & ipſum in vim futuri;) ſenſus eſt. Quoniam abundabit, id eſt multiplicabitur iniquitas, ingraveſcet ſævitia, & odium Gentium in chriſtianiſmum; tum etiam propter ſcandala eorum qui deficiunt à fide, & ſeductores *refrigeſcet*,

extinguetur, omnino peribit *charitas multorum*, erga Deum & Chriſti cultores, quos excipere non amplius audebunt. 30 * 13. *Qui autem perſeveraverit*, id eſt, permanſerit conſtans, nullis dejectus erroribus, perſecutionibus, odiis, aut ſcandalis *MM. in finem* (non enim quæruntur in chriſtianis initia, ſed finis) *hic ſalvus erit* ſalute æterna. 31 * 13 *L In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quaſi dicat: non jubeo vos ſtringere gladios vel convitia in hoſtes, ſed jubeo patientes eſſe & conſtantes. Tertulliano interprete: *per tolerantiam ſalvos facietis vosmetipſos.* Veſtra patientia ſaluti veſtræ conſuletis. ibi poſſidere idem ſonat ac acquirere.

32 * 14 *Mt. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe.* quamvis hæc omnia certiſſimè evenient, tamen nihil obſtabunt, quominus prædicetur à vobis iſtud Evangelium in univerſo orbe, ut dicit Matthæus, ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, nempe in omni terra habitabili; Marcus verò, εἰς πάντα τὰ ἔθνη, in omnes gentes: quod impletum eſt etiam ante excidium Hieroſolymorum; nam Paulus Romanis ſcribens, cap. 1. ℣. 8. dicit fidem eorum prædicatam in toto mundo. Per totum orbem intelligere licet non ſimpliciter omnes ubique orbis regiones, nulla excepta, ſed illas mundi partes, in quibus tunc Judæi cum gentibus permixti habitabant, ut conſtat hocce loco Act. cap. 2. ℣. 5. *Erant autem in Hieruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* Romani ſolebant imperium ſuum appellare *imperium orbis terrarum*, τῆς οἰκουμένης, ut videre eſt apud Joſephum, lib. de bello cap. 17. & lib. 2. contra Apionem. Ita dici poteſt per totum imperium Romanum, & ultra ſtatim pervaſiſſe Evangelium: nam ſi unus Paulus ab Hieroſolymis ad Illyricum uſque promovit Chriſti doctrinam, &, ut quidam exiſtimant, etiam in Hiſpaniam; quid de aliis Apoſtolis, & tot eorum adjutoribus eſt exiſtimandum? Prædicabitur autem Evangelium *in teſtimonium omnibus gentibus.* Hac re Deus velut conteſtabitur omnes gentes, ſive teſtatam & notam faciet illis Judæorum pertinaciam, antequam pœnas expoſcat. nemo poterit prætexere ignorantiam veritatis quæ palàm toti mundo annuntiabitur. *Et tunc veniet conſummatio*, τὸ τέλος, finis ille de quo Daniel prædixit, cap. 9. ℣. 27. hoc eſt, prope aderit tempus quod ſecundùm ejus prophetiam, finem afferet Templo, & urbi, & toti Reipublicæ Judaicæ; quam Deus antè diſſolvi noluit, quàm novam inter gentes erexiſſet. Finis, inquam, veniet judiciorum Dei adverſus gentes Judæorum.

CAPUT XIV.

Dominus ſignum dat, quo admoniti diſcipuli ejus fugerent ruinam Hieruſalem; Simul loquitur de judicio extremo; cujus cùm dies incertus ſit, ſemper vigilandum & orandum.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 24. ℣. 15-51.	MARC. Cap. 13. ℣. 14-17.	LUCAS Cap. 21. ℣. 20-36.
1 *L* CUm autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus.			20 Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus.
✠ Dom. ult. poſt Pent. † Dan. 9. 27. — 2 † *Mt.* Cùm ergo *MM.* videritis abominationem deſolationis, *Mt.* quæ dicta eſt à Daniele propheta *MM.* ſtantem *Mc.* ubi non debet *Mt.* in loco ſancto: *MM.* qui legit, intelligat.	15 ✠ Cùm ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.	14 Cùm autem videritis abominationem deſolationis, ſtantem ubi nou debet, qui legit intelligat.	
3 *MM. L* Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant *Mt. L* ad *MM. L* montes: *L* & qui in medio ejus, diſcedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.	16 Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.	tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes.	21 Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, diſcedant, & qui in regionibus, non intrent in eam.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	
4 *Mc.* Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo ſua.	17 Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua.	15 Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo ſua.		
5 *MM.* Et qui in agro *Mc.* erit, *MM.* non revertatur *Mc.* retrò tollere veſtimentum ſuum.	18 Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuã.	16 Et qui in agro erit, non revertatur retrò tollere veſtimentum ſuum.		
6 *L* † Quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt.			22 Quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.	† *Dan.* 9. 26. 27 *Zach.* 11. 1.
7 *MM.* † Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.	19 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.	17 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.	23 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.	
8 *Mt.* Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hieme, † vel ſabbato.	20 Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbato.	18 Orate verò ut hieme non fiant.		† *Act.* 1. 12. † *Dan.* 12. 1.
9 *Mc.* † Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit, Deus uſque nunc, neque fient.	21 Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modò, neque fiet.	19 Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, uſque nunc, neque fient.		

LUCAS.

10 * Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic.
11 * 24 † Et cadent in ore gladii; & captivi ducentur in omnes Gentes; & † *Rom.* 11. 25.
Hieruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
12 *Mc.* Et niſi breviaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviavit dies.	22 Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.	20 Et niſi breviaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviavit dies.
13 *Mt.* Tunc *MM.* ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, *Mt.* aut illic, nolite credere.	23 Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.	21 Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis.
14 Surgent *MM.* enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna *Mt.* magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.	24 Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, itaut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.	22 Exurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.
15 *Mc.* Vos ergo videte. *MM.* Ecce prædixi vobis *Mc.* omnia.	25 Ecce prædixi vobis.	23 Vos ergo videte. Ecce prædixi vobis omnia.

MATTHÆUS.

16 * 26 Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt: nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere.

17 * 27 Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.

† *Ioh. 39. 33. Luc. 17. 37.*
18 * 28 † Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

LUCAS.

* *Dom. 2. Advent.* † *2 Pet. 3. 10. 12. Ioel. 2. 25. Ps. 6. 12.*

19 * 25 Et † * erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum.

20 * 26 Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi.

† *Iſa. 13. 10. Ezech. 32. 7. Ioel. 2. 20. & 3. 15. Act. 2. 20.* — † *Apoc. 1. 7.*

MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
21 * 29 † Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.	24 Sed in illis diebus, poſt tribulationẽ illam ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum. 25 Et ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtutes quæ in cœlis ſunt, movebuntur.	nam virtutes cœlorum movebuntur.
22 * 30 † Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ:		

† *Dan. 7. 10. Act. 1. 11. 2. Theſſ. 1. 10.* — † *1 Cor. 15. 52. 1. Theſſ. 4. 16.* — † *Rom. 8. 23.* — † *Iac. 5. 9.*

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
23 *MM. L* † Et *Mc. L* tunc *MM. L* videbunt Filium hominis venientem *Mt.* in nubibus cœli; *MM.* cum virtute multa *Mc.* & gloria, *Mt. L* & majeſtate.	& videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majeſtate.	26 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.	27 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate.
24 *Mt.* † Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.	31 Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.	27 Et tunc mittet Angelos ſuos. & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ, uſque ad ſummum cœli.	
25 *L* † His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.			28 His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.
26 Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam; *MM.* cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata *Mc.* fuerint *MM.* folia, *L* & omnes arbores.	32 Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata,	28 A ficu autem diſcite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia.	29 Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam; & omnes arbores.
27 Cùm producunt jam ex ſe fructum, *Mt. L* ſcitis quoniam *Mt. L* prope eſt æſtas.	ſcitis quia prope eſt æſtas.	cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas.	30 Cùm producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas.
28 Ita & vos cùm videritis hæc *Mt.* omnia *Mc. L* fieri, † ſcitote *Mc.* quòd in proximo ſit in oſtiis, *L* quoniam prope eſt regnum Dei.	33 Ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in januis.	29 Sic & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quòd in proximo ſit in oſtiis.	31 Ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.

HAR-

Digitized by Google

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
29 *MM. L* Amen dico vobis *Mt. L* quia non præteribit generatio hæc donec omnia *Mt.* hæc *Mc. L* fiant.	34 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia hæc fiant.	30 Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc donec omnia iſta fiant.	32 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant.
30 *MM. L* † Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non *Mc. L* tranſibunt.	35 Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. ¶	31 Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.	33 Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt. ¶ † *Pſ.* 101. 27. *Iſa.* 51. 6.
31 *Mt.* De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, *Mc.* neque Filius, *MM.* niſi *Mt.* ſolus *Mc.* Pater.	36 De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.	32 De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.	

MARCUS.

32 * 33 † Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit. † *Comm. Conf. Pont.*

LUCAS.

33 * 34 Attendite autem vobis, ne † fortè graventur corda veſtra in crapula, † *Rom.* 13. 13.
& ebrietate, & curis hujus vitæ; & ſuperveniat in vos repentina dies illa.

34 * 35 Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.

35 * 36 Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.

MATTHÆUS.

36 * 37 † Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. † *Gen.* 7. 5.

37 * 38 Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes; nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam.

38 * 39 & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

39 * 40 Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur, & unus relinquetur.

40 * 41 Duæ molentes in mola: una aſſumetur, & una relinquetur.

41 * 42 † Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. † *Comm. Conf. Pont.*

42 * 43 Illud autem ſcitote † quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. † 1. *Theſ.* 4. 17. 2. *Pet.* 3. 10. *Apoc.* 3. 3.

43 * 44 Ideò & vos eſtote parati: quia qua neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt.

44 * 45 Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore?

45 * 46 † Beatus ille ſervus, quem, cùm venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem. † *Apoc.* 16. 15.

46 * 47 Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. ¶

47 * 48 Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire:

48 * 49 & cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis.

49 * 50 veniet dominus ſervi illius, in die qua non ſperat, & hora qua ignorat:

50 * 51 &

50 * 51 & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit
fletus, & ſtridor dentium.

M A R C U S.

51 * 34 Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit
ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit ut vigilet.
52 * 35 Vigilate ergo, neſcitis enim quando dominus domus veniat; ſe-
rò, an media nocte, an galli cantu, an manè;
53 * 36 ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes.
54 * 37 Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. ¶

UT Judæorum facinore qui occiderunt filium Dei nullum aliud atrocius cogitari poteſt, ita nullæ aliæ pœnæ acerbiores ſunt iis, quas Judæi perpeſſi ſunt divinitùs irrogatas, ut nos docet Chriſti prædictio. Quin etiam videtur Deus impuliſſe Joſephum ut ſcriberet hiſtoriam excidii urbis Hieruſalem & Templi; decebat enim rem tantam teſtimonio viri Judæi comprobatam eſſe, ne quis diceret confictam à diſcipulis Chriſti dum fidem divinitatis volunt adſtruere magiſtro: quod eleganter notat Iſidorus Peluſiota, lib. 4. ep. 75. *Nam*, inquit ille, *ne quiſquam denegaret ipſorum calamitatibus*, loquitur de excidio Hieroſolymorum, & Judæorum miſera ſorte, *quamvis fidem & exemplum ſuperantibus, idcirco non extraneum aliquem (fortaſſis enim vel potiùs neceſſariò non inveniſſet fidem) ſed hominem ex eadem gente oriundum, & inſtitutorum patriorum ſervantiſſimum paravit, & inſtruxit veritas, ut ſtupenda illa geſta quæ Judæis evenerunt, tragico ſtylo deſcriberet.* Ne autem in urbis & Templi ruina involverentur chriſtiani, ſignis eos inſtruere voluit Dominus, quibus tot tantaque mala effugerent.

1 * 20 L. *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu*, ὑπὸ στρατοπέδων, ab exercitibus, à caſtris *Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus*, ἐρήμωσις αὐτῆς, vaſtatio ejus, everſio; tunc eam everſuri ſunt Romani, ſicut prædixi vobis. vox ἐρήμωσις, hunc ſenſum habet in Joſepho, lib. 12. cap. 11. cùm loquitur de vaſtatione Templi & Urbis ſub Antiocho. Quoniam verò non ita facile eſt effugere manus hoſtiles, cùm jam obſidione urbem cinxerint, (quamquam non id impoſſibile ſit, neque enim ſtatim arctiſſima eſt obſidio,) aliud ſignum, quod præcederet obſidionem, dat Dominus.

2 * 15 *Mt. Cùm ergo Mt.* 14 *Mt. videritis abominationem deſolationis, Mt. quæ dicta eſt à Daniele propheta, MM. ſtantem Mc. ubi non debet, Mt. in loco ſancto, MM. qui legit intelligat.* id eſt, tunc qui legit hocce vaticinium, ſatagat illud intelligere; agitur enim de ſigno, quo quiſque vitæ ſuæ conſulere poteſt. Diverſæ ſunt circa iſtam abominationem interpretum ſententiæ. pro more meo dicam id quod mihi probabilius videtur, Danieli prædictionem ſpectare everſionem Templi & Urbis, agnoſcit Joſephus in fine lib. 10. Antiquit. Daniel, inquit, etiam de Romano imperio ſcripſit, & quod per eos ἐρημωθήσεται, vaſtabitur, nimirum τὸ ἔθνος, natio noſtra; hoc & Rabbi Joſeph Iachides in paraphraſi ſua in hunc prophetam; ſed ipſum Danielem audiamus. Poſtquam ille prædixit Chriſtum occidendum eo tempore quo reipſa J. C. D. N. occiſus eſt, ut evicimus in Chronologicis, protinus addit cap. 9. ỽ. 26. *& non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* deſinet eſſe populus gens Judæorum; ut contigit; ſiquidem, ex quo everſa eſt Hieruſalem, non ampliùs in rempublicam coaluit, ſed hactenus diſperſi Judæi vitam infelicem degunt ubique ſub alieno principatu. *Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus*, nempe Romanus, *cum duce venturo*, Tito ſcilicet. *Et finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Hieroſolymam non recuperavere Judæi, nec iterum Templum potuit ædificari; quod non contigerat, cùm ab Antiocho Hieruſalem vaſtata eſt; nam urbem & Templum inſtauravit Judas Machabæus.

Reſtat ut quæramus quod illud ſignum ſit, quo conſpecto chriſtiani intelligerent fugam ex urbe ſancta ſibi eſſe accelerandam: nimirùm quæ eſſet iſta *abominatio deſolationis*. Varii varia. alii volunt eſſe ſigna Romanorum exercituum, nempe Aquilas, & Cæſarum imagines, quas abominabantur Judæi, nec ultro patiebantur in Judæam inferri. Aliis placet iſtam abominationem fuiſſe imaginem Caji, quam ille in Templo collocari juſſerat; ſed in Evangelio fit ſermo de abominatione quæ ſteterit in ipſo Templo, in quod juſſerat quidem Caius inferri imaginem ſuam, ſed non in eo collocata eſt; nec ſigna Romana inducta ſunt ante ipſum excidium. *ſtantem ubi non debet*, inquit Marcus, nempe, ut ait Matthæus, *in loco ſancto*. Cùm autem nomine Templi ſignificetur tum ædes ſacra, tum & atria & ædificia quibus circumdabatur, certum eſt, rem ſive in æde ſacra, ſive in atriis ejus futuram, ex cujus conſpectu intelligere poſſent apoſtoli jam-

jam

Digitized by Google

jam ruituram urbem; quod Daniel prævidiſſet, id inquam, quod Daniel vaticinans intuebatur, ſcrutemur in ipſo Daniele.

Sic loquitur propheta capite allegato, ℣. 27. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium*, poſtea addit juxta vulgatum interpretem, qui verſionem Græcam expreſſit: *& erit in Templo abominatio deſolationis*. על כנף שקוצים משמם ad verbum: *ſuper alam abominationes deſolantis*, in verſione Græca ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Non ſemel obſervavimus, τὸ ἱερὸν, eſſe atrium Templi, quod altis mœnibus & porticibus cinctum erat, tectum harum porticuum ex lege habebat alas, ſive pinnaculum, quod in Evangellio appellatur πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, *pinnaculum Templi*. Paulò autem ante obſidionem urbis, bello civili orto inter ipſos Judæos, Zelotæ occupato Templo machinas in ejus pinnaculis diſpoſuere, unde occidebant, & occidebantur; ita ſacrum ſolum ſanguine pollutum eſt. Juvat rem paulò fuſiùs enarrare; ut loci Evangelici in quo verſamur, expoſitio clarior fiat.

Joſephus lib. 4. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. de bello cauſam excidij Hieroſolymitani fuiſſe ſcribit diſſidia Judæorum intra ipſam urbem, quæ cœpere aliquot menſibus antequam de illa obſidenda cogitarent Romani. Judæi qui ſe dicebant Zelotas, occupaverunt Templum & verticem ejus; unde adverſus eos à quibus obſidebantur, pugnabant, vibratis miſſilibus occidentes, & ipſi occiſi ab adverſariis qui & tormenta bellica ad jaculanda miſſilia paraverant. Ita factum eſt ut domicilium Dei, nempe Templum, ubique pollueretur, ut dicit Joſephus, φόνοις ἐμιαίνετο πανταχοῦ τὸ ἱερὸν. notum cadaver eſſe rem impuram & abominandam, ideo locus ſanctus ſtatim ac viri mortui oſſa in eum illata eſſent, pollutus cenſebatur.

Dominus, ut puto, hæc intuebatur quæ paulò ante urbis obſidionem in Templo tranſacta ſunt abominanda; quæ fuere conſpicuum ſignum chriſtianis ut excederent urbe antequam circumvallaretur; poſtea enim Romani non permiſerunt ut quis ex illa exiret. ſic factum eſt ut unà cum perfidis Judæis non experti ſint chriſtiani arctiſſimæ obſidionis calamitates. *Cùm univerſa plebs fidelium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ex oraculo*, inquit Euſebius, lib. 3. cap. 5. Hiſt. eccl. *quòd viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitùs editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine incolere juſſa fuiſſet; jamque omnes, qui in Chriſtum crediderant, relictis Hieroſolymis ſedes ſuas Pellam tranſtuliſſent: ita & regia urbe, quo totius gentis caput eſt, & univerſa Judæa viris ſanctis deſtituta, tum demùm divina illos ultio ob tot admiſſa tum in Chriſtum, tum in ejus Apoſtolos ſcelera corripuit, totamque illam impiorum ſobolem funditus delevit*.

Danielis vaticinium impletum crediderant Judæi tempore Macchabæorum. Saltem illud tribuebant impio facinori quo Antiochus Templum polluit. Sic enim loquitur ſcriptor libri primi Macchab. cap. 1. ℣. 57. *ædificavit rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei*. Fons Græcus habet ipſiſſima verba Evangelii βδέλυγμα ἐρημώσεως. ſed quod tempore Zelotarum factum eſt, initio belli, magis convenit Danielis vaticinio; neque enim antea gens exciſa eſt; & abominatio Antiochi facta eſt ſuper altari, non ſuper alas, nempe ſuper pinnacula Templi, aut ſuper porticus; quæ erant velut alæ Templi; unde tanquam ex propugnaculis pugnabant qui occupaverant Templum adverſus cæteros Judæos, à quibus oppugnabantur.

Nulla autem arctior obſidio unquam fuit, nec ulli incolæ obſeſſi ad tantas anguſtias & calamitates redacti fuerant, neque enim ſolùm laborabant fame, ſed & diſſidiis inter ſe; quæ omnia vix invenirent fidem, niſi Joſephum ſcriptorem & teſtem oculatum haberent, à quo illa adinventa, aut aucta eſſe in gratiam chriſtianorum nemo dixerit. Ne autem chriſtiani deprehenderentur in iſta infauſta urbe, Jeſus quaſi ſuis ſubjecta oculis videns omnia hæc mala, promptam fugam ſuadet. 3 * 16 *Mt. Mc.* 21. *L. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant Mt. L ad MM. L montes.* videtur ibi alludere ad hiſtoriam Loth, qui ereptus eſt incendio Sodomorum, verſus montes fugiens. montes loca ſunt tuta, quia inacceſſa. Pella quò ſe recepere chriſtiani, non remotiſſima erat ab Hieroſolymis, quippe in ſeptentrionali limite Peræræ; ſed ut diximus in Geographicis, incolebatur à Græcis; ita non obnoxia pœnis quas ubique Romani repetebant à Judæis. Pergit Dominus hortari ad fugam, *L & qui in medio ejus diſcedant*; omnes enim in ea deprehenſi cùm expugnabitur, peribunt. *Et qui in regionibus* vicinis, *non intrent in eam*, etiam religionis cauſa. 4 * 15 *Mc. Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum*, id eſt deſcendens ex illo, *nec* domum *introeat ut tollat quid de domo ſua*. vidimus ſuprà ſcalas extrinſecùs appoſitas fuiſſe; ut in tectum aſcendens, aut inde deſcendens, interiores ædes non intraret priùs, quod fit in noſtris ædificiis. 5 * 18. *Mt. Et qui in agro Mc. erit MM. non revertatur Mc. retrò tollere veſtimentum ſuum*: maturato enim opus eſt. 6 * 22 *L Quia dies ultionis, hi ſunt: ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt*. ſcilicet ut veniant ſuper eos mala omnia quæ prædixerat Deus eventura illis, ſi Filium ſuum repudiarent.

7 * 19 *Mt.* 17. *Mc.* 23. *L Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*. onere enim grava-

tæ

50 * 51 & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit
fletus, & ſtridor dentium.

MARCUS.

51 * 34 Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit
ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit ut vigilet.
52 * 35 Vigilate ergo, neſcitis enim quando dominus domus veniat; ſe-
rò, an media nocte, an galli cantu, an manè;
53 * 36 ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes.
54 * 37 Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. ¶

UT Judæorum facinore qui occiderunt filium Dei nullum aliud atrocius cogitari poteſt, ita nullæ aliæ pœnæ acerbiores ſunt iis, quas Judæi perpeſſi ſunt divinitùs irrogatas, ut nos docet Chriſti prædictio. Quin etiam videtur Deus impuliſſe Joſephum ut ſcriberet hiſtoriam excidii urbis Hieruſalem & Templi; decebat enim rem tantam teſtimonio viri Judæi comprobatam eſſe, ne quis diceret confictam à diſcipulis Chriſti dum fidem divinitatis volunt adſtruere magiſtro: quod eleganter norat Iſidorus Peluſiota, lib. 4. ep. 75. *Nam*, inquit ille, *ne quiſquam denegaret ipſorum calamitatibus*, loquitur de excidio Hieroſolymorum, & Judæorum miſera ſorte, *quamvis fidem & exemplum ſuperantibus, idcirco non extraneum aliquem (fortaſſis enim vel potiùs neceſſariò non inveniſſet fidem) ſed hominem ex eadem gente oriundum, & inſtitutorum patriorum ſervantiſſimum paravit, & inſtruxit veritas, ut ſtupenda illa geſta quæ Judæis evenerunt, tragico ſtylo deſcriberet.* Ne autem in urbis & Templi ruina involverentur chriſtiani, ſignis eos inſtruere voluit Dominus, quibus tot tantaque mala effugerent.

1 * 20 *L. Cùm autem videritis circumdari ab exercitu*, ὑπὸ στρατοπέδων, ab exercitibus, a caſtris *Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus*, ἐρήμωσις αὐτῆς, vaſtatio ejus, everſio; tunc eam everſuri ſunt Romani, ſicut prædixi vobis. vox ἐρήμωσις, hunc ſenſum habet in Joſepho, lib. 12. cap. 11. cùm loquitur de vaſtatione Templi & Urbis ſub Antiocho. Quoniam verò non ita facile eſt effugere manus hoſtiles, cùm jam obſidione urbem cinxerint, (quamquam non id impoſſibile ſit, neque enim ſtatim arctiſſima eſt obſidio,) aliud ſignum, quod præcederet obſidionem, dat Dominus.

2 * 15 *Mt. Cùm ergo Mt. 14 Mc. videritis abominationem deſolationis, Mt. quæ dicta eſt à Daniele propheta, MM. ſtantem Mc. ubi non debet, Mt. in loco ſancto, MM. qui legit intelligat.* id eſt, tunc qui legit hocce vaticinium, ſatagat illud intelligere; agitur enim de ſigno, quo quiſque vitæ ſuæ conſulere poteſt. Diverſæ ſunt circa iſtam abominationem interpretum ſententiæ: pro more meo dicam id quod mihi probabilius videtur, Danieli prædictionem ſpectare everſionem Templi & Urbis, agnoſcit Joſephus in fine lib. 10. Antiquit. Daniel, inquit, etiam de Romano imperio ſcripſit, & quod per eos ἐρημωθήσεται, vaſtabitur, nimirum τὸ ἔθνος, natio noſtra; hoc & Rabbi Joſeph Iachides in paraphraſi ſua in hunc prophetam; ſed ipſum Danielem audiamus. Poſtquam ille prædixit Chriſtum occidendum eo tempore quo reipſa J. C. D. N. occiſus eſt, ut evicimus in Chronologicis, protinus addit cap. 9. ℣. 26. *& non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* deſinet eſſe populus gens Judæorum; ut contigit; ſiquidem, ex quo everſa eſt Hieruſalem, non ampliùs in rempublicam coaluit, ſed hactenus diſperſi Judæi vitam infelicem degunt ubique ſub alieno principatu. *Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus*, nempe Romanus, *cum duce venturo*, Tito ſcilicet. *Et finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Hieroſolymam non recuperavere Judæi, nec iterùm Templum potuit ædificari; quod non contigerat, cùm ab Antiocho Hieruſalem vaſtata eſt; nam urbem & Templum inſtauravit Judas Machabæus.

Reſtat ut quæramus quod illud ſignum ſit, quo conſpecto chriſtiani intelligerent fugam ex urbe ſancta ſibi eſſe accelerandam: nimirùm quæ eſſet iſta *abominatio deſolationis*. Varii varia. alii volunt eſſe ſigna Romanorum exercituum, nempe Aquilas, & Cæſarum imagines. quas abominabantur Judæi, nec ultro patiebantur in Judæam inferri. Aliis placet iſtam abominationem fuiſſe imaginem Caji, quam ille in Templo collocari juſſerat; ſed in Evangelio fit ſermo de abominatione quæ ſteterit in ipſo Templo, in quod juſſerat quidem Caius inferri imaginem ſuam, ſed non in eo collocata eſt; nec ſigna Romana inducta ſunt ante ipſum excidium. *ſtantem ubi non debet*, inquit Marcus, nempe, ut ait Matthæus, *in loco ſancto*. Cùm autem nomine Templi ſignificetur tum ædes ſacra, tum & atria & ædificia quibus circumdabatur, certum eſt, rem ſive in æde ſacra, ſive in atriis ejus futuram, ex cujus conſpectu intelligere poſſent apoſtoli jam-

jam

jam ruituram urbem; quod Daniel prævidiſſet, id inquam, quod Daniel vaticinans intuebatur, ſcrutemur in ipſo Daniele.

Sic loquitur propheta capite allegato, ℣. 27. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium*, poſtea addit juxta vulgatum interpretem, qui verſionem Græcam expreſſit: *& erit in Templo abominatio deſolationis*. על כנף שקוצים משמם ad verbum: *ſuper alam abominationes deſolantis*, in verſione Græca ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Non ſemel obſervavimus, τὸ ἱερὸν, eſſe atrium Templi, quod altis mœnibus & porticibus cinctum erat. tectum harum porticuum ex lege habebat alas, ſive pinnaculum, quod in Evangellio appellatur πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, *pinnaculum Templi*. Paulò autem ante obſidionem urbis, bello civili orto inter ipſos Judæos, Zelotæ occupato Templo machinas in ejus pinnaculis diſpoſuere, unde occidebant, & occidebantur; ita ſacrum ſolum ſanguine pollutum eſt. Juvat rem paulò fuſiùs enarrare; ut loci Evangelici in quo verſamur, expoſitio clarior fiat.

Joſephus lib. 4. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. de bello cauſam excidii Hieroſolymitani fuiſſe ſcribit diſſidia Judæorum intra ipſam urbem, quæ cœpere aliquot menſibus antequam de illa obſidenda cogitarent Romani. Judæi qui ſe dicebant Zelotas, occupaverunt Templum & verticem ejus; unde adverſus eos à quibus obſidebantur, pugnabant, vibratis miſſilibus occidentes, & ipſi occiſi ab adverſariis qui & tormenta bellica ad jaculanda miſſilia paraverant. Ita factum eſt ut domicilium Dei, nempe Templum, ubique pollueretur, ut dicit Joſephus, φύρει νεκρῶν πανταχοῦ τὸ ἱερὸν. notum cadaver eſſe rem impuram & abominandam; adeo locus ſanctus ſtatim ac viri mortui oſſa in eum illata eſſent, pollutus cenſebatur.

Dominus, ut puto, hæc intuebatur quæ paulò ante urbis obſidionem in Templo tranſacta ſunt abominanda; quæ fuere conſpicuum ſignum chriſtianis ut excederent urbe antequam circumvallaretur; poſtea enim Romani non permiſerunt ut quis ex illa exiret. ſic factum eſt ut unà cum perfidis Judæis non experti ſint chriſtiani arctiſſimæ obſidionis calamitates. *Cùm univerſa plebs fidelium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ex oraculo*, inquit Euſebius, lib. 3. cap. 5. Hiſt. eccl. *quòd viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitùs editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine incolere juſſa fuiſſet; jamque omnes, qui in Chriſtum crediderant, relictis Hieroſolymis ſedes ſuas Pellam tranſtuliſſent: ita & regia urbe, quo totius gentis caput eſt, & univerſa Judæa viris ſanctis deſtituta, tum demùm divina illos ultio ob tot admiſſa tum in Chriſtum, tum in ejus Apoſtolos ſcelera corripuit, totamque illam impiorum ſobolem funditus delevit.*

Danielis vaticinium impletum crediderant Judæi tempore Macchabæorum. Saltem illud tribuebant impio facinori quo Antiochus Templum polluit. Sic enim loquitur ſcriptor libri primi Macchab. cap. 1. ℣. 57. *ædificavit rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei.* Fons Græcus habet ipſiſſima verba Evangelii βδέλυγμα ἐρημώσεως. ſed quod tempore Zelotarum factum eſt, initio belli, magis convenit Danielis vaticinio; neque enim antea gens exciſa eſt; & abominatio Antiochi facta eſt ſuper altari, non ſuper alas, nempe ſuper pinnacula Templi, aut ſuper porticus; quæ erant velut alæ Templi; unde tanquam ex propugnaculis pugnabant qui occupaverant Templum adverſus cæteros Judæos, à quibus oppugnabantur.

Nulla autem arctior obſidio unquam fuit, nec ulli incolæ obſeſſi ad tantas anguſtias & calamitates redacti fuerant, neque enim ſolùm laborabant fame, ſed & diſſidiis inter ſe; quæ omnia vix invenirent fidem, niſi Joſephum ſcriptorem & teſtem oculatum haberent, à quo illa adinventa, aut aucta eſſe in gratiam chriſtianorum nemo dixerit. Ne autem chriſtiani deprehenderentur in iſta infauſta urbe, Jeſus quaſi ſuis ſubjecta oculis videns omnia hæc mala, promptam fugam ſuadet. 3 * 16 *Mt. Mc.* 21. *L. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant Mt. L ad MM. L montes.* videtur ibi alludere ad hiſtoriam Loth, qui ereptus eſt incendio Sodomorum, verſus montes fugiens. montes loca ſunt tuta, quia inacceſſa. Pella quò ſe recepere chriſtiani, non remotiſſima erat ab Hieroſolymis, quippe in ſeptentrionali limite Peræa; ſed ut diximus in Geographicis, incolebatur à Græcis; ita non obnoxia pœnis quas ubique Romani repetebant à Judæis. Pergit Dominus hortari ad fugam, *L & qui in medio ejus diſcedant*; omnes enim in ea deprehenſi cùm expugnabitur, peribunt. *Et qui in regionibus* vicinis, *non intrent in eam*, etiam religionis cauſa. 4 * 15 *Mc. Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum*, id eſt deſcendens ex illo, *nec* domum *introeat ut tollat quid de domo ſua.* vidimus ſuprà ſcalas extrinſecùs appoſitas fuiſſe; ut in tectum aſcendens, aut inde deſcendens, interiores ædes non intraret priùs, quod fit in noſtris ædificiis. 5 * 18. *Mt. Et qui in agro Mc. erit MM. non revertatur Mc. retrò tollere veſtimentum ſuum:* maturato enim opus eſt. 6 * 22 *L Quia dies ultionis, hi ſunt: ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.* ſcilicet ut veniant ſuper eos mala omnia quæ prædixerat Deus eventura illis, ſi Filium ſuum repudiarent.

7 * 19 *Mt.* 17. *Mc.* 23. *L Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* onere enim grava-

ta

tæ ſugere non poterunt. 8 * 20 *Mt. Orate autem ut non fiat ſuga veſtra in hieme, vel ſabbato*, quia per hiemem viæ difficiles, & in ſabbato non licebat ultra bis mille cubitos progredi. Orate ut tempore opportuno fiat ſuga veſtra 9 * 19 *Mc. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus uſque nunc, neque fient*, id eſt à mundo condito uſque ad tempus illud. 10 * *L erit preſſura magna ſuper terram, ἀνάγκη* neceſſitas, afflictio: *& ira populo huic*: nempe Dei ira: ſive pœna, quam repetet Deus, erit maxima: in hunc populum atrociter ſævietur.

11 * 24. *Et cadent in ore gladii*, acie gladii tanta turba populorum peribit, ut vix numerus eorum iniri poſſit. Refert Euſebius ex Joſepho undecim centum mille homines fame & bello periiſſe in obſidione urbis. Et qui reliqui fuerint, quos non abſumpſerit ferrum, *captivi ducentur in omnes gentes*. tunc enim tota gens velut in carcerem fato concluſa erit. verba ſunt Joſephi, qui lib. 7. de bello cap. 17. ſcribit captivorum numerum fuiſſe 97000. io omnes gentes: *Juvenum enim pulcherrimos Titus ſervavit triumpho: alios vinctos ad opera damnatos miſit in Ægyptum: alios per provincias diſtribuit pugnaturos cum beſtiis: alios vendidit &c.* Addit Dominus: *& Hieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.* populus Judæorum tandiu opprimetur tyrannide gentium illarum, à quibus captivus abducetur; nec calamitates urbi & genti ſua culpa obventuræ ceſſabunt, donec tempora definita dominio gentium in populum Judaicum compleantur, & venerit tempus judicii earum. Paulus Rom. cap. 11. ℣. 25. ubi de induratione Judæorum agit, dicit eam duraturam donec plenitudo gentium intraret, id eſt, donec omnibus illis, quos ex gentibus occaſione lapſus Judaici Deus vocare & ſervare conſtituit, ingreſſis viam ſalutis per fidem & obedientiam, reliquorum ſalus deſperata fuerit, ac induratio completa. Ita *tempora nationum* Paulo interprete, non tam eſt tempus dominii earum, quàm fidei; quòd ſcilicet tempus eis datum eſt ut occupent locum eccleſiæ Dei, vacuum propter Judæorum apoſtaſiam.

12 * 20 *Mc. Et niſi breviaſſet Dominus dies*, niſi divinitùs decretum eſſet tempora ultionis tùm extra, tùm intra urbem decurtare, *non fuiſſet ſalva omnis caro*; nullus homo ex Judæis ſervaretur. Præterquam enim Romani, ſi diutiùs pugnare coacti eſſent, omnes per totum orbem diſperſos Judæos juſſiſſent interfici; antequam urbs obſideretur, in diverſas factiones ſciſſi fuerant Judæi, ut diximus. Qui dicebantur ſicarii quos lubebat, trucidabant; deinde Zelotæ ſumptis in Romanos armis, omnes à bello averſos obtruncabant. His adde Zelotarum duces tam in Galilæa quàm in Judæa, de principatu inter ſe armis certantes, populum in partes, mutuaſque cædes rapuiſſe. Itaque niſi accelerata eſſet obſidio urbis, in quam confluxit non ex Judæa tantùm, ſed & ex Galilæa & Idumæa quidquid erat peſſimorum hominum, ac ſic bellum omne concluſum fuiſſet intra ſemeſtre tempus, haud dubiè quotquot in Judæa erant, concidiſſent, aut latrocinio, aut mutuis cædibus.

Sed propter electos quos elegit, vel Judæos credentes, quos Deus ab illa clade ſervare decreverat, vel chriſtianorum cauſa, qui ſparſi per Judæam & Galilæam, pecudum ritu cæſi fuiſſent à ſicariis, Zelotis, & tyrannis, ut pote averſi à belli conſiliis: *breviavit* Deus dies illos, ſapienti diſpenſatione, quæ conſpicitur in hiſtoria. nam Romanis placebat in aliud tempus differre Hieroſolymorum obſidionem. Veſpaſianus enim ſenecta tardus, & operiendum cenſens ut Tacitus ſcribit, dum mutuis vulneribus Judæi conciderent. Sed admonitus eſt ſuccurere urbi, & populi reliquias ſervare, quia plurimi, quòd Romanis faverent, interempti eſſent. Ita accingebat ſe ad obſidium: ſed mox ipſe verſus ad capeſſendum firmandumque imperium, à cœpto deſtitit, & Tito tradidit copias; cujus ante oculos Roma, ut idem Tacitus notat, & niſi ſtatim Hieroſolyma conciderent, voluptates & opes morari videbantur, ideo urgere cœpit obſidionem; cùm interim qui in urbe erant latrociniis, rapinis, libidinibuſque indulgerent, *quaſi Deo exprobrantes tarditatem ſupplicii*, ut Joſephus loquitur. Quapropter cœpta obſidio ſpe omni celeriùs finem habuit, dum ipſi obſeſſi ambuſtis frumentis famem accelerarunt, & munitiſſima præſidiorum fatali vecordia deſeruere.

His de futura Hieroſolymorum everſione ſermonibus Domini ea Evangeliſtæ ſubtexunt, quorum pars pertinet ad extremum judicium. plura autem hic habet Matthæus, quæ quaſi alio tempore dicta præmiſimus ex Luca: ſed potuit hæc iterùm inculcare Dominus ea die, quà conſtat de extremo judicio locutum, ſcilicet de glorioſo ſuo adventu ad gentes judicandas, de quo quæſierant Apoſtoli, & his multa admiſcere quæ contigere etiam ante excidium Hieroſolymitanum, de quo benè monitos eſſe chriſtianos oportebat. 13 * 23. *Mt. Tunc*, inquit, *Mt. 21. Mc. ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, Mt. aut illic, nolite credere.* multi pſeudochriſti appariturı ſunt ante & poſt excidium Hieroſolymorum. Si quis igitur hìc aut illic alium Chriſtum nuntiet, nolit fidem adhibere. 14 * 24 *Mt. 22. Mc. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ*, quorum alii titulū Chriſti, alii prophetarum ejus falsò aſſument, aut alios ſimiles titulos, ut Barcobas, qui ſe dicebat *Bar-cochbas*, ideſt filium ſtellæ, de quo jam diximus, *Et dabunt ſigna Mt. magna & pro-*

& prodigia, ope artium magicarum, *ita ut in errorem injiciantur* (*ſi id fieri poteſt*) *etiam electi*; quos præſtigiis eorum abduci non patietur Deus. 15 * 23 *Mc. Vos ergo videte*: mentem advertite 25 *MM. Ecce prædixi vobis Mc. omnia* iſta, ut vobis improviſa non ſint. 26 * 26 *Mt. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt*, latitans, *nolite exire; ecce in penetralibus*, in cubiculo, *nolite credere*. 17 * 27. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem: ita erit & adventus Filii hominis*, nempe glorioſus ille in nubibus, vel regnum quo regnaturus eſt in Eccleſia, quæ non latitabit in aliquo terræ angulo; ſed non minùs conſpicua erit fulgere quod brevi tempore plurima loca pervadit, & inſolito ſplendore oculos in ſe convertit.

Hæc ſpectant ad regnum quo regnat in Eccleſia ſua Chriſtus adhuc glorioſiùs regnaturus in fine ſæculorum, ſed pleraque ex illis quæ hìc dicuntur, intelligenda ſunt de proximiori tempore quod ſubſecutum eſt paſſionem ejus, paulo ante excidium Hieroſolymorum. convenit enim huic tempori quod Joſephus lib. 20. Antiq. cap. 6. narrat tunc contigiſſe. *Cæterùm Judææ res prolabebantur uſque in deterius. Tota enim referta erat latronum receptaculis, & magicis præſtigiatoribus, imperitique vulgi ſeductoribus*. & paulo poſt addit, *& urbs quidem talibus infeſtabatur latrociniis; impoſtores autem & magi turbas illectas poſt ſe trahebant in ſolitudines, pollicentes ſe divinitus oſtenſuros eis clariſſima ſigna & prodigia; perſuaſaque multitudo mox pœnas luit dementiæ. retractos enim eos Felix neci dedit. Eodem tempore quidam ex Ægypto venit Hieroſolyma, vatem ſe eſſe profitens, & plebi ſuadens ut ſecuta ſe in montem Oliveti aſcenderet, qui è regione urbis ad quintum abeſt ſtadium: illic enim viſuros ſuo juſſu cadere Hieroſolymorum mœnia &c.*

Innuit Dominus non omnes ſeducturos iri; imo compluſimos advolaturos in veram Eccleſiam. 18 * 28 *Ubicumque fuerit corpus*, τὸ σῶμα, cadaver *illic congregabuntur & aquilæ*. pariter omnes pii ad me advocabuntur, adducti odore unguentorum meorum, ut aquilæ odore cadaverum. Dominus videtur alludere ad id quod de aquila dicitur Job. cap. 39. ℣. 30. *Pulli ejus lambent ſanguinem: & ubicumque cadaver fuerit, ſtatim adeſt*; ſive ut fons Hebræus habet, *& ubi ſunt confoſſi, ibi eſt*. Sunt qui contendant aquilas nunquam veſci cadaveribus; ideo volunt aquilam quam deſcribit Job, & de qua Dominus loquitur eſſe γυπαετὸν, quaſi dicas *vulturem aquilinum*; id eſt aliquam ſpeciem aquilæ degeneris. Plerique contendunt hæc verba de piis ad Chriſtum confugientibus non poſſe intelligi. Intelligunt per σῶμα, *cadaver*, ſtatum Judæorum ante deſtructam Hieroſolymam, & per *aquilas*, Romanos; ut Abacuc cap. 1. ℣. 8. Judæos eſcæ, Chaldæos aquilis comparat; ſic ergo connectunt illa verba cum præcedentibus. ſubitanea vindicta Chriſtum revelabit: nam cùm urbem gentemque hanc impiam, (quam per totum caput Dominus depinxerat) cadaveris inſtar projecti tradiderit Deus, advolabunt illicò Romani, aquilarum inſtar (notum Romanos pro vexillis aquilas habuiſſe) atque eam dilacerabunt. Ita hocce proverbiali dicendi genere ibi uſus eſt Dominus; quod non omnino diverſum eſt ab illo proverbio Latinorum: *cujus vulturis hoc erit cadaver?*

19 * 25 *L. Et erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis*, quamquam nollet Dominus tempus definire extremi judicii, tamen illud diſtinguit, ne inani timore hujus terribilis diei nimiùm chriſtiani commoverentur. Cavendum dixerat à pſeudochriſtis, ſed nec credendum omni hora adeſſe diem, quo verus Chriſtus venturus eſt ad judicandas gentes; præcedent conſpicua ſigna hujus adventus in cœlo; *& in terris preſſura*, συνοχὴ, anxietas, coarctatio *gentium præ confuſione*, ἐν ἀπορίᾳ: dum ambigui erunt quid vitare, quid petere debeant. Illud genitivum *ſonitus maris & fluctuum*, in Latino codice regitur à præcedente ſubſtantivo *confuſione*; juxta verò fontem hæc abſolutè dicuntur, ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου, *mari reſonanti & agitato*. Nimirum ſigna erunt terribilia tum in cœlo, tum in mari quod inſolitis tempeſtatibus conturbabitur. 20 * 26. *Areſcentibus* ideo *hominibus præ timore, & expectatione* alicujus calamitatis extraordinariæ, *quæ ſupervenies univerſo orbi*.

21 * 29 *Mt. Statim poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur*; his malis addetur, quòd *& luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur*. concluſio tot calamitatum erit totius naturæ ſubverſio. Virtutes cœli δυνάμεις, exercitus, militia cœli, nempe omnis ornatus, diſpoſitio cœli perturbabitur. Sunt qui hæc metaphoricè dicta putent. 22 * 30. *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo*, crux, aut aliqua figura viſibilis, qua conſtabit quòd ego ipſe venturus ſum ad judicandas gentes. *Et tunc plangent omnes tribus terræ*, omnes nationes judicandæ.

23 * *Mt.* 26 *Mc.* 27 *L. Et Mc. L tunc MM. L videbunt Filium hominis Mc. venientem Mt. in nubibus cæli MM. cum virtute multa, Mc. & gloria Mt. L & majeſtate*. deſcribit Dominus adventum ſuum glorioſum. 24 * 31 *Mt. Et mittet Angelos ſuos*; ergo Jeſus Deus eſt, cui miniſtrant Angeli, *cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis*, ab omnibus orbis plagis, *à ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*: per cœlos intelligit regiones cœlo ſubjectas, à plagis orientalibus ubi oriuntur ſidera, uſque ad occi-

dentales

dentales ubi terminatur curſus eorum. 25 * 28 *L His autem fieri incipientibus reſpicite*, ſuſpicite, *& levate capita veſtra*, animum ſumite, *quoniam appropinquavit redemptio veſtra* à perſecutionibus.

26 * 29. *Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, MM. cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata Mc. fuerint MM. folia L & omnes arbores*, quod & dico de omnibus arboribus. 27 * 30. *Cùm producunt jam ex ſe fructum, Mt. L ſcitis L quoniam Mc. L prope eſt æſtas.* 28 * 33 *Mt.* 31 *L ita & vos cùm videritis hæc Mt. omnia MM. L fieri, ſcitote Mc. quòd in proximo ſit in oſtiis.* Filius hominis venturus in gloria ſua, *L quoniam prope eſt regnum Dei*, quo ſubjectis hoſtibus regnaturus ſum.

29 * 34 *Mt.* 30 *Mc.* 32 *L Amen dico vobis, Mt. L quia non præteribit hæc generatio, donec omnia Mt. hæc Mt. L fiant.* certa ſunt hæc quæ vobis denuntio futura antequam hæc generatio prætereat: antequam mundus novam formam accipiat. 30 * 35 *Mt.* 33 *L Cœlum & terra tranſibunt*, mutabuntur, eſſe deſinent, *verba autem mea non Mc. L tranſibunt*. non fallent, aut inania erunt, quæ dico ſive de judicio Hieroſolymorum, ſive de poſtremo & univerſali omnium gentium judicio.

31 * 36 *Mt. De die autem illa & hora* adventus Chriſti ad judicium *nemo ſcit, neque Angeli cœlorum*, 32 *Mc. neque filius MM. niſi Mt. ſolus MM. Pater*. cùm dixit *neque Angeli*, repreſſit diſcipulos Dominus, ut B. Chryſoſtomus obſervat, ne diſcere vellent quod Angeli neſciunt. Ea verò quod dixit *neque Filius*, non ſolùm à diſcendo, ſed etiam à quærendo prohibuit: eodem autem ſenſu id dicit Dominus quo poſt reſurrectionem curioſius quærentibus reſpondit: *Non eſt veſtrùm noſſe tempora vel momenta*. Ergo dicebat ſe neſcire diem illum, quia nolebat eum notum facere; ut Apoſtolus: *Neque enim judicavi me ſcire aliquid inter vos præter Jeſum Chriſtum*; id eſt, facere ut ſciatis aliud quid præter Jeſum Chriſtum. Verba in conjugatione Hebræa *Hiphil* tùm actionem, tùm auctorem actionis ſignificant; quam conjugationem non exprimunt Judæi Græcè loquentes, quia Græca lingua caret illa conjugatione. Sic apud Matthæum cap. 5. ℣. 45. ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει, quod juxta vim conjugationis *Hiphil* Latinus interpres benè reddidit: *Qui ſolem ſuum oriri facit*. Chriſtus, inquiunt, neſciebat diem judicii, quia non *faciebat ſcire*, id eſt, non declarabat. ut ex eo ipſo loco probat Ambroſius; qui enim ſigna novit futuri judicii, utique novit & finem; ergo & horam novit, ſed novit ſibi, mihi neſcit; in eo enim omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, ut ſcribit Paulus; quia per eum tempora Deus fecit. Omnia ergo ejus cognitioni patebant, ſed è re erat chriſtianorum, ut pendulæ expectationis incerti, ſic loquitur B. Hieronymus, ſemper crederent diem eſſe venturum, quem ignorarent, quando venturus eſſet. Hanc concluſionem elicit ex eo quòd ignotus etiam Angelis ille dies eſſet. 32 * 33 *Mc. Videte*, attendite vobis, *vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit.*

33 * 34 *L Attendite autem vobis* in primis *ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ*, ne vacui ſitis omni metu judiciorum Dei: *& ſuperveniat in vos repentina dies illa*; aderit vobis haud paratis, 34 * 35. *Tanquam laqueus enim ſuperveniet* ex improviſo *in omnes qui ſedent ſuper faciem terræ*. hac die tanquam laqueo ignoto capientur omnes mortales. 35 * 36. *Vigilate itaque, omni tempore orantes*: precamini Deum, *ut digni habeamini*, ut detur effugere *iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare*; hoc eſt, ut poſſitis ſtare, & non cauſa cadere *ante Filium hominis*, ante tribunal meum, cùm vos judicaturus venero.

36 * 38 *Mt. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis*. ſicut diluvium temporibus Noe, ita ipſe improviſus adero. 37 * 38. *Sicut enim erant ante diluvium comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes uſque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam*. 38 * 39. *Et non cognoverunt*, non crediderunt monitis Noe, *donec venit diluvium*, niſi cùm venit diluvium, *& tulit omnes*, ſuſtulit, occidit: *ita erit & adventus Filii hominis*.

39 * 40 *Tunc duo erunt in agro, unus aſſumetur*; παραλαμβάνεται, aſſumitur velut apprehenſa manu. Alluſio ad hiſtoriam Loth, quem flammis eripuerunt Angeli, eum manu educentes Sodomis: *& unus relinquetur*: fiet admiranda diſcretio. 40 * 41. *Duæ molentes in mola*, id eſt, è duabus mulieribus molentibus in eodem piſtrino *una aſſumetur, & una relinquetur*, deſeretur peritura: cùm ergo omnium non ſors eadem futura ſit, cavenda eſt quæ acerbior erit.

41 * 42. *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*: incertus dies adventus ejus. 42 * 43. *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam*, ſcilicet parietes domus. 43 * 44. *Ideo & vos*, id eſt, ſimiliter *eſtote parati: quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt.*

44 * 45. *Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore?* iterum hac parabola inculcat Dominus quòd ſemper ſit vigilandum: quaſi dicat, cùm dominus ſuæ familiæ, ſive cæteris famulis aliquem præponit,

con-

Digitized by Google

conſtituens œconomum: quandonam ille cenſendus fidelis? Recta reſponſio erat, cùm nimitùm, quacumque hora veniat dominus, eum reperit rectè adminiſtrantem bona illi commiſſa. Cùm hæc reſponſio ſubintelligi poſſet, exclamat Dominus: 45, * 46. *Beatus ille ſervus*, tales enim rari ſunt, *quem, cùm venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem* officium boni diſpenſatoris. 46 * 47. *Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*, ut ea omnia adminiſtret. 47 * 48. *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire.* deſcribit malum ſervum, cujus mala ſorte volebat Chriſtus revocare diſcipulos à ſimilibus moribus. 48 * 49. *Et cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis*, ideo quia cogitat dominum abſentem, nec citò rediturum; 49 * 50. *Veniet dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora qua ignorat*: ex improviſo aderit. 50 * 51. *Et dividet eum*, *διχοτομήσει*, diſſecabit, quod erat ſupplicii genus; vel portionem ei dabit, ſed qualem? *partemque ejus ponet cum hypocritis.* id eſt, talem partem quæ convenit malis ſervis: nimirum compinget in vincula: *illic erit fletus & ſtridor dentium.*

Huicce parabolæ non diſſimilis eſt, quam Marcus in eadem occaſione ſcribit à Domino fuiſſe propoſitam. 51 * 34 *Mc. Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis*, cuique aſſignavit opus, officium, & *janitori* exempli cauſa, *præcepit ut vigilet.* Hoc vobis dictum putate. 52 * 35. *Vigilate ergo (neſcitis enim quando dominus domus veniat: ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè.)* in qua ſcilicet parte noctis venturus ſit. 53 * 36. *Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes*, haud cogitantes de adventu ejus. 54 * 37. *Quando autem vobis dico*: diſcipulis meis, *omnibus dico: Vigilate.* veritas iſta non poteſt nimiùm inculcari; ideo & aliis parabolis illam inculcaturus eſt Chriſtus ſequenti capite.

CAPUT XV.

Parabolis decem Virginum, & talentorum iterùm inculcat Dominus diem adventus ejus incertum eſſe, & præmiis alios donaturum, alios mulctaturum.

MATTHÆUS Cap. 25. ℣. 1—46.

1 TUNC † ſimile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipien- † Comm. Virg.
tes lampades ſuas, exierunt obviàm ſponſo & ſponſæ.
2 Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:
3 ſed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum.
4 prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.
5 Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt.
6 Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviàm ei.
7 Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas.
8 Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro; quia lampades noſtræ extinguuntur.
9 Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.
10 Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua.
11 Noviſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis.
12 At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.

13 Vigi-

13 Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. ¶
† Comm. Con- 14 Sicut enim † homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tra-
ſeſſ. Pont. didit illis bona ſua.
15 Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicui-
que ſecundùm propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim.
16 Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lu-
cratus eſt alia quinque.
17 Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo.
18 Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecu-
niam domini ſui.
19 Poſt multum verò temporis venit dominus ſervorum illorum, & poſuit
rationem cum eis.
20 Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta,
dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucra-
tus ſum.
21 Ait illi dominus ejus: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti
fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.
22 Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo ta-
lenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum.
23 Ait illi dominus ejus: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti
fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. ¶
24 Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio
quia homo durus es: metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti:
25 & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra: ecce habes quod
tuum eſt.
26 Reſpondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, ſciebas
quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi:
27 oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego
recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.
28 Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.
29 Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, &
quod videtur habere, auferetur ab eo.
30 Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtri-
dor dentium.
A. Ter. infra 31 † Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli
[illegible] Quadr. cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ:
32 & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem,
ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis:
33 & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.
34 Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei,
poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.
† Iſa. 58. 7. 35 † Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bi-
Ezech. 18. 7. bere: hoſpes eram, & collegiſtis me:
† Eccl. 7. 39. 36 nudus, & cooperuiſtis me: † infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram,
& veniſtis ad me.
37 Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſu-
rientem, & pavimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?
38 quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, &
cooperuimus te?

39 aut

Digitized by Google

39 aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?
40 Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis
uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.
41 Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: † Diſcedite à me maledicti † *Pſ. 6. 9.*
in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.
42 Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dedi-
ſtis mihi potum:
43 hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me:
infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me.
44 Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus
eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut
in carcere, & non miniſtravimus tibi?
45 Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fe-
ciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.
46 † Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam. ¶ † *Dan. 12. 2.*

1. TUNC *ſimile erit regnum cælorum decem virginibus*. cùm Dominus improviſus venerit, eadem continget quæ decem virginibus, *quæ accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo & ſponſæ*. Illud *& ſponſæ* abeſt à fonte Græco, & videtur additum, agitur enim ibi de ſponſo qui adveniebat domum ſponſæ, deducturus eam in ſuas proprias ædes; quæ deductio erat conſummatio matrimonii. Sponſo adſtant comites amici, ut virgines ſponſam comitabantur, expectantes unà ſponſum, qua nocte deducenda erat: ideo paratas lampades habebant. *In terra Iſmaelitica mos erat*, inquit Henricus Otho in ſuo Lexico Rabbinico, *ut ſponſam ducerent à domo patris ſui in domum ſponſi ante introductionem in thalamum, ferrentque ante eam circiter decem baculos ligneos, in uniuſcujuſque ſummitate vaſculum inſtar ſcutellæ habentes in quo eſt ſegmentum panni cum oleo & pice. Ex his accenſis facem præferunt*. Otho allegat librum *Aruch* in voce לפד & R. *Salom* in *Kelim*. Tales lampades olim uſitatæ erant, ut cernere eſt in antiquis monumentis. formam earum appoſita figura exhibet. Talis apparatus nuptiarum, ſive deductionis ſponſæ in domum ſponſi exemplum habemus in primo libro Machabæorum, cap. 9. ℣. 37. ex quo affulgere poteſt lux huicce loco Evangelii. Scriptor hujus libri narrat quomodo Jonathas ulturus mortem Joannis fratris ſui quem Madabenſes interfecerant, irruerit in eos dum ſponſam traducerent in domum ſponſi. *Poſt hæc verba, renuntiatum eſt Jonathæ & Simoni fratri ejus, quia filii Jambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan cum ambitione magna*, [illegible] μεγάλης, cum pompa magna. *Et recordati ſunt ſanguinis Joannis fratris ſui: & aſcenderunt, & abſconderunt ſe ſub tegumento montis, & elevaverunt oculos ſuos, & viderunt: & ecce tumultus & apparatus multus: & ſponſus proceſſit, & amici ejus & fratres ejus obviàm illis cum tympanis & muſicis & armis multis*. Eadem narrat Joſephus, lib. 13. Antiq. cap. 1. *Eodem tempore*, inquit, *nuntiatum eſt Joanni & Simoni fratribus, quòd Amaræi filii celebraturi eſſent nuptias & adducturi ſponſam ab oppido Gabatha, filiam illuſtris cujuſdam inter Arabas: eamque puellam traducendam cum pompa ſumptuoſa & ſplendida ... Ut verò in conſpectum venit ſponſus cum virgine & amicorum comitatu ut fieri ſolet in nuptiis &c.*



2. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*. 3. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum*, quod, ubi conſumptum eſſet lampadarum oleum, infunderent novum. 4. *Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis*, quæ vaſa aſſumpſerunt *cum lampadibus*. neque enim lampades iſtæ lucernæ erant, quales noſtræ, quibus in multas horas oleum infunditur. Pannus ille qui erat in ſcutella baculi ſubinde novo oleo irrigandus, quapropter præter lampadem, ſive præter baculum cum ſua ſcutella, habendum erat vas oleo plenum.

5 *Moram autem faciente ſponſo* ultra quàm ſperabant virgines, *dormitaverunt omnes*, ἐνύσταξαν, nictarunt oculis ſomnos gravatis, *& dor-*

mierunt, ἐνύσταξαν, & ſomnus tandem eas invaſit. 6. *Media autem* ſive profunda *nocte clamor factus eſt*, indicium adventantis ſponſi; quo excitatæ ſuot virgines dormientes. *Ecce ſponſus venit, exite obviàm ei*. accedebat enim ſponſus ut vidimus, *cum tympanis & muſicis & armis multis*. unde de illo ejus adventu: *& ecce tumultus & apparatus multus &c.*

7. *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt*, id eſt, compoſuerunt, paraverunt *lampades ſuas*. 8. *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ* conſumpto oleo *extinguuntur*. 9. *Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat* oleum noſtrum *nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*.

10. *Dum autem* fatuæ virgines *irent emere, venit ſponſus*, cujus præcurſores jam venerant, & virgines prudentes, *quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*, εἰς γάμους, nempe comitatæ ſuot ſponſam quæ deducebatur, & cum ea intraverunt in domum ſponſi, ubi celebrabatur convivium nuptiale, *& clauſa eſt janua*, ut arceretur turba.

11. *Noviſſimè*, tandem verò *veniunt & reliquæ virgines* aliæ quinque *fatuæ, dicentes: Domine, domine aperi nobis*. 12. *At ille* ſponſus *reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos*: cum cætera turba quæ obſidet fores meas, ſi vultis, ſtate. 13. *Vigilate itaque*, hac parabola edocti, *quia neſcitis diem, neque horam*, qua ſtabitis ante tribunal Domini. Addunt quidam Græci codices ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, *in qua Filius hominis venturus eſt*, ſed hoc interpretamentum eſt, quod ab antiquis codicibus abeſt, nec legitur in Syro interprete.

Aliam parabolam Dominus proponit, qua iterùm inculcat incertum eſſe diem adventus ſui, 14. *Sicut enim homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua* procuranda, ſuum cuique opus præſcribens; ac tandem poſt multum tempus inexpectatò redit ad exigendam à ſervis rationem negotiorum geſtorum.

15. *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique ſecundùm propriam virtutem*, id eſt peritiam in negotiando, *& profectus eſt ſtatim* ſic rebus ſuis diſpoſitis, reverſurus incerto tempore. 16. *Abiit autem* ad negotiandum, *qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis*, quæſtum faciens per ea, *& lucratus eſt alia quinque* talenta. 17. *Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia* duo talenta. 18. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram*, ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ, condidit foſſa, *& abſcondit pecuniam domini ſui*. ne furto auferretur, aut aliquid periret ipſi; eam non augere ſtuduit.

19. *Poſt multum verò temporis venit dominus ſervorum illorum*, hora qua cum non expectabant, *& poſuit rationem cum eis*, ſubduxit calculos. 20. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum* ſupra ſortem. 21. *Ait illi dominus ejus*, laudans eum: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam*, majora bona tibi committam admioiſtranda, *intra in gaudium domini tui*. in conclave gaudio deſtinatum, purà hilari coovivio.

22. *Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum*. pariter & hic ſervus laudatur. 23. *Ait illi dominus ejus: Euge* (vox laudantis) *ſerve bone & fidelis*, qui reddis depoſitam pecuniam, & eam auctam, quod decet facere bonum ſervum: *quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*, ſimiliter *intra in gaudium domini tui*.

24 *Accedens autem & qui unum talentum acceperat ait: Domine, ſcio quia homo auſterus es*, durus, aſper, *metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti*. proverbia ſunt quibus ſervus ille innuebat metum ſuum, ne perditum talentum herus repoſceret acerbiori modo. 25. *Et ideo timens abii* in locum aptum occultando theſauro, *& abſcondi talentum tuum in terra*, ſatiùs judicans ſi ſortem tibi certò ſervarem, quàm ſi cum periculo ſortis lucrum aliquod venarer: *ecce habes quod tuum eſt*; nihil ultra debebam.

26. *Reſpondens autem dominus ejus dixit ei: Serve male & piger*, ceſſator; ſocordia non providentia id feciſti: *ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi*, ſemen diſpergendo ſeritur, & metendo cum fructu veluti rurſum colligitur. 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis* argentariis, qui menſulis in publico poſitis, pecuniam fœnore locant. *Et veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura*: fructum pecuniæ meæ exegiſſem. 28. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta*, qui novit ea augere negotiatione. 29. *Omni enim habenti*, & utenti juxta placitum domini, *dabitur, & abundabit*, & plus cæteris accipiet; *ei autem qui non habet*, id eſt non uſus eſt talento, *& quod videtur habere*; in fonte, *& quod habet*, nempe talentum, *auferetur ab eo*. inſuper addit Dominus. 30. *Inutilem* hunc *ſervum ejicite in tenebras exteriores*, in locum ſupplicii, ubi perpetuæ tenebræ; *illic erit fletus & ſtridor dentium*.

Quò tendat hæc parabola nemo non videt. Supetioribus parabolis id addit, quòd deceat nos acceptam à Deo gratiam diligentia, boniſque operibus excolere & augere, ut qui ſanctus eſt, ſanctior fiat. Simul ut excitet ad vigilantiam, præmia pollicetur, & metum incutit.

tutir. 31. *Cùm autem venerit Filius hominis*, cùm ipſe veniam, *in majeſtate ſua*, eo die quo judicaturus eſt omnes gentes, *& omnes Angeli cum eo*, ut miniſtri circa principis latus, *tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ*, ſuper tribunal ſuum, quippe judex. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*, ſiſtentur ad tribunal ejus; *& ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis*, qui mixti paſcebant in agro, ut in Eccleſia boni cum malis permiſcentur. 33. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis* honoratiori loco, à ſe benedicendas, *hædos autem à ſiniſtris*, maledicendos. Hœdi in lege ſemper pro peccato offerebantur, ita hic repræſentant peccatores.

34. *Tunc dicet rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum* deſtinatum *à conſtitutione mundi*; id eſt, à creatione. 35. *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me.* ſcopus hujus ſermonis erat, ut vigilarent diſcipuli, intenti bonis operibus, donec adveniret dies judicii.

36 *Nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me.* quæ ſequuntur aperiunt quo ſenſu Dominus hæc dicat, 37. *Tunc reſpondebunt ei juſti*, qui bona opera exercuerunt, *dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?* 38. *Quando autem te vidimus hoſpitem & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te?* 39. *Aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te*, noſtris facultatibus, opera, conſilio, vel ſaltem conſolatione te reficientes?

40. *Reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis*: omnis difficultas, quæ ſuperiori ſermoni inerat, removetur. *Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis*; proinde id habeo ac ſi mihi feciſſeris. *Deus enim*, inquit Irenæus, *in ſe aſſumit operationes juſtas.* Non aliena ſunt ab hocce loco hæc verba S. Cypriani de Petro Thabitam reſuſcitante. *Circumſteterunt eum viduæ flentes, & rogantes pallia, & tunicas, & omnia illa quæ priùs ſumpſerunt indumenta monſtrantes, nec pro defuncta ſuis vocibus, ſed ipſum quod ſic petebatur, nec defuturum Chriſti auxilium viduis deprecantibus, quando eſſet in viduis ipſe veſtitus.* Tanta eſt connexio Chriſti & Chriſtianorum, tamque arcta neceſſitudo, ut Chriſtus ſe pro beneficiis in illos collatis remuneratorem, ſimul & illatarum injuriarum vindicem conſtituat. 41. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*, id eſt miniſtris. 42. *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum.* 43. *Hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me.* ex hoc loco patet non ſolùm criminum admiſſorum rationem nobis eſſe reddendam, ſed & neglectorum bonorum operum.

44. *Tunc reſpondebunt ei & ipſi*, ſicut fecerunt juſti, *dicentes: Quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi?* hæc dicent non aſſecuti mentem judicis.

45. *Tunc reſpondebit illis judex, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his* meis diſcipulis, *nec mihi feciſtis.* 46. *Et ibunt hi*, qui ſcilicet non paverunt famelicum, non cooperuerunt nudum, non adjuvarunt infirmum, in carcere concluſum non conſolati ſunt; ibunt inquam, *hi*, qui tamen nec adulterio, nec fornicatione, nec homicidio, nec furto arguuntur, *in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.*

CAPUT XVI.

Paciſcitur Judas cum principibus ſacerdotùm de tradendo eis Jeſu.

HARMONIA.

MARCUS. Cap. 14. ℣. 1 & 2. ℣. 10 & 11. LUCAS Cap. 22. ℣. 1-6.

1 L. 1 APpropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha.

1 ✠ Erat Paſcha & Azyma poſt biduum.

1 * ✠ Appropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha.

✠ *Fer. 3. maj. hebd.* * ✠ *Fer. 4. maj. hebd.*

MATTHÆUS Cap. 26. ℣. 1—5. ℣. 14—16.

2 * 1 Et factum eſt, cùm conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis:

† Dom. palm. ad Miſſam. 3 * 2 † Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
4 *L* Et quærebant principes ſacerdotum, & Scribæ quomodo Jeſum interficerent.		& quærebant ſummi ſacerdotes & Scribæ quomodo	2 Et quærebant principes ſacerdotum, & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent.
† Pſ. 2. 2. Act. 4. 27. 5 *Mt.* † Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas.	3 Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas.		
6 Et conſilium fecerunt ut Jeſum *MM.* dolo tenerent, & occiderent. *L* timebant verò plebem.	4 Et conſilium fecerunt ut Jeſum dolo tenerent & occiderent.	eum dolo tenerent, & occiderent.	timebant verò plebem.
7 *MM.* Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.	5 Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.	2 Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.	
8 *L* Intravit autem ſatanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim.	6 *Cùm autem &c. ſup. l. 4. cap. ult.*	3 *Et cùm &c. l. 4. cap. ult.*	3 Intravit autem ſatanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim.
9 *Mc.* Et abiit ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis:	14 Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum,	10 Et Judas Iſcariotes unus de duodecim abiit ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis.	4 Et abiit,
10 *L* Et locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis.			& locutus eſt cùm principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis.
11 *Mt.* Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?	15 Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?		
12 *Mc.* Qui audientes *Mc. L* gaviſi ſunt, *L* & pacti ſunt pecuniam illi *Mc.* ſe daturos. † Zach. 11. 12. *Mt.* † Illi conſtituerunt ei triginta argenteos.	At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.	11 Qui audientes gaviſi ſunt, & promiſerunt ei pecuniam ſe daturos.	5 Et gaviſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare.
13 *L* Et ſpopondit. *Mt. L* Et *Mt.* exinde *Mt. L* quærebat opportunitatem *L* ut traderet illum ſine turbis.	16 Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.	Et quærebat quomodo illum opportunè traderet.	6 Et ſpopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum ſine turbis.

1 * 1 *L* APPROPINQUABAT *autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha*, ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, feſtum azymorum. nempe proximi erant dies, in quibus Judæi veſcebantur ex lege azymis, ſive panibus non fermentatis, quod feſtum appellatur Paſcha à mactatione paſchatis. 2 * 1 *Mt. Et factum eſt cùm conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes*, quos, ut vidimus, habuerat ab hac die, qua Hieroſolymam ovans intraverat, *dixit diſcipulis*. 3 * 2. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Cùm ſuperiores ſermones complevit, tunc ex Luca proximum paſcha erat, ex Matthæo poſt duos dies

paſcha

paſcha faciendum, quod & adſtruit Marcus: *Erat autem Paſcha & Azyma poſt biduum*. ergo ſi conſtaret de tempore, quo hæc Chriſtus dixit, jam non incertus dies eſſet, quo paſcha celebratum eſt. Ne inaniter perſequar quæ ab aliis dicta ſunt, & in utramque partem dici poſſunt, id unum agam, ut lector videat, quantùm verba Evangeliſtarum accepta, ut ſonant, doctrinæ meæ de paſchate faveant. J. C. D. N. Hieroſolymam, ut vidimus, ingreſſus eſt prima feria. ſive dominica, ut nunc loquimur. duos dies ſequentes poſt quos Templo egreſſus eſt, & partem tertii nempe quartæ feriæ impendit rebus & ſermonibus quæ omnia ſuperioribus capitibus complexi ſumus. Tot res, tot ſermones, tot parabolæ, tot explicatæ & ſolutæ quæſtiones oſtendunt non ante finem feriæ quartæ, ſive diei Mercurii, Jeſum, dicere potuiſſe diſcipulis: *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet*. Ergo non ante feriam ſextam, ſive diem veneris paſcha hoc anno mactatum eſt, quod aliis argumentis ſtatuimus. ſi enim tempus paſchatis fuiſſet hora pomeridiana feriæ quintæ, non dixiſſet Jeſus veſpere feriæ quartæ: *Poſt biduum Paſcha fiet*.

4 * 2 *L. Et quærebant principes ſacerdotum & Scribæ quomodo Jeſum interficerent*: maximè poſtquam in Templo vitia eorum palàm inſectatus eſſet. Ergo cùm appropinquaret feſtum azymorum. 5 * 3 *Mt. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum & ſeniores populi*, quibus conſtabat ſynedrium, ut alibi dictum eſt, *in atrium*, εἰς τὴν αὐλὴν, in aulam *principis ſacerdotum*, *qui dicebatur Caiphas*. Hoc contingere potuit poſt occaſum ſolis feria quarta; & ideo cùm noctu ingredi non poſſent ſynedrium quod erat in Templo, congregati ſunt apud Caipham: vel ante jam inierant illud conſilium; ſed occiduo ſole Judas forſan eos convenit clam, ut lateret diſcipulos Chriſti.

6 * 4. *Et conſilium fecerunt*, ſtatuerunt inter ſe *ut Jeſum MM. dolo tenerent, & occiderent*; *L timebant verò plebem*: ideo non audebant palàm in eum manus injicere violentas, 7 * 5 *Mt.* 2 *Mc. Dicebant autem*: cùm id conſilii ſumerent, *Non in die feſto* eum occidamus, *ne fortè tumultus fieret in populo*. certum eſt ex libris Judæorum, lato modo ſumi dies feſtos, nimirum pro omnibus illis diebus quibus aderant populi frequenter Hieroſolymis, in tribus feſtis ſolemnibus quæ appellabantur à Judæis רגלים *reglaim*; unde vidimus ſupra Joan. cap. 11. ℣. 15. quòd multos dies ante paſcha populi mirarentur Jeſum nondum veniſſe Hieroſolymam ad diem feſtum. His autem diebus proximis ante, & poſt feſtum, & ut quidam volunt, ipſo etiam feſto mediante, nempe inter diem primum ſolemnem, & ultimum qui pariter ſolemnis erat, ſolebant Judæi præcipuos reos mortis ſupplicio afficere, quo ad plures exemplum perveniret, ibi itaque ἑορτῇ, dies feſtus non ſumitur pro ſolo die magno paſchæ. Sacerdotes intelligebant Jeſum gratum eſſe populis & ideò non morti addicendum toto eo tempore quo frequentes aderant. Statuerent ergo non eum eſſe tunc occidendum; & revera mortem ejus diſtuliſſent, niſi ipſe Deus Judæ malitia, & deſiderio quo ſacerdotes ardebant accelerare mortem filii ſui, ſic uſus eſſet; ut ea ipſa hora occiſus ſit, qua agni paſchales mactabantur in Templo.

8 * 3 *L. Intravit autem ſatanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim* Apoſtolis. non hac feria quarta ſub noctem intravit ſatanas in Judam, ſed ab ea die qua queſtus erat factam eſſe à Maria perditionem unguenti, ſex dies ante paſcha, in cœna apud Simonem Leproſum. Matthæus enim & Marcus occaſione proditionis Judæ eodem iſto loco, quo exhibent ſacerdotes conſilium ineuntes, ſermonem faciunt de iſta cœna iis circunſtantiis, ut non alia videatur. Nec ea in re Matthæus peccat, etenim iſtam cœnam non dicit tunc factam duos ante paſcha dies, cùm Judas ad ſacerdotes abiit; ſed loquitur non definiens tempus ejus. *Cùm autem Jeſus eſſet in Bethania in domo Simonis Leproſi, acceſſit ad eum mulier*. Similiter Marcus: *Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi & recumberet, venit mulier &c.* verbum enim *acceſſit*, προσῆλθεν, apud Matthæum, ſive *venit*, ἦλθε, apud Marcum, reddi poteſt *acceſſerat*, ſive *venerat*. Ita uterque Evangeliſta cenſeri poteſt enarrare extra ſuum locum rem præteritam, quæ locum dederat rei præſenti de qua agebatur: ideo abſtraximus ab hoc loco, quæ in Matthæo & Marco dictam cœnam ſpectant.

9 * 10 *Mc. Et abiit* eo tempore, ſub noctem feriæ quartæ deſinentis *ad ſummos ſacerdotes*, qui congregati erant apud Caipham, *ut proderet eum illis*. Potuit Judas avelli à cæteris diſcipulis, ſpecie ut emeret quæ victui neceſſaria erant; quippe œconomus erat, 10 * 4 *L. Et locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & magiſtratibus*, στρατηγοῖς, nempe cum ducibus, penes quos erat Templi armata cuſtodia; neque enim, ut toties obſervatum, omni poteſtate carebant Judæi. Locutus eſt inquam, Judas cum illis *quemadmodum illum traderet eis*. 11 * 15 *Mt. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam*, nimirum ſine tumultu.

12 * 11 *Mc. Qui audientes Mc. L gavìſi ſunt*, jā enim ſpem abjecerant ſe poſſe in feſto eum interficere, ſed viam aperiebat Judas. Jeſus interdiu docens in Templo ſera nocte ſe Bethaniam, aut in aliquem proximiorē vicum ex vicis montis Oliveti recipiebat, ut vidimus. Interpellabat

autem aliquantiſper iter ſuum, ut oraret in horto Gethſemani, qui ſitus erat in eodem Olivarum monte. Ergo, ut exitus docet, propoſuit Judas ſacerdotibus nocte Dominum prehendere; quod propoſitum placuit illis, *L & pacti ſunt pecuniam illi Mc. ſe daturos*. Scilicet *Mt. illi conſtituerunt* ſive ſtatuerunt dare *ei triginta argenteos*, ſubintelligere decet ſiclos quorum nummorum frequens uſus facit, ut ſubintelligendi ſint, cùm non exprimitur ſpecies nummi. Dicunt enim Rabbini, *omne argentum* (ut notat Elias Levita in voce סלע *ſola*) *cujus in lege ſit mentio, abſolutè ſiclos intelligi*. Si Rabbinis fidem non adhibemus, credendum LXX. interpretibus Græcis qui ubi Hebraicè eſt כסף *ceſeph*, hoc eſt argentum, vertunt *σίκλους ἀργυρίου*, *ſiclos argenti*, ut videre eſt lib. 2. Samuelis, cap. 18. Triginta ſicli pretium ſervorum erat, ut colligere licet ex loco Exod. cap. 21. ℣. 32. ubi agitur de bove cornupeta. *Si ſervum ancillamque invaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit, bos verò lapidibus opprimetur*. Ad quæ Maimonides: *Et expiatio pro ſervis ſive ſint magni, aut parvi; ſive ſint mares, aut fœminæ, mulcta eſt in lege definita, nempe triginta ſicli pro i argenti, ſive ſervus centum minis æſtimetur, aut ne denarium quidem valeat*. Triginta autem ſicli æquant pondus quindecim ſcutatorum nummorum argenteorum noſtratium cum 390. granis, ſive cum dimidio tali ſcutato & paulo plus quàm quarta parte ejuſdem ſcutati integri, nam æſtimamus pondus ſicli, 268. $\frac{1}{5}$ granis; ſcutatus autem nummus argenteus ponderat 512. granis.

Exiguo tamen illo pretio impulſus eſt Judas, 13 * 6 *L. Et ſpopondit* ſe illis traditurum Dominum, 16 *Mt. L. Et Mt. exinde Mt. L. quærebat opportunitatem*, expectabat *L ut traderet illum ſine Turbis*. ἄτερ ὄχλου, ſine turba, clam populo, vel ſine tumultu. Nam & ὄχλος, ſignificat tumultum ex more Hebræorum, quibus המון ſimul & multitudinem, & tumultum denotat. Attexam verba B. Ambroſii conſiderantis quomodo Dominus ſiverit ſe tam vili pretio æſtimari. *Tum vili auctione vult æſtimari Chriſtus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur*. Similia ſunt quæ ſcribit Paulinus, ep. 4. ad Severum. *Nos magno emit, non vendit. Nos ille vult pretioſos facere ſui muneris vilitate. Ipſe nobis hac pietate pretioſior, quòd ſe vili vult æſtimari, ut ab omnibus ematur*.

CAPUT XVII.

Prima die Azymorum locum ad faciendum Paſcha Apoſtoli parant ubi cum eis cœnat Dominus.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 26. ℣. 17-20.	MARC. Cap. 14. ℣. 12-17.	LUCAS Cap. 22. ℣. 7-18.
1 *Mt.* PRima autem die Azymorum † *L* in qua neceſſe erat occidi Paſcha.	17 Prima autem die Azymorum.	12 Et primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant.	7 Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.
2. *Mt.* Acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: *Mc.* Quò vis eamus: & paremus tibi ut manduces Paſcha?	acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes. Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?	dicunt ei diſcipuli: Quò vis eamus; & paremus tibi ut manduces Paſcha.	
3 Et mittit duos ex diſcipulis ſuis *L* Petrum, & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha ut manducemus.		13 Et mittit duos ex diſcipulis ſuis,	8 Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha ut manducemus.
4 At illi dixerunt: Ubi vis paremus?			9 At illi dixerunt: Ubi vis paremus?
5 Et dixit ad eos: *Mc.* Ite in civitatem; & *L* ecce introeuntibus *Mc. L* occurret vobis homo *Mc.* lagenam aquæ bajulans, *Mc. L* ſequimini eum *L* in domum in quam intrat:	18 At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quemdam,	& dicit eis: Ite in civitatem; & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, ſequimini eum:	10 Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum in quam intrat.

† Exod. 12. 17. Deut. 16. 5.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
6 *Mc.* Et quocumque introierit, dicite *L* patrifamilias domus: dicit tibi Magiſter:	& dicite ei: Magiſter dicit:	14 Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magiſter dicit:	11 Et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magiſter.
7 *Mt.* Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis: *Mc.* ubi eſt refectio mea? *L.* ubi eſt diverſorium, *Mc. L* ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?	Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.	Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?	ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?
8 *Mc.* Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum; & illic parate nobis.		15 Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum; & illic parate nobis.	12 Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.
9 Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt ſicut dixerat illis.		16 Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt ſicut dixerat illis, &	13 Euntes autem invenerunt ſicut dixit illis,
10 *Mt.* Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, *MM. L* & paraverunt Paſcha.	19 Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha.	paraverunt Paſcha.	& paraverunt Paſcha.
11 *MM.* Veſpere autem facto, *Mc.* venit cum duodecim.	20 Veſpere autem facto,	17 Veſpere autem facto, venit cum duodecim.	
12 *L* Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.	diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis,		14 Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.

LUCAS.

13 * 15 Et ait illis: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.

14 * 16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei.

15 * 17 Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite & dividite inter vos.

16 * 18 Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

1 * 17 *Mt.* PRIMA *autem die azymorum*, *L in qua neceſſe erat occidi paſcha*, 2 * *Mt. Acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum.* quæ ſit iſta prima dies azymorum ignorare non ſineret hoc quod addunt Marcus *quando paſcha immolabant*, & Lucas *in qua neceſſe erat occidi paſcha*. non inquam; nobis obſcurum eſſe poſſet, quæ ſit iſta prima dies. ſi iis ſolis quæ clara ſunt, adhæreremus. Cùm enim decima quarta die mactaretur paſcha ad veſperam, illa prima dies de qua fit ſermo, alia eſſe non poteſt quam dies mactandi paſchatis; & ideo non decima quinta, quæ prima erat ex ſeptem diebus, in quibus poſt occiſum paſcha panes azymi comedebantur juxta legem. Scilicet quia quarta decima die fieret inquiſitio fermenti, combureretur, nec hoc veſci liceret poſt meridiem, conſuetudo loquendi obtinuerat, ut prima azymorum appellaretur. Etenim lex præcipiebat, ut priuſquam mactaretur agnus paſchatis, omne ab ædibus removeretur fermentum; quod Judæi ipſa nocte quæ initium erat decimæ quartæ præſtabant, ſcrutantes ædium angulos omnes, & ex iis colligentes fermentum. Poſtera quidem luce eo veſci poterant, ſed manè; nam ante meridiem tenebantur comburere omnes reliquias ejus; & poſt meridiem vel deguſtare crimen fuiſſet.

Octo itaque numerabantur azymorum dies, quorum in prima, quæ erat decima quarta menſis paſchatis mactabatur agnus. hæc inquam, decima quarta dies in qua immolabant paſcha, dicebatur prima azymorum, ut conſtat ex loco Evangelii in quo verſamur; tum ex apertis Joſephi teſtimoniis quæ protulimus in tractatu de paſchate. Deſignant ergo Evangeliſtæ tempus quo Dominus in pervigilio mortis ſuæ cœnavit, fuiſſe diem immolandi paſchatis, & ideo decimam quartam menſis paſchatis. ſaltem liquet Jeſum hac die miſiſſe ſuos diſcipulos in urbem, ut illi pararent locum in quo paſcha faceret. Dicit autem Lucas: *venit.... dies azymorum*. verbum ἦλθε, *venit*, in præterito eſt; ita re ipſa venerat dies in qua neceſſe erat occidi paſcha, nempe decima quarta. Sunt qui Lucam ſic interpretantur, ut non quidem venerat dies illa, ſed ventura eſſet, ſive appropinquaret, ſed huic interpretationi ipſe Lucas adverſatur. Nam cùm initio capitis dixiſſet: *Appropinquabat autem feſtus dies azymorum qui dicitur paſcha*, quando Judas pactus eſt cum Judæis proditionem Domini; & ſignificaſſet quæſitam inde ab eo proditore opportunitatem ut traderet illum ſine turbis, ſubjungit hic Evangeliſta: *venit autem dies azymorum*; quibus verbis liquidò declarat hanc diem non appropinquaſſe, ſed veniſſe.

Ergo quæque ſit illa dies in qua erat neceſſe occidi paſcha, jam venerat, nec tantùm proxima, ſed præſens erat quando Apoſtoli acceſſerunt ad Jeſum ut ſcirent quo loco paſcha parandum eſſet. Hanc diem Matthæus appellat primam azymorum; itaque prima azymorum venerat. nondum verò paſcha immolatum fuerat, hac ipſa quidem die immolandum; neque enim dixiſſet Lucas: *in qua neceſſe erat occidi paſcha*; ſed in qua occiſum fuerat; quod nec factum fuiſſe ulla re, vel ullo verbo indicat. imo contrarium adſtruunt Evangeliſtæ. Scribunt enim miſſos apoſtolos qui faciendo paſchati locum pararent. miſſi illi cùm jam veniſſet prima azymorum dies; fruſtrà, ſi iſta dies ſit prima è ſeptem quæ nominantur in ſacro codice; nam jam abiiſſet tempus faciendi paſchatis, quod immolatum die decima quarta comedebatur initio decimæ quintæ. Iterum ergo dicam certo certius eſſe, primam diem azymorum Matthæi non aliam eſſe quàm decimam quartam.

Ubi ergo venit dies, ſive poſtquam venerat dies prima azymorum, quæ decima quarta erat menſis paſchatis, 2 *Mt. acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes: Mc. Quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces paſcha?* Ipſi Apoſtoli, quod diligenter animadvertendum eſt, præveniunt Jeſum; & admonent inſtare tempus quo parandum erat paſcha, loquentes procul dubio ex opinione & conſuetudine Judæorum; neque enim incidiſſet in animos eorum his verbis Dominum alloqui, ſi pariter Judæi omnes, hac qua loquebantur hora, non accinxiſſent ſe ad præparandum paſcha, & ad locum quærendum ubi manducaretur. Quin & hac die omnes Judæos paſcha immolaſſe clarè dicit Marcus; neque enim de aliis loquitur cùm dicit: *quando paſcha immolabant*. Abſurdum igitur eſt cogitare, quòd Jeſus occupaverit conſuetum & legitimum tempus paſchatis, aut Judæi diſtulerint illud in alterum diem; neque enim Apoſtoli, qui non aliter ſapiebant ac cæteri Judæi, propoſuiſſent hanc præparationem, ſi tempus ejus non inſtitiſſet conſuetum & legitimum.

Quærendum verò qua hora, ſive qua parte quartæ decimæ diei acceſſerint Apoſtoli ad Jeſum, utrùm tum deſineret an inciperet. Miſit Jeſus duos Apoſtolos in urbem, & poſtea ſequutus eſt eos, facto veſpere advenientes ſtatim qui miſſi fuerant, urbem ingredientes deducti ſunt domum, in qua paratum locum invenerunt; ut nulla re probari poſſit ante ſerotinas horas feriæ quintæ, ſive ante ſolis occaſum miſſos in urbem. Si tunc non inchoaretur decima quarta dies ſed deſineret, non dixiſſet Evangeliſta: *venit autem*, ſed potiùs: *cùm abiret autem*. Demonſtravimus in chronologicis anno æræ chriſtianæ trigeſimo tertio quo paſſum Dominum comprobavimus, diem decimam quartam menſis paſchatis cœpiſſe feria quinta poſt occaſum ſolis. Ita quoniam dies illa venerat, certò ſtatuendum eſt miſſos Apoſtolos in urbem ſtatim ac ſol occidit; nec repugnat quod Evangeliſtæ dicunt, Jeſum adveniſſe veſpere facto. Etenim occaſus ſolis eſt quidem veſpertinum tempus, ſed illud tempus habet latitudinem; ut ſerò venire potuerint in urbem duo Apoſtoli, ſed Jeſus ſeriùs venerit cum reliquis Apoſtolis, ubi ingruerunt noctis tenebræ; cavebat enim ne Phariſæi advertentes ejus ingreſſum & comitatum poſſent eum apprehendere, priuſquam perfeciſſet quæ ab eo vivente perficienda erant.

Diei decimæ quartæ principio convenit quod ab Apoſtolis propoſitum, & ſuſceptum eſt de paſchate parando. tunc enim, ut dictum eſt in diſſertatione, ædes in quibus agnus in fine hujus diei mactandus, comedendus erat, expurgandæ erant ab omni fermento; quod fieri ſolebat magna adhibita diligentia & religione. prætereà comparandæ erant placentæ infermentatæ. Jam coemptum eſſe agnum decuit; in tanto enim hominum concurſu qui circa horas pomeridianas hujus diei paſcha faciebant, exhauriri poterant res venales: ut paſchati faciendo neceſſaria non ſuppeterent tardis. præſertim deligendus ille locus qui purgandus erat; & idcirco vacuæ ædes occupandæ à principio diei, ne illo deſinente, deeſſent. Senſus ergo quem indi-

rus

mus hiſce verbis Matthæi *ubi vis paremus tibi comedere paſcha*, apertus eſt. Memores Apoſtoli Dominum legi hactenùs paruiſſe, non dubitabant quin celebraturus eſſet paſcha. Ita initio diei decimæ quartæ, quia tunc parandum paſcha, & deligendus ad hoc comedendum locus, quærunt ab eo: *quò vis eamus*, id eſt quem in locum, quas in ædes Hieroſolymorum (nec enim extra urbem licebat) ut tibi paremus locum ubi comedas paſcha; ſcilicet cùm tempus aderit.

3 * 13. *Et miſit duos ex diſcipulis ſuis L Petrum & Joannem, dicens: euntes parate nobis paſcha ut manducemus.* hæc ex iis quæ præcedunt, maximè interpretanda de loco quo paſcha in ſuo tempore comedendum erat. Quod & patet ex verſu ſequenti. 4 * 9. *At illi dixerunt: ubi vis paremus?* quo in loco, ſive quibus in ædibus?

5 * 10. *Et dixit ad eos* 5 *Mc. Ite in civitatem, & L ecce introeuntibus*, in illam *Mc. L occurret vobis homo, Mc. lagenam aquæ bajulans.* interpres in Luca vertit *amphoram*, cùm in fonte ubique ſit κεράμιον, *vas fictile.* quæ ſpecies fuerit vaſis, nihil ad rem. *Mc. L ſequimini eum L in domum, in quam intrat.* Hieroſolymitanorum ædes in paſchate patebant omnibus advenis: quiſque ſibi cœnaculum vindicabat quod reperiebat vacuum, ſuum paſcha in eo facturus; & hoc eſt quod facit Dominus, mittens ad virum, cujus ſciebat ædes eſſe vacuas; ne autem fruſtrà oppidum perreptarent, ſigno diſcipulos inſtruit, quo rectà deducerentur ad iſtas ædes.

6 * 14 *Mc. Et quocumque introierit, dicite L patriſfamilias, domino domus*, ut ait Marcus: *dicit tibi Magiſter* noſter, 7 * *Mt. Tempus meum prope eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis, Mc. ubi eſt refectio mea*, κατάλυμα; refectionis locus; vocem eandem in Luca interpres vulgatus *diverſorium*, reddit *L ubi eſt diverſorium, Mc. L ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem*, cùm hora advenerit.

Apoſtoli licèt toties præmoniti ignorabant Dominum paſſurum, hac ipſa die paſchatis quæ incipiebat poſt occaſum ſolis. idcirco non dubitantes, quin vellet more legitimo paſcha comedere, petierunt ab eo, ubi ſibi vellet parari paſcha. Horum ignorantia ſapienter uſus eſt Dominus ad celebrationem verioris paſchatis quod revera hac nocte fecit, & comedit; cui rei congruebat ſermo quo uſus eſt, præcipiens diſcipulis, ut dicerent patriſfamilias; *ubi eſt diverſorium, ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem.* Seriùs ædes legendæ non erant ubi comederetur agnus; ergo ſenſus quem præferebant illa verba, abſonus videri non poterat huic patriſfamilias. Sed his verbis adhuc alius ſenſus verior inerat, quem nec ille paterfamilias, nec diſcipuli ſtatim aſſecuti ſunt: nimirùm quòd Chriſtus quæreret locum ubi Euchariſtiam protinus inſtitueret; ne mors occuparet eum; unde vero ſenſu dicebat: *Tempus meum prope eſt.* locum autem quaſi præſens intueretur deſcribit.

8 * 15 *Mc. Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum*; id eſt, inſtructum ad apparatum epularum menſis & lectulis; *& illic parate nobis* quæ neceſſaria ſunt ad feſtum quod tunc temporis incipiebat. Etenim tunc purganda domus omni fermento, & multa pretio comparanda, tum ad mactationem agni, & comeſtionem ſequenti die, tum ad lautum convivium, quo inchoabatur hac nocte feſtum ſolemne, ſi fides adhibeatur libris Judæorum.

9 * 16. *Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt ſicut dixerat illis.* ſcilicet introeuntibus in civitatem occurrit eis homo lagenam aquæ portans, quem ſecuti ſunt uſque in domum, in quam & ipſi cum illo ingreſſi ſunt. 10. * 19. *Mt. Et fecerunt* in ea domo *diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, L & paraverunt paſcha.* ibi nulla Templi mentio, intrantes enim urbem, rectà via perrexerunt ad cœnaculum ſecuti virum cui occurrerunt: deinde occupati ſunt apparando convivio, donec adveniret Chriſtus, qui videtur ſubſtitiſſe in monte Oliveti cum Apoſtolis uſque ad noctem, ut modò dicetur. Attamen neceſſe erat, ut omnes in die paſchatis apparerent in Templo; agnus enim erat adducendus in atrium Templi: præſentandus ſub nomine agni paſchalis: mactandus in congregatione Iſraelis, & caro ejus deferanda domum ut aſſaretur, & comederetur, quod invictis argumentis demonſtratum eſt in diſſertatione. horum verò nullum veſtigium extat in iis quæ hactenus facta ſunt. Videamus ad aliquid ex iis quæ ſubjiciunt Evangeliſtæ meritò quemquam adduxerit; ut crederet manducatum à Domino agnum paſchalem in ſequenti cœna.

11 * 20 *Mt.* 17 *Mc. Veſpere autem facto*, ὀψίας δὲ γενομένης, cùm autem ſerum diei advenit, id eſt tenebræ noctis ingruerent, *Mc. venit* Jeſus *cum duodecim.* Proximus urbi erat mons Olivarum. Ergo Petrus & Joannes licèt inde profecti eſſent ſole occidente, cùm inciperet dies prima azymorum, potuerunt in urbem pervenire ante noctis tenebras, Dominus vero ſetiùs advenit, primis noctis tenebris, nempe ſe abſcondens, ne cerneretur ab inimicis, ut ſecurus Euchariſtiam inſtitueret Hieroſolymis, ubi ſicut typi inſtituti fuerant, pariter & erant implendi.

Illud: ὀψίας δὲ γενομένης, *veſpere facto*, habet ſignificationem latam, ut diximus, ſumi enim poteſt pro extrema parte diei, cùm ſol ad occaſum vergit, ſimul & pro tempore quo ſol jam occidit, & ingruunt tenebræ. Ne plura congeram teſtimonia, adducam tantùm quod Matthæus dicit, cap. 14. ℣. 15. ubi narrat panes

quin-

quinque multiplicatos à Domino. *veſpere autem facto* ὀψίας δὲ γενομένης, *acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: deſertus eſt locus, & hora jam præteriit &c.* aderant quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis. Omnes diſcubuerunt per contubernia, ut ait Marcus, per centenos & quinquagenos, id curantibus Apoſtolis; qui panes & piſces appoſuerunt ſingulis. *Et manducaverunt omnes & ſaturati ſunt.* Tunc Apoſtoli *ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus &c.* his omnibus non modicum temporis impenſum eſt. deinde compulit Jeſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum. *& dimiſſa turba*, inquit Matthæus ℣. 23. *Aſcendit in montem ſolus orare. veſpere autem facto*, ὀψίας δὲ γενομένης, *ſolus erat ibi.* An quis jure dixerit tunc ſolem non occidiſſe; cùm mox ſubjiciat Matthæus ℣. 25. *quarta autem vigila noctis venit ad eos &c.* Ita illud: *veſpere facto* intelligi poteſt de tenebris ingruentibus.

12 * 14 L. *Et cùm facta eſſet hora*, cùm hora eſſet cœnandi *diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* quo cibo eos primùm paverit, quæritur; neque enim niſi prima cœna facta Euchariſtiam inſtituit. Non mihi mos eſt hariolari; ſed nec etiam pertinaciter contendere in iis quæ manifeſtæ veritati non adverſantur. Non itaque obſiſtam quominus dicatur in prima cœna comeſtus agnus, modò ille agnus non verè fuerit paſchalis, ſive, ut aliqui loquuntur, paſcha, θύσιμον, quaſi dicas *ſacrificale*. Nunc Judæi faciunt paſcha μνημονευτικὸν, *memoriale* etenim quia non licet illis extra Templum quod everſum eſt, ſacrificare, ſurrogata eſt ſacrificio agni paſchalis memoria ejus. Tale memoriale paſcha à Domino hac nocte fuiſſe celebratum opinatur Grotius: ſed pace tanti viri dixerim, hæc opinio nullo fundamento nititur. Etenim paſcha non fiebat initio diei decimæ quartæ, quæ tunc cœperat; ſed in fine horis pomeridianis, quo tempore legitimo Judæi fecerunt, ut videbimus. Ergo præterquam tunc ante Templum everſum non fieret paſcha illud memoriale, ſaltem Hieroſolymis, Jeſus offendiſſet diſcipulos ſuos, rem inſolitam faciens.

Cujus neceſſitatis, aut utilitatis fuiſſet illud memoriale paſcha? jamjam reficiendi erant Apoſtoli vero agno, nimirùm vera Chriſti carne. An ut legi pareret; & ideo quia impediendus erat morte ſua, quominus ſequenti die paſcha comederet, prius comedere voluit? Ad id nulla neceſſitate adigebatur; lex enim non præcipiebat, ut quis anteverteret tempus paſchatis, cùm legitima die poterat occurrere impedimentum; imo id ſatis vetabat, cùm præciperet expectandam decimam quartam diem menſis ſequentis. Judæos hocce anno non feciſſe paſcha ante horas pomeridianas feriæ ſextæ, plurima loca Joannis clarè demonſtrant cùm accipiuntur in ſenſu obvio; ſive quem præferunt verba quibus Evangeliſta uſus eſt.

Igitur cùm iſta nocte pridie quàm pateretur Dominus, nondum immolatum eſſet paſcha Judaicum, non potuit illud comedere, mortuus ante legitimum tempus; quod non occupaſſe, nec à Judæis dilatum vidimus. Unde ergo opinio invaſit mentes Jeſum comediſſe agnum paſchalem in pervigilio mortis ſuæ & id à tribus primis Evangeliſtis tam luculenter ſignificari, ut qui id negent, cenſendi ſint adverſus ſolem mentiri? Hoc præjudicium ortum eſt ex falſa concluſione: nempe ex eo quòd poſtquam Evangeliſtæ dixerunt paſcha paratum à Joanne & Petro, protinus exhibent Jeſum diſcumbentem cum Apoſtolis, & cœnantem, cœnam paratam. paratum enim, inquiunt, paſcha à Petro & Joanne; paratum ergo paſcha Dominus manducavit. Hanc concluſionem non eſſe neceſſariam liquet; nam licèt tunc temporis paſcha paratum fuerit, non ideo neceſſe eſt ut illico comeſtum ſit, ſi nondum inſtaret legitimum tempus comeſtionis ejus; nam præter paſcha comedendum die ſequenti poſtquam ritè eſſet mactatum, potuere Apoſtoli parare cœnam pro præſenti nocte.

Decuiſſet ergo Evangeliſtas, reponunt, præmonere ne quis eùm audiret paratum locum ubi comederetur paſcha, paratum & ipſum paſcha, Jeſum hora cœnæ advenientem, diſcumbentem, nec aliis cibis veſcentem quàm paratis, non ideo crederet reipſa ab eo agnum paſchalem manducatum. Iſta quidem præmonitio fuiſſet utilis pluribus, qui animum non advertunt ad omnes circumſtantias narrationis Evangelicæ, ſed non erat neceſſaria. nam hæ ipſæ circumſtantiæ clarè admonent tum Jeſum non potuiſſe comedere paſcha, cujus comeſtionis tempus nondum adveniſſet. Verba trium primorum Evangeliſtarum clarè ſignificant noctem illam in qua cœnavit Dominus cœnam de qua ſermo eſt, fuiſſe initium decimæ quartæ diei, & ideo agnum paſchalem nondum mactatum fuiſſe, mactandum horis pomeridianis feriæ ſequentis ipſa hora qua Dominus paſſus eſt. Suffragatur Joannes qui eamdem cœnam dicit factam *ante diem feſtum paſchæ*, Ergo ſive dies ille feſtus ſumatur pro magno azymorum die, ſive pro immolatione paſchatis, cœna de qua loquimur præcedebat tempus. quo licebat agnum paſchalem manducare; ritè enim poterat tantum comedi initio decimæ quintæ diei; ſicut mactari in fine decimæ quartæ. Si feſtus paſchæ ille ſit dies immolationis; ante illum feſtum diem, ſive ante agni immolationem, agnus paſchalis non poterat manducari.

Numquam ergo vulgaris opinio animum ſub-

iiſſet

tiſſet attentum, & peritum rituum paſchalium. An enim poterat comedi paſcha non immolatum? immolandum autem dicunt Evangeliſtæ non immolatum: paratum quidem dicunt; ſed ſtatim ac paratum fuerat, non ideo comedebatur. In diſſertatione comprobatum eſt agnum paſchalem verè fuiſſe ſacrificium; & ideo non alibi potuiſſe mactari quàm in ipſo templo. An ullas res indicat Petrum & Joannem aſcendiſſe in Templum: ibi ab eis agnum immolatum ut fiebat, & deinde reportatum in ædes quas occupaverant? Illud ſacrificium non perficiebatur niſi aliquo temporis intervallo; quin aſcenſus in Templum & redituus poſtulat aliquot horas; Evangeliſtæ verò miſſos Apoſtolos, & protinus Jeſum ſequentem narrant; ut inter utrumque non cogitanda ſit longa intercapedo; Petrus enim & Joannes ingreſſi urbem rectà eunt domum, in quam parato paſchate Jeſus advenit.

Cùm ergo nulla res poſſet ingerere animo opinionem, ſive ſuſpicionem manducati paſchatis, haud opus erat, ut ſignificarent Apoſtoli non comeſtum hac nocte agnum paſchalem; quod fieri non potuiſſe res ipſa docebat. Quæ cùm ita ſint, iniqua eſt expoſtulatio eorum qui queruntur actum de Evangelio ſi dicatur Jeſum non feciſſe paſcha, contra apertum inquiunt Evangeliſtarum ſermonem. Scilicet ubi ſemel quæpiam opinio invaſit animum & tranſverſum egit, credit certò videre, quæ nullo modo videt. ſed pergamus excutere omnia quæ tunc dicta & facta ſunt, ut videamus an aliquid aliud ita vulgæ opinioni faveat, ut juxta illam neceſſariò ſtatuendum ſit Jeſum in pervigilio mortis ſuæ paſcha Judaicum comediſſe.

13 * 15. *Et ait illis: deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* potuit Dominus illam cœnam dicere paſchalem, quia ab illa incipiebat celebratio paſchatis; & donec apprehenſus eſt, omnia quæ erant rituum paſchalium adimplevit. verba autem illa: *deſiderio deſideravi &c.* non aliud ingerebant animo Apoſtolorum, niſi eum velle paſcha comedere cùm legitimum tempus adveniret: velle, inquam, illud comedere, antequam pateretur; nempe ſi mors eum non priùs avelleret ab illis; id enim innuit his verbis quæ ſubdit. 14 * 16. *Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud*, οὐκ ἔτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, *neutiquam adhuc*, id eſt, ex hoc tempore non manducabo; ex illo, quod forſan vel oculis, vel manu indicabat, edulio, *donec*, ἕως ὅτου, uſquequo *impleatur in regno Dei*, donec morte mea compleantur veteres typi, imprimis paſchatis, de quo ſermo. declarat autem ſe modò moriturum, & ante mortem ſuam nec manducaturum, nec bibiturum. *Non bibam*, inquit, *de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*. Semel in anno manducabatur agnus paſchalis: igitur de agno paſchali hæc dicens, *non manducabo de illo*, non indicaſſet mortem ſuam eſſe proximam; veſci enim poterat aliis cibis, quod tamen indicare volebat. nihil autem addidit, quo probari poſſit ab eo manducatum paſcha illud quod deſideraverat manducare cum diſcipulis, niſi quis intellexerit, ut plerique interpretes crediderunt, Euchariſtiam fuiſſe paſcha quod deſiderabat Dominus manducare cum Apoſtolis.

Præterea horum verborum, *deſiderio deſideravi &c.* ſenſus eſſe poteſt; ardenter deſideraſſem, paſcha ſcilicet comedere vobiſcum, ſed mors proxima obſtabit; Hebræi enim carent modo optativo; qui ergo modus ex re ſubintelligendus. Chriſtus ut diximus, indicabat mortem ſuam proximam, declarans non ampliùs ſe comeſturum, nec bibiturum, *donec regnum Dei veniat*. Ibi per *regnum Dei* intelligit reſurrectionem ſuam, poſtquam data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra; & ſic regnare cœpit. Nec prætermittendum eſt non omninò certum eſſe Dominum protuliſſe in prima cœna verba illa *deſiderio deſideravi &c.* videntur enim, quod ex Matthæo & Marco comprobari poteſt (id poſtea expendemus) non fuiſſe prolata, niſi poſt inſtitutam Euchariſtiam: cùm de agno paſchali non ſermo erat.

15 * 17. *Et accepto calice gratias egit*: multæ enim benedictiones recitabantur ſuper pocula in conviviis, etiam non paſchalibus. *& dixit: Accipite, & dividite inter vos* de more. omnes ex eodem calice bibebant. Ut ſenſus ſit horum verborum *dividite inter vos*, quiſque partem hujus ejuſdem poculi ebibat. 16 * 18. *Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis*, de fructu ejus, id eſt de vino, *donec regnum Dei veniat*: nempe poſtremum eſt illud convivium quod vobiſcum facio ante mortem meam qua clarificandus ſum. Lucas protinus agit de Euchariſtiæ inſtitutione, forſan non ſervato ordine; quod deducimus ex aliis Evangeliſtis, apud quos mortem ſuam non declaravit eſſe proximam, niſi jam facta Euchariſtia.

C A-

CAPUT XVIII.

Jeſus antequam Euchariſtiam inſtitueret, à cœna ſurgens abluit pedes diſcipulorum ſuorum.

JOANNES, Cap. 13. ✠. 1—17.

† Feria. 5. in cœna Domini.

1 † ANTE diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſ-
eat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in
mundo, in finem dilexit eos.
2 Et cœna facta, cùm diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas
Simonis Iſcariotæ:
3 ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad
Deum vadit:
4 ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præ-
cinxit ſe,
5 Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, &
extergere linteo, quo erat præcinctus.
6 Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine tu mihi la-
vas pedes?
7 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies au-
tem poſteà.
8 Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Jeſus:
Si non lavero te, non habebis partem mecum.
9 Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus,
& caput.
10 Dicit ei Jeſus: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt
mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.
11 Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum: propterea dixit: Non eſtis
mundi omnes.
12 Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua: cùm recu-
buiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?
13 Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum etenim.
14 Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis
alter alterius lavare pedes.
15 Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita &
vos faciatis. ¶
16 Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo: neque Apo-
ſtolus major eſt eo, qui miſit illum.
17 Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.

HOc poſito quod ſtatuimus Jeſum feria quinta in cœna, cui accubuit nocte, non comediſſe agnum paſchalem quia nondum mactatus fuerat, finiuntur hæ omnes quæſtiones, hactenus ſine multo fructu agitatæ ab interpretibus, de tempore quo paſcha fecerit Dominus: an cum Judæis? an occupaverit tempus? utrùm ipſe legitimo tempore, an potiùs Judæi? etenim his non ampliùs locus eſt, ubi ſemel probatum eſt paſcha Judaicum anno quo mortuus eſt,

non

non feciſſe. Nec etiam ultra opus eſt in alienos à ſua propria ſignificatione ſenſus rapere verba Evangeliſtarum. Omnia aperta ſunt, quod indubitatum eſt veritatis argumentum, præponderans argumentis omnibus quæ peti poſſunt à numero eorum, quibuſcum non ſentimus. rem experiamur.

1] *Ante diem feſtum paſchæ.* Joannes indicat tempus quo Dominus ſurgens à cœnâ abluit pedes Apoſtolorum, inſtituturus ut liquet Euchariſtiam. Id autem eſſe factum in pervigilio mortis ſuæ, nempe feria quinta initio noctis ſequentis, conſtat cùm iſta cœna de qua Joannes, non diverſa ſit ab ea de qua modò Matthæus, Marcus & Lucas locuti ſunt. Scribit enim pariter in illa cœna Dominum declaraſſe proditurum iri ab uno ex convivis; & ter à Petro negaturum ante gallicinium, nempe ante finem hujuſce noctis. Id animadverto, quia aliqui commenti ſunt ablutos Apoſtolorum pedes in cœna quæ in Bethania facta eſt; hoc uno nixi fundamento; quia Jeſus feria quinta ediderit agnum paſchalem, qui cùm alia die quàm decima quarta ritè mactari non potuiſſet, Joannes, inquiebant non dixiſſet, quòd cœna feriæ quintæ facta eſſet ante feſtum paſchæ; ſi ſolemnitas mactationis agni quæ propriè dicitur paſcha, tranſacta fuiſſet, & jam cœpiſſet magna dies azymorum. nimirum errore in errorem impellebantur; nos verò in huncce ſcopulum non impingimus. Cœperat poſt occaſum ſolis dictæ feriæ dies decima quarta; ita cùm ex lege agnus paſchalis non mactandus eſſet, niſi horis pomeridianis feriæ ſextæ, quidquid intelligat Joannes per feſtum paſchæ, ſive agni paſchalis mactationem, ſive magnam diem azymorum, quæ erat dies decima quinta primi menſis, certum eſt cœnam feriæ quintæ factam eſſe ante diem feſtum paſchæ, *πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα*; non enim tota dies decima quarta celebatur feſtum paſchæ, ſed illa ultima ejus pars, in qua fiebat mactatio agni, ut alibi dictum eſt.

Ergo ante feſtum paſchæ *ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*: cùm jamjam moriturus eſſet. *Paſcha* erat ſacrificium memoriale liberationis ex Ægypto, cùm primogenitis Ægypti interfectis ex ſervitute in libertatem tranſierunt nomen eſt Hebræum ſive Chaldaicum, ſonans idem quod *tranſitus*. Singuli paſchales ritus typi erant ſacrificii, quo, tranſeunte Domino de terra ad Patrem, liberati ſunt homines à dæmonum ſervitute. Hujuſce tranſitus Domini Euchariſtia commemoratio eſt, ſimul & pignus amoris quo Apoſtolos & nos omnes proſecutus eſt; ne enim terram deſerens tranſeundo ad Patrem nos desereret, mirabili ſua ſapientia & immenſa ſua poteſtate effecit, ut licèt in cœlos abiiſſet, præſentia ejus in terris frui poſſemus.

ita Joannes locuturus de ablutione pedum qua diſpoſuit ſuos Apoſtolos ad inſtitutionem Euchariſtiæ, ſic pergit: *cùm dilexiſſet ſuos*, *ἰδίους*, proprios, à Patre ſibi datos, id eſt, electos *qui erant in mundo*, quos relicturus erat in hoc rerum ſalo, mille odiis, periculis, calamitatibus expoſitos, *in finem dilexit eos*, perrexit *eos diligere*, ſive eos relicturus vehementiorem erga eos caritatem oſtendit; abluens pedes eorum: ſed & aliud majus amoris argumentum à Domino exhibitum, nempe ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, ut ab aliis Evangeliſtis ſatis expoſitum Joannes prætermittit ſilentio.

2. *Et cœna facta*, *δείπνου γινομένου*, ad quam faciendam præmiſerat Dominus Petrum & Joannem. Cœna, inquam, illa facta quam fecit, cùm in urbem venit veſpere facto, ut tres primi Evangeliſtæ referunt, *cùm diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcariotæ*, id eſt, in cor Judæ, ut eum traderet. Quod prænotat Joannes, quia poſtea ſcribit indicatum à Domino hunc proditorem; & ideo ſignificat Judam habuiſſe in corde malum ſuum conſilium, antequam Jeſus ſuſciperet pedes lavare Apoſtolorum.

3 *Sciens* Jeſus *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Iſta præfatio poteſtatis Chriſti, ac divinitatis ejus demonſtrat quidem eum conſcium ſuæ dignitatis ad humile obſequium deſcendiſſe; ſed magis congruit inſtitutioni Euchariſtiæ, in qua divinam ſuam poteſtam oſtendit. neque enim homo facere poſſet de pane corpus ſuum. Cùm ergo tanta res eſſet inſtitutio Euchariſtiæ, ad illam parare voluit diſcipulorum animos, abluens pedes eorum; cujus ablutionis arctam cum Euchariſtia connexionem miror hactenus deprehenſam non fuiſſe; nam omnes opinantur id factum ſolummodò in exemplum humilitatis. Credo equidem & Dominum præbere voluiſſe hujus virtutis exemplum, ſed & alium finem intuitus eſt. ad quid enim laviſſet pedes diſcipulorum, qui ex peregrinatione non redibant, & jam accubuerant menſæ? Joannes Buxtorfius filius, vir literarum Hebræarum peritiſſimus, docta diſſertatione demonſtravit non fuiſſe ritum paſchalem in libris Judæorum memoratum; nec ſimilis ablutionis, quæ fieret extra Templum, ullum eſſe in ſcripturis, aut in libris Judæorum exemplum. Etenim in Templo ſacerdotes licèt totum corpus abluiſſent, & eſſent mundi, rem ſacram non faciebant, niſi pedes priùs abluiſſent. Idcirco poſitum erat labrum æneum inter tabernaculum teſtimonii & altare, plenum aqua, ut manus & pedes lavarent antequam ſacrificium offerrent; juxta illud præceptum Dei Exod. cap. 30. ℣. 19. *Et lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii, & quando ac-*

ceſſuri

Digitized by Google

aſſuri ſunt ad altare. igitur re iſta inſolita, nec alibi uſitata quàm in Templo, parabat Dominus animos Apoſtolorum, ne cibum quo poſtea illos pavit, pro communi cibo acciperent. Voluit, inquam, ut licèt mundi, iterum abluerent pedes, acceſſuri ad tam grande ſacramentum.

4 *Surgit à cœna* poſt exemptam famem epulis, *& ponit veſtimenta ſua* extima, id eſt, tunicam exteriorem ut expeditior eſſet: *& cùm accepiſſet linteum*, accepto linteo, *præcinxit ſe*, id eſt, lumbos ſuos. is habitus miniſtrantium. 5. *Deinde mittit aquam in pelvim*. ipſe obiit omne miniſterium. *Et cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*. paravit ſe, aut diſpoſuit ad lavandum, & extergendum pedes eorum.

6. *Venit ergo ad Simonem Petrum*, à quo initium factum videtur. *Et dicit ei Petrus: Domine*, tu Dei filius *mihi* peccatori *lavas pedes?* id eſt, vis lavare: ut dicebat Jeſus Joan. cap. 10. ℣. 32. *me lapidatis*, pro, vultis me lapidare. 7. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, quod ego facio, tu neſcis modò*, non intelligis myſterium: non capis quid agam, quò tendat quod ago: *ſcies autem poſteà*, cùm videris quantæ ſit dignitatis res, cujus cauſa hæc facio, nempe ſacrificium omni ſacrificio perfectius, quod modò fiet. 8. *Dicit ei Petrus*: non ex pertinacia, ſed ex reverenti animo, *non lavabis mihi pedes in æternum*, nunquam hoc patiar.

Reſpondit ei Jeſus: ſi non lavero te, non habebis partem mecum: non eris particeps corporis mei. Expoſitio illa violenta non eſt: & quæcumque alia minus habet probabilitatis. 9. *Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantùm pedes meos* lava, *ſed & manus & caput*, totum corpus meum tibi præbeo abluendum.

10 *Dicit ei Jeſus: qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*. hiſce verbis ſenſum alium ineſſe credo quàm qui vulgò inditur; nempe hìc fieri à Domino alluſionem ad balnea, in quibus poſt ſuperiorem lotam, & mundatam aquis, qui ſic mundus totus eſt, indiget ut pedes qui calcant terram, iterum abluantur. Alia ſententia eſt verborum Domini. loquebatur ex more ſacrificiorum quæ non ſuſcipiebant facere ſacerdotes etiam loti & mundi, niſi priùs, ut vidimus, iterum pedes lavarent. Loti & mundi indigebant iterum ut pedes lavarent. *Et vos mundi* eſtis; permanſiſtis fideles, *ſed non omnes*, excipiebat Judam, *ſciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum: propterea dixit: non eſtis mundi omnes*.

12. *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua: cùm* ad menſam *recubuiſſet iterum*, ſanctiorem cœnam præbiturus Apoſtolis, nempe propriam carnem, ad quam diſpoſuerat eos, abluendo pedes illorum. Rurſum ergo diſcumbens, *dixit eis: ſcitis quid fecerim vobis*. ſi intelligitis, bene eſt, ſin minus, docebo vos.

13. *Vos vocatis me Magiſter*. ſic apud vos ſalutor: *& benè dicitis: ſum etenim*. nihil mihi alienum per adulationem adſcribitis: *Magiſter* ſum docendo, *Dominus* redimendo. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter*: ſi ego tanto vobis ſuperior non recuſavi hoc vile miniſterium ſubire. *& vos debetis alter alterius lavare pedes*. multò magis vos qui conſervi eſtis, debetis ſimilia officia deferre. 15. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. exemplum enim imitandum propoſui: debetis id præſtare, quod à me fieri vidiſtis. 16. *Amen, amen dico vobis: non eſt ſervus major Domino ſuo*. tritum proverbium: *neque Apoſtolus*, id eſt miſſus (nomen enim Græcum eſt derivatum à verbo ἀποστέλλειν, mittere) *major eſt eo qui miſit illum*. 17. *Si hæc ſcitis* ſcilicet facienda eſſe vobis: ſi hæc credidiſtis vera, *beati eritis, ſi feceritis ea*. fides enim non operoſa nocet magis, quàm prodeſt.

CAPUT XIX.

Significat Dominus quòd ab uno ex illis quibuſcum menſæ accumbebat, prodendus eſſet.

JOANNES, Cap. 13. ℣. 18—32.

1 * 18 NOn de omnibus vobis dico: (*Vos mundi eſtis*,) ego ſcio
† Pſ. 40. 10. quos elegerim, ſed ut adimpleatur ſcriptura. † Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.
2 * 19 Amodò dico vobis priuſquam fiat: ut cùm factum fuerit, credatis quia ego ſum.

3 * 20 Amen

3 * 20 Amen, amen dico vobis: qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me miſit.
4 * 21 Cùm hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt,

HARMONIA.	MATTH. Cap. 26. ℣. 21-25.	MARCUS. Cap. 14. ℣. 18-21.	JOANNES.
5 *Mc:* Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait:	21 Et edentibus illis, dixit:	18 Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Jeſus:	& dixit:
6 *L* Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.			LUCAS Cap. 22. ℣. 21-23. 21 Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.
7 *J* Amen, *MM.J* amen dico vobis, quia unus *Mc. J* ex vobis, *Mc.* qui manducat mecum *Mc.J* tradet me.	Amen dico vobis, quia unus veſtrùm. me traditurus eſt	Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.	JOANNES. Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.
8 *J* Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret.			22 Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret.
9 *Mt.* Et contriſtati valdè, cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine?	22 Et contriſtati valdè, cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine.	19 At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim: Numquid ego?	LUCAS.
10 At ipſe reſpondens ait *Mc.* illis: Unus ex dodecim, *MM.* qui intingit mecum manum in *Mt.* paropſide, hic me tradet.	23 At ipſe reſpondens ait: qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.	20 Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.	22 Et quidem Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit. væ autem homini illi, per quem tradetur? † *Pſal.* 40. 10.
11 *Mc. L* Et *MM. L* Filius quidem hominis *MM.* vadit † ſicut ſcriptum eſt de *Mt.* illo.	24 Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo:	21 Et Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo:	
12 *MM.* Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, *Mt.* ſi natus non fuiſſet *MM. L* homo ille.	væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.	væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. 22 *Et &c. cap. ſeq.*	

MATTHÆUS.

13 * 25 Reſpondes autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum, Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti.
26 Cænantibus &c. cap. ſeq.

LUCAS.

14 * 23 Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet 24 *Facta eſt &c. infrà, cap. 21.*

JOANNES.

15 * 23 Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus.
16 * 24 Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis eſt, de quo dicit?

17 * 25

17 * 25 Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu, dicit ei: Domine, quis eſt?

18 * 26 Reſpondit Jeſus: Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ.

19 * 27 Et poſt buccellam, introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citiùs.

20 * 28 Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei.

21 * 29 Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret.

22 * 30 Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuò. Erat autem nox.

23 * 31 Cùm ergo exiſſet, dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo.

24 * 32 Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo: & continuò clarificabit eum.

1 * 18.] NON *de omnibus vo'is dico*, vos mundi eſtis, *Ego ſcio quos elegerim*, ad perſeverandum mecum, quales modò ſint, & deinceps ſuturi ſint. *ſed* id de quo vos præmoneo ſic oportet fieri; ibi enim ellipſis eſt, & hæc ſubintelligenda, *ut adimpleatur ſcriptura*: ſcilicet ut iterum, & quidem eminentiùs, fiat quod olim ſibi ab Achitophele factum conqueſtus eſt David. nam de eo pſalmo 40. ℣. 10. & 54. ℣. 15. interpretantur Hebræi, & nominatim Chaldæus paraphraſtes. Tacitè ſimul vaticinatur Judæ ſimilem fore exitum qualis Achitopheli fuerat. *Qui manducat mecum panem*, quem menſæ meæ participem feceram, quod etiam apud Gentes ſacrum amicitiæ ſignum, *levabit contra me calcaneum ſuum*. In fonte Hebræo pſalmi cap. 40. ℣. 10. *magnificavit*, id eſt, pede ſublimi me preſſit. calcavit, ſive calcare voluit, methaphora ducta ab equis calcitronibus. a * 19. *Amodò, ἀπ' ἄρτι*, ex hoc tempore *dico vobis* ſcilicet me dolo opprimendum *priuſquam fiat*, ne, ubi res evenerit, offendamini; at nunc tantò magis confirmari debetis. Ergo dico, *ut cùm factum fuerit, credatis quia ego ſum*, nempe Deus cordium ſcrutator: vel ut, dum videritis in me completa antiqua vaticinia ſcripturarum, credatis quia ego ſum ſalvator, de quo hæc fuerant prædicta in ſcripturis.

3 * 20. *Amen, amen dico vobis: Qui accipit, ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit.* redit ad mutuæ charitatis commendationem; vel exaggerat ſcelus Judæ ut admiſſum non contra hominem nudum ac contemptum, ſed contra ipſum patrem, à quo miſſus fuerat.

4 * 21. *Cùm hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu*, animo eſſe turbato viſus eſt, & periculi conſideratione, & ſceleris horrore; affectibus enim, quippe homo, commovebatur. *Et proteſtatus eſt*, καὶ ἐμαρτύρησε, & teſtatus eſt; palàm & cum aſſeveratione profeſſus eſt, quod dixerat tectiùs, fore ut ab uno diſcipulorum proderetur.

5 * 18 *Mc. Et diſcumbentibus eis & manducantibus.* ex Joanne hæc intelligi debent facta; cùm Dominus à cœna ſurrexit, & ablutis Apoſtolorum pedibus, iterum menſæ accubuit. qit 6 * at *L. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa*; mecum cibos ſumens. 7 * *MM.*] *Amen, dico vobis: quia unus Mc.*] *ex vobis Mc. qui manducat mecum Mc.*] *tradet me.* Matthæus pariter & Marcus ſcribunt ante inſtitutam Euchariſtiam indicatum proditorem. Lucas verò ſolus poſt Eucahriſtiam refert verba Domini proditorem ſuum indicantis.

8 * 22.] *Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli* perculſi rei atrocitate vix credibili *hæſitantes dubii dequo diceret.* 9 * 22 *Mt. Et contriſtati valde* ob nefandum ſcelus, & quòd de ſe quiſquis ſollicitus eſſet, *cœperunt ſinguli dicere*: *Numquid ego ſum* is proditor, *Domine?* 10 * 23. *At ipſe reſpondens* apertis verbis *ait Mc. illis. Unus ex duodecim*, ex hocce numero duodenario *qui intingit mecum manum in Mt. paropſide*, in catino, *hic me tradet*, id eſt, qui manducat mecum; neque enim hæc ita accipienda, quaſi eo ipſo tempore, quo hæc à Domino dicebantur, Judas manum haberet in patina; fuiſſet enim hoc manifeſtum & indubitatum ſignum, ſed ad mutuum quotidianum convictum referenda; nempe ut dicitur pſal. 40. ℣. 10. *qui edebat panes meos magnificavit ſuper me ſupplantationem.* 11. * 21. *Mc.* 22. *L. Et* 24. *MM. L. filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt, Mt. de illo.* ego quidem ad ſupplicium rapior, ut dicebat Abraham, Gen. cap. 25. ℣. 2.

Ego

Ego vadam abſque liberis; id eſt, ut ſenes Græci interpretantur, ἀπολύομαι, dimittor, diſſolvor, ſive morior. 12 * *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur*: per quem ego ipſe tradar. *Bonum erat ei*; id eſt melius erat ei; nam Hebræi carent comparativis, *Mt. ſi natus non fuiſſet homo ille*. locutio in Talmude frequenter occurrens. 13 * 25. *Reſpondens autem Judas, qui tradidit eum*; ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, qui prodebat, ſive tradebat eum, *dixit*: *Numquid ego ſum, Rabbi? ait illi* Jeſus: *tu dixiſti*. Ita eſt ut dicis, rem dixiſti, vel tu hæc dicis, non ego. 14 * 23 L *Et ipſi cœperunt quærere inter ſe* Apoſtoli, *quis eſſet ex eis qui hoc facturus eſſet*. nec enim forſan audierunt quæ dixerat Dominus ad Judam, aut non capiebant.

15 * 23 J *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus*, nempe ipſe qui hæc ſcribit, Joannes. Soliti erant Judæi & Romani comedere diſcumbentes, reclinati in latus ſiniſtrum, inferiore parte corporis in longum porrecta, capite leviter erecto, dorſo pulvillis modicè ſuffulto, pedibus ad terram. Uxores apud Romanos in ſinu, ſive gremio mariti diſcumbebant. *Et gremio jacuit nova nupta mariti*; canit Juvenalis. ſic Plinius ſcribit: *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento recumbebat propiùs atque etiam in ſinu*.

16 * 24. *Innuit ergo huic*, nempe Joanni qui diligebatur, *Simon Petrus, & dixit ei* ut interrogaret Dominum: *Quis eſt, de quo dicit?* 17 * 25. *Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu*, à quo nonnihil ſe erexerat Joannes. quo meliùs nutum Petri intelligeret: *Dicit ei: Domine quis eſt* ille futurus proditor? 18 * 26. *Reſpondit Jeſus: ille eſt cui ego intinctum* in jure, in condimento *panem porrexero*. hæc ſubmiſſa voce, ne cæteri audirent. *Et cùm intinxiſſet panem dedit Judæ filio Simonis Iſcariotæ*.

19 * 27. *Et poſt buccellam*, μετὰ τὸ ψωμίον, fruſtum panis quem Dominus Judæ porrexit intinctum, nec ille recuſare voluit, ne ſe magis patefaceret, ſed tanquam gratum habens hoc amicitiæ pignus accepit; poſt, inquam, buccellam *introivit in eum ſatanas*, penitùs intravit: totum cor ſuum diabolo aperuit, & ſtatuit exire ad colligendas turbas. *Et dixit ei Jeſus*: Ergo cùm nulla res te revocare poſſit à malo conſilio, flectere enim te debuiſſet iſte ſermo meus, *quod facis, fac citiùs*, id eſt perfice citiùs malum propoſitum. *Videns Dominus*, verba ſunt Leonis magni, ſerm. VII. de paſſ. cap. 4. *cui flagitio Judas eſſet intentus*; *quod facis inquit, fac citiùs. Vox hæc non jubentis eſt, ſed ſinentis; nec trepidi ſed parati. qui habens omnium temporum poteſtatem, oſtendit, ſe moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exſequi voluntatem, ut facinus quod à perſequentibus putabatur, nec impelleret, nec timeret.*

20 * 28. *Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium* præter Joannem, nec forſan ipſe intellexit *ad quid dixerit ei*, quod facis, fac citiùs. 21 * 29. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas*, pecuniam geſtabat ut œconomus, *quòd dixiſſet ei Jeſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret*. ex hoc loco efficax argumentum eruitur, diem decimam quartam non finitam horis pomeridianis feriæ quintæ, ſive nondum factam mactationem agni paſchalis; quæ mactatio ſi non hic deſignetur per *diem feſtum*; & decima quarta dies jam abiiſſet hac die Jovis in ſolis occaſu, tunc ergo cœperat decima quinta dies, quæ erat magna dies azymotum, in qua nullo modo licebat mercari, emere, nec vendere; ita non ſuſpicati eſſent Apoſtoli Dominum quem ſciebant legis obſervatorem, dediſſe in mandatis Judæ ut legem infringeret. Verùm in iſta nocte cujus hiſtoriam nunc teximus, cœperat, ut diximus, dies decima quarta, cujus pars uſque ad meridiem craſtinæ lucis, admittebat quodcumque opus ſervile. Non mirum igitur, ſi Apoſtoli putaverint Judam exire ex juſſu magiſtri ad ea emenda quæ poſtridie neceſſaria erant ad celebrationem feſti. 22 * 30. *Cùm ergo accepiſſet ille buccellam* dictam, *exivit continuò*, ſtatim, ut Jeſum revertentem in montem Olivarum occuparet in itinere, & inter tenebras comprehenderet, adjutus turba militum, quos ut colligeret citò exiit. *Erat autem nox*. noctem ſcilicet captavit Judas, ut opportuniorem ad capiendum Jeſum.

Buccella quam Judæ porrexit Dominus, non erat Euchatiſtia, quæ, ut videtur, non inſtituta fuerat. Sanctus Auguſtinus pariter credit buccellam iſtam non fuiſſe Euchariſtiam; cujus tamen putat Judam participem fuiſſe, nimirum quia Lucas ſermonem Domini de futura proditione Judæ refert tantùm poſt inſtitutam Euchatiſtiam. Matthæus, ut vidimus præmittit. veriſimilius autem eſt ab oculato teſte veram rerum ſeriem ſervatam. Ita Judas qui exierat antequam corpus ſuum daret Dominus ſuis Apoſtolis, tanto ſacramento nec interfuerat. Idcirco de hoc proditore ſcribit Hilarius magnus: *ſine quo paſcha accepto calice & fracto pane conficitur; dignus enim æternorum ſacramentorum communione non fuerat.*

23 * 31. *Cùm ergo exiiſſet* Judas, *dixit Jeſus: nunc clarificatus eſt Filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo*. hactenus miraculorum magnitudine glorificatus ſum. vel potiùs, ſenſus eſt: *nunc* abeunte Judâ jam clarificabor, morte mea ſcilicet; nam, ut dixerat, *cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum*. niſi Judas promiſiſſet

ſacerdotibus ſe illis traditurum Jeſum, diſtuliſſent poſt paſcha eum morti tradere. Proditio ergo Judæ accelerabat clarificationem, ſive gloriam ejus: 24 * 32. *Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo: & continuò clarificabit eum*, per ſigna in ſole & in terra; ſtatim in ipſo mortis puncto incipiet ei teſtimonium reddere, ita ut qui aſpiciant dicturi ſint: hìc verè filius Dei eſt; neque Deus in morte eum relinquet niſi pauxillo tempore.

CAPUT XX.

Dominus inſtituit Euchariſtiam.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 26. ℣. 26-30.	MARC. Cap. 14. ℣. 22-26.	LUCAS Cap. 22. ℣. 19-20.
† 1.Cor.11.24. 1 *Mt.* † COEnantibus autem eis, *MM.* accepit Jeſus panem,	26 Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem,	22 Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem,	19 Et accepto pane
2 Et *L* gratias egit, *Mt.* benedixit, ac fregit: deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite:	& benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite.	& benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite,	gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens:
3 *MM. L* Hoc eſt corpus meum, *L* quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.	hoc eſt corpus meum,	hoc eſt corpus meum,	Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.
4 Similiter *Mt.* & accipiens calicem *L* poſtquam cœnavit,	27 Et accipiens calicem.	23 Et accepto calice	20 Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens:
5 *Mt.* Gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. *Mc.* Et biberunt ex illo omnes.	gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.	gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes.	
† Rom.5.15. 6 Et ait illis: *MM.* † Hic eſt *Mt.* enim *MM.* ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur *Mt.* in remiſſionem peccatorum.	28 Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.	24 Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur,	Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.
7 Dico autem vobis: Non bibam amodò *MM.* de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam *Mt.* vobiſcum *MM.* novum in regno *Mc.* Dei *Mt.* Patris mei.	29 Dico autem vobis, Non bibam amodò de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.	25 Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei,	
8 *MM.* Et hymno dicto exierunt in montem *Mt.* Oliveti.	30 Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.	26 Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum,	

PRÆTERMISSOS duos verſus Lucæ hìc repeto, ſcilicet decimum nonum & vigeſimum, quibus de inſtitutione Euchariſtiæ agit antequam de indicato proditore ſermonem faciat. Dominus excitaverat mentem diſcipulorum ſuorum, ſurgens à cœna, & abluens pedes eorum, unde rem magnam ab eo peragendam intelligebant. 1 * 26. *Cœnantibus autem eis*. hoc eſt in ea poſtrema cœna quam fecit Hieroſolymis ut ubi celebrabantur, ibi & implerentur typi; cùm poſt ablu-

abituros Apoſtolorum pedes iterum menſæ accubuiſſet: *Accepit Jeſus panem*. 2 * *L Et gratias egit*, *Mr. & benedixit ac fregit*, Deo fundens preces. Soleban. Judæi cibis benedicere. ſive recitare ſuper eos preces. præviæ benedictionis hæc eſt formula: *Benedictus tu Domine Deus noſter rex mundi, qui producis panem è terra … benedictus qui producis fructum vitis &c.* benedictio illa, ſive bona oratio, *εὐλογία*, continet gratiarum actionem, ita dici poteſt *εὐχαριστία*. Quare ut Matthæus & Marcus verbo *εὐλογήσας*, ſic Lucas verbo *εὐχαριστήσας* uti potuit. Chriſtus alia quàm vulgari benedictionis, ſive precum formula uti potuit; quæ ad rem præſentem magis accommodata eſſet. qualiſcumque fuerit ſermo ejus, fuit, ut B. Ambroſius loquitur, operatorius. Panes Judæorum ita comparati erant, ut apti eſſent ad frangendum. juxta quod dicitur, *fregit; deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.* id quod vobis porrigo eſt corpus meum, verum & proprium; ibi enim *τοῦτο*, ſubſtantivum eſt, & *rem* in genere ſignificat. Alii volunt eſſe adjectivum, non referendum ad *ἄρτος* qui maſculini generis eſt, ſed ad *σῶμα*, quo ſenſu à vulgato interprete acceptum conjicimus ex eo quod poſteà dicat: *Hic eſt ſanguis meus*; non *hoc eſt ſanguis meus*, ut obſervaturi ſumus. Ita juxta illum ſenſus eſt: *hoc corpus*, *meum eſt corpus*. Quidquid ſit, de vero ſuo corpore loquitur, quod, inquit, alloquens ſuos diſcipulos *pro vobis datur*, quo nempe mactato tollentur peccata veſtra. Neque enim ampliùs locus erit victimis paſchalibus. verum & proprium corpus Chriſti in cruce mactatum eſt; verum ergo corpus dedit Apoſtolis manducandum. Quæ cùm ita ſint, hoc anno Apoſtoli magis verè manducaverunt paſcha, quàm cæteri Judæi. cum enim acceperunt qui verus agnus eſt.

Quod nos Catholici de præſentia reali corporis Dominici in ſacramento Euchariſtiæ ſentimus, apto magis ſermone exprimi non poterat. Convenit majeſtati Chriſti qui loquebatur, qui olim mundum condens dixerat, & facta fuerant omnia; cujus ergo verba efficacia operantur id quod dicunt; ut cùm dixerit de pane; hoc eſt corpus meum, ſimul facere potuerit, ut id quod priùs panis erat, fieret corpus ejus. Quæ res ergo abducere potuiſſet Apoſtolos à naturali ſenſu horum verborum? an rei impoſſibilitas; quaſi ſit difficilius corpus de pane facere, quàm de nihilo mundum? an defectus poteſtatis? abſit à verbo blaſphemia: Jeſum qui Deus eſſet, omnia poſſe intelligebant. Fruſtrà dicunt heterodoxi ibi ineſſe metaphoram, qua verbum ſubſtantivum *eſt* ponitur pro *ſignificat*: præterquam enim in re tanti momenti inſtituenda nudo & aperto ſermone uſus eſt Dominus, ut eum decebat; ſi id non intelligendum erat propriè dici, ſed figuratè, aliquid aut præmiſiſſet, aut ſubjunxiſſet quo ambiguitas tolleretur; nam ubique in Evangelio, ſi quid obſcurius dictum eſt alicubi, ipſe Dominus vel Evangeliſtæ eodem loco, aut poſtea clariùs explicant.

Hoc facite in meam commemorationem. ſic feciſſe Apoſtolos conſtat ex Paulo ad Corinthios ſcribente, ep. 1. cap. 11. ℣. 23. *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino &c.* Omnia antiqua Eccleſiæ monumenta teſtantur eos qui in chriſtianis cœtibus locum Apoſtolorum tenuere, panem benedictione ſua corpus Chriſti feciſſe memoriam renovantes, ut his verbis ipſe Chriſtus præceperat, paſſionis ejus, hoc eſt cruenti illius ſacrificii, quod de ſe patri Deo obtulit, in cruce moriens. Omnia veteris fœderis ſacrificia, omnes ſacrificiorum ritus, quibus ſervandis primùm tabernaculum erectum fuit, deinde ſtructum Templum, inſtituti Levitæ, & ſacerdotes; hæc, inquam, omnia figurabant Sacramentum corporis Dominici; & quaſi apparatus erant ad illud. Neque enim Deus Templum tot ædificiis, & tanto victimarum & ſacerdotum numero ſuperbum, tantis impenſis ædificandum præcepiſſet, niſi eſſet intuitus nobile ſacrificium, cujus typi fuere ſacrificia quæ in illo fiebant. Etenim in Tabernaculo primùm, deinde in Templo Verbum Dei aliquando futurus homo & in cruce paſſurus, adorabatur & ſignificabatur; cujus ſub ſignis quidem, ſed præſentiam realem habet Eccleſia catholica: quem adorat; quo reficitur verè; cùm olim Judæi participes eſſent ſacrificiorum: quæ tantùm umbra erant ſacramenti Euchariſtiæ.

Res quidem admiranda eſt ut propria carne Chriſti reficiamur, ſed ubi advertimus, Verbum factum eſſe carnem, ſtatim omnis amovetur ab animo dubitatio. confirmatur, inquam, animus adverſus omnem dubitationem, dum conſiderat non omninò mirum videri debere, ſi ipſe Chriſtus ſub ſignis rerum quibus alimur, nempe panis & vini ſe manducandum præbeat, & ita in nos intret, cùm jam intra nos ſit. Ipſe, ut vidimus Joannis capite primo, ratio noſtra, lux mentis noſtræ eſt, ſemper nobiſcum degens. Ita ut quemadmodum carnem ſe fecit, cùm ſola carnalia intelligere poſſet animus carnalis; ſic ut nobiſcum eſſet modò qui nobis congrueret, voluit eadem carne quam aſſumpſerat, nos nutrire, ut cum eo conjungeremur, qui ab eo ſejuncti eramus per peccatum. Hæc omnia fuſiùs non diſſerimus; neque enim vacat, indicamus tantùm, ut ſeriò ad illa attendant, qui aſſequi ſtudent doctrinam orthodoxam, & intelligere quæ ſit præſtantia ejus. Ubi enim ſemel quis credidit, verbum Dei factum eſſe carnem, ut eſſet nobiſcum Deus, non dubitat quin idem verbum

ut nobiſcum maneret, Sacramentum corporis ſui inſtituerit ſub quo verè eſſet. ut verè caro factum eſt. Non ambigit id poſſe qui omnia poteſt, etſi modus quo id fiat, impoſſibilis ei videatur; ſcit enim alios innumeros modos hominibus quidem ignotos, ſed Deo eſſe poſſibiles, cujus poteſtatem cogitatione humana non decet circumſcribere; cùm & pleraque etiam oculis ſubjiciantur, quæ niſi fieri videremus, non crederemus poſſibilia. Iterum dicam; qui poteſt omnia, mundum ex nihilo fecit, & vinum ex aqua, poteſt de pane facere corpus ſuum.

Etſi autem Sacramentum reipſa verè Chriſtum contineat, attamen etiam Chriſti commemoratio eſt; quatenus illum memorat paſſum in cruce; & repræſantat ſignis ſuis mortem ejus; panem enim Domini manducantes, mortem ejus annuntiamus donec veniat. Quod faciendum præſcripſit: *hoc facite in meam commemorationem*: ut olim juſſi fuerant Iſraelitæ, beneficium liberationis Ægyptiacæ quot annis in paſchate annuntiare & exponere filiis ſuis, Exod. cap. 13. ℣. 8. *Narrabiſque filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt quod fecit mihi Dominus quando egreſſus ſum de Ægypto.* Ideo Judæi in libro precum quotidianarum deſcriptam habent hiſtoriam liberationis ex Ægyptiaca ſervitute. Hanc hiſtoriam, ſive narrationem appellant הגדה *haggadah*, quam omnes & ſinguli legere tenentur prima nocte feſti paſchalis. Tantò magis tenemur commemorare mortem Chriſti, quantò melior ſanguis ejus ſanguine agni paſchalis, quo ſignati Hebræi liberati ſunt à morte præſenti. nos verò corporis & ſanguinis Chriſti ſimul & æternæ vitæ participes ſimus. Feſtum paſcharis Judaici, ut illud definit Joſephus, lib. 5. de bello, cap. 3. celebrabatur ad memoriam ſalutis, qua ex Ægyptiorum ſervitio liberati in terram patriam devenerunt, *σωτήρια ἐξιὸν τῆς ὑπ' αἰγυπτίων δουλείας ἀνασωθέντες εἰς τὴν πάτριον γῆν*. Ita paſcha chriſtianum commemoratio eſt ſalutis, qua ex ſervitio peccati liberatis patet nobis in cœlum reditus.

4 * 20 *L. Similiter* 27 *Mt. & accipiens calicem. L. poſtquam cœnavit*, nempe poſt primam illam cœnam è qua ſurgens abluerat pedes Apoſtolorum, & iterùm recubuerat, ut narrat Joannes Evangeliſta. 5 * *Mt. gratias egit*, id eſt preces recitavit ſuper calicem, huic benedixit, fundens certas preces ad Deum patrem, *& dedit illis*, Apoſtolis ſuis, *dicens: Bibite ex hoc omnes*, non unus epotet calicem oblatum, ſed ex eo omnes bibant, ſicut Lucas dixit de poculo primæ cœnæ, verſu 17. ante inſtitutam Euchariſtiam *dividite inter vos.* mos erat apud Judæos in ſolemnioribus conviviis, ut accumbentes in una menſa omnes de poculo benedictionis biberent. *Præceptum eſt optimum ac præſtantiſſimum, ut ſanctificans ſive benedicens primò guſtet*, de poculo ſcilicet ab initio menſæ conſecrato, ut rem Latinè exponit Buxtorfius ex ritualibus Hebræorum, diſſert. VI. de cœn. Dom. *ac poſtea omnes accumbentes guſtent unuſquiſque hauſtum.* juxta hunc ritum, *Mc. Et biberunt ex eo omnes*, ſicut præceperat Dominus, omnes Apoſtoli, neque enim alii aderant, de eodem poculo biberunt.

6 * 24. *Et ait illis*: tradens poculum, 28 *MM. hic eſt Mt. enim MM. ſanguis meus novi teſtamenti*, *τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου.* videre eſt vulgatum interpretem non accepiſſe illud *τοῦτο*, pro ſubſtantivo, dixiſſet enim *hoc*, id eſt, res iſta eſt ſanguis meus; habuit *τοῦτο*, pro adjectivo; ut ſecundùm illum ſenſus ſit: hic ſanguis eſt meus ſanguis, ſanguis *qui pro multis effundetur.* in Græco codice *effunditur*; quod idem ſonat ac effundetur. loquitur enim de re mox futura, tanquam præſente. qui, inquam, ſanguis meus effundetur in ara crucis. alluſio eſt ad ſanguinem agni paſchalis qui effundebatur ad pedem altaris. *Mt. in remiſſionem peccatorum.* ad remittenda hominum peccata; quod præſtare non potuerat hircorum & taurorum ſanguis, nullam habens virtutem niſi quam ſumeret ab ipſo meo ſanguine, quatenus ejus typus.

Chriſtus novum cum hominibus fœdus ſancivit ſuo ſanguine: ſicut olim Moyſes percuſſerat fœdus inter Deum & Iſraelem, aſpergens populum ſanguine victimæ, & dicens: *hic eſt ſanguis fœderis.* Exod. cap. 24. ℣. 8. ita enim Dominus mutato vino in ſanguinem ſuum, dixit: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, ſive fœderis, quo ſancitur novum fœdus inter Deum & homines. quod Hebræis ברית *fœdus*, ſenibus Græcis dicitur *διαθήκη*, interpreti vulgato *teſtamentum*. Quapropter Apoſtoli, hæc verba *hic eſt ſanguis &c.* non alio ſenſu accipere poterant, quàm quo à Moyſe prolata olim fuerant, de vero ſanguine; ut fruſtrà conentur heterodoxi illa trahere ad figuratos ſenſus; quaſi Dominus non aliud his verbis ſignificatum voluiſſet, niſi poculum benedictionis ideo dici ſanguinem ejus, quia hunc repræſentaret; & ſic poculum illud non res, ſed umbra eſſet. Procul dubio ex ipſa actione Domini, qua ipſorum mentes erexit, aliquid majus expectabant Apoſtoli. nec ipſe Chriſtus umbras veteres diſpuliſſet, qui novas tantùm induceret: nec impleviſſet antiquos typos, quia novam figuram proponeret. Saltem decuiſſet eum, ſi Eccleſia falli debebat accipiens verba ejus in propria ſignificatione, re, vel verbis admonere Apoſtolos ſuos, quòd ſermone metaphorico uteretur, nec tantæ eſſe dignitatis quod faceret; ſiquidem figura corporis & ſanguinis ejus infinito intervallo differat à vero corpore & vero ſanguine ejus. Fruſtrà reponunt heterodoxi ritibus paſchalibus diſcipulos ſatis edoctos

ſuiſſe,

fuiſſe, ut quæ fierent, & dicerentur à Domino, non res, ſed ſigna eſſe intelligerent. Etſi enim daremus in agno paſchali comedendo, uti conſueviſſe Judæos ſermone figurato, ut inchoantes illas preces, ſive narrationem, quam appellant *haggadah*, dicunt: *hic eſt panis afflictionis, quem comederunt in Ægypto patres noſtri: ſi quis fame laborat, introeat nobiſcum comeſturus &c.* præterquam enim manifeſtum ſit illa verba exordia eſſe narrationis iſtius qua enarrare tenebantur quæ contigerant patribus ſuis, cùm exeuntes ex Ægypto non potuerant uti panibus coctis: hæc afferri non poſſunt, cùm in iſta cœna Dominus non fecerit paſcha Judaicum, ut evicimus.

7 * 29. *Dico autem vobis, non bibam amodo,* ab hoc tempore, *de hoc genimine vitis,* de fructu vitis: ſic Judæi appellant vinum, *uſque in diem illum, cùm illud bibam Mt. vobiſcum novum in regno Mc. Dei Mt. patris mei.* hæc quaſi dicta eſſent in prima cœna retulit Lucas ante inſtitutionem Euchariſtiæ, quæ Matthæus & Marcus poſt illam ſubjiciunt. His verbis ſignificabat Dominus mortem ſuam eſſe proximam. ex Luca autem liquet tunc Jeſum non intuitum eſſe vinum factum ſanguinem ſuum, ſed aliud quod continebatur vaſis aliis. videre eſt in hoc loco Matthæi & Marci verba illa Domini: *non bibam amodo &c.* non dicta eſſe occaſione cœnæ paſchalis; quæ cùm connexionem habeant cum illis verbis Lucæ: *deſiderio deſideravi &c.* his enim ut vidimus, Dominus declarabat cœnam quam tunc faceret, ſibi eſſe poſtremam, licuit nobis hæc verba Lucæ ſic interpretari ut ex illis deduci non poſſit Jeſum reipſa agnum paſchalem comediſſe. hæc protulit declarans, mortem ſibi imminere, nec ampliùs cœnaturum cum illis, niſi in novo Dei regno quod reſurrectione ejus ſtatuendum erat.

8 * 30 *Mt. 26 Ms. Et hymno dicto,* recitatis precibus, pſalmis quibus claudebatur omnis cœna *exierunt in montem Mt. Oliveti.* ſurrexerunt exituri cœnaculo, ubi cœnaverant: potuere autem aliquantiſper in illo morari ut intra cœnaculi limen cœpti fuerint ſermones quos hacce nocte habuit Dominus juxta Joannem. hymnum magnum appellant Judæi, qui complectitur pſalmum 113. cum ſex ſequentibus, cujus pars prima recitabatur initio cœnæ paſchalis, pars altera in fine. hunc hymnum volunt ſignificatum à Matthæo & Marco.

C A P U T XXI.

Ortam inter Apoſtolos de principatu contentionem ſedat Dominus: eorumdem ſcandalum prænuntiat, & Petri negationem.

L U C A S, Cap. 22. ℣. 24—38.

1 * 24 † FActa eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videre- † *In feſto S. Apollinaris Ep. & Mart.*
tur eſſe major.
2 * 25 Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui po-
teſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.
3 * 26 Vos autem non ſic: † ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut mi- † *1. Pet. 5. 3.*
nor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.
4 * 17 Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui † *Phil. 2. 7.*
recumbit? † Ego autem in medio veſtrùm ſum, ſicut qui miniſtrat.
5 * 28 Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis:
6 * 29 Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum;
7 * 30 ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: † & † *Apoc. 3. 21.*
ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael. ¶

J O A N N E S, Cap. 13. ℣. 33—38.

8 * 33 Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum. Quæretis me: & ſicut dixi
Judæis: Quò ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modò.

Digitized by Google

†Levit. 19. 18. Gal. 6. 2. Iac. 2. 8. 1. Pet. 1. 22. 1. Ioan. 3. 11. & 4. 21. 23. &c. Epiſt. 4. 21.

9 * 34 † Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.

10 * 35 In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

11 * 36 Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Reſpondit Jeſus: Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſteà.

12 * 37 Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modò?

L U C A S.

† 1. Pet. 5. 8.

13 * 31 † Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum.

14 * 32 Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 26. ℣. 31-35.	MARCUS Cap. 14. ℣. 27-31.
15 *Mt.* Tunc dicit illis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini *MM.* in me in nocte iſta. Scriptum eſt *Mt.* enim: † *MM.* Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves *Mt.* gregis. (†Zach. 13. 7)	31 Tunc dicit illis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.]	27 Et ait Jeſus: Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta: quia ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.
16 Poſtquam autem *MM.* reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.	32 Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.	28 Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.
17 *Mt.* Reſpondens autem Petrus, *MM.* ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, *Mc.* ſed non ego: *Mt.* ego nunquam ſcandalizabor.	33 Reſpondens autem Petrus, ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.	29 Petrus autem ait illis: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
18 *L* Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire; *J* animam meam pro te ponam.			[33 qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire.	Animam meam pro te ponam.
19 Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi.	34 Ait illi Jeſus: Amen dico tibi,	30 Et ait illi Jeſus: Amen dico tibi,	34 At ille dixit:	38 Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi,
20 *L* Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.			Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.	non cantabit gallus, donec ter me neges.
21 *Mc.* Quia tu hodie, in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.	Quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.	quia tu hodie, in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.		
22 At ille amplius loquebatur: *Mt.* Etiam ſi oportuerit me mori tecum *MM.* non te negabo. *Mt.* Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.	35 Ait illi Petrus: Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.	31 At ille amplius loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant,		

LU-

Digitized by Google

L U C A S.

23 * 35 Et dixit eis: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calcea-
mentis, numquid aliquid defuit vobis?
24 * 36 At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis; Sed nunc qui habet ſac-
culum, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam,
& emat gladium.
25 * 37 Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, opor-
tet impleri in me: † Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de † *Iſa.* 53. 12.
me, finem habent.
26 * 38 At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hìc. At ille dixit eis: Satis eſt.
39 Et egreſſus &c. infrà, cap. 26.

1 * 24 L FACTA *eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Iſta contentio videtur orta inter Apoſtolos, quia quæ Jeſus dixerat de proxima ſua morte ſic accipiebant, quaſi regnum ejus tum ſtatueretur. Qui Chriſto cariores fuerant, ad ſe putabant pertinere dignitates novi regni. Itaque quaſi tunc temporis partirentur iſtas dignitates, contendebant inter ſe, dum quiſque ut major ambiret ſplendidius munus.

2 * 25. *Dixit autem eis*, animo ſpem regni agitantibus: *reges Gentium dominantur eorum*, durum exercent in ſubditos imperium eoſque ferè proculcant, ut multùm infrà ſe poſitos. In fonte eſt *αὐτῶν*, quod refertur ad *ἐθνῶν*, neutrius generis. Ita vulgarum decuiſſet ponere non *eorum*, ſed *earum*. *Et qui poteſtatem exercent ſuper eos*, ſuper gentes, præfecti, magnates, gubernatores ambiunt decoros titulos: amant à ſubditis ſuis appellati *benefici*, *εὐεργέται*, qua appellatione conſtat appellatos, imperatores, reges, & alios qui in dignitate conſtituti ſunt. ſcribit Joſephus, lib. 3. cap. 16. de bello, Judæos portis Tarichæarum apertis, Veſpaſianum excepiſſe cum fauſtis acclamationibus, appellantes *σωτῆρα καὶ εὐεργέτην*, ſervatorem & beneficum. Hoſce titulos glorioſos fuiſſe videre eſt apud eumdem Joſephum, lib. 4. cap. 5. ubi narrat tres reges Ægypti dici voluiſſe *εὐεργέτας*, *beneficos*. reſpondet nomen illud Græcum Hebræo נדיב *nadib*, id eſt, *liberalis*, *munificus*; quod & à Græcis interpretibus redditur *ἄρχων*, *princeps*; quin & *βασιλεὺς*, *rex*, & *τύραννος*, ut videre eſt in concordantiis Græcis veteris teſtamenti.

3 * 26. *Vos autem non ſic* eſtote; *ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor*; qui præeſſe aliis vult, aut cupit, debet ſe gerere quoad modeſtiam, *ſicut minor*, quaſi minimus eſſet. *Et qui præceſſor eſt*, *ὁ ἡγούμενος*, qui præeſt, primus eſt, *ſicut miniſtrator*, *ὡς ὁ διακονῶν*, ſicut qui minimo eſt gradu, & fungitur officio ſervi. 4 * 27. *Nam quis major eſt qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit?* nempe qui pro majore ſeſe gerit, ad menſam accumbit, dum alii ipſi miniſtrant. *Ego autem in medio veſtrùm ſum ſicut qui miniſtrat.* quaſi minor vobis ut majoribus miniſterium exhibui: lavi pedes veſtros.

Poſtquam modeſtiam docuit ſuos Apoſtolos Dominus, ſpem quam regni conceperant, confirmat. 5. * 28. *Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum*, non me deſeruiſtis *in tentationibus meis*, id eſt, in rebus adverſis per quas conſtantia exploratur. 6 * 29. *Et ideo ego diſpono*, *διατίθεμαι*, promitto, conſtituo, decerno, *vobis*, *ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*. vos modò participes faciam regni, quod dedit mihi pater. 7 * 30. *ut edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael.* honos eſt in menſæ regalis conſortio; poteſtas in judiciorum participatione. His duabus tranſlationibus deſcribitur dignitas regiæ proxima. majoris honoris opinionem non concipiebant Judæi, quàm quo fruerentur Phylarchæ, nempe qui duodecim tribuum Iſrael principes erant.

8 * 33 J *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum*, nempe quotidiana hac præſentia. Quia ergo ſentiebat Dominus diſcipulos triſtitia afficiendos, omnia illis ſolatia adhibet, etiam verborum blandimenta, quale hoc *τεκνία*, *filioli*. moriens paternum tenerumque ſuum erga eos amorem declarat. *Quæretis me*: deſiderabitis præſentiam meam. *Et ſicut dixi Judæis hæc: quò ego vado, vos non poteſtis venire*, locus eſt inacceſſus. *Et vobis dico modò*, quia non poteſtis nunc venire quò ego vado. Indicat Apoſtolis nondum horam veniſſe ut fruerentur gloria.

9 * 34. *Mandatum novum do vobis.* novum, quia eximium, ſicut dicitur *canticum novum*; vel novum, quia cùm antiquatum eſſet, renovabatur; vel novo ſtudio, vel nova formula præſcriptum; vel etiam quia novum erat iis, qui talem do-

ctrinam non didicerant à Phariſæis, *ut diligatis invicem*, alii alios, *ſicut dilexi vos*; ut non tantùm in rebus hujus vitæ alii alios vobis præferatis, verùm etiam ut pro aliorum ſalute æterna nulla incommoda defugiatis, ne mortem quidem. 10 * 35. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Diſcipuli Legiſperitorum ex receptis quibuſdam ſententiis & interpretationibus legis noſcebantur: Phariſæorum ex habitu & ceremoniis; Joannis Baptiſtæ, ex vitæ auſteritate & jejuniis: at diſcipuli Chriſti, quo ſigno niſi imitatione magiſtri, id eſt mutua dilectione? Hac nota inſignis fuit illa primorum temporum Eccleſia, cùm eſſet credentium cor unum & anima una. ſed & ejuſmodi maximæ dilectionis operatio, inquiebat Tertullianus, nobis notam inurit, apud quoſdam, vide, inquiunt, loquentes de Chriſtianis, ut invicem ſe diligant.

11 * 36 *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis?* num via aliqua adeò difficilis ut non poſſim te ſequi? putabat Dominum iter parare in locos longinquos, plenum incommodis. *Reſpondit Jeſus: Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſtea.* nondum idoneus es, non tibi ſatis virium, nempe ad moriendum mecum: quod aliquando poteris. 12 * 37. *Dicit ei Petrus, quare non poſſum te ſequi modò?* quid impedit? putaſne ulla itineris moleſtia me terreri, aut ullis periculis?

13 * 31 *L. Ait autem Dominus: Simon, Simon*, conduplicat nomen ut attentionem excitet, *ecce ſatanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum.* petiit ut liceret ſibi vos agitare & tentare. Alluſio eſt ad Jobi hiſtoriam, ubi Deus ſatanæ: res ejus tibi do: tuo arbitratui permitto. reſpicitur autem & hic locus Amos, cap. 9. ℣. 9. *concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael: ſicut concutitur triticum in cribro.*

14 * 32. *Ego autem rogavi pro te ut non deficeret fides tua*; ne ſuccumberes culpæ, fidem mihi datam frangens, cùm ter negabis me tibi notum eſſe. *Et tu aliquando converſus*, ἐπιστρέψας, ſive reverſus ad me & ſurgens ex lapſu, quem tibi prænuntio *confirma fratres tuos*: da operam ne ſimiliter deficiant. vel Hebraiſmus eſt, ut Grotius dicit, qualis in pſalmo 85, ℣. 6. ὁ Θεὸς σὺ ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς; id eſt iterum, rurſus ſervabis nos. Scilicet, ò Petre, (poteſt Deus ſic loquens induci) tu quoque olim viciſſim fratres confirma; id eſt da operam ne in fide deficiant; nempe pro ipſis orans, ſicut ego pro te oro. Etenim defecit, non omnino amiſſa periit Petri fides. animo ſervata eſt, ut ait de eo Prudentius. manſit inquam, in animo Petri fides ſed inefficax. Non *putemus*, ſcribebat Cyprianus ad Antonianum, *mortuos eſſe ſed magis ſemianimes jacere eos quos perſecutione funeſta ſaucia-tos videmus: qui ſi in totum mortui eſſent; nunquam de eiſdem poſtmodum & confeſſores & martyres fierent.*

15 * 31 *Mt. Tunc dicit illis Jeſus: omnes vos*, non ſolus Petrus, *ſcandalum patiemini* offendemini *in me*, occaſione eorum quæ mihi evenient, *in nocte iſta*, deficietis à me. *Scriptum eſt Mt. enim: MM. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves Mt. gregis.* fiet quod dici ſolet, quodque alicubi apud Zachariam, cap. 13. ℣. 7. ſcriptum meminiſtis: paſtore percuſſo oves diſpergentur. Mœſtos ob illa verba diſcipulos protinùs ſpe recreat. 16 * 32. *Poſtquam autem reſurrexero*, ſuſcitatus à morte tanquam è ſomno, *præcedam vos* paſtoris more *in Galilæam.*

17 * 33 *Mt. Reſpondens autem Petrus, ait illi; Etſi omnes ſcandalizati fuerint*, labantur, deficiant *in te*, occaſione eorum quæ tibi evenient, *Mt. ſed non ego* deficiam, *Mt. ego nunquam ſcandalizabor.* 18 * 33 *L. Domine, tecum paratus ſum & in carcerem* detrudi, *& in mortem ire*, duriora mortis ſubire ſupplicia. *J. Animam meam pro te ponam*: ſi opus ſit, etiam vitæ diſcrimine me pro tuo capite objiciam.

19 * 38 *Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones?* itane verò? nihil tam grave eſt, quod non pro me ſis ſubiturus? hoc ita Chriſtus pronuntiabat, ut intelligi poſſet minimè id credere. *Amen, amen dico tibi*: 20 * 34 *L. Petre, non cantabit hodie*, σήμερον, dies enim cœperat ab occaſu ſolis, *donec ter abneges noſſe me.* id eſt hac ipſa nocte, antequam gallus abſolvat cantum ſuum, ter me negaturus es, ut clarè ſignificat apud Marcum. 21 * 30 *Mr. Quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* priuſquam gallus iterum cantaveris; præterierit hora gallicinii, ter me negabis. 22 * 31 *At ille ampliùs loquebatur.* multò magis præſumens de viribus ſuis aſſeverantes dicebat, *Mt. Etiamſi oportuerit me mori tecum, MM. non te negabo. Mt. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.*

Pergit Dominus ſub imagine itineris ineundi loqui de proxima morte ſua; ideo continuans metaphoram, dicit tunc temporis paranda eſſe quæ periculoſo itineri neceſſaria ſunt, pecunia, veſtes, arma. 23 * 35 *L. Et dixit eis: Quando vos miſi ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* 24 * 36. *At illi dixerunt: Nihil* defuit; providebat enim Chriſtus ut exciperentur, & adjuvarentur ab iis omnibus ad quos mittebantur. *Sed nunc* alia ſunt tempora. *qui habet ſacculum*, βαλάντιον, crumenam pecunia refertam, *tollat* eam crumenam, ut ejus pretio gladium redimat: *ſimiliter & peram*, qui habet inſtructam cibo, *tollat*; id eſt, vendat; *& qui non habet*, ſcilicet neque crumenam, ſive pecuniam, neque peram inſtructam cibo, *vendat*

tuni-

Digitized by Google

tunicam ſuam, & emat gladium. verbum *αἰρέτω* quod vulgatus reddit *tollat*, & accipimus pro *vendat*, alii interpretantur *βασταζέτω*, id eſt *ferat*; illud verò *& qui non hab.t*, referunt ad *gladium*, ut ſit trajectio Hebraica. Scilicet & qui non habet gladium, vendat tunicam; & emat gladium. ſic Syrus & Arabs interpretantur hunc locum, & bis *gladium* repetunt. Præterea illud *qui non habet*, *ὁ μὴ ἔχων*, ſignificare poteſt in genere virum pauperem, ſicut Paulus locutus eſt ſcribens Corinthiis, 1. ep. cap. 11. ℣. 22. poſterior ſenſus magis congruit propoſito Domini, qui, ut dixi, monet ſuos ea inſtare tempora quibus ipſi debeant ſibi proſpicere, eos viam ingreſſuros difficilem, cui obeundæ viatica paranda ſint, tum & paranda arma adverſus latronum incurſus.

25 * 37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc*, poſt multa alia tolerata, *quod ſcriptum eſt*, quod prædictum eſt, *oportet impleri in me*; nempe illud Iſaiæ cap. 53. ℣. 12. *Et cum iniquis deputatus eſt*. tractabitur more iniquorum, damnabitur, crucifigetur. *Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent*; ea ſcilicet quæ ad ſtatum depreſſionis meæ pertinent, quæ adhuc implenda reſtant, jam perficiuntur, & conſummantur. Jam ergo res veſtra eſt agenda, nam mea eſt acta. 26 * 38. *At illi dixerunt: Domine ecce duo gladii hic*. duo ex nobis accincti ſunt gladio, quo poſtea Petrus uſus eſt. Ita non animadverterunt ſermonem Domini eſſe figuratum, ſive ſub imagine itineris periculoſi ſuſcipiendi, ſignificari ab eo periculoſa modò ſubeunda. *At ille dixit eis, ſatis eſt*, *ἱκανόν ἐστι*. mentem Chriſti non aſſecuti erant; ſermonem ergo eorum abrumpens dixit, non opus eſt gladiis, vel *ſatis eſt verborum hac de re*. Græca enim locutio *ἱκανόν ἐστι*. eum ſenſum habere poteſt.

CAPUT XXII.

Chriſti ſermo poſt Cœnam, de ſeipſo, de Patre, de Charitate, de Oratione, de Spiritu ſancto, de ſuo diſceſſu.

JOANNES, Cap. 14. ℣. 1—31.

1 † NOn turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. *† Feſtū Apoſt. Philippi & Jacobi.*
2 In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quò minùs dixiſſem vobis, Quia vado parare vobis locum.

3 Et ſi abiero, & præparavero vobis locum; iterùm venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.

4 Et quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.

* 5 Dicit ei Thomas, Domine, neſcimus, quò vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?

6 Dicit ei Jeſus, Ego ſum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.

7 Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis: & amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.

8 Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

9 Dicit ei Jeſus: Tanto tempore vobiſcum ſum: & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem?

10 Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera.

11 Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?

12 Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

13 Et

13 Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. ¶ ut glorificetur Pater in Filio.

14 Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

† *Sabbato Pent.* 15 † Si diligitis me, mandata mea ſervate.

16 Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.

17 Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit.

18 Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

19 Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos vivetis.

20 In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21 Qui habet mandata mea, & ſervat ea: ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. ¶

22 Dicit ei Judas, non ille Iſcariotes: Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?

† *Dominica Pentecoſtes.* 23 Reſpondit Jeſus, & dixit ei: † Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:

24 qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus: ſed ejus, qui miſit me, Patris.

25 Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens.

26 Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27 Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.

28 Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeritis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me eſt.

29 Et nunc dixi vobis priuſquàm fiat: ut cùm factum fuerit, credatis.

30 Jam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.

31 Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. ¶ Surgite, eamus hinc.

HYmno dicto poſt cœnam ſurrexerunt Apoſtoli exituri. potuere tamen, ut dictum eſt, aliquantiſper morari in cœnaculo, audientes hunc præclarum & longum ſermonem quem ordiri potuit Dominus eo in loco ubi cœnaverat, & in via abſolvere. 1. *Non turbetur cor veſtrum*, videbat enim eos Chriſtus commotos antecedentibus ſermonibus de ſua morte, de periculis, & abnegatione. *Creditis in Deum, & in me credite*: ſicut creditis Deum eſſe veracem & conſtantem in promiſſis, & me pariter veracem credite. 2. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*. quia dixerat illis, *quò vado, non poteſtis venire*, metuebant ne ipſi regno excluderentur; & pauci de numero eorum aliis excluſis admitterentur; ideo, inquit, pluribus locus eſt, *ſi quominùs, εἰ δὲ μὴ, ni ita eſſet*, id eſt: ſi locus non eſſet vobis, apertè hoc *dixiſſem vobis*, ademiſſem vobis ſpem inanem. *Quia vado parare vobis locum*. niſi ita eſſet, inquam, dixiſſem vobis. Nam cùm abeam parare vobis locum, fruſtrà id facerem, niſi multæ ibi extarent manſiones.

3. *Et ſi ἐὰν*, id eſt, poſtquam (ſic ſumitur Joan. 12. ℣. 32.) *abiero, πορευθῶ, profectus fuero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.*

ſtis. continuatus ſimilitudo ; nam ſolent qui primi in diverſorium venerunt cæteris jam adventantibus obviàm procedere, & eos introducere. Venit Chriſtus ad Apoſtolos per ſpiritum ſuum, quo eos implevit, poſtquam aſcendit ad Patrem ; vel ibi alludit ad id quod dixerat, *Venite benedicti Patris mei &c.*

4. *Et quò ego vado, ſcitis*, ſive ſcire deberetis, *& viam ſcitis.* ex iis quæ ſæpè dixi ex illa ſimilitudine viri abeuntis ad parandum locum, ſive ex eo quòd de via fieret ſermo, occaſionem arripit Chriſtus iterùm docendi Apoſtolos, non patere ulli viam ſalutis, ſive Deum adiri non poſſe, niſi per Chriſtum qui filius Dei eſſet natura, & unum eo unus. Ergo dicebat *viam ſcitis*, non tam quòd ſcirent, quàm ut ignorantiam confeſſos pleniùs doceret.

5. *Dicit ei Thomas, Domine, neſcimus quò vadis*, in quem locum abeas. *& quomodo poſſumus viam ſcire?* quà ſcilicet eundum ſit in hunc locum ignotum. 6. *Dicit ei Jeſus: Ego ſum via*, qua itur in cælum ad quod aſcendo, *& veritas.* doctor veri, lux vera animi qua veritas cognoſcitur, *& vita*, dator vitæ. Annotandum ſingulis horum nominum apponi articulum, ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή, ut intelligamus non quamlibet viam, aut veritatem, aut vitam Chriſtum eſſe, ſed veram & unicam. Ergo cum D. Bernardo dicamus: *Sequamur Domine te per te: ad te; quia tu es via, veritas & vita: via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.* Pergit loqui Dominus: *Nemo venit ad Patrem niſi per me.* juxta illud effatum Petrus Judæos alloquens dicebat, Act. cap. 4. ℣. 12. *Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Omnes antiqui Patres certò crediderunt, quòd omnes qui, antequam Chriſtus natus eſt, piè & ſanctè vixerunt, id conſecuti ſint per fidem in Chriſtum ; quod egregiè adſtruit Leo magnus, ſermone 65. qui cùm dixiſſet obediendum eſſe Chriſto, protinus addit; *juſtè enim nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio; & benignè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam. Unde meritò Dominus ipſe nobis factus eſt via*; addit inquam Leo: *quia niſi per Chriſtum, non itur ad Chriſtum.*

7. *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* in hocce & ſimilibus locis heterodoxi non verò orthodoxi hærent; cùm enim Chriſtus quatenus Verbum, unus ſit cum Deo Patre ſuo, quippe natura Deus, cui cognitus Pater, huic non erat ignotus filius imago ejus. *& amodò cognoſcetis eum* à nunc; id eſt, brevì agnoſcetis, ſpiritu revelante. In Græco codice καὶ ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, etiam nunc noſtis eum. etiam quidam codices Latini habent *cognoſtitis* in præſenti. *Et vidiſtis eum*, in filio ejus. nam ex pluribus & apertis teſtimoniis Philonis conſtat τὸν λόγον, Verbum agnitum à Judæis peritioribus pro filio Dei, qui ejus eſſet imago, & ſplendor gloriæ ejus. Per filium agnitus eſt Pater; patuit enim eum vera generatione eſſe Patrem qui filium ex ſe genitum habeat.

8. *Dicit ei Philippus: Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis* non ultrà interrogando moleſti erimus. Non capiebat Philippus Deum Patrem in Chriſto videri poſſe, quemadmodum ex filio noſcitur pater, cujus eſt imago filius; generans enim generat ſimilem. Ideo ignorantiam Philippi taxat Dominus. 9. *Dicit ei Jeſus* querendo: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me?* nempe me eſſe verè filium Dei, qui eram apud Patrem, antequam caro fierem. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, qui vidit me, vidit & Patrem, cujus ſum imago. *Quomodo ergo tu dicis: oſtende nobis Patrem*, quaſi in me non illum cernas?

10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* quia unum natura ſumus? *verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor*, ſed à Deo Patre, ut liquet ex operibus, quæ per me operatur, mihi loquenti adſtipulans, *Pater autem in me manens ipſe facit opera.* ab eo enim non poſſum ſeparari. 11. Igitur, *ſi non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite*, quæ adſcribi non poſſunt niſi Deo, ut evincit Dominus adverſus Phariſæos qui horum faciebant dæmonem auctorem. Omnia opera Chriſti demonſtrabant communionem ejuſdem naturæ cum Deo Patre.

12. *Amen, amen dico vobis: qui credit in me; opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum* (genitivum Græcum pro ablativo quo carent Græci) *faciet.* Redit oratio unde digreſſa videbatur. conſolatur Apoſtolos mœſtos de abitu ſuo. Hiſce etiam operibus quæ per me Deus operatus eſt, vos, inquit, majora facietis, *quia ego ad Patrem vado*, à quo pro vobis impetrabo ut poſſitis patrare, ſi opus ſit, majora miracula. 13. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* quod Patrem meum petieritis; nam Pater per me operatur. *ut glorificetur Pater in filio*, per quem opera illa faciet. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* repetit, hoc ut magis ſpem eorum confirmet: ſimul ſignificat ſuam ejuſdem poteſtatis cum patre communionem.

15. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* ſi poſtquam abiero vultis perſeverare in dilectione mea, ut jure debetis & præ vobis fertis, ne luctu oſtendite amorem, ſed obedientia præceptorum, præſertim præcepti illius de mutua dilectione. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium*

Pa-

Digitized by Google

Paraclitum, παράκλητον, id eſt advocatum, defenſorem, conſolatorem *dabit vobis*, *ut maneat vobiſcum in æternum* donis ſuis. παράκλητοι dicebantur qui à reis advocati, pro illis deprecabantur, & agebant cauſas eorum. Diu eſt quòd ἦτα Græcorum non aliter illis ſonat quàm ἰῶτα; unde Syrus interpres vocem παράκλητον reddit פרקליטא *paraclitha*. hinc etiam factum ut in Latinis Eccleſiis legeretur, & caneretur *paraclitus*, pro *paracletus*, & quidem penultima brevi pro penultima longa, quia origo nominis ignorabatur; nam ἦτα Græcorum vocalis eſt longa. ſed potiùs rem hocce nomine appellatam conſideremus. Dominus promittit alium paracletum, poſtquam abierit, nempe 17. *Spiritum veritatis*, verum Spiritum Dei, quem à Patre & filio diſtinctum eſſe, ſed non diviſum plura ſcripturarum loca indicant. In hoc ergo poſtremo ſuo ſermone ſanctæ Trinitatis myſterium edocebat Apoſtnlns, nempe in Deo eſſe Patrem qui genuit, filium qui genitus ſit, & Spiritum ſanctum. *Quem* Spiritum, inquit Chriſtus, *mundus non poteſt accipere*, *quia non videt eum* oculis corporis, *Nec ſcit eum*, quia ſola quæ carnalia ſunt, intelligere poteſt, & ideo non curat de Spiritu ſancto, id eſt, de donis ejus. opes, cœnarum delicias, dignitates expetebant, & expectabant à Meſſia Judæi, haud ſolliciti de Spiritu ſancto, & muneribus ejus, quamquam paſſim ſcripturæ de eo mentionem faciant; ſed mentem non advertentes, non eum agnoſcebant. *Vos autem cognoſcetis eum*, nempe cùm in die Pentecoſtes vos replebit. *Quia apud vos manebit*, requieſcet ſuper vos, *& in vobis erit*, inhabitabit; ut patuit miraculis quæ operante Spiritu ſancto operati ſunt Apoſtoli.

18. *Non* itaque *relinquam vos orphanos*, *veniam ad vos*, revertar à morte excitatus. In fonte ἔρχομαι, id eſt, verio. nam ut mors ejus, ita & reſurrectin proxima erat. 19. *Adhuc modicum*, *& mundus me jam non videt*, intra breve tempus me ſubtraham mundo. Poſt reſurrectionem ſuam non aliis quàm diſcipulis conſpicuum ſe præbuit Dominus. *vos autem videtis me*, θεωρεῖτε, videbitis, ſi verbum illud ſupponatur in futuro ſecundo; quod ſimile habet præſenti, *quia ego vivo*, ζῶ, vivam, reſurgam à morte: *Et vos vivetis*. non interficient vos inimici veſtri; timebant enim ne cum Chriſto in mortem raperentur; ſic viventes me videbitis viventem.

20. *Illo die*, ſive tempore poſt reſurrectionem, cùm victor mortis apparebo, & præſertim poſt Pentecoſten, *vos cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo*, *& vos in me*, *& ego in vobis*. hoc experiemini me & Patrem unum eſſe, & vos mihi eſſe conjunctiſſimos. Sed Jeſum Verbum Dei aliter eſſe in Deo, quàm Apoſtolos in Chriſto, ex eo conſtat quòd Verbum ſit ſapientia Patris, quæ extra Deum eſſe non poteſt, ut Apoſtoli extra Chriſtum ſunt, quamquam cum illo caritate & participatione gratiarum ejus conjuncti. Quemadmodum non minùs perfectus eſt Deus; quia Chriſtianos decet eſſe perfectos ſicut Deum; ita non ideo Verbum non ejuſdem naturæ eſt ac Pater; quia Chriſtianos qui Deum imitari debent, decet eſſe unione inter ſe junctos, ut Pater & Verbum unum ſunt. ſcilicet chriſtiani debent eſſe imitatione quod Pater & Verbum ſunt natura.

21. *Qui habet*, id eſt novit, accepit, *mandata mea & ſervat ea*, *ille eſt qui diligit me*. operibus enim vera dilectio ſe probat. *Qui autem diligit me*, *diligetur à Patre meo*, quia conjuncti ſumus, *& ego diligam eum*. neque enim fieri poteſt ut cùm ego ſim in Patre & Pater in me, ille diligat quem ego non diligo. *Et manifeſtabo ei* quem diligo *me ipſum*, familiariter videndum, ut Magdalenæ, & quingentis aliis quibus Jeſus viſus eſt poſt reſurrectionem ſuam.

22. *Dicit ei Judas*, *non ille Iſcariotes*. *Domine*, *quid factum eſt*, τί γέγονεν ὅτι, qui fit, quid accidit, *quia manifeſtaturus es nobis te ipſum*, *& non toti mundo?* miratur hoc Judas, quia cum cæteris Judæis regnum Chriſti coram toto mundo conſpicuum expectabat, quaſi dicat: quì hoc fit? cùm & prædixerint Prophetæ, & tu promiſeris hactenus, quòd beneficia tua velis toti mundo offerre, & gloriam regni tui manifeſtare.

23. *Reſpondit Jeſus*, *& dixit ei*: *Si quis diligit me*, *ſermonem meum ſervabit*, *& Pater meus diliget eum*, *& ad eum veniemus*, *& manſionem apud eum faciemus*. docet Chriſtus quam ob rem omnibus non ſe manifeſtet; nempe quia homines mundani non ipſum diligunt. Non mirum, inquit, ſi omnibus ipſe me non oſtendam, quando & Patri is mos eſt ſe non patefacere niſi ſui amantibus, id eſt, præcepta ſua obſervantibus: Patris imitator ſum, & cum eo manſionem faciemus apud eos qui nos diligunt, & nos manifeſtos faciemus nempe donis. 24. *Qui non diligit me*, *ſermones meos non ſervat*. inverſa oratio pro: Qui verò præcepta mea non obſervant, ut mundani homines, ii me non diligunt, ac proinde tali honore digni non ſunt. *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus*: *ſed ejus*, *qui miſit me Patris*. Non mirum eſt ait, ſi & Pater non honore eos, qui præcepta mea ſpernunt, cùm illa ab eo emanent.

25. *Hæc locutus ſum vobis* ad vos conſolandos, *apud vos manens*. præſentia corporali, dum adhuc vobiſcum eſſe, & colloqui licet, ſubindicat ſe abiturum. 26. *Paracletus autem Spiritus ſanctus*, ille nempe defenſor, conſolator,

quem

Digitized by Google

quem mittet Pat r in nomins meo, ob preces meas, in meam gratiam, *ills vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, tuev*, quæ dixi vobis, & interpretatione egent, ſine fuſiori expoſitione, quam dare non poſſum per temporis anguſtias, nec capere poſſetis. Ubi acceperunt Spiritum ſanctum Apoſtoli, ſtatim apertum eſt cor eorum.

27. *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* valedico vobis, & opto ut poſt diſceſſum meum proſperè agatis; nec adinſtar hominum verbis inanibus, & ſæpè adulatoriis; ſed efficacibus, quæ præſtant id quod optant. Pacem autem relinquere idem eſt Hebræis, quod apud Latinos valedicere. *Non turbetur* ergo *cor veſtrum, neque formidet* ob abitum meum, quippe abeo ut pacem vobis imperrem.

28. *Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado* per mortem, *& venio;* id eſt redibo, quàm citiſſimè à morte redivivus *ad vos. Si diligeretis me* cordatè; amantis enim eſt amici bonis non dolere, ſed gaudere, *gauderetis utique*, congratularemini, *quia vado ad Patrem*, exaltandus ſcilicet & glorificandus. *quia Pater major me eſt*, quatenus homo ſum, ratione officii mei mittens major miſſo. Alii ergo illud Chriſti dictum ad humanitatem referunt; ut Auguſtinus qui invehitur in Arianos & Eunomianos, qui putabant ex hoc loco argumenta ſumere ſe poſſe: *Quid igitur heretice, cùm Chriſtus Deus ſit & homo, loquitur ut homo; & calumniaris Deo? ille in ſe commendat naturam humanam, tu in illo audes deformare divinam? infidelis, ingrate, ideòus tu minuis eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus ſit propter te? Æqualis enim patri filius per quem factus eſt homo, ut minor eſſet patre factus: quod niſi fieret, quid eſſet homo?* Alii illud dictum Chriſti referunt ad patris ἀζίωσιν, quoniam videlicet ordine & origine perſonali Pater præit filio, ut ſcribit Hilarius magnus, & plerique ex antiquis ſanctis Patribus; qui omnes agnoverunt filium æqualem Patri, nec alterius ſubſtantiæ. *Neque enim proximi erimus opinionibus nationum*, ut inquiebat Tertullianus, cap. 7. adverſus Hermogenem, *quæ ſi quando coguntur Deum confiteri, tamen & alios infrà illum volunt. Divinitas autem gradum non habet, utpote unica.* Dicteis ſententia intelligenda eſt ex ſcopo quem intuetur. Chriſtus ſignificabat ſuis diſcipulis poſt abitum ſuum, ſuam & illorum conditionem fore optimam. vobis, inquit, in Patre plus erit præſidii, quàm in mea corporali præſentia: quia Pater major me eſt. loquebatur autem ex opinione illorum, qui quamquam eum pro filio Dei haberent, tamen quanta eſſet ejus dignitas nondum ſatis advertebant. Chriſtus quatenus homo morte ſua conſecutus eſt, ut ſederet ad dexteram Dei patris. 29. *Et nunc dixi vobis* id omne, *priuſquam fiat: ut cùm factum fuerit, credatis*, magis magiſque mihi confidatis. Eſt enim apertum divinitatis documentum prædictio futurorum contingentium.

30. *Jam non multa loquar vobiſcum;* temporis enim anguſtiæ abripiunt verba. *Venit princeps mundi hujus*, id eſt diabolus, per Judam, & milites armatos quos impulit ad hoc facinus. *& In me non habet quidquam*, ſcilicet virium & juris ut me occidat. vel in me nihil habet quod culpare poſſit. 31. *Sed ut cognoſcat mundus;* ibi eſt ellipſis, quaſi dicat: non morior quia princeps hujus mundi in me aliquid invenit; ſed hoc fit ut cognoſcat mundus *quia diligo Patrem*, cujus gloriam morte mea aſſerere volui. *& ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Ut pateat quia ejus voluntati me ſubmitto. ibi loquitur Dominus ut homo, & ſervus Patris. *Surgite* à menſa, fieri enim poteſt, ut etiam ante hymnum dictum, hæc locutus ſit Chriſtus; dum adhuc menſæ accumberent Apoſtoli. ſolebant enim ſermònes in accubitu etiam poſt cœnam nonnihil produci. *eamus hinc* ad ſupplicium, vel obviàm iis qui me capturi ſunt. Forſan ſurrexerunt exituri, & tamen adhuc in cœnaculo commorarus, dixit quæ ſequuntur; aut illa dicta ſunt in itinere, ut ſuprà innui.

CA-

CAPUT XXIII.

Altera pars Sermonis poſt Cœnam. Chriſtus vera vitis. Hortatio ad Charitatem. Mundi reprehenſio. Apoſtolorum conſolatio.

JOANNES, Cap. 15. ✝. 1—27.

† Commun. unius Mart. temp. Paſch. ad ✝. 7.

1 † EGo ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt.
2 Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: &
omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.
3 Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.
4 Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à
ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.

† Comm. plur. Mart. temp. Paſc. ad ✝. 11.

5 † Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert
fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere.
6 Si quis in me non manſerit: mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, &
colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.
7 Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque
volueritis petetis, & fiet vobis. ¶
8 In hoc clarificatus eſt Pater meus ut fructum plurimum afferatis, &
efficiamini mei diſcipuli.
9 Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.
10 Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego
Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.
11 Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium
veſtrum impleatur ¶

† Vigil. unius Ap.
† Epheſ. 5. 2. 1. Theſſ. 4. 9.

12 * † Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.
13 Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis
pro amicis ſuis.
14 Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.
15 Jam non dicam vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat dominus
ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo,
nota feci vobis:
16 Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, &
fructum afferatis; & fructus veſter maneat: ut quodcumque petieritis Pa-
trem in nomine meo, det vobis. ¶

† Feſt. apoſt. Simonis & Judæ.

17 † Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.
18 Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.
19 Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia ve-
rò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos
mundus.
20 Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus ma-
jor domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem
meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.
21 Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt
eum, qui miſit me.

22 Si

22 Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc
autem excuſationem non habent de peccato ſuo.
23 Qui me odit: & Patrem meum odit.
24 Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non ha-
berent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.
25 Sed ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: † Quia odio
habuerunt me gratis. ¶ † *Pſal.* 24. 19.
26 † Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiri-
tum veritatis, qui à Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me: † *Dom. infra Oct. Aſcenſ. ad* ℣. 4. *cap. ſeq.*
27 & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. (*Hæc locutus
ſum vobis &c. cap. ſeq.*

1. EGO *ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt.* Eccleſia Iſraelitica pluribus in locis veteris Teſtamenti comparatur vineæ, quam ipſe Deus plantaverat, cujus ego Deus agricola. Igitur ne Apoſtoli dum diſcederet ab eis, & ipſi diſcederent à fide, declarat ſe, ſive Eccleſiam ſuam eſſe veram vineam plantatam à Deo, à qua non debeant ſeparari, ſi velint veros fructus facere. *Ego ſum*, inquit, *vitis vera*, genuina, non ſpuria, non infructuoſa: ſive competit mihi quod veræ viti 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* vitis ſylveſcit, niſi putetur: ita etiam homo, cujus appetitiones luxuriantes gratia non coercet, & reſecat malas.

3. *Jam vos mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* quia impurus Judas exiit, nunquam rediturus, vel propter ſermonem meum quem audiſtis & cœpiſtis ſervare. 4. *Manete in me*, perſeverate ut cœpiſtis, mihi adhærentes in charitate ac fide, *& ego in vobis manebo. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſe niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis*, à me ut palmes à vite, vim fructiferam accipietis. Inde chriſtianos eleganter appellat ſarmenta Chriſti Paulinus ſcribens ad Severum, ep. 2. *Si in ejus dilectione maneamus*, inquit ille, *nec areſcemus, viventes ſucco radicis æternæ: nec ad ignem amputabimur ira, ſed ad fructum putabimur diſciplina, purgante nos Evangelicæ falcis acie: ut caſtigata luxurie palmitis noſtri, fructuoſiùs pullulemus.*

5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* hunc enim gratia mea, tanquam vivifico ſucco, fructificare facio. *Quia ſine me*, ſine influxu gratiæ meæ, auxilii mei, *nihil poteſtis facere*, quod ab omni culpa vacet, & gratum ſit Deo: *Ne quiſquam putaret ſaltem parvum aliquem fructum poſſe à ſemetpiſe palmitem ferre*, ait Auguſtinus, *cùm dixiſſet*, Dominus hic fert fructum multum, *non ait, quia ſine me parùm poteſtis facere: ſed nihil*, poteſtis facere. *ſive ergo parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt ...... Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt, in igne erit: ut ergo in igne non ſit, in vite ſit.*

6. *Si quis in me non manſerit*, non adhæſerit mihi, *mittetur foras*, abjicietur extra vineam, *ſicut palmes, & areſcet* citò, ſeparatus à vite, *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*, & ita ut ardeat. iſta ſors erit malorum, qui ibunt in ignem æternum. 7. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint*, non in memoria tantùm hæreant, ſed & in affectu, *quodcumque volueritis, petetis* promiſſis meis freti, *& fiet vobis.*

8. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* id eſt ſi afferatis fructum & perſeveretis mei eſſe diſcipuli. ex operibus enim ſanctis ſuorum inclareſcit Dei gloria. 9. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: Manete in dilectione mea.* ſtudete, vel operam date ut maneatis in dilectione mea qua ego dilexi vos; id eſt, favorem meum retineatis, hunc autem retinebitis, ſi præcepta mea obſervaveritis. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.*

11. *Hæc locutus ſum vobis*, excitans vos ad multum fructum proferendum, *ut gaudium meum in vobis ſit*, ut meritò poſſim in vobis gaudere, *& gaudium veſtrum*, quod vos in me, ſeu de me gaudetis, *impleatur.* 12. *Hoc eſt præceptum meum*, quo ſervato gaudebitis, *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos* dilectione, qua major cogitari non poteſt. 13. *Majorem enim hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: mortis periculis ſe objiciat; vita enim nihil carius. 14. *Vos amici mei eſtis*, hoc eſt, manebitis, *ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.*

15. *Jam non dicam vos ſervos*, vos jam habeo,
&

& ſemper habui amicorum loco: *ἀπʼ ἄρτι*, non ampliùs, deinceps non dicam ſervos, *quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus.* non ſolent heri ſervis ſua conſilia patefacere. *Vos autem dixi amicos*; & ut tales tracto, *quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* patris conſilia de mea reſurrectione, aſcenſione, de miſſione Spiritus ſancti, de vocatione gentium. 16. *Non vos me elegiſtis* in amicum, in dominum in præceptorem. commendat amorem ſuum, quòd à ſe amicitiæ factum ſit initium, cùm nullis ipſorum in ſe benefactis provocatus eſſet, ſed motus à ſola ſua gratuita benevolentia. *Quid enim eramus*, verba ſunt D. Auguſtini, *quando Chriſtum nondum elegeramus, & ideo non diligebamus? Nam qui eum non elegit, quomodo diligit?* Ergo ſuum amorem prævium eſſe Dominus ſignificat. non priores me amaſtis, ait; *ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis*: id eſt, plantavi ut vineam, metaphoram enim continuat, ut creſcatis, & producatis fructus, *& fructus veſter maneat*; hebraiſmus pro, qui fructus maneat, nunquam periturus. *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. δῷ, det*, in tertia perſona, ut leguut Syrus, & Latinus, & Græcorum nonnulli, imo probatiores & plures codices Greci. At Chryſoſtomus, & Nonnus legunt *δῶ*, abſque ſubſcripto iota, in prima perſona *do*; indeque colligunt filii cum Patre æqualitatem.

17. *Hæc mando vobis*, præcipio *ut diligatis invicem*, non hæc dico, quaſi beneficia exprobrans, ſed ut meo exemplo provocati, diligatis alii alios. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote*, animo recolite, *quia me priorem vobis odio habuit.* hæc odia prior excepi. Ethnici quidem dicebant à chriſtianis odio haberi, & in ipſos omnia mala regerebant. Ita cùm fatetur Tacitus Neronem abolendo rumori quòd juſſiſſet ipſe incendium urbis, ſubdidiſſe reos chriſtianos, addit, haud perinde in crimine incendii quàm odio humani generis convictos fuiſſe. ſed ut reſpondebat Tertullianus in Apologetico, cap. 37. *ſi inimicos ... jubemur diligere quem habemus odiſſe? Hoſtes judicare maluiſtis, qui ſumus planè, non generis humani tamen, ſed potius erroris.* Gentiles ob diſſimilitudinem morum vitia ſibi à chriſtianis exprobrari & ita odio haberi putabant; cùm ipſi odio haberent chriſtianos. oderunt enim hilarem triſtes, nec quidquam magis diſſociat quàm diſſimile ſtudium; quod indicat Dominus ſequenti ſermone. 19. *Si de mundo fuiſſetis*, eiſdem ſtudiis affecti, ſimilibus moribus, ſimili vita, *mundus quod ſuum erat diligeret* ſui ſimiles. *Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos*, ſeparavi à mundo, *propterea odit vos mundus.*

20. *Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo*; non ſolet ſervus pluris fieri. *ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur*, pariter contemnent & odio habebunt. *ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.* ſi meis dictis paruere, parebunt & vobis; ſed doctrinam veſtram quæ mea eſt, non probabunt, nec ſervabunt. Alius ſenſus eſſe poteſt horum verborum: *ſi ſermonem meum ſervaverunt: εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν*, inſidioſè obſervaverunt, quæ ſpecies perſecutionis, *& veſtrum ſervabunt*; etiam vobis laqueos ponent. ea ſignificatione uſurpatum eſt illud verbum à Joſepho. ſcribit enim lib. 16. cap. 11. ab Herode Pheroram juſſum *τηρεῖν*, obſervare Salomen quomodo ſeſe gereret. ipſe Philo 2. lib. allegor. expendens verba illa Græcorum interpretum, *αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν*, Geneſ. cap. 3. ℣. 15. annotat vocem *τηρήσει*, duo ſignificare: unum quaſi cuſtodire & reponere: alterum, ac ſi dicas obſervare, ut per dolum interimas. 21. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, propter me, *quia neſciunt eum qui miſit me.* non conſiderant à quo miſſus ſim, excæcati ambitione aliiſque mundanis affectibus. Tertullianus inter cauſas odii, quo chriſtianos proſequebantur ethnici, numerat ignorantiam eorum, quia ſcilicet nolebant audire quod auditum damnare non potuiſſenr. *Cùm omnes*, inquit, *qui retrò oderant, quia ignorabant, ſimul deſinunt ignorare, ceſſant & odiſſe.* Apol. cap. 1.

22. *Si non veniſſem*, ſcilicet in mundum, ad eos, prout promiſſum erat, inſtructus certis miſſionis meæ teſtimoniis; niſi publicè me oſtendiſſem, *& locutus fuiſſem eis*, docuiſſem eos, palam me à Patre miſſum dictis ac factis comprobans, *peccatum non haberent*, eſſent extra culpam, *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* nihil eſt quod prætexant. 23. *Qui me odit, & Patrem meum odit.* cùm ſcire potuerint ac debuerint me à patre miſſum, quidquid contumelioſum in me faciunt, id pater in ſui contumeliam factum interpretatur. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; ea enim potuiſſent aſcribere virtuti ordinariæ. *nunc autem & viderunt*, vel opera illa eximia; vel, me & Patrem meum, utrumque ex operibus demonſtratum; *& oderunt me & Patrem meum*, qui per me loquutus eſt, & virtutem ſuam exercuit.

25. *Sed* id faciunt, ſive ut fieret oportebat, *ut adimpleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt: quia odio habuerunt me gratis.* ſine juſta cauſa. particula Hebræa חנם redditur à Græcis interpretibus *δωρεὰν, gratis*, & *ἀδίκως, injuſtè.* quaſi dicat Dominus, hinc evenit ut hoc modo in me imleretur, quod olim David, qui typum mei geſſit, ſibi fieri conqueſtus eſt pſalmo

Digitized by Google

pſalmo 24. & 34. ſed cauſa mea licèt tantis odiis obnoxia, non carebit defenſoribus, etiam me abſente. ſpiritus enim deſcendens in terras viſibili ſpecie aget cauſam meam.

26. *Cùm autem venerit Paracletus*, ille conſolator, *quem ego mittam vobis à Patre*, id eſt, efficiam, receptus ad Patrem ut veniat, *ſpiritum veritatis*, quo veritas manifeſtabitur, *qui à Patre*, id eſt, ex natura ejus, vel ſubſtantia *procedit*, *ille teſtimonium perhibebit de me*. Si Angelus aliquis teſtimonium præberet mihi, credere deberent. at nunc perhibiturus eſt teſtimonium mihi, cauſamque meam acturus, non creatus aliquis ſpiritus, ſed qui de Patris ipſius ſubſtantia procedit. Qui per ſpiritum Dei intelligi volunt tantummodò Dei donum, revincuntur verbis illis quibus Spiritus ſanctus declaratur *perſona*; neque enim *dono* convenit nomen teſtis. qui verò *ſpiritum Dei*, à Deo non diſtinguunt; pariter arguuntur; etenim Pater à Patre non procedit; & fruſtrà Chriſtus eandem perſonam ſub duobus nominibus in duo diſtincta teſtimonia allegaret. Denique qui & naturæ diſtinctionem inter Patrem Deum & Spiritum ejus admittunt, confutantur. illud enim *procedit*, *ἐκπορεύεται*, indicat emanationem ut rivi à fonte; ita eamdem naturam. quòd autem Dominus non dicat eo in loco, & *Spiritum ſanctum* ex ſe procedere, id fecit ne arrogantiùs de ſe loqui videretur, tum ne ſuſpectum ſic redderet ſpiritus de ſe teſtimonium. 27. *Et vos teſtimonium perhibebitis*, enarrantes mira opera quorum teſtes fuiſtis, *qui ab initio meæ* prædicationis *mecum eſtis*. perſeveraſtis individui comites.

CAPUT XXIV.

Tertia Pars Sermonis poſt Cænam, Perſecutiones prædicit Apoſtolis Dominus, mærentes ob ſuum diſceſſum ſolatur.

JOANNES, Cap. 16. ℣. 1—33.

1 HÆc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.
2 Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.
3 Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.
4 Sed hæc locutus ſum vobis: ut cùm venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis. ¶
5 Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram. Et nunc † vado ad eum, qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis? † *Dom. 4. poſt Paſcha ad ℣. 15.*
6 Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.
7 Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.
8 Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.
9 De peccato quidem, quia non crediderunt in me:
10 de juſtitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:
11 de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt.
12 Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò.
13 Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis.
14 Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.
15 Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. ¶

† Dom. 3. poſt Paſcha ad ℣. 22.

16 † Modicum, & jam non videbitis me: & iterùm modicum: & videbitis me: quia vado ad Patrem.

17 Dixerunt ergo ex diſcipulis ejus ad invicem: Quid eſt hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me; & quia vado ad Patrem?

18 Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? neſcimus quid loquitur.

19 Cognovit autem Jeſus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me,

† Com. Mart. temp. Paſch. ad ℣. 22.

20 † Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

21 Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.

22 Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis: iterùm autem videbo vos & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. ¶

† Iac. 1. 5. † Dom. 5. poſt Paſcha ad ℣. 30.

23 Et in illo die me non rogabitis quidquam. † Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24 Uſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.

25 Hæc in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre annuntiabo vobis.

26 In illo die in nomine meo petetis; & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.

27 Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & crediditſtis quia ego à Deo exivi.

28 Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29 Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis.

30 Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo exiſti. ¶

31 Reſpondit eis Jeſus: Modò creditis?

32 Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis, & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.

33 Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis; ſed confidite; ego vici mundum.

1. HÆC *locutus ſum vobis* de pervicaci Judæorum incredulitate, & de odio atque incommodis quæ vobis imminent, *ne non ſcandalizemini*; id eſt turbemini re inexpectata & intolerabili, ne dura vobis videatur conditio veſtra. Chriſtianus debet animo præconcipere futuras perſecutiones omnibus qui piè volunt in Chriſto vivere; & ideo non mirari ſi quando tolerandæ ſint; ut dicebat Tertullianus alloquens Imperii Romani antiſtites qui inſectabantur religionem chriſtianam; Apol. cap. 1. *Nihil de cauſa ſua deprecatur* hæc religio, *quia nec de conditione miratur. Scit ſe peregrinam in terris agere, inter extraneos facilè inimicos invenire: cæterùm genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in cœlis habere.* Dominus intuebatur Judæorum proceres, qui ſuos diſcipulos omnibus maledictis & pœnis proſecuturi erant. 2. *Abſque*

ſyna-

ſynagogis facient vos, ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, expellent vos ſynagogis, id eſt ſynagogis ſuis interdicent, excommunicabunt vos. *Sed venit hora*, hæc particula *ſed* eſt augentis, ut *imò* apud Latiños. Imò venit hora, vel veniet tempus, *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*, λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ; id eſt, cultum ſe præſtare, vel ſacrificium offerre. λατρεία quidem in genere ſignificat omnem Dei cultum, ſive miniſterium Deo exhibitum; ſed verbum προσφέρειν, *offerre*, quod dicitur de victimis quæ in altari Deo ſiſtebantur, dictam vocem reſtringit; ut neceſſe ſit eam interpretari de *ſacrificio*, quod à ſe offerri gratum aliquando putarent qui Apoſtolos interempturi erant. Apud Judæos plures erànt gradus excommunicationis; quoſdam enim tantùm ſeparabant, expellentes cœtibus publicis, alios magis reos anathematizabant, internecioni, perditioni devovebant. quin quos putabant ad ſummum impietatis apicem progreſſos proſcribebant, & invitabant quemque ut eos occideret tanquam dignos eo ſupplicio, quo Cainus interfector fratris ſe interficiendum intelligebat: *omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. Gen. 4. ℣. 15. ſic Phinees interfecit Iſraelitam ſcortantem. ſic Stephanus lapidatus eſt à Judæis. ſic Judæi de Paulo dicebant Act. 22. ℣. 22. *Tolle de terra hujuſmodi; non enim fas eſt eum vivere*. ſic Judæi numero amplius quam quadraginta ſe devoverunt non manducare neque bibere, donec interficerent eundem Paulum, Act. 23. ℣. 22. Juſtinus martyr in dialogo cum Tryphone, paſſim huic exprobrat, Judæos diris execrationibus ſolitos devovere in ſynagogis quotquot in Chriſtum crederent, & maledictis execrationibuſque preces ſuas abſolvere.

3. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*. non advertunt me eſſe Chriſtum miſſum à Deo. 4. *Sed hæc locutus ſum vobis, ut cùm venerit hora eorum*; tempus quo hæc facere illis licebit, *reminiſcamini quia ego dixi vobis*, ut ſic certi ſitis de divina mea tum præſcientia, tum potentia, tum veracitate. Hæc ſpectant omnes chriſtianos, qui cùm legant in ſcripturis paratas bonis cruces, certiores fiunt has ſcripturas divinas eſſe, ut dicebat Tertullianus in Apologetico, cap. 20. *Dum patimur, leguntur; dum recognoſcimur, probantur; idoneum, opinor, teſtimonium divinitatis, veritas divinationis*.

5. *Hæc autem ab initio vobis non dixi, quia vobiſcum eram*, omnium odia in me excipiens, & arcens omnia illa mala à vobis. *Et nunc vado* & ideo opus eſt hæc denuntiari vobis quia diſcedo abiens *ad eum qui miſit me; & nemo tamen ex vobis interrogat me, quò vadis?* nemo veſtrùm verè expendit quò, & cur abeam. videbat enim Dominus nondum ſe ſatis intelligi. ſolùm poſt reſurrectionem, cùm illis cor aperuit Dominus, intellexerunt quoniam oportebat pati Chriſtum.

6. *Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum*, obſedit animum veſtrum, & impedit quominus me interrogetis de rebus quas ſcire veſtra refert. 7. *Sed ego veritatem dico vobis*. attentionem & fidem excitat: *expedit enim vobis ut ego vadam*; ut poſſeſſionem accipiam regni cœleſtis; *ſi enim non abiero, paracletus*, conſolator, defenſor ille quem promiſi, *non veniet ad vos*; etenim ſpiritus Dei mitti non poterat niſi Deo reconciliato per mortem filii; & ita niſi illo glorificato, ad nos venire. Chriſtus, inquam, obtinuit moriens à Patre, ut donaret ſpiritum ſuum hominibus, ut, quò primùm omnia vivificaverat, mundum creans; illum inſtaurans, iterum vivificaret, & renovaret homines deformatos à peccato & mortuos. Ergo, inquiebat Chriſtus, Paracletus non veniet, ſi non abiero, *ſi autem abiero, mittam eum ad vos*.

8. *Et cùm venerit ille, arguet*, ἐλέγξει, apertè demonſtrabit, convincet *mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio*. Spiritus ſanctus in vos effuſus, mundum convincet. 9. *De peccato*, ſive abſque venia peccaſſe, *quia non crediderunt in me*. cur enim non crederent non alia cauſa fuit quàm mala mens eorum. quod manifeſtabitur cùm Spiritu ſancto afflante loquemini variis linguis; tunc enim liquebit Judæos reos eſſe qui mihi non crediderint. 10. *De juſtitia verò* ſupple convincet, quòd jure dixerim me eſſe filium Dei, ſive quòd juſtus fuerim; & injuſtè ab eis occiſus, *quia ad Patrem vado*, cœlo modò recipiar: neque enim ſi injuſtus fuiſſem, ad Patrem aſcendiſſem liberè ingrediens cœlum domum Dei: ſic oſtendens me eſſe verum filium ejus; *& jam non videbitis me*, veſtro enim conſpectui ſubſtrahar. 11. *De judicio autem*, ſcilicèt Spiritus ſanctus tum demonſtrabit judicium factum, ſive cauſam principis tenebrarum dijudicatam, & hac cecidiſſe; *quia princeps hujus mundi judicatus eſt* per me. Hoc apparebit, quando deſcenderit Spiritus ſanctus; corruent enim idola: ubique verus Dei cultus adſtruetur. Princeps mundi ejicietur foras, ſuo ſpoliatus regno.

12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*, id eſt animò capere, ſive tolerare, intelligere, quia rudes eſtis, imperfecti atque imbecilli. 13. *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, ὁδηγήσει, diriget, ducet in omnem veritatem. Revera Spiritu ſancto illuſtrante cognoverunt omnem veritatem ad bonum regimen Eccleſiæ: unde dicunt in Actis: *Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto*. ſubjungit Dominus: *non enim loquetur à ſemetipſo* ſpiritus; *ſed quæcumque*

audiet, loquetur; & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. ſi Spiritus ſanctus, ut volunt Antitrinitarii, nihil eſt niſi Deus Pater, donans dona, aut dona ipſa, an hæc dixiſſet Chriſtus? an Deus Pater à ſe non loquetetur? an de donis ejus dici poteſt, quòd non loquentur à ſemetipſis; ſed tantùm quæcumque audierint? Reſpondent Sociniani, hæc dici *per metaphoram hyperbolicam*, quà perſonales actiones tribuuntur rebus quæ non perſonæ ſunt. ergo totum Evangelium eſt continuatio *metaphoræ hyperbolicæ*; ubique enim actiones perſonales tribuit Spiritui ſancto. Dicit in Mariam superventurum; de illo eſſe quod in Maria natum eſſet; deſcendiſſe corporali ſpecie ſuper Jeſum & in Apoſtolos. Eſto alicubi ſermo fiat, verbi cauſa de ira Dei, ut de perſona: & dicatur, quòd venerit, quòd illam miſerit Deus; ſed id rariùs dicitur, non aſtruitur ubique. & ſi unum, aut alterum exemplum ſufficit, ut evincatur de quocumque ſermone haberi poſſe pro metaphorico, jam nulla erit propria ſignificatio ſermonis quo Evangelium ſcriptum eſt.

Hæc autem verba de Spiritu ſancto *non enim loquetur à ſemetipſo*, ſignificant: nihil proprium loquetur præter mea. Cùm enim dicit Dominus, *quæcumque audiet &c.* hoc ſignificat, quòd nihil docturus ſit extra ea quæ ipſe docuit. ſicut igitur ipſe dicens de ſe: *quæcumque audivi à Patre meo loquor*; eadem dicit de Spiritu ſancto; qui cùm à Deo exeat, ea tantùm loquitur quæ in Deo ſunt, quæ illi non poſſunt eſſe ignota. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis*, ait Paulus 1. Cor. cap. 2. ℣. 11. *niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi ſpiritus Dei*. quo ratiocinio & comparatione non uſus eſſet Apoſtolus, ſi Spiritus ſanctus nihil eſſet niſi afflatus, ſive donum in mente Prophetarum reſidens. Idcirco autem Chriſtus innuit ſpiritum Patris & ſuum eſſe, non unius, ſed amborum, ne diſcipuli ſperarent aliam doctrinam accepturos à Spiritu ſancto; ſpiritus enim hominis id ſolum quod cogitat & ſentit homo, manifeſtare poteſt, non huic adverſari. Igitur dicit Dominus. 14. *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Ibi *accipiet* ponitur pro accipit. de me, inquit Dominus, ſpiritus ut de Patre procedit, ſive meus eſt ſpiritus. Nam 15. *omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*. eadem eſt Patri & Filio natura juxta orthodoxum ſenſum. Juxta Socinianos hyperbola eſt, ſed merus homo non thraſonicè, ſive arroganter loquens, an tam audaci hyperbola uſus eſſet? ibi Dominus vindicat ſibi individuæ naturæ communionem: *Propterea dixi: quia de meo accipiet*, cùm accipiat à Patre. Spiritus enim meus eſt, cùm ſit ſpiritus Patris qui unum ſumus *& annunciabit vobis*, nempe doctrinam Patris & meam.

16. *Modicum, & jam non videbitis me.* intelligendum hoc de ſpatio quod ad mortem reſtabat: *& iterùm modicum*, & rurſus poſt exiguum intervallum, nempe quantum inter mortem & reſurrectionem interceſſit, *videbitis me, quia vado ad Patrem.* Non enim manebo in morte, ſed ad Patrem ibo, tranſitum quaſi per vos faciens.

17. *Dixerunt ergo* quidam *ex diſcipulis ejus ad invicem: quid eſt hoc quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me; & quia vado ad Patrem*. non putabant mortem ejus adeo vicinam eſſe, nec ipſum ſtatim reſurrecturum. 18. *Dieebant ergo: quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? neſcimus quid loquitur.*

19. *Cognovit autem Jeſus* vi ſua divina, *quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* non directè reſpondet ad id quod quærentes ſciebat Apoſtolos; ſatis tamen innuit loqui de morte ſua, ob quam triſtitia erant afficiendi. 20. *Amen, amen dioo vobis: quia plorabitis, & flebitis vos* me capto, crucifixo, mortuo, *mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. ſi ſæculum gaudere oporteat & chriſtianos triſtes eſſe, *lugeamus ergo*, aiebat Tertullianus, de ſpect. cap. 28. *dum ethnici gaudent, ut cùm lugere cœperint; gaudeamus; ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus.*

Solatur ſuos diſcipulos, melioris ſortis ſpem faciens, ad hoc utitur comparatione. 21. *Mulier cùm parit*, parturit, nititur ad edendum partum, *triſtitiam habet, quia venit hora ejus*, tempus parturiginis, cujus maximi ſunt dolores: *Cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum*; quòd genus humanum nova prole auxerit. 22. *Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*; nam ego cauſa gaudii veſtri, non ampliùs moriar.

23. *Et in illo die me non rogabitis quidquam*, οὐκ ἐρωτήσετε, id eſt interrogabitis de rebus, obſcuris, quia omnia perſpicua ſcietis, vel non petetis, deprehenſi in periculis tanquam deſerti auxilium. *Amen, amen, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Hoc beneficium percipietis ex meo abitu ad Patrem, quòd preces veſtræ exaudientur; me enim habebitis advocatum apud Patrem, ut dicit Joan. 1. epiſt. cap. 2. ℣. 1.

24. *Uſque mòdò non petiſtis quidquam in nomine mo*: ſcilicèt tanquam redemptoris veſtri

& me-

& mediatoris. ſoli enim quos Deus ſpeciali lumine illuſtrabat, orabant in nomine Meſſiæ. *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*, copioſum, perfectum. 25. *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis*, id eſt in parabolis: ſic in ſcripturis vocatur ſermo figuratus & ſuboſcurus qualis erat ſermo Chriſti per reſpectum ad craſſo ingenio Apoſtolos. *Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palàm* poſt reſurrectionem meam, & per Spiritum *de Patre meo annuntiabo vobis*; quando mittam vos ad edocendas gentes, & eas baptizandas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, priùs vos electos altum illud Trinitatis myſterium.

26. *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis*, quaſi vincendus ſit precibus, vobis ſubiratus. 27. *Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia ego à Deo exivi*: nempe credidiſtis me miſſum à Deo; quod iterùm aſtruit verbis ſequentibus. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum; iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem*: ita oſtendam me verè à Patre miſſum. Nobis hæc aperta ſunt, qui credimus Chriſtum Verbum æternum Patris in tempore carnem induiſſe; ſed ambages ſunt, Socinianis, qui volunt & ibi Chriſtum metaphorico, ac obſcuro ſermone uſum, ut exire à Deo nihil aliud ſit, quàm auctore Deo & illo jubente ac mittente aliquid facere: ſed tunc ſine ambagibus loquebatur Chriſtus, utens aperto ſermone. unde 29. *Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis*, id eſt, non uteris ſermone obſcuro. 30. *Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget*: cognoſcis enim corda hominum, & quid illis negotium faceſſat, antequam dubitationes ſuas proponant. Nunc in Græco codice legitur οὐ χρείαν ἔχεις. ſed D. Chryſoſtomus legebat: οὐ χρεία ἐστὶν, juxta quam lectionem, illud *non opus eſt*, non attinet ad hæc verba: *nunc ſcimus, quia ſcis omnia*; ſed ad ſequentem verſiculum, ut ſit hæc hujus loci ſententia: Cùm tu nos antea per parabolas, & quaſi ænigmaticè decores, cogebamur te de pleriſque interrogare, à nobis videlicet parùm intellectis, nunc verò tam planè & perſpicuè nos allocutus es, ut minimè ſit neceſſe de iis ampliùs ex te quærere. Attamen quæ ſequuntur, videntur probare vulgatam lectionem; ſcilicèt Chriſto non opus fuiſſe ut interrogaretur, quia dubitationes notas haberet antequam proponerentur. *in hoc*, inquiunt diſcipuli, *credimus quia à Deo exiſti*. divinum eſt enim introſpicere mentis cogitata.

31. *Reſpondit eis Jeſus: modò, nunc creditis?* Interrogatio eſt miſerentis. vobis videmini fortes. 32. *Ecce venit hora*, imminet, *& jam venit ut diſpergamini unuſquiſque in propria*, εἰς τὰ ἴδια, id eſt in domum ſuam, *& me ſolum relinquatis*. Corrigit autem ſe: quid dico me ſolum, *& non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt* ſemper. 33. *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis*, ut non turbemini propter ea quæ eventura ſunt mihi & vobis. *In mundo preſſuram habebitis*, ab hominibus affligemini, *ſed confidite*, ſumite animum meo exemplo; *ego vici mundum*, principem mundi: vobis quidem pugnandum eſt, ſed cum hoſte proſtrato.

C A P U T XXV.

Patrem precatur Dominus pro ſeipſo, pro diſcipulis, & omnibus qui in eum credituri eſſent.

J O A N N E S, Cap. 17. ℣. 1—26.

1 HÆc locutus eſt Jeſus: † & ſublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, ve- † *Vigil. Aſcenſ.*
nit hora: clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te:
2 Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei,
det eis vitam æternam.
3 Hæc eſt autem vita æterna: Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum,
& quem miſiſti Jeſum Chriſtum.
4 Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam:
5 & nunc clarifica me tu Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet, apud te.

6 Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſtis mihi de mundo: Tui
erant, & mihi eos dediſti: & ſermonem tuum ſervaverunt.
7 Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt:
8 quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt, & cogno-
verunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me miſiſti.
9 Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti
mihi: quia tui ſunt:
10 & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & clarificatus ſum in
eis.
11 Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt; & ego ad te ve-
nio. ¶ Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint
unum, ſicut & nos.
12 Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti
† Pſal. 108. 8. mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, † ut ſcriptu-
ra impleatur.
13 Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gau-
dium meum impletum in ſemetipſis.
14 Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non
ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.
15 Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo.
16 De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo.
17 Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt.
18 Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.
19 Et pro eis ego ſanctifico meipſum: ut ſint & ipſi ſanctificati in ve-
ritate.
20 Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt
per verbum eorum in me:
21 ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in
nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti.
22 Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut
& nos unum ſumus.
23 Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum: & cognoſcat
mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.
24 Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum:
ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante con-
ſtitutionem mundi.
25 Pater juſte, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: & hi
cognoverunt, quia tu me miſiſti.
26 Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua
dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

1. HÆC *locutus eſt Jeſus*, poſtea conſolationi addit preces, *& ſublevatis oculis in cœlum dixit*, oravit: *Pater, venit hora* mortis meæ, *i dex*, hora illa morti meæ deſtinata. *clarifica* me *filium tuum* celeri reſurrectione & evectione in cœlum, *ut filius tuus clarificet te*, efficiendo per Evangelium ut omni innoteſcas mundo. 2. *Sicut ei dediſti poteſtatem omnis carnis*, in omnes homines: omnia poteſtati ejus ſubjeciſti, *ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam*, ut omnibus electis, quotquot ei dediſti, det vitam æternam. 3. *Hæc eſt autem vita æterna: Ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. nemo ad vitam æternam poteſt pervenire qui non cognoſcat te Deum unum, & Jeſum verè filium tuum à te miſſum mundi ſervatorem. Gentilium quidem errore, qui plures agnoſcebant deos, non laborabant Judæi; ſed prætereà neceſſe iis erat certò credere Jeſum eſſe verè Chriſtum, omnium ſer-

vato-

vatorem. Jeſus autem Patrem appellans *ſolum Deum* non ſe excludit, ſed ſeparat verum Deum à diis gentium. Unus eſt Deus; nec Pater & Filius duo ſunt Dii, Igitur verus Deus, qui ſolus & unicus eſt, opponitur falſis diis gentium; ſicut in epiſtola Judæ Jeſus appellatur, ſolus dominator & dominus, per oppoſitionem dominio dominationum aliarum quàm quæ Dei ſunt. Sic ordinat hunc locum B. Chryſoſtomus: *ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, eſſe ſolum illum Deum verum*; citans illa Pauli verba, 1. Cor. cap. 9. ℣. 6. *an ego ſolus & Barnabas &c.* ubi particula *ſolus* non excludit ſed comprehendit Barnabam.

4. *Ego te clarificavi ſuper terram*, quandiu fui in terra, non meam, ſed tuam ſtatui gloriam. *opus conſummavi, quod dediſti*, mandaſti *mihi ut faciam*: 5. *& nunc* ergo viciſſim *clarifica me tu Pater, apud temetipſum*, id eſt, in cœlo, me cœlo recipiens, & ſic me clarificans *claritate quam habui priùs quam mundus eſſet, apud te.* in principio enim erat Verbum apud Deum. Poſtulat ergo Chriſtus ut quod erat ab æterno Deus, omnibus hominibus innoteſcat: ſive Dei Patris gratia cognoſcatur, ſicut Patrem notum ipſe fecerat. Si Chriſtus, ut ſentiunt Sociniani, ſciebat quidem ab initio mundi ſummam ſibi gloriam præparatam, ſed quam non habuerat hactenùs, habiturus tantùm poſt mortem ſuam; cur hic dicit *quam habui prinſquam mundus eſſet, apud te?* cur tam frequenter utitur ſermone idoneo, ut credatur reipſa præextitiſſe omnibus temporibus, qui in tempore cœperit? Apertiùs & ideo ſapientiùs, ſi ipſi Sniciniani non deſipiant, dixiſſet: claritate quam habiturus ſum, præparatam mihi à rerum initio. Saltem decuiſſet hunc ſenſum indicare quem latitare volunt ſub figurato ſermone. Imo confirmat obvium ſenſum, quo declaratur æternitas ejus; de hac enim claritate non dicit, compellans Patrem, quam mihi daturus es, ò Pater, ſed quam dediſti mihi: ut modò videbimus.

6. *Manifeſtavi*, inquit, *nomen tuum*, id eſt, te manifeſtavi *hominibus* præſertim electis, *quos dediſti mihi*, quos ad me traxiſti. *Tui erant* pietatis quodam affectu, & æterna electione; *& mihi eos dediſti*, ut redemptori & magiſtro: *& ſermonem tuum ſervaverunt*, doctrinam meam abs te profectam, quam tuo nomine annuntiavi. 7. *Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt.* modò enim confeſſi erant ſuperiori capite, *nunc ſcimus quia ſcis omnia &c. In hoc credimus quia à Deo exiſti.* explicat quod dixerat. 8. *Quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt*, amplexi ſunt, *& cognoverunt verè, quia à Deo exivi, & crediderunt quia tu me miſiſti.* me pro Filio tuo & Chriſto agnoverunt.

9. *Ego pro eis rogo.* cùm ſuos his titulis commendaſſet, oſtendit non ingratas Deo eſſe debere quas pro talibus fundit preces. *Non pro mundo rogo*; illas, inquam, preces non pro quibuslibet offero, non pro promiſcuo populo qui mundana ſapit, *ſed pro his quos dediſti mihi: quia tui ſunt*, electione & amore; quòd ad commendandas preces plurimùm valet. 10. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* ita mei diſcipuli pro quibus ſpecialiter nunc te oro, & tui ſunt. *& clarificatus ſum in eis.* promoverunt gloriam meam, dum me relictis omnibus ſecuti ſunt, mundo reclamante. Igitur & iſto nomine illi tibi commendati eſſe debent, quòd ego illorum opera & miniſterio inclaruerim, & poſteà inclareſcam ampliùs; itaque in ipſorum perſona mea res vertitur.

11. *Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt.* nova commendandi cauſa, quod ab eis diſcedat, relinquens eos in ærumnoſo ſæculo, *Et ego ad te venio*; redeo ad te, dum illi orbi erunt. Ergo *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo*, poteſtate tua, *quos dediſti mihi* tuos. *ut ſint unum, ſicut & nos.* Illud *ſicut* non eſt æqualitatis, ſed ſimilitudinis. Hortatur alibi Chriſtus ut ſimus perfecti, ſicut Deus Pater, ſed non ut evadamus Dii. unio quæ eſt inter Patrem & Filium provocat nos, ut quantùm fieri poteſt, unum ſimus. Preces autem illæ dominicæ quibus oſtendit tenerum ſuum erga diſcipulos amorem, potiùs ſpectabant bona eorum ſpiritualia, ne ſcilicet odia inter ſe exercerent, quàm ne odio haberentur ab impiis.

12. *Cùm eſſem cum eis*, anticipat tempus abſentiæ ſuæ, *ego ſervabam eos in nomine tuo*, docendo, monendo, & exemplis præeundo; *quos dediſti mihi*, tuos, nempe à te electos, *cuſtodivi* ne perirent, ne deficerent, *& nemo ex eis periit niſi filius perditionis*, excepto illo qui exitio digniſſimus erat ob ſuam perfidiam, *ut ſcriptura impleatur*, quæ prædixit ſimile exitium hominibus, qui tali ingenio ac perverſis moribus præditi erant, qualibus Judas.

13. *Nunc autem ad te venio: & hæc loquor* diſcipulis audientibus & exiſtens *in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.* ut gaudium illud quod hactenus conceperunt, ex mea præſentia ac cura pro ipſis non minuatur; imò creſcat potiùs me abſente, ubi meminerint harum precum, non dubitantes quin exauditus ſim, adeoque ſe tibi curæ fore credant.

14. *Ego dedi eis ſermonem tuum*, Evangelium tuum prædicandum, *& mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo*, quoad mores, & ſtudia, & affectiones animi. *ſicut & ego non ſum de mundo.* ſecuti ſunt exemplum meum, qui vixi à mundo alienus. Nova eſt commendatio, quòd ob receptum Evangelium mundo exoſi ſint.

Æquum autem eſt ut patrocinio ejus quis foveatur, ob quem plurimas incurrit offenſas. 15. *Non rogo ut tollas eos de mundo*, de cœtu hominum mortalium; *ſed ut ſerves eos à malo, ἐκ τοῦ πονηροῦ*, à diabolo peccati auctore: id eſt, ne diabolo per afflictiones agente, in peccatum labantur, & à me deſciſcant. De diabolo hic agi ſuadet articulus τοῦ, quo quis eximiè malus denotatur.

16. *De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo.* hoc repetit Chriſtus quod dixerat ſuprà ℣. 14. ſed alia de cauſa: ibi tanquam cauſam odii: hic ut rationem novum quid impetrandi. 17. *Sanctifica eos*, perfice in ſanctitate vitam eorum redde in dies puriorem; confirma *in veritate*, in cognitione rerum quæ ad ſalutem ſcitu neceſſariæ ſunt, in rectitudine ſermonis & dogmatum. *Sermo tuus veritas eſt.* ille à te mihi mandatus, quem & ego ipſis dedi. ita proſequere tuis benedictionibus ipſam doctrinam Evangelii quod promulgaturi ſunt. Alii per *veritatem* intelligunt conſtantiam Dei in ſervandis promiſſis; ut Chriſtus roget Patrem auxilium quo promiſerat fore ut adjuvaret Apoſtolos.

18. *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* cauſam reddit cur præ cæteris auxilio divino egerent. nempe quia durum munus ſuſcepturi eſſent, legatione pro Chriſto fungentes. 19. *Et pro eis ſanctifico me ipſum*, offero me in ſacrificium victima ipſe & ſacerdos, *ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* ut conſequantur ſanctificationem veram merito & efficacia ſacrificii mei. Sacrificia veteris teſtamenti offerebantur ad eorum ſanctificationem pro quibus offerebantur. Chriſtus verò qui nullum haberet peccatum quod expiatione indigeret, pro aliis ſe ſanctificat.

20. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*, per doctrinam quam prædicabunt. 21. *ut omnes* qui in me credent, omnes chriſtiani. *unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* ut quantum fieri poteſt imitentur, quæ inter nos eſt, unionem. *ut credat mundus quia tu me miſiſti.* ut cæteri illorum exemplo alliciantur ad fidem, admirantes ſummam illam conſtantiam in profeſſione dogmatis, & mutuam dilectionem. 22. *Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis.* iſta claritas enituit in miraculis quæ patrarunt Apoſtoli in nomine Chriſti, ſive in poteſtate quam eis contulit Chriſtus, acceptam à Patre, quatenus homo erat: *ut ſint unum*, & inter ſe & nobiſcum, ad exemplum noſtrum, *ſicut & nos unum ſumus.* 23. *Ego in eis* operans per eos, *& tu in me.* ita mecum connexi per illum meum in eos influxum, tecum conjunguntur, *ut ſint conſummati in unum*; perfectè ſint unum inter ſe & nobiſcum. *& cognoſcat mundus quia tu me miſiſti*, ſtabilem illam obſervans unionem diſcipulorum meorum cum Deo; *& dilexiſti eos*: & intelligat mundus ex eorum pietate tibi caros eſſe, *ſicut & me dilexiſti.* argumentum fuit efficax Jeſum verè miſſum à Deo, pietas Apoſtolorum.

24. *Pater, quos dediſti mihi, volo*, cupio, *ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*: in gloria. Jam de præmiis eorum agit Chriſtus, cùm priùs oraſſet Patrem ut ſervaret illos à malo. *ut videant claritatem*, gloriam *meam, quam dediſti*, conſtituiſti, *mihi*: *quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* hæc conveniunt Chriſto quatenus homo eſt, à Deo electus ante ſæcula. Deus diligit electos ſuos. hæc etiam intelligi poſſunt de Chriſto, quatenus Verbum eſt Dei, quo ut vidimus Deus ſe oblectabat ante creationem mundi. his excitat animos diſcipulorum, ut opprobriis crucis, cui modò affigendus erat, non deterrerentur.

25. *Pater juſte, mundus te non cognovit*; mundus oſtendit factis ſuis te ſibi ignotum eſſe. *Ego autem te cognovi*, ut factis meis & dictis comprobavi. *& hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.* hanc fidem oſtenderunt factis; & ideo præmiis digni ſunt, quia dum mundus te deſereret, ipſi te ſecuti ſunt. 26. *Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam* per Spiritum ſanctum qui docebit eos, *ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit.* dum enim cognoſcitur Deus, plus amatur. *& ego in ipſis.* tibi enim dilectionis vinculo colligati; mihi erunt conjunctiores.

CA-

CAPUT XXVI.

Exit Dominus trans torrentem Cedron, & ingreſſus in hortum Gethſemani ter Patrem precatur, Mœror ejus & agonia.

JOANNES, Cap. 18. ℣. 1 & 2.

1 * 1 HÆc cùm dixiſſet Jeſus † egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron,

† *Feria ſexta in Paraſceve.* † *2. Reg. 15. 23.*

LUCAS, Cap. 22. ℣. 39—46.

2 * 39 Et egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Olivarum; ſecuti ſunt autem illum & diſcipuli.

MATTHÆUS Cap. 26. ℣. 36—46.

MARCUS. Cap. 14. ℣. 32 42.

3 * 36 Tunc venit Jeſus cum illis in villam Gethſemani,

32 Et veniunt in prædium cui nomen Gethſemani.

JOANNES.

4 * Ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & diſcipuli ejus.

5 * 2 Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis.

LUCAS. 40 Et cùm perveniſſet ad locum,

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	
6 *Mt.* Et dixit *MM.* diſcipulis ſuis: Sedete hìc, donec *Mt.* vadam illuc, & *MM.* orem. *L* Orate, ne intretis in tentationem.	& dixit diſcipulis ſuis: Sedete hìc, donec vadam illuc, & orem.	Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hìc, donec orem.	dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem.
7 *Mc.* Et aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem ſecum: & cœpit pavere, & tœdere, *Mt.* contriſtari, & mœſtus eſſe.	37 Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe.	33 Et aſſumit Petrũ, & Jacobum, & Joannem ſecum: & cœpit pavere, & tœdere.	
8 Tunc *MM.* ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hìc, & vigilate *Mt.* mecum.	38 Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hìc, & vigilate mecum.	34 Et ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hìc, & vigilate.	
9 Et progreſſus puſillum, *L* avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis; & poſitis genibus orabat,	39 Et progreſſus puſillum,	35 Et cùm proceſſiſſet paululùm,	41 Et ipſe avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat.

LUCAS.

10 * 42 dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me; veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
11 Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum:			43 Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.
& *MM.* procidit *Mc.* ſuper terrã, *Mt.* in faciem ſuam orans,	procidit in faciem ſuam, orans,	procidit ſuper terram: & orabat	
12 Et *L* factus eſt in agonia prolixiùs *Mc. L* orabat.		ut ſi fieri poſſet tranſiret ab eo hora.	Et factus in agonia prolixiùs orabat.
13 *Mc.* Et dixit: Abba Pater, *Mt.* ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.	& dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte:	36 Et dixit: Abba Pater,	
14 *Mc.* Omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me; † ſed non quod ego volo, ſed quod tu. († Hebr. 5. 8.)	verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.	Omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me: ſed non quod ego volo, ſed quod tu.	
15 *L.* Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.			44 Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.
16 Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, *Mt. L* invenit eos in dormientes *L* præ triſtitia.	40 Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes,	37 Et venit, & invenit eos dormientes.	45 Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia.

LUCAS.

17 * 46 Et ait illis: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
18 *Mc.* Et ait Petro: Simon, dormis? *Mt.* ſic *MM.* non potuiſtis una hora vigilare *Mt.* mecum?	Et dicit Petro. Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum?	Et ait Petro: Simon, dormis? non potuiſti una hora vigilare?
(† Gal. 5. 17.) 19 *MM* † Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: ſpiritus quidem promptus eſt, caro *Mt.* autem *MM.* infirma.	41 Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationẽ: ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.	38 Vigilate, & orate ut non intretis in tentationẽ; ſpiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.
20 *Mc.* Et iterùm abiens oravit, eumdem ſermonem dicens: *Mt.* Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me niſi bibam illum, fiat voluntas tua.	42 Iterùm ſecundò abiit, & oravit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me niſi bibam illum, fiat voluntas tua.	39 Et iterùm abiens oravit, eumdem ſermonem dicens.
21 Et venit iterùm, & *MM.* invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati: *Mc.* & ignorabant quid reſponderent ei.	43 Et venit iterùm & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.	40 Et reverſus, denuò invenit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant quid reſponderent ei.
22 *Mt.* Et relictis illis, iterùm abiit, & oravit tertiò, eumdem ſermonem dicens:	44 Et relictis illis iterùm abiit & oravit tertiò, eumdem ſermonem dicens:	
23 *Mc.* Et venit tertiò *Mt.* ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: *MM.* Dormite jam, & requieſcite.	45 Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite jam, & requieſcite:	41 Et venit tertiò, & ait illis: Dormite jam, & requieſcite.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
24. *Mc.* Sufficit, venit hora, ecce *MM* Filius hominis tradetur in manus peccatorum.	ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.	Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.
25 Surgite, eamus; ecce *Mc.* qui me tradet, prope eſt.	46 Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.	42 Surgite, eamus, ecce qui me trader, prope eſt.

1 * 1 J HÆc *cùm dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis*, vel domo ubi cœnaverat, vel Hieroſolymis, vel ex loco extra urbem, ubi ſubſtiterat, colloquens cum diſcipulis. Egreſſus, inquam, eſt *trans torrentem Cedron*, qui vallem inter urbem & montem Oliveti interjacentem præterfluit. 2 * 39 *L. Et egreſſus* trans hunc torrentem, *ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Olivarum*; quò ſolebat ſeſe recipere, & ibi noctem tranſigere; *ſecuti ſunt autem illum & diſcipuli*, comitati ſunt euntem; quod Evangeliſta notat, ut poſtea omnes dicat diſperſos, cùm in Dominum manus injecerunt Judæi, ſicut prædixerat ipſe Dominus.

3 * 36. *Mt. Tunc venit Jeſus cum illis*, iter faciendo *in villam Gethſemani.* εἰς χωρίον, in locum, in prædium, cui nomen *Gethſemani.* Laborant interpretes in aſſignando hujuſce vocis etymo; alii hanc derivant à גיא־שמנים id eſt, *vallis olearum*: alii à גת־שמני quod ſonat *torcular olei*; ut *Gethſemani* fuerit locus torcularium oleaceorum ad baſim montis Oliveti, oleis feracis.

4 * J *Ubi erat hortus in quem introivit ipſe, & diſcipuli ejus.* ut ſolebat orationis cauſa. 5 * 2. *Sciebat autem & Judas qui tradebat eum, locum; quia frequenter Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis.* idcircò proditor ille promiſerat ſacerdotibus ſe illis traditurum Jeſum ſine tumultum, quem poterat deprehendere ſolum cum diſcipulis inter noctis tenebras. 6 * *Mt. Et dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic*, id eſt manete hìc, *donec Mt. vadam illuc, & orem.* orationis cauſa etiam à diſcipulis ſuis ſecedebat. *L. Orate ne intretis in tentationem*, cui cedaris victi. 7 * 33 *Mc. Et aſſumit Petrum & Jacobum & Joannem ſecum*, tres teſtes futuros rationis & doloris, ſimul & miniſterii quod Angelus illi exhibuit. Eoſdem elegerat teſtes ſuæ transfigurationis; ut ſicut de divina ejus natura, pariter & de humana teſtimonium reddere poſſent; tunc enim Jeſus ſe verè fuiſſe hominem demonſtravit doloris & triſtitiæ ſenſu. *& cæpit pavere*, id eſt, horrere quos ſciebat ſibi ſubeundos cruciatus. *& tædere Mt. contriſtari, & mæſtus eſſe.* nempe permittebat ut tunc temporis natura humana ſolitis in hac occaſione affectibus commoveretur, certum argumentum tali natura eſſe circumdatum. utrumque autem aſtruendum erat, & Deum, & hominem verè eſſe. τὸ ἀδημονεῖν, quod Latinus interpres reddit *mæſtus eſſe*, ſignificat præ mœrore penè animo concidere. Has autem horribiles pœnas ſuſtinebat Dominus, quòd lueret iram Dei in nos accenſam, quorum peccata in ipſo filio ſuo Pater ulciſcebatur. exhorruit itaque Chriſtus non mortem per ſe, ſed iram Dei in peccatum, cujus pondus illi noſtra cauſa ſuſtinendum erat.

8 * 38 *Mt. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, ut David Chriſti plerumque typum gerens, aiebat pſal. 115. *circumdederunt me dolores mortis*, id eſt, graviſſimi. ſic de Sampſone licèt fortiſſimo dicitur Jud. cap. 16. ℣. 16. *defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt.* ergo Dominus ſignificabat dolere ſe dolore graviſſimo. *ſuſtinete hic*, μείνατε ὧδε, manete hic, *& vigilate Mt. mecum* ut ſitis ſolatio. 9 * 39 *Mt. Et progreſſus puſillum, L. avulſus eſt ab eis quantùm jactus eſt lapidis*, ut liberiùs Patrem oraret: *& poſitis genibus orabat*, ſupplicum more, cum clamore valido & lacrymis, ut ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos dicit cap. 5. ℣. 7. Ita ab Apoſtolis, licèt ab eis avulſus jactu lapidis, audiri potuit. 10 * 42. *Dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me*, iſtam meam ſortem, id genus mortis duriſſimæ. Plerumque ſorte agri dividebantur. ſors mittebatur in urnam, in calicem; unde *calix* interdum ponitur pro ſorte quæ exibat ex calice, ſeu portione quæ contingebat. Orabat Chriſtus ut verus homo, infirmitatem carnis demonſtrare volens in carne ſua, ut ait Tertullianus. ideo hominum more animum à conſideratione decreti divini paululùm avertit, ſinens naturam humanam, partes ſuas agere, veluti non fuiſſet conjuncta cum divinitate, nec de divino decreto quicquam ſciviſſet. *Verumtamen non mea voluntas ſed tua fiat.* hiſce verbis docebat nos qua conditione liceat deprecari mortem & graviſſimos dolores.

11 * 43. *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum*, addens animum. ſicut ſubjecit ſe poteſtati hominum à quibus cruci affixus eſt, ita & permiſit ſe dolori, ut iiſdem commoveretur animus ejus affectibus, quibus quiſquis vir pius in tanto periculo ſubjacet. His autem ſe probabat hominem adverſus futuros de veritate carnis

ſuæ

ſuæ errores. quaſi autem deſtitutus divinitatis in ſe habitantis virtute, humanæque naturæ relictus, ac proinde modico tempore Angelis minor factus, opus habuit Angelorum ſolatio; quod in aliis etiam tentationibus Chriſti obſervare eſt. *MM. & procidit Mc. ſuper terram Mt. in faciem ſuam orans;* qua proſtratione oſtendebat animum dolore afflictum. *Et* 12. * *L factus in agonia, ἐν ἀγωνίᾳ,* in certamine, dum fortiùs impeteretur dolore, *prolixiùs, ἐκτενέστερον,* intenſiùs *Mc. L orabat.* apud Heſychinm nomen *ἀγωνία,* potiſſimùm denotat laborem viri periculosè decertantis in palæſtra. 13 * 36 *Mc. Et dixit, Abba pater;* ut habet Matthæus *Pater mi, Mt. ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* mors mitior contigat mihi. libera me ab hoc acerbiſſimo mortis genere. Videntur Hebræi Græco utentes ſermone retinuiſſe hanc vocem Syriacam *Abba,* quia naturaliter pueri eo ſono patres ſalutant; puerili ergo illa compellatione Patrem commovere volebat Jeſus. Judæi in Talmude ad titulum *Berachot,* cap. 11. obſervant nec ſervos, nec ancillas potuiſſe uſurpare vocem *Abba.*

14 * *Mc. Omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me: ſed non quod ego volo, ſed quod tu.* dum iteraret has preces, potuit adire diſcipulos ſuos; ut toties eos adierit, quoties eadem ſupplicia verba iteravit.

15 * 44. *L Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* non dicitur ſudor ſanguinis, ſed ſudor ſicut *θρόμβοι,* id eſt *grumi* ſanguinis; verus itaque erat ſudor, non tenuis tamen, ſed craſſus, quales eſſe ſolent grumi ſanguinis, id eſt ſanguis concretus. Sanctus Hieronymus, lib. 2. contra Pelagianos refert, multos Orthodoxos hanc hiſtoriam de Chriſti ſudore ſanguineo, & Angeli ad ipſum adventu planè ſuſtuliſſe; quia ſcilicet Ariani abutebantur hoc loco ad detrahendam Chriſto divinitatem; veluti fieri non poſſet, ut in humanam Chriſti naturam, quæ divinitati perſonaliter unita eſt, tam ingens triſtitia caderet. Alii ob particulam *ὡσεὶ, ſicut,* opinantur hæc dicta fuiſſe tantùm proverbialiter; ſicuti qui amarè flent, ſanguinem flere, & qui valdè laborant, ſudare ſanguinem dicuntur; ſed illa particla *ὡσεὶ*, non ſemper veritatem negat, imò perſæpe confirmat, ut alibi vidimus. Sudorem ſanguinem, ſive cruentum excrementum in quibuſdam morbis ſupervenire narrant medicorum pueri. ergo ut ſudor ordinarius & aqueus magnum laborem ſubſequitur, ita ob graviſſimam luctam Chriſtus perfuſus eſt ſanguineo, quia ſanguis in venis ſic incaluit, ut eruperit omnibus viis per quas ſudor effluit vulgò aqueus; nemo enim unquam laboravit ſub pari onere, quod Chriſtus ſubierat, factus peccatum, ſive hoſtia illa pro peccato, quæ onerabatur totius generis humani peccatis.

16 * 45. *Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, Mt. L invenit eos dormientes L præ triſtitia,* quæ cor contrahit, ac proinde prohibet ne vitales ſpiritus in ſenſuum meatus ejaculentur. 17 * 46. *Et ait illis: Quid dormitis* in tanto conſtituti periculo? *Surgite, orate, ne intretis in tentationem* cui cedatis. 18 * *Mc. Et ait Petro: Simon dormis? Mt. ſic,* id eſt, itane, *non potuiſtis una hora vigilare Mt. mecum?* mihi futuri ſolatio. 19 * 41 *Mt.* 38 *Mc. Vigilate,* non jam mea ſed veſtra cauſa, *& orate ut non intretis in tentationem,* id eſt, ne ſuccumbatis, tentationi. *ſpiritus quidem promptus eſt, caro Mt. autem infirma.* ibi per ſpiritum volunt deſignari tentatorem, ut ſenſus ſit: tentator animoſus eſt & potens; homo autem qui ſæpiùs caro dicitur, imbecillis; ſed *πνεῦμα πρόθυμον,* indicat ſpiritum, ſive animum promptum, agilem, & paratum ſubeundis periculis; ſed cui vires corporis non pares ſunt. ſe paratum ad omnia pollicitus erat Petrus, nondum expertus imbecillitatem carnis ſuæ, quæ plerumque ſpiritui non obſequitur. Ergo, inquit Chriſtus, animum quidem alacrem præ vobis tuliſtis, ſed metuenda ſemper eſt carnis infirmitas.

20 * 39 *Mc. Et iterùm abiens oravit, eumdem ſermonem dicens.* 42. *Mt. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* voces ſunt non ferentis tantùm quod vitari nequeat, ſed toto animo acquieſcentis, 21 * 43. *Et venit iterùm, & invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati ſomno,* cùm ob triſtitiam, tum quia plurima nox erat, *Mc. & ignorabant quid reſponderent ei,* quomodo ſe excuſarent. 22 * 44 *Mt. Et relictis illis iterùm abiit & oravit tertiò, eumdem ſermonem dicens,* dictas preces iterans.

23 * 41 *Mc. Et venit tertiò Mt. ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: dormite jam, & requieſcite.* per me jam vobis licet deinceps dormire, & requieſcere quantum lubet: ironia eſt. 24 * *Mc. Sufficit, ἀπέχει,* idem ſonat quod Latinis *habet,* ſive *peractum eſt, ἀπέχειν* ſæpè dicitur de eo qui nactus eſt quod ipſi debetur, nec habet quod plus poſtulet. Ita Chriſtus hoc loco converſationem ſuam cum diſcipulis finiturus, dicit imperſonaliter *ἀπέχει,* id eſt res noſtra finem ſuum nacta eſt quidquid converſationi noſtræ debetur, datum eſt. Vos porrò dormite, & quieſcite. ego abeo, & trador. *venit* enim *hora* ut non indigeam ulteriori miniſterio veſtro. *ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum:* ego mox tradar flagitioſis militibus, Gentilibus, qui potiſſimùm peccatores dicebantur. 25 * 46. *Mt.* 42 *Mc. Surgite eamus* obviàm peccatoribus illis, ne nos incautos ſe oppreſſiſſe dicant. *ecce Mc. qui me tradet, prope eſt,* ſcilicet Judas cum ſatellitibus.

CA-

CAPUT XXVII.

Judas Dominum oſculo prodit. Ipſe Dominus ſe tradit Judæis, & aurem reſtituit Malcho, quam ei abſciderat Petrus.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 26. ℣. 47-56.	MARC. Cap. 14. ℣. 43-52.	L. C. 22. ℣. 47-53.	J. C. 18. ℣. 3-11.
1 *Mc.* ET, *MM. L* adhuc eo loquente, *Mc.* ecce Judas *Mc.* Iſcariotes *MM. L* unus de duodecim.	47 Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim	43 Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes, unus de duodecim.	47 Adhuc eo loquente, ecce turba & qui vocabatur Judas, unus de duodecim....	3 Judas ergo
2 *J* † Cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus, & Phariſæis miniſtros, venit illuc, *MM.* & cum eo turba multa, cum gladiis & *Mt.* fuſtibus, *J* cum laternis & facibus & armis.	venit, & cùm eo turba multa, cum gladiis & fuſtibus,	& cum eo turba multa, cum gladiis, & lignis;		cùm accepiſſet cohortem, & a Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc, cum laternis, & facibus, & armis. † *Act.* 1. 16.
3 *Mt.* Miſſi à principibus ſacerdotum, *Mc.* & Scribis *MM.* & ſenioribus *Mt.* populi.	miſſi à principibus ſacerdotum & ſenioribus populi;	à ſummis ſacerdotibus & Scribis & ſenioribus,		
4 *Mc.* Dederat autem traditor ejus ſignum eis, *MM.* dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt; tenete eum, *Mc.* & ducite cautè.	48 Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum,	44 Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.	LUCAS.	
5 Et cùm veniſſet, *L* antecedebat eos.		45 Et cùm veniſſet,	antecedebat eos; & appropinquavit Jeſu	
6 *Mt.* Et confeſtim accedens ad Jeſum, *L* ut oſcularetur eum, *Mt.* dixit: *MM.* Ave Rabbi; † & oſculatus eſt eum.	49 Et confeſtim accedens ad Jeſum, dixit: Ave Rabbi; & oſculatus eſt eum.	ſtatim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum.	ut oſcularetur eum.	† 2. *Reg.* 20. 9
7 *Mt.* Dixitque illis Jeſus: Amice, ad quid veniſti?	50 Dixitque illi Jeſus: Amice, ad quid veniſti?		48 Jeſus autem dixit illi:	
8 *L* Juda, oſculo Filium hominis tradis?			Juda, oſculo Filium hominis tradis?	

JOANNES.

9 * 4 Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis?

10 * 5 Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus: Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipſis.

11 * 6 Ut ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

12 * 7 Iterùm ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jeſum Nazarenum.

13 * 8 Reſ-

13 * 8 Reſpondit Jeſus: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.

† Joan.17.12. 14 * 9 Ut impleretur ſermo, quem dixit: † Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
15 *Mt.* Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, *MM.* & tenuerunt eũ.	Tunc acceſſerũt, & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum.	46 At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eũ.		
16 *L* Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?			49 Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?	
17 *J* Simon ergo Petrus, *Mt.* unus ex his, qui erant cum Jeſu, extendens manum, exemit gladium ſuum,	51 Et ecce unus ex his qui erant cum Jeſu, extendens manum exèmit gladium ſuum,	47 Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladiũ,		10 Simon ergo Petrus, habens gladium eduxit eum:
18 Et percutiens ſervum principis ſacerdotũ, *J* abſcidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ſervo Malchus.	& percutiens ſervum principis ſacerdotum, amputavit auriculam ejus.	percuſſit ſervum ſummi ſacerdotis: & amputavit illi auriculam.	50 Et percuſſit unus ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.	& percuſſit pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ſervo Malchus.
19 *L* Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.			51 Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.	
20 *J* Dixit ergo Jeſus Petro: Mitte gladiũ tuum in vaginam, *Mt.* † Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt; *J* calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?	52 Tunc ait illi Jeſus: Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.			11 Dixit ergo Jeſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam, calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

† Gen.9.15. Apoc.13.10.

MATTHÆUS.

21 * 53 An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?

† Iſa.53.7.&.10. 22 * 54 † Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
23 In illa hora dixit Jeſus, *L* ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus Templi, & ſeniores: Quaſi *MM.L* ad latronem exiſtis cum gladiis, & *Mt.-L* fuſtibus *M.M.* comprehendere me.	55 In illa hora dixit Jeſus turbis: Tanquam ad latronẽ exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me:	48 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Tanquam ad latronẽ exiſtis cum gladiis & lignis comprehendere me?	52 Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus Templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus?

HAR.

HARMONIA.	MATTÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
24 *L* Cùm quotidie vobiſcum fuerim in Templo, non extendiſtis manus in me?	Quotidie apud vos ſedebam docens in Templo, & non me tenuiſtis.	49 Quotidie eram apud vos in Templo docens, & non me tenuiſtis.	53 Cùm quotidie vobiſcum fuerim in Templo, non extendiſtis manus in me:
25 Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.			Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.
26 *Mt.* Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcripturæ prophetarum. †	56 Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcripturæ prophetarum.	ſed ut impleantur ſcripturæ.	
27 † *Mc.* Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt.	Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. 57 *At illi &c. cap. ſeq.*	50 Tunc diſcipuli ejus relinquẽtes eum omnes fugerunt:	

† *Pſal.* 21. 7. & 68. 10. *Iſa.* 53. 12. † *Pſal* 87. 9.

L U C A S.

28 * 51 Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum.

29 * 52 At ille, rejecta ſindone, nudus profugit ab eis.

1 * 43 *Mc.* ET 47 *MM.* 4 *L adhuc eo loquente.* cùm nempe Jeſus diceret prope eſſe proditorem ſuum. *Mt. Ecce Judas Mc. Iſcariotes L unus de duodecim.* 2 * 3 *J Cùm accepiſſet cohortem*, τὴν σπεῖραν, *& à pontificibus & Phariſæis*, nempe à primariis judicibus ſynedrii *miniſtros, venit illuc, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus*, quæ ſe Romanis militibus adjunxerat. *J cum laternis, & facibus, & armis*; quod oſtendit quanto ardore Chriſtum quæſierint, & metuerint, ne elaberetur, qui plena luna tamen & faces & laternas attulerint, ut omnes latebras perreptarent. 3 * *Mt. Miſſi à principibus ſacerdotum, Mc. & ſcribis, & ſenioribus Mt. populi*: nempe à Synedrio Magno, quod, ut ſæpius vidimus, conſtabat ſacerdotum principibus & ſcribis, id eſt, viris literatis, quales erant plerique ex Phariſæis. multi etiam de populo ætate & ſapientia conſpicui numero ſenatorum adſcripti erant. Itaque Synedrii decreto prehenſio fiebat; ſed, ut videtur, annuente & adjuvante præſide Romano, qui dederat pleroſque milites ex illa cohorte, quæ ut ſcribit Joſephus, lib. 2. cap. 8. de bello conveniente multitudine ad diem feſtum azymorum in Hieroſolymam, ſtabat ſuper porticum Templi, ne quid novi moliretur multitudo. *Stabat*, inquit, idem ſcriptor, lib. 6. cap. 6. *ſemper in ipſa arce Antonia*, τάγμα, *cohors Romanorum: & diſpoſiti milites per porticum cum armis, diebus feſtis, populum, ne quid novaretur, obſervabat.* in Actis, cap. 21. ℣. 31. Cùm ortus eſſet tumultus, accurrit Tribunus cohortis χιλίαρχος τῆς σπείρης, nomen illud χιλίαρχος, ſignificat virum qui mille militibus præeſt. ſic cohors continebat mille milites; ſed ut dixi, non omnes cohortis milites, ſed plerique Jeſum prehendiderunt. Videntur Judæi poſt conſilium initum quomodo Jeſum tenerent & occiderent, à Pilato præſide petiiſſe milites, ut eum tanquam ſeditionis auctorem cum diſcipulis & ſectatoribus omnibus apprehenderent; nec populus miniſtris eorum, quos adjuvarent milites eripere eum poſſet, ut notat Auguſtinus, Tract. in Joan. 112. *Cohors*, inquit, *non Judæorum, ſed militum fuit à præſide. Itaque intelligitur accepta tanquam ad tenendum reum, ſervato ordine legitimæ poteſtatis, ut nullus tenentibus auderet reſiſtere.*

4 * 44. *Mc. Dederat autem traditor ejus ſignum eis*, qui de facie Jeſum non noverant, *dicens, quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt* Jeſus; *tenete eum, Mc. & ducite cautè*, ἀσφαλῶς, tutò. 5 * 45. Et *cùm veniſſet* in hortum, *L antecedebat eos*, ſciebat enim locum. 6 * 49. *Mt. Et confeſtim accedens ad Jeſum, L ut oſcularetur eum Mt. dixit: Ave Rabbi* χαῖρε, gaude, pax tibi magiſter, *& oſculatus eſt eum*, hoc ſigno demonſtrans quis eſſet prehendendus. 7 * 50. *Mt. Dixitque illi Jeſus: Amice, ad quid veniſti?* quo animo me oſculatum venis? Amicum vocat. ironia eſt, vel potiùs ingratitudinis objectio, quòd ex amico factus ſit proditor. acrem in ſe aculeum continet illud *amici* nomen; quaſi dicat, quem etiamnum diligis, aut cui te amicum fingis, hunc vis prodere. 8 * 48. *L Juda, oſculo filium hominis*, id eſt, me *tradis*, ſub pacis ſigno proditionem occultas? Teſtabatur Jeſus ſe divina cognitione præditum, unde poterat Judas agnoſcere hunc quem proderet, eſſe verè filium Dei.

9 * 4 *J Jeſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem*

quæ-

quæritis? Non ignorantia mali illorum conſilii interrogabat, qui ſciret omnia quæ ventura eſſent. 10 * 5. *Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum.* forſan non adverterant Judam oſculantem eum, quia obviàm Judæ proceſſerat, & ipſe Judas antecedebat milites, ut prior occurrerit Domino, cùm illi nondum adveniſſent. *dicit eis Jeſus. Ego ipſe ſum* Jeſus: *ſtabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipſis.* hæc in Evangelio ſuo addit Joannes, quia de oſculo Judæ non fuerat locutus. Redundant autem ibi, quia ex ante dictis ſatis liquet non abſuiſſe proditorem. 11 * 6. *Ut ergo dixit eis: ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*, perculſi voce ejus & majeſtate. Qui ſolo ſuo halitu difflabat inimicos, poterat, ſi voluiſſet, manibus eorum ſe ſubripere. *Ego ſum*, inquit, ſimulque impios dejicit. quid autem judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? utor verbis magni Auguſtini: quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? 12 * 7. *Iterùm ergo interrogavit eos: quem quæritis? illi autem*, cùm iſto miraculo moniti necdum reſipiſcerent, *dixerunt: Jeſum Nazarenum.*

13 * 8. *Reſpondit Jeſus: dixi vobis, quia ego ſum* Jeſus Nazarenus. *ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire* liberos & intactos. 14 * 9. *Ut impleretur ſermo quem dixit*: ita ut contingit quod prædixerat, alloquens Patrem ſuum, *quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, non ſive perire. Voluit Chriſtus ſingulari quadam cura præſtare nè duodenario teſtium ſuorum numero præter unum impuriſſimum quiſquam ſubduceretur. Pluribus placet hic Chriſtum loqui potiùs de animæ quàm de corporis perditione; quaſi noluiſſet eos comprehendi, ne ſupra vires tentarentur.

15 * *Mt. Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum*, ne elaberetur. 16 * 49. *L. Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futuram erat* ut caperetur, & traderetur manibus inimicorum ſuorum, *dixerunt ei, Domine, ſi percutimus in gladio?* id eſt, percutiemuſne? 17 * 10. J *Simon ergo Petrus, Mt. unus ex eis qui erant cum Jeſu*, id eſt unus ex diſcipulis Jeſu, non expectato reſponſo, an liceret percutere, *extendens manum, exemit*, eduxit vagina *gladium ſuum* eodem mentis ardore quo cætera, inquit Hieronymus. 18 * *Et percutiens ſervum principis ſacerdotum*, ſacerdotes enim militibus Romanis adjunxerant ſervos ſuos, J *abſcidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ſervo Malchus.* hunc nominat ut rem certam eſſe oſtendat.

19 * 51 *L. Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite*, ſatis eſt, *uſque huc* pro hucuſque. Hic conſiſtite, nec pergite lædere ò diſcipuli mei: Permittite, ut huc uſque in me ſæviant inimici. vel hæc potiùs ad milites dicta putanda ſunt. Sinite hucuſque, & abſtinete vim à diſcipulis meis, dum ego illum, qui læſus eſt, ſanavero. *Et cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.* tum ne calumnia ipſi strueretur, quaſi ſeditioſus eſſet, tum ut oſtenderet, ſe non invitum capi, & majeſtate ſua hoſtes opprimere potuiſſe, cujus in illa infirmitate, qua eum eſſe credebant, potentia tanta eſſet. 20 * 11. J *Dixit ergo Jeſus Petro, mitte gladium tuum in vaginam*, 52. *Mt. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* hæc Petro dicens, præcipiebat chriſtianis nè præriperent Deo ultionem. Cui præcepto paruerunt primi chriſtiani, quando ob cauſam religionis injuriam pertulere. Ita autem expendens D. Ambroſius inducit Petrum ſic loquentem: O Domine, cur me emere jubes gladium, & ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi: niſi fortè ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria, ut videaris potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe? J *Calicem quem dedit mihi, non bibam illum?* vin' tu prohibere quominus impleam quod Patri placet? 21 * 53. *Mt. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum*, ut mittat mihi angelos auxilio, *& exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones angelorum?* id eſt, ſufficientes copias quibus poſſem vincere omnes adverſarios, ſi hìc de tali victoria ageretur. Loco duodecim Apoſtolorum pluſquam duodecim legiones angelorum præſtaret. Sex millia militum erant in una legione; aliquando plura, aliquando etiam pauciora. 22 * 54. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ*, ex quarum vaticinio diſcere debueratis, *quia ſic oportet fieri*: oportet pati Chriſtum manibus impiorum; quibus ergo permittendus.

23 * 55. *In illa hora dixit Jeſus L. ad eos qui venerant ad ſe principes ſacerdotum & magiſtratus*, ϛρατηγὺς, id eſt, præfectos militiæ Templi, *& ſeniores*, quorum nomine milites & miniſtri venerant ad apprehendendum eum, in perſona militum compellabat Jeſus ſacerdotes à quibus illi miſſi fuerant, ſed etiam fieri poteſt ut quidam viri primarii, permixti fuerint militibus & miniſtris. Tunc ergo à Petro convertens Jeſus ſermonem ad ſacerdotes, ſive ad illorum miniſtros dixit, *quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis & Mt. L fuſtibus comprehendere me.* quid iſtis armis, iſta vi opus erat? non ut latro latitavi in latibulis; aut armorum præſidio uſus ſum? 24 * 53 *L. cùm quotidia* καθ' ἡμέραν, id eſt, interdiu *vobiſcum fuerim in Templo, MM. docens, L non extendiſtis manum in me?* ſi verè reus, cur palàm de me pœnas repetère non auſi eſtis? 25 * *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* advenit tempus quo vobis, &, per vos tenebrarum principi poteſta in me conceditur, ut impleantur vaticinia; quæ poteſtas hacterus vobis

negata

Digitized by Google

negata fuerat ; alioquin interdiu palàm inter vos agentem comprehendiſſetis ſine armis, ſine ullo ſtrepitu. oſtendebat Chriſtus hanc ſui in manus impiorum traditionem , non ipſorum induſtriæ, aut viribus adſcribendam, nec ignorantiæ , nec imbecillitati ſuæ , ſed divinæ providentiæ & voluntariæ ſubjectioni.

26 * 56 *Mt. Hoc autem totum factum eſt*, *ut adimplerentur ſcripturæ prophetarum*, ex quarum vaticinio, ut dictum eſt, oportebat Chriſtum pati. 27 * 50 *Mc. Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt*, timore perculſi. 28 * 51 *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum* de Apoſtolorum grege , ut quidam autumant ; alii ſentiunt aliquem fuiſſe è proxima villa , quem ſtrepitus militum excitaverat, è lecto, *qui amictus ſindone ſuper nudo*, ſcilicèt corpore ; ſive non alia veſte indutus quàm cubitoria, turbam militum ſequebatur , ut juvenes ſunt curioſi. Sindon erat linea. nocturnas autem veſtes fuiſſe lineas indicant illa Dionyſii Alexandrini Epiſcopi apud Euſebium Hiſt. eccleſ. lib. 6. cap. 40. *Equidem ſcis Deus*, *ut primò exiſtimans latrones eſſe ad prædam rapi-* *namque venientes*, *inque lectulo manens ubi nudus eram in linea veſte*, γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐνδύματι, *reliquam veſtem*, *quæ prope ſita erat*, *illis porrexerim*. vides ut ſe dicat nudum in linea veſte, non quaſi prorſus nudus, ſed quia prope nudus.

Et tenuerunt eum adoleſcentem ; qui quaſi nudus erat, ſolùm indutus ſindone, id eſt tunica linea, *n'ayant que ſa chemiſe*, nempe prehenderunt eum milites : vel ut hodiernus codex habet οἱ νεανίσκοι, juvenes milites appellantur à Græcis νεανίσκοι. 29 * 52 *At ille rejecta ſindone*, qua tenebatur ; laxa enim eſt linea tunica *nudus profugit ab eis*. ſtatim dilapſi erant omnes Apoſtoli ; hunc verò adoleſcentem , quem diſcipulum Jeſu credebant milites, ideò voluerant prehendere. quod ab Evangeliſta obſervatum credo , ut conſtaret omnes diſcipulos aufugiſſe ; & neminem cum Jeſu captum. Quis verò fuerit hic juvenis , quærere vanum eſt ; nec enim illud ſciri poteſt. ſuſpicantur quidam fuiſſe Joannem Chriſto dilectum. ſed quare id temporis fuiſſet Joannes nudus, aut prope nudus?

CAPUT XXVIII.

Jeſus adducitur vinctus ad Annam, à quo ad Caipham mittitur. Afficitur contumeliis.

JOANNES, Cap. 18. ℣. 12—24.

1 * 12 COhors ergo & tribunus ; & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum & ligaverunt eum ;

2 * 13 Et adduxerunt eum ad Annam primùm ; erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.

3 * 14 Erat autem Caiphas qui conſilium dederat Judæis : Quia expedit unum hominem mori pro populo.

HARMONIA.	MAT. Cap. 26. ℣. 57-68.	MARC. Cap. 14. ℣. 53-65.	LUCAS Cap. 22. ℣. 54.55.& 63-65.	JOANNES.
4 *Mt.* At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, ubi *Mc.* omnes ſacerdotes, &	57 At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, ubi	53 Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem :	54 Comprehendentes autem eũ, duxerunt ad domum principis ſacerdotum :	
MM. Scribæ, & ſeniores *Mt.* convenerant.	Scribæ, & ſeniores convenerant.	& convenerunt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores,		
5 Petrus autem ſequebatur eum à longè, *J* & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici : & introivit cum Jeſu in atrium pontificis.	58 Petrus autem ſequebatur eum à longè	54 Petrus autem à longè ſecutus eſt eum,	Petrus verò ſequebatur à longè,	15 Sequebatur autẽ Jeſum Simõ Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici : & introivit cum Jeſu in atrium pontificis.
	uſque in atrium principis ſacerdotum,			

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
6 Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum *Mc.* uſque intrò in atrium ſummi ſacerdotis.		uſque intrò in atrium ſummi ſacerdotis,		16 Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.
7 *J* Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum.				17 Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum.
8 Stabant autem ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, *L* accenſo igne in medio atrii, *J* & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciēs ſe *Mc.* ad ignē.	Et ingreſſus intrò ſedebat cum miniſtris,	& ſedebat cum miniſtris ad ignē, & calefaciebat ſe.	55 Accenſo autem igne in medio atrii,	18 Stabant autem ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe; erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe.
9 *L* Et circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, *Mt.* ut videret finem.	ut videret finem.		Et circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.	

J O A N N E S.

✝. 19. 10 * 19 ✝ Pontifex ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus.

11 * 20 Reſpondit ei Jeſus: ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil.

12 * 21 Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.

13 * 22 Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici?

14 * 23 Reſpondit ei Jeſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?

15 * 24 Et miſit (ἀπέστειλεν, *miſerat*,) eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
✝ *Act.* 6, 13. 16 *Mc.* ✝ Princeps autem ſacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent.	59 Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonim contra Jeſum, ut eum morti traderent.	55 Summi verò ſacerdotes, & omne concilium, quærebant adverſus Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant.
17 Et non invenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent.	60 Et non invenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent.	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	
18 *Mc.* Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum, & convenientia teſtimonia non erant.		56 Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum, & convenientia teſtimonia non erant.	
19 *Mt.* Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes.	Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes.		
20 *Mc.* Et ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes:	61 Et dixerunt:	57 Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes:	
21 Quoniam audivimus eum dicentem: *Mt.* † Poſſum deſtruere Templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.	Hic dicit: Poſſum deſtruere Templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.	58 Quoniam nos audivimus eum dicentem:	† *Ioan.* 2. 19.
22 *Mc.* Ego diſſolvam Templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.		Ego diſſolvam Templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.	
23 Et non erat conveniens teſtimonium illorum.		59 Et non erat conveniens teſtimonium illorum.	
24 Et exurgens ſummus ſacerdos in medium interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?	62 Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur?	60 Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his?	
25 Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?	63 Jeſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi:	61 Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?	
26 *Mt.* Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei?	Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei?		
27 Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti: *Mc.* Ego ſum.	64 Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti:	62 Jeſus autem dixit illi, Ego ſum:	
28 *Mt.* † Veruntamen dico vobis, amodò *MM.* videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem *Mt.* in *MM.* nubibus cœli.	veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.	& videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.	† *Rom.* 14. 10. 1. *Theſſ.* 4. 4. 2. *Theſſ.* 1. 10. *Apoc.* 1. 7.
29 *Mt.* Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus?	65 Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam:	63 Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes? 64 Audiſtis blaſphemiam:	
30 *Mc.* Audiſtis blaſphemiam. *MM.* Quid vobis videtur? *Mt.* At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.	66 Quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.	Quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.	
31 † Tunc expuerunt in faciem ejus.	67 Tunc expuerunt in faciem ejus.	65 Et cœperunt quidam conſpuere eum,	† *Iſa.* 50. 6. *Iob.* 16. 10.11.

† *Ioh.* 16. 10. *Iſa* 50. 6.

HARMONIA.	MATTÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
32 *L* † Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.			63 Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes.
33 Et velaverunt eum, *Mc.* & colaphis eum cæciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, *L* & interrogabant eum.	& colaphis eum eciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt.	& velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza, & miniſtri alapis eum cædebant.	64 Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum,
34 *Mt. L* Dicentes: Prophetiza *Mt.* nobis Chriſte, *Mt. L* quis eſt qui te percuſſit?	68 Dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?		dicentes: Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit?

L U C A S.

35 * 65 *L* Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.

1* 12 J Cohors *ergo & tribunus*, ἡ σπεῖρα ϗ ὁ χιλίαρχος. id eſt, cohors & cohortis præfectus, qui χιλίαρχος dicebatur, id eſt ductor mille militum; qui enim præerat toti legioni cujus pars cohors, dicebatur *Tribunus*; ita non Tribunus, ſed Chiliarchus nominandus erat; ſed voce ignota, inquiunt, abſtinuit vulgatus interpres, liberè uſus voce non omninò propria. Prætereà Gerardus Voſſius ex Cæſare, lib. a. bell. civil. & ex Plinio, lib. 3. epiſt. probat etiam Chiliarchos, ſive cohortium præfectos fuiſſe appellatos Tribunos; nec enim unus uni legioni Tribunus præerat, ſed ſenis commune imperium; qui per vices legionem regerent. Cohors igitur & Tribunus, σπεῖρα ϗ ὁ χιλίαρχος, *& miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum*: quia Jeſus olim ſe ſubduxerat manibus eorum qui apprehendere voluerant.

2* 13 *Et adduxerunt eum ad Annam primùm*, honoris cauſa & forſan ex occaſione domus Annæ quæ occurrebat in itinere, vel ut oculos Annæ tali ſpectaculo paſcerent. *Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius*, qui eo tempore pontificatum gerebat; quod notat Evangeliſta, quia nutu Romanorum adlegebantur, vel dignitate movebantur ſummi pontifices. 3* 14 *Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Judæis, quia expedit, unum hominem mori pro populo.* in memoriam Joannes reducit dictum hujus Caiphæ memoratum capite undecimo, ut inde intelligatur quanto ille odio in Chriſtum incenſus fuerit, ut qui nulla alia prolata cauſa, prætextu utilitatis publicæ, & quidem imaginario, interficiendum eum pro ſententia auſus eſſet dicere. Pertinet autem hoc tum ad elevandam judicii in Chriſtum habiti auctoritatem, tum ad oſtendendum, quòd Chriſtus non pro ſe, ſed pro aliorum ſalute innocens paſſus ſit.

4* 57 *Mt. At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum.* ibi prætermittit Matthæus cum Marco & Luca Jeſum primò ductum ad Annam; quia idem Joannes, qui Annæ mentionem facit, notat ſtatim ab eodem Anna Jeſum miſſum ad Caipham; ut milites Jeſum non fuerint ante Annam; ſed ſolùm oſtenderint, ut viro primario rem gratam facerent. Igitur cohortis præfectus cum miniſtris Judæorum duxerunt Jeſum ad Caiphæ ſummi ſacerdotis domum, *ubi Mc. omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores Mt. convenerant.* his verbis deſcribitur magnum Synedrium, cujus ſedes ordinaria erat in Templo; ſed cùm noctu ſedere in Synedrio non eis liceret, Caiphas donec illuceſceret, in ædibus ſuis judices coegerat; manè autem, ut poſteà videbimus, in conſuetam Synedrii ſedem convenerunt, judicium laturi adverſus Jeſum.

5* 58 *Petrus autem ſequebatur eum à longè*, ex fuga retractus, animoque recepto. J *& alius* prætereà *diſcipulus*. quis ille fuerit planè incertum. Volunt aliqui Joannem hic ſuppreſſo ſuo nomine ſe per periphraſim notare. ſolet quidem Joannes diſcipulum ſe vocare; tunc verò addit, *quem diligebat Jeſus.* non ergo diſcipulus ille pro Joanne haberi poteſt; cur enim & ipſe Galilæus minùs interrogatus eſſet ab aſtantibus quàm Petrus? Diſcipulus ille videtur fuiſſe aliquis Hieroſolymitanus Jeſum ſed clam ſectatus, *qui ut popularis, erat notus pontifici, & introivit cum Jeſu*, id eſt, cum his qui Jeſum vinctum tenebant *in atrium pontificis*, εἰς τὴν αὐλὴν, in aulam, locum ſubdialem cujus diſpoſitionem exponemus, capite ſequenti.

6* 16 Pe-

6 * 16. *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris*, non admiſſus inter domum. *Exivit ergo diſcipulus alius*, ille *qui erat notus pontifici*. *Et dixit oſtiariæ*, ut introduceret, *& introduxit Petrum Mc. uſque intrò in atrium ſummi ſacerdotis*, in ipſam aulam interiorem ædium ſummi ſacerdotis. 7 * 17] *Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria*: *Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum*. hanc primam negationem ſubjicit Joannes ſtatim dum oſtiaria admiſit Petrum: Matthæus dum Caiphas Chriſtum interrogaret, & interea miniſtri ejus ſe calefacerent in atrio. modò hunc nodum ſolvemus.

8 * 18 *Stabant autem ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat*; etiam tempore paſchali maximè noctu, qui in terra ſancta peregrinati ſunt, teſtantur expertos fuiſſe non minimum frigus. Stabant ergo miniſtri 55 *L accenſo igne in medio atrii*, in media ſubdiali aula; cùm enim ut Philander annotat in lib. 7. cap. 3. Vitruvii apud veteres cubicula conclaviave non haberent ſpiracula, ſive gulas, quæ vulgo camini dicuntur, Latinè verò infumibula nominari poſſunt, focus extra conclavia commodiùs ſtruebatur,] *& calefaciebant ſe, erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe Mc. ad ignem*, πρὸς τὸ φῶς, ad lucem. Duæ illæ voces Hebraicæ אור *ur* ignis, & אור *or*, lux, nec ſono, nec re multùm differunt; ita φῶς, *lux*, ibi accipi poteſt pro *igne*, in cujus luce, licèt nox eſſet, Petrus agnoſci potuit à miniſtris, puta ſacerdotum; non verò à militibus Romanis; neque enim gentiles, admiſſi fuerant ſub tectum ſummi ſacerdotis. 9 * *L & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum*, his admixtus, ſtans ſecundùm Joannem, ſedens ſecundùm Matthæum & Marcum, ſed liquet non ideo ſecum pugnare; omnes enim tantùm indicare volunt Petrum tunc temporis ſe adjunxiſſe miniſtris. *Stare & ſedere*, ibi ponuntur pro *manere*; nec ad rem facit ſtatio, aut ſeſſio Petri: ibi autem erat *Mt. ut videret finem*.

10 * 19] *Pontifex ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ſuis*, cur diſcipulos colligeret, *& de doctrina ejus*, quænam ea eſſet; tacitè indicans eſſe factioſam & ſeditioſam. 11 * 20. *Reſpondit ei Jeſus: ego palàm locutus ſum mundo*, coram omnibus qui audire vellent. *ego ſemper*, id eſt, aſſiduè, ſæpiſſimè *docui in ſynagoga*, id eſt, in conventu Judæorum, *& in Templo*, quò undique *omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil*: quòd ſcilicèt vetuerim proferri in publicum; aut poſteà ipſe non docuerim, vel per meos doceri juſſerim. 12 * 21. *Quid ergo me interrogas* cui non habes fidem? *Interroga eos qui audierunt, quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego*. appellat ad auditores, eoſque inimicos. Hoc jubet lex à teſtibus incipi, præſertim ubi multi ſuppetunt; audierant eum Phariſæi cum innumeris Judæis; appellat ergo jus & normam uſitatam, nempe ut primùm evocentur, & audiantur teſtes pro parte defenſoria; ut ipſi Judæi docent in tractatu Talmudis Sanhedrin. *Ordiuntur judicia capitalia à parte defenſoria &c.*

13 * 22 *Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens: ſic reſpondes pontifici?* ſic ſolent facere qui tyrannis adulantur. 14 * 23 *Reſpondit ei Jeſus: ſi malè locutus ſum*, ſi quid dixi contumelioſius in Pontificem, *teſtimonium perhibe de malo*, accuſa ut cauſa dicta plectar. *ſi autem benè, quid me cædis?* quid ſit ῥάπισμα, quod nomen Latinus interpres reddit *alapa*, diſputant periti; quia ῥαπίζειν, unde ῥάπισμα, ex Heſychio bacillo ſit verberare cum contumelia. Quidquid ſit, plaga eſt invehens dedecus; unde in Miſna Judæi ducentis drachmis mulctant eum, qui alteri alapam infringat. Cùm autem Dominus ſic reſpondet miniſtro à quo fuerat percuſſus, explicuit hac re ſuam de præbenda altera maxilla percutienti mentem. Demonſtrantur enim, inquit B. Auguſtinus, maxima illa præcepta patientiæ non oſtentatione corporis, ſed cordis præparatione facienda: fieri enim poteſt, ut alteram maxillam viſibiliter præbeat & iratus. quantò ergo melius & reſpondet vera placatus, & ad perferenda graviora tranquillo animo paratus?

15 * 24. *Et miſit*, ἀπέστειλεν, *miſerat*. cùm Hebræi non habeant illa diſcrimina præteriti temporis uſitata in lingua Græca & Latina, efficitur, ut Græco ſermone loquentes perfectum pro pluſquam perfecto uſurpent: ut hìc *miſit* pro *miſerat*. occurrent hujuſce hebraiſmi paſſim exempla. Inſtar omnium ſit illud Matthæi cap. 14. ℣. 3. de Herode qui ἔδησεν, *alligavit* pro *alligaverat* Joannem. Itaque cùm Joannes non dixiſſet deductum Jeſum domo Annæ ad Caipham, nunc ſubjicit abrumpens orationem ſuam, ut fieri ſolet; quando quod prætermiſſum fuerat, ſubiit mentem. Igitur hæc verba, *& miſit eum Annas &c.* per parentheſim eſſent legenda.

16 * 59. *Mt. Principes autem ſacerdotum & omne concilium*, τὸ συνέδριον, id eſt; omnes magni Synedrii judices qui apud Caipham convenerant, *quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent*, aliqua juris ſpecie; 18 * 60. *Et non invenerunt*, nempe idoneum teſtem, *cùm tamen multi falſi teſtes acceſſiſſent*, 18 * 56. *Mc. Multi enim* ultrò *falſum teſtimonium dicebant adverſus eum, & convenientia teſtimonia non erant*. καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν, id eſt, non tam gravia erant, ut æquarent votum pontificum, quæ tentium teſtimonium non qualecumque, ſed quod ad mortem valeret. Ibi ergo ἴση μαρτυρία, eſt teſtimonium ad probationem

Digitized by Google

ejus, quod quæritur ſufficiens. non ergo hujuſce loci ſenſus eſt, teſtimonia inter ſe diſcrepaſſe; ſed *conveniens* ibi idem ſonat, quod *congruens*, idoneum.

19 * *Mt. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes*; nam ſingulare teſtimonium nullo caſu lex admittebat. 20 * 57 *Mc. Et ſurgentes*, in medium prodeuntes *falſum teſtimonium ferebant adverſus eum*; depravabant enim ejus verba, *dicentes*: 21 * 58. *Quoniam audivimus eum dicentem*: *Mt. poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud*. non autem dixerat, *poſſum deſtruere*, ſed *deſtruite hoc Templum*, in quo multum eſt diſcriminis. Controverſum erat apud Judæos, an cuiquam liceret ſæva vaticinia contra Templum proferte; nam in Jeremia id capitale judicabant Sacerdotes & Prophetæ; & in Stephani accuſatione primum eſt: *non ceſſat verba blaſphema loqui adverſus locum ſanctum*. ſed loquebatur Dominus de corpore ſuo, in quo cùm inhabitaret divinitas, Templum verè erat. Igitur falſo teſtimonio petebatur; non enim dixerat, quod teſtes ab eo dictum mentiebantur. 22 * *Mc. Ego diſſolvam Templum hoc manu factum, & per triduum*, intra tres dies, *aliud non manu factum ædificabo*. loquebatur inquam, de corpore ſuo; 23 * 59. *Et licèt de Templo id dixiſſet*, *non erat conveniens teſtimonium illorum*, *ἴση ἡ μαρτυρία*, id eſt, par, ſufficiens probationi; non enim erat crimen morte dignum, ſed inanis tantùm jactantia. nec Templo injuriam intuliſſet, ſi illud à ſe deſtructum triduò in melius reſtauraſſet,

24 * 60. *Et exurgens ſummus ſacerdos in medium*, ira enim præceps & impatiens de ſolio pontificem excutit, inquit Hieronymus, *interrogavit Jeſum, dicens: non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his*. volebat aliquid ex ore ejus elicere, quod magis eum oneraret, quàm illa falſa & inanis criminatio. 25 * 61. *Ille autem tacebat, & nihil reſpondit*; quòd ſciret quidquid tandem reſpondiſſet, torquendum ad calumniam, ſive ad defenſionem ſe prolici tantùm, ut ex defenſione crimen eliceretur. præterea quæ objiciebant teſtes, erant ejuſmodi ut refellere ea non opus eſſet,

Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Patet ex eo loco, quem Meſſiam Judæi expectarent, hunc credidiſſe filium Dei; de cujus divina generatione viri pii edocti erant à Deo; cæteri quo ſenſu alius Dei diceretur Meſſias, forſan nec quærebant. 26 * *Mt. Adjuro te*, *ἐξορκίζω σε*, obteſtor te *per Deum vivum*, per glorioſum nomen Dei, ut veritatem proferas, cujus ſit Deus teſtis & judex. Interpoſito jurejurando, & Dei auctoritate præcipio, ut intelligas te coram Deo conſiſtere, & velut à Deo ipſo interrogari. Peto à te *ut dicas nobis* jurando per Deum, *ſi tu es Chriſtus filius Dei?* Eliciebat confeſſionem, quæ eum faceret reum coram judicibus, qui ideo eum prehenderant, quia ſe Dei filium diceret.

27 * 64. *Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti*; id eſt tuis ipſius verbis hoc affirmas. Ex te iſta audis 62 *Mc. Ego ſum*. ſubaudi, quem me eſſe dicis, quod relinquebat cogitandum. 28 * *Mt. veruntamen*, quæ adverſativa particula admonet aliquid ſubtíceri; puta, quamquam mihi Chriſtum me affirmanti non creditis, veruntamen *dico vobis*, *amodò* ab hoc tempore, deinceps *videbitis Filium hominis*, hunc hominem quem contemnitis *ſedentem à dextris virtutis Dei*, nempe participem divinæ potentiæ, quod experiemini maximè, cùm videbitis eum *& venientem Mt. in nubibus cæli*, omnium hominum judicem.

29 * 65. *Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens, blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus?* hoc facere Judæi ſolebant, quoties verba audirent in Deum contumelioſa, præſertim prolata ab homine Hebræo. Errant autem qui putant Pontifici maximo non licuiſſe ullo caſu veſtem lacerare. nam interdictum quod in Levitico bis extat, ad cauſam funebrem pertinet, ut antecedentia & conſequentia oſtendunt; alioqui in luctu publico etiam Pontifex maximus diſcindebat veſtimenta, Clarum id ex 1. Mach. cap. 11. ℣. 71. ubi Jonathan Pontifex Maximus poſt cladem acceptam in Cades Galilææ narratur dilaceraſſe veſtimenta ſua. Exemplum aliud occurrit apud Joſephum libro ſecundo de bello; ſed notant Hebræorum magiſtri Maximo Pontifici id fuiſſe proprium quòd veſtem ab inferna parte laceraret, cùm à ſuperna alii ſolerent,

30 * 64 *Mc. Audiſtis blaſphemiam*. 66 *MM. Quid vobis videtur? Mt. At illi reſpondentes, dixerunt: reus eſt mortis*, blaſphemiam vocat, quòd Jeſus ſe Chriſtum profiteretur. & ſanè erat, niſi Chriſtus fuiſſet. Nam qui ſibi eam poteſtatem falsò arrogat, in Deum eſt contumelioſus, At hoc quæſitum oportuit, utrùm in ipſum vaticinia non congruerent, nec ſatis apertis miraculis probaſſet ſe Chriſtum. His prætermiſſis, pro manifeſto ſumunt Jeſum *Chriſtum* eſſe non poſſe; his futilibus nixi argumentis, quòd Nazareth natus crederetur, quòd origo ejus paterna & materna, ut putabant, nota omninò eſſet; præcipuè verò quòd fabrilem artem exercuiſſet, nihilque externi apparatus ſecum ferret, Ergo ut omnimodè ſignificarent Judæi neutiquam illum habere pro Chriſto, 31 * 67. *Tunc expuerunt in faciem ejus*. quod erat contemptus ſignum frequens apud Hebræos, ut videre eſt in ſcriptura. Num. cap. 12. ℣. 14. & Deuter. cap. 25. ℣. 9.

32 * 63 *L. Et viri qui tenebant illum*, nempe qui apprehenderant, *illudebant ei, cædentes*

eum

eum pugnis & palmis; 33 * 64. *Et velaverunt eum*, ne videret à quibus cædebatur. *Mt. & colaphis eum ceciderunt*; ἐκολάφισαν, maxillam ejus percutiebant pugno, ſeu compreſſa manu; ut Græci ſcholiaſtæ interpretantur κολαφίζειν. *alii autem palmas in faciem ejus dederunt*, ἐῤῥάπισαν; vel, ut alii volunt, bacillis ceciderunt. ſic Beza interpretatur verbum Græcum. Apud Heſychium quidem, ut jam dixi ῥαπίζειν, eſt virga cædere. ῥαπὶς proprié eſt baculus; ſed & illud verbum ut Suidas explicat, eſt percutere maxillam ἁπλῇ τῇ χειρὶ, ſimplici manu: palmas in faciem dare. Ea in ſignificatione hoc verbum uſurpatur apud Matthæum, cap. 5. ℣. 39. ſi quis te ῥαπίσει, percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. nec enim conſuetudo fert, ut maxillas feriamus bacillis, ſed alapis. *& interrogabant eum*, 34 * 68 *Mt. L dicentes* illudendo: *Prophetiza Mt. nobis Mt. L quis eſt qui te percuſſit?* propheta enim es. acerbiſſima ironia; 35 * 65 *L Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* omni contumelia Dominum afficiebant.

CAPUT XXIX.

Petrus Dominum ter negat, poſt galli cantum verborum Domini memor, exit flens amarè.


HARMONIA.	MAT. Cap. 26. ℣. 69-75.	MARC. Cap. 14. ℣. 66-72.	LUCAS Cap. 22. ℣. 56-62.	JOAN. Cap. 18. ℣. 25-27.
1 *Mt.* PEtrus verò ſedebat foris *MM.* in atrio *Mc.* deorſum, *J* ſtans, & calefaciens ſe.	69 Petrus verò ſedebat foris in atrio:	66 Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum,		25 Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe.
2 *Mt.* Et acceſſit ad eum *Mc.* una ex ancillis ſummi ſacerdotis.	& acceſſit ad eum una ancilla, dicens:	venit una ex ancillis ſummi ſacerdotis:		
3 Et cùm vidiſſet Petrum *L* ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita *Mc.* calefacientem ſe,		67 Et cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait:	56 Quem cùm vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita,	
4 *L* dixit: Et hic cum illo erat: *MM.* Et tu cum Jeſu *Mt.* Galilæo *MM.* eras.	Et tu cum Jeſu Galilæo eras.	Et tu cum Jeſu Nazareno eras.	dixit: Et hic cum illo erat.	
5 *MM. L* At ille negavit *L* eum *Mt.* coram omnibus *MM. L* dicens:	70 At ille negavit coram omnibus, dicens:	68 At ille negavit, dicens:	57 At ille negavit eum, dicens:	
6 *L* Mulier, non novi illum: *Mc.* neque ſcio, neque novi quid dicas.	Neſcio quid dicis	Neque ſcio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium,	Mulier, non novi illum:	
7 Et exiit foras ante atrium, (εἰς προαύλιον, *in veſtibulum atrii*,) & gallus cantavit.		& gallus cantavit,		

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
8 *Mc.* Exeunte autem illo (εἰς πυλῶνα, *in veſtibulum*) januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jeſu Nazareno; *J* dixerunt ergo ei: Numquid] & tu ex diſcipulis ejus es?	71 Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jeſu Nazareno.	69 Rurſus autem cùm vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt.	58 Et poſt puſillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es.	Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis ejus es? Negavit ille, & dixit:
8 *Mt.* Et iterùm negavit cum juramento: *J* Non ſum: *Mt.* quia non novi hominem.	72 Et iterùm negavit cum juramento: Quia non novi hominem.	70 At ille iterùm negavit.	Petrus verò ait: O homo, non ſum.	Non ſum.
10 *MM.* Et poſt puſillum, *Mc.* rurſus, *L* & intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam *J* unus ex ſervis pontificis, cognatus ejus, cujus abſcidit Petrus auriculam,	73 Et poſt puſillum	Et poſt puſillum rurſus,	59 Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam	26 Dicit ei unus ex ſervis Pontificis cognatus ejus, cujus abſcidit Petrus auriculam:
11 *L* affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt. *J* Nonne ego te vidi in horto cum illo?			affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt.	Nonne ego te vidi in horto cum illo?
12 *Mt.* Acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam *Mc.* & Galilæus es; *Mt.* & loquela tua manifeſtum te facit.	acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam & loquela tua manifeſtum te facit.	qui aſtabant dicebant Petro: Verè ex illis es; nam & Galilæus es.		
13 *J* Iterùm ergo negavit, *L* & ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis.			60 Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis.	27 Iterùm ergo negavit Petrus:
14 *Mt.* Tunc cœpit deteſtari, *Mc.* anathematizare, *MM.* & jurare *Mc.* quia non noviſſet hominem; *Mc.* quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis.	74 Tunc cœpit deteſtari, & jurare quia non noviſſet hominem.	71 Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis.		
15 Et ſtatim, *L* adhuc illo loquente *Mc.* iterum *MM. L J* gallus cantavit.	Et continuò gallus cantavit.	72 Et ſtatim gallus iterum cantavit.	Et continuò adhuc illo loquente cantavit gallus.	& ſtatim gallus cantavit.
16 *L* Et converſus Dominus reſpexit Petrum.			61 Et converſus Dominus reſpexit Petrum.	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
17 *MM. L* Et recordatus eſt Petrus verbi, *Mc.* quod dixerat ei Jeſus, *MM. L* prius quàm gallus cantet *Mc.* bis, *MM. L* ter me negabis.	75 Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu quod dixerat: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis.	Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Jeſus, Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis.	Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis.
18 *Mt. L* Et egreſſus foras *L* Petrus, *Mc.* cœpit flere, *Mt. L* flevit amarè.	Et egreſſus foras flevit amarè.	Et cœpit flere.	2 Et egreſſus foras Petrus, flevit amarè.

Ichonographia ædium ſummi Pontificis.



DUM interrogaretur Dominus à Caipha, dum cæderetur colaphis, & afficeretur contumeliis, interea negabat eum Petrus. quod Lucas & Joannes ante has omnes contumelias incipiunt narrare, poſt illas verò Matthæus & Marcus, qui trinas Petri negationes una nec interpellata narratione referunt; quod & nos facimus harum negationum hiſtoriam texentes, Priùs autem decet cogitare ædes procerum Judæorum, & Caiphæ fuiſſe aliquo modo ſimiles monachorum clauſtris. obvium erat veſtibulum πυλὼν; quam vocem vulgatus interpres Matthæi reddit *janua*. Poſt veſtibulum erat locus ſubdialis, nempe aula; unde Marcus, id quod di-

dicitur à Matthæo πυλὼν, vocat προαύλιον, locum ante aulam. Talium ædium Ichnographiam, ſive veſtigium oculis tui ſubjicimus, lector. ibi cernis αὐλὴν, atrium, ſic appellatur locus ſubdialis; quod advertendum, nam apud Romanos, & ideo apud eorum ſcriptores atria occurrebant quidem ſtatim ab interiori janua introeuntibus; ſed plerumque tecta erant. Verùm apud Hebræos חצר athzer, locus erat ſubdialis, in quo חציר athzir, id eſt, fœnum naſci poteſt. nomen illud Hebræum athzer, redditur ab interpretibus Græcis αὐλή; & Græca vox ab interprete Latino atrium. Ita atrium locus eſt ſubdialis; vernaculè une cour. Quod ingredientibus obvium erat veſtibulum, dicitur Evangeliſtis πυλὼν & προαύλιον; quia pars illa ædium erat πρὸ τῆς αὐλῆς, ante aulam. Aliqui volunt πυλῶνα, ſive veſtibulum fuiſſe aream ſubdialem ante ædes; quia appellatur à Marco προαύλιον, locus ante aulam. ſed pars erat intimarum ædium unde in Actis cap. 12. ℣. 13. pulſante autem eo oſtium πυλῶνος, januæ, ſive potiùs veſtibuli. Juxta Feſtum, atrium apud Romanos propriè genus ædificii erat ante ædem, continens mediam aream in quam collucta ex omni tecto pluvia deſcendebat. ſed quidquid fuerit Atrium apud Romanos, certum eſt apud Judæos quòd αὐλὴ, atrium fuerit locus ſubdialis, circumdatus porticibus, vel aliis ædificiis.

Jam non erit difficile conciliare, quæ diverſa diverſi Evangeliſtæ dicere videntur circa locum in quo Petrus negavit. 1 * 6 Mt. Petrus verò ſedebat foris, ἔξω, extra nempe veſtibulum, in atrio, in aula Mc. deorſum, κάτω. aula ipſo veſtibulo depreſſior erat. Cùm miniſtri ſacerdotum ſtitiſſent Dominum ad veſtibulum, ubi interrogatus ut à Pontifice; Petrus, ut dictum eſt ſuperiori capite, perrexit cum illis in atrium, in aulam, in qua ignis accenſus erat. ibi, ut dicit Joannes. 25 Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe. 2 * Mt. Et acceſſit ad eum, dum in aula verſaretur, Mc. una ex ancillis ſummi ſacerdotis. 3 * 67 Et cùm vidiſſet Petrum 56 L ſedentem ad lumen, πρὸς τὸ φῶς, ad lucem ex igne reſulgentem, & eum in hac luce fuiſſet intuita Mc. calefacientem ſe, agnovit eum, & 4 * L dixit: Et hic cum illo erat: MM. Et tu cum Jeſu Mt. Galilæo eras. Marcus habet, cum Jeſu Nazareno.

5 * 70 Mt. 68 Mc. 57 L At ille negavit L eum Mt. coram omnibus, fortiter & voce valida, ut à præſentibus omnibus audiretur, Et dicens: 6 * L Mulier, non novi illum: Mc. neque ſcio, neque novi quid dicas. homo ille mihi prorſus ignotus eſt; neque ipſum novi, neque ſatis intelligo quæ ſit mens tua, dum hæc me interrogas. Ecce columna firmiſſima, inquit Auguſtinus, in Joan. tract. 113. ad unius auræ impulſum tota contremuit. Ubi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimùm præſidentis? ... Sed quid mirum, ſi Deus vera prædixit: homo autem falſa præſumpſit. Stultam pro Petro defenſionem componunt, inquit Theophylactus, dicentes audacter quòd non negaverit Petrus, ſed dixerit, neſcio hominem, hoc eſt neſcio purum hominem, ſed Deum hominem factum. non ante aliquot annos hæc pro Petro defenſio ſuſcepta eſt. Scio inquit B. Hieronymus, in Matth. c. 16. quoſdam piè affectos erga apoſtolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem: & eſſe ſenſum, neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quàm frivolum ſit, prudens lector intelligit. ſic defendunt Apoſtolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iſte non negavit: ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne, quod dicat, Me negabis; non hominem. Eleganter Auguſtinus confutat hos defenſores Petri, tract. 66. in Joan. Agnovit planè peccatum ſuum infirmitas Petri; prorſus agnovit; & quantum malum Chriſtum negando commiſerit, plorando monſtravit. ipſe ſuos redarguit defenſores, & unde eos convincat, producit lachrymas teſtes. Proſequamur hiſtoriam lapſus Petri. Ille ſe ſentiens ſuſpectum, & timens, ne ſi ſubſtitiſſet, permixtus miniſtris eo in loco ubi calefaciebant ſe, tandem certò cognoſceretur ut Jeſu diſcipulus, & malè exciperetur. 7 * 68 Mc. Exiit foras ante atrium, ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαύλιον, id eſt exivit ex aula in veſtibulum, ubi Jeſus interrogabatur & afficiebatur contumeliis, & gallus tunc cantavit.

8 * 81 Mt. Exeunte autem illo januam, in Græco fonte ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν εἰς τὸν πυλῶνα, egreſſum autem vel egredi parantem in veſtibulum, vidit eum alia ancilla. diximus προαύλιον Marci, & πυλῶνα Matthæi non deſignare diverſa loca. Matthæus ergo & Marcus dicunt Petrum ex aula rediiſſe in veſtibulum ubi ſecundò negavit, cùm ex Marco ancilla, quæ ex Matthæo alia erat nempe à prima, vel ex Luca quidam alius eum agnoviſſet. forſan vir & mulier ſimul eum agnoverunt. commune eſt omnium linguarum ut maſculinum uſurpetur pro communi, quando ſexum ſcire non multùm refert. Exempla aſſert ad hunc locum eruditiſſimus Grotius. quiſquis ergo ſit ſive mas, ſive fœmina quæ agnoverit Petrum, ait his qui erant ibi in veſtibulo, & hic erat cum Jeſu Nazareno, cum hocce Galilæo; ex illis eſt qui ſequuntur eum. Secundùm Joannem vox iſta complurium fuit: dixerunt ergo ei, inquit Joannes: Numquid & tu ex diſcipulis ejus es? 9 * 72 Mt. Et iterùm negavit cum juramento: Non ſum: mendacio addens perjurium. Quia non novi hominem.

10 * 73 Mt. Mc. Et poſt puſillum, Mc. rurſus, 59 L & intervallo facto, quaſi horæ unius, quantum

fici-

Digitized by Google

ſcilicet inter primum & ſecundum galli cantum intercedit; *alius quidam*] *unus ex ſervis pontificis, cognatus ejus cujus abſcidit auriculam*: nempe abſciderat, quo exemplo patet quandoque perfectum poni pro pluſquam perfecto. 11 * L *Affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat. nam & Galilæus eſt*. Galilæi ſuſpecti tanquam Jeſu diſcipuli aut fautores; quia lubentiùs videbatur Chriſtus commorari in Galilæa. Addebat ille qui urgebat Petrum.] *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* 12 * quin omnes *Mt. Acceſſerunt qui ſtabant miniſtri, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam Mc. & Galilæus es; Mt. & loquela tua manifeſtum te facit.* alius nempe Galilæis erat pronuntiandi modus, alia dialectus, eaque durior, rudis & incondita; unde illud Talmudicum in libro Eruvin. *Galilæi quia accurati non fuerunt in lingua ſua, lex confirmata non eſt in manibus eorum.* Buxtorfius in ſuo magno lexico in voce גלילי fusè & eruditè, ut ſolet, oſtendit Galilæos impolita lingua uſos fuiſſe.

13 * 27] *Iterum ergo negavit.* 60 L *& ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis*; loqueris mihi ignota. 14 * 74 *Mt. Tuncque cœpit deteſtari*, καταναθεματίζειν, quod verbum Græcum Latinis literis expreſſit interpres in Marco. 71. *Mc. Anathematizare*, diris ſe devovere, ſive ſibi malè precari verbis illis, aut ſimilibus. *Hæc mihi Deus faciat, & hæc addat, ſi hoc ita ſe habet*. anathema homo ille cenſebatur, qui expulſus fuerat cœtu piorum, & dignus habitus omni pœna, quam tum homines, tum ipſe Deus repeteret. omni ſe ſupplicio dignum teſtabatur Petrus, ſi ſciens falleret, pergens *& jurare*, omni juramento confirmare *Mt. quia non noviſſet hominem; Mc. quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis.* tantum abeſt ut pro magiſtro habuerim, quin planè mihi eſt ignotus.

15 * 72. *Et ſtatim L adhuc illo loquente Mc. iterum MM. L*] *gallus cantavit.* hanc circunſtantiam omnes exprimunt, ut appareat Chriſti prædictionem veram fuiſſe. Unde autem gallus Hieroſolymis quæri poteſt; nam Talmudici narrant vetitum fuiſſe Hieroſolymitanis alere gallos intra mœnia ſanctæ civitatis: cauſam afferunt quòd ex lege Levitici, cap. 11. omnia reptilia immunda erant; unde ſubſumunt: *atqui galli gallinacei in ſterquilinio ſcalpere ſolent: itaque fortè ad quantitatem grani lentis de reptili* illuc abjecto *emerget, & hac ratione contaminabuntur conſecrata*; dum enim abſcondita erant reptilia; in terra ut vivebant, non polluebant locum. verùm, ut obſervat Conſtantinus *l'Empereur*, in libro ſuo de legibus forenſibus Hebræorum, ubi de hac conſuetudine gallos non alendi diſſerit, nihil impediebat quin Hieroſolymis venderentur galli & gallinæ cum ovis, modò alibi educatæ eſſent. ita poterant plures galli reperiri intra mœnia urbis. In codice Jona Talmudis, cap. 1. advotatur ſingulis diebus ad galli cantum aram fuiſſe purgatam.

16 * 61 L *Et converſus Dominus reſpexit Petrum*, etiam oculis corporis, nam in eo veſtibulo, quo contumeliis afficiebatur, negatus eſt à Petro: ſed & gratia ejus eum tetigit. 17 * 75. *MM. L Et recordatus eſt Petrus verbi, Mc. quod dixerat ei Jeſus*, in principio hujuſce noctis, L *priuſquam gallus cantet Mc. bis MM. L ter me negabis*, quod contigit juxta prædictionem. Sed, inquiunt aliqui, quomodo certa fuit illa prædictio, *priuſquam gallus cantet*, ut dicunt tres primi Evangeliſtæ, Marcus addit *bis, ter me negabis*, ſi quidem cùm ſecunda vice negavit, tunc ex Marco *gallus cantavit*. hæc difficultas nulla eſt: illud enim Matthæi πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ, reddi poterat *priuſquam gallus cantaverit: ter me negabis*, non antequam gallus cantet. ſic juxta Matthæum totum gallicinii tempus à Domino circumſcriptum eſt: quaſi dixerit: antequam tempus gallicinii præterierit, ter me negaturus es. 18 * 62 *L. Mt. Et egreſſus foras* extra ædes pontificis *Petrus, Mc. cœpit flere, Mt. L flevit amarè.* non utique lacrymæ amaræ, ſed amarus qui eas effundebat affectus, inquiebat Ambroſius exponens pſalmum 37. qui in commentariis ſuis in Lucam de eodem Petro flente dicit; *lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Inveni cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Antè flendum eſt, ſic precandum. bonæ lacrymæ quæ lavant culpam.* Illud Marci in vulgato interprete *& cœpit flere*, ideo animadverſione dignum, quòd fons Græcus aliter reddi poteſt: in hoc fonte legitur καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, quod ſic aliqui interpretantur: operiens, aut involvens ſe, hoc eſt, vultum pallio tegens, qui mos Judæorum in fletu, flebat. Ita lib. 2. Reg. cap. 15. ℣. 30. David flebat capite operto. ἐπιβάλλειν ſignificat quidem *aggredi*, & ideo *incipere*, ſed & *injicere*. obſcuriùs autem dicitur aggrediens, vel incipiens flebat, ἐπιβαλὼν ἔκλαιε; clarà verò: flebat Petrus injiciens, ſubintellige veſtem capiti ſuo, ſive lacinia pallii operiens caput de more lugentium. erupit in fletum Petrus, ne videretur abſcondit ſe. Hic obſervant ſancti Doctores lapſum Sanctorum utilem eſſe. *nihil mihi nocuit*, inquit B. Ambroſius, *quod negavit Petrus, profuit quod emendavit. Didici cavere.* Addit in hanc rem Auguſtinus, de civit. lib. 14. cap. 13. *Audeo dicere, ſuperbis utile eſſe cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit.*

CA-

CAPUT XXX.

Jeſus reus mortis judicatur à principibus ſacerdotum in Synedrio eorum cujus ſedes erat in Templo. Judam pœnitet ſuæ proditionis, & laqueo ſe ſuſpendit.

HARMONIA.

1 ET ut factus eſt dies, † convenerunt ſenio- † Pſal. 2. 2. Act. 3. 13.
res plebis, & principes ſacer-
dotũ, & ſcribæ *Mt.* adverſus Je-
ſum, ut eum morti traderent.

MATTH. Cap. 27. ℣. 1-10. 1 Manè autem facto conſiliũ inierunt omnes principes ſacerdotum, & ſeniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent.

MARCUS. Cap. 15. ℣. 1. 1 Et confeſtim manè conſilium facientes ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus & Scribis & univerſo concilio … &c. *ſeq.*

LUCAS Cap. 22. ℣. 66-71. 66 Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum & Scribæ.

LUCAS.

2 * Et duxerunt illum in concilium ſuum, (*εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν, in ſuum ſynedrium,*) dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis.
3 * 67 Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:
4 * 68 Si autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.
5 * 69 Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.
6 * 70 Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis,
quia ego ſum.
7 * 71 At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus.

MATTHÆUS.

8 * 2 Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.
9 * 3 Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet; pœnitentia
ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus,
10 * 4 dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt: Quid
ad nos; tu videris.
11 * 5 Et projectis argenteis in Templo, receſſit: † & abiens laqueo ſe ſuſ- † Act. 1. 18.
pendit.
12 * 6 Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet
eos mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt.
13 * 7 Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam
peregrinorum.
14 * 8 † Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt, ager ſan- † Act. 1. 19.
guinis, uſque in hodiernum diem.
15 * 9 Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicen-
tem: † Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretia- † Zach. 11. 12.
verunt à filiis Iſrael:
16 * 10 & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

REgula eſt in Talmude codice Sanhedrin cap. 1. num. 5. Tribus, pſeudoprophetam, ſacerdotem magnum non ab aliis judicibus poſſe judicari quàm à ſynedrio magno. Itaque Jeſus judicandus fuit ab hoc conſeſſu; quod judicium fieri non poterat niſi in ſede quæ aſſignata erat ſynedrio magno in Templo. ita factum eſt ut in eodem loco, quo fiebant ſacrificia & macta-

bantur victimæ typi mortis Domini, ipſe mortis reus pronuntiatus ſit; quia verò judices ſynedrii magni non judicabant, niſi à tempore ſacrificii jugis matutini, uſque ad tempus ſacrificii pariter jugis quod fiebat veſperè, ut in eodem codice Talmudis adſtruitur, expectandus fuit dies, ut juxta conſuetudinem cauſam Domini dijudicare, & finire poſſent.

1 * 66 *L. Et ut factus eſt dies;* cùm illuxit dies; neque enim, ut plerique volunt, hæc intelligenda de adventante die, ſed, ut liquidò loquuntur Matthæus & Marcus, *manè facto, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & Scribæ*, id eſt, ſacerdotes primarii, viri literati, & ſeniores populi, quibus conſtabat ſynedrium, convenerunt in locum huic conſeſſui deſtinatum *Mt. adverſus Jeſum, ut eum morti traderent*, ſaltem mortis reum judicarent, *L. & duxerunt illum in concilium ſuum, εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν*, in ſuum ſynedrium. Non erat lis finita apud Caipham; nec ab ædibus ejus rectà ad Pilatum, ſed priùs ductus eſt in Templum, ubi erat ſedes ſynedrii. Rem in Templo eſſe actam demonſtrat id quod factum eſt à Juda proditore, qui cùm pœnitentia ductus conveniſſet principes ſacerdotum & ſeniores, quibus indicatur ille magnus conſeſſus, de quo hìc loquimur, dicitur projeciſſe in Templo argenteos, pretium proditionis ſuæ, cùm illi noluiſſent accipere; res ergo, ut dixi, tranſigebatur in Templo. Nec opponi poteſt quod in aſcenſu ad Templum, & deſcenſu pluſculum temporis abſumptum fuiſſet; etenim omnia præcipiti curſu contigere in paſſione Domini, quod & ritibus paſchalibus prænuntiatum fuerat; qui tam celeriter fiebant, ut his tempus præſcriptum ſuffeciſſe vix credi poſſit.

2 * Duxerunt itaque miniſtri judicum Jeſum in ſynedrium, quò convenerant judices; ibique illum interrogaverunt, *dicentes: ſi tu es Chriſtus, dic nobis.* iterùm eliciunt ex ore ejus confeſſionem, qua eum onerarent, ac ſecundùm juris formam in loco judiciis apto definirent, eum, ut pſeudochriſtum, mortis reum eſſe, quod jam fecerant apud Caipham; ſed legitimæ condemnationi deerat locus & tempus.

3 * 67. *Et ait illis* Jeſus: *Si vobis dixero, non credetis mihi*, affirmanti me eſſe Chriſtum. 4 * 68 *Si autem & interrogavero*, vos de nonnullis quibus innocentia mea vobis nota fieret *non reſpondebitis mihi: neque dimittetis* me, cùm evicero nullo teneri crimine. 5 * 69 *Ex hoc autem* tempore *erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.* ipſe ego ſedebo à dextris Dei potentis judex veſter. nunc in codice Græco legitur ἀπ' ἄρτι, id eſt, *deinceps, ab hocce tempore.* olim codices Græci carebant diſtinctionibus, & notulis quibus indicantur accentus; ita has duas voculas conjungendas eſſe ſtatuit Heinſius, ut fiat ἀπαρτὶ, quæ vox idem ſonat quod ἀπηρτισμένως; id eſt, *certò ac verè, planè* ut ſenſus ſit Domini: *Amen, amen dico vobis, erit Filius hominis &c.*

6 * 70 *Dixerunt autem omnes: Tn ergo es Filius Dei?* venditas te pro Meſſia, quem nos ſcimus eſſe filium Dei? *qui ait: vos dicitis* id, quod res eſt, *quia ego ſum*, quem vos me dicitis filium Dei. 7 * 71 *At illi dixerunt: quid adhuc deſideramus teſtimonium?* Quaſi dicant: convenit inter nos eum non eſſe Chriſtum; & huc reum ſtitimus, quia diceret ſe Chriſtum; non aliud ergo teſtimonium criminis ejus quærendum; *ipſi enim audivimus de ore ejus* illam blaſphemiam.

8 * 2 *Mt. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* etiam antequam Judæi reum mortis Jeſum judicaſſent, jam proditor reſignaverat quos acceperat argenteos. Poſteà abiens laqueo ſe ſuſpendit, nonniſi, ut liquet, poſt cœptum Pilati de Domino judicium. Ideò Matthæus uno loco complecti volens, quæ finem proditoris ſpectabant, & antè & poſtea contigerant, occupat dicere Jeſum ductum à ſynedrio ad Pilatum, priuſquam rem Judæ exponeret.

9 * 3 *Mt. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet;* ipſe enim captum, ut videtur duxerat ad Caiphæ ædes, ita non latuerat eum quæ nocte inierant Judæi adverſus Jeſum conſilia. ſtatuerant eum reum eſſe mortis. Potuit ergo, ubi dies factus eſt, non ignorans ſenatores conveniſſe in ſynedrium, eo temporis articulo ad Templum venire, antequam lis Chriſti finita eſſet, aut ex ſynedrio ductus eſſet ad Pilatum. *Pœnitentia* ergo *ductus*, (ut ſolent rei ſera æſtimatione demùm intelligere magnitudinem facinorum ſuorum, ubi illa perfecere,) *retulit triginta argenteos*, nempe ſiclos *principibus ſacerdotum & ſenioribus*, id eſt, ad ſynedrium 10 * 4. *dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*, id eſt hominem haud mortis reum. *At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.* locutio eſt curam, vel culpam amolientis à ſe: quaſi dicant: Abi, & noli nobis eſſe moleſtus, tua tecum ſolus expende, nihil ad nos pertinet tuum factum. ſi tradidiſti quem ſciebas innocentem, peccatum iſtud ſit ſupra te; non diſcedemus à judicio, quod conſtat eſſe æquum.

11 * 5 *Et projectis argenteis in Templo, ἐν τῷ ναῷ.* ibi credo ab interprete Græco Matthæi poſitum ναὸς pro ἱερὸς. nam videtur Judas argenteus quos acceperat, effudiſſe in eo ipſo loco, quo erant ſacerdotes judicantes. Locus autem ſynedrii erat ἐν τῷ ἱερῷ, & non ἐν τῷ ναῷ; etenim, ut alibi notavimus, Hebræis Græcè loquentibus vox ναὸς, ſignificat ædem ſacram, ubi erat menſa aurea, & candelabrum, & alia

niſi

niſi quis dicat Judam verſus ædem ſacram, in quam intrare non illi licebat, projeciſſe argenteos ſuos.

Et abiens laqueo ſe ſuſpendit, καὶ ἀπελθὼν, ἀπήγξατο. de iſto mortis genere quo mortuus eſt Judas, lites inter ſe agitant periti. Et quidem Græcis ἀπάγξασθαι, ſuſpendio vitam ſibi adimere, ut, ἀπάγξασθαί με ποιεῖτε, apud Theocritum. ἀπήγξατο. βρόχῳ ἔληξε. *ſtrangulatus eſt:* Id eſt laqueo vitam finivit, inquit Suidas. Sed difficulter, id conciliatur cum eo quod legitur de eodem Juda in Actis, cap. 1. ℣. 18. effuſis ſcilicet inteſtinis mortuum cùm pronus in faciem corruiſſet. καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, *& ſuſpenſus*, ſeu juxta propriam ſignificationem, & pronus factus, id eſt in faciem cadens, *crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* nodum ſic ſolvi poſſe aliqui putant, dicentes Judam in laqueum immiſiſſe fauces, cùm in loco alio conſtitutus eſſet, unde ſe præcipitem egerit: aut rupto laqueo cecidiſſe, ac effudiſſe viſcera; vel, cùm penderet, ita intumuiſſe, ut non quidem ſtatim, ſed aliquantò poſt tempore medius crepuerit.

Aliis ἀπάγξασθαι eſt, præ dolore & triſtitia angi, & compreſſo ſpiritu eſſe, ſive quis inde moriatur, ſive non. Sic de Sara dicitur Tob. cap. 3. ℣. 10. ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι, vehementer contriſtata eſt, ita ut ſpiritu comprimeretur. De Achitophele qui typus fuit Judæ, legitur in Græca verſione 2. Reg. cap. 17. ℣. 23. καὶ ἐνετείλατο τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ἀπήγξατο, καὶ ἀπέθανε. vulgata dicit eum ſuſpendio interiiſſe. in ipſo fonte Hebræo eſt יחנק *iechanac*, quod verbum ſonat quidem *ſtrangulare;* ſed Elias Levita in ſuo Thisbi ad vocem סכר *ſacar*, probat ex libris medicorum Judæorum de Achitophele, morbum ejus ex magno animi mœrore ortum fuiſſe, quòd conſilium ejus non approbatum fuiſſet; ita τὸ *machanac*, *ſtrangulationem* quidem ſignificari, ſed aliam à ſuffocatione quæ fit laqueo. Job. cap. 7. ℣. 15. dicebat: *elegit machanac* anima mea. juxta Aquilam ἀγχόνην, juxta vulgatum, *ſuſpendium;* in eo autem loco Job ſuo vox ἀγχόνη, videtetur potiùs ſumenda ut in loco allegato Tobiæ; neque enim laqueo ſe ſuſpendit Sara, nec Job ſibi voluit manus violentas inferre; unde verſio Græca quæ dicitur ſeptuaginta interpretum, ſic reddit fontem, ἀπαλλάξεις ἀπὸ πνεύματός μου τὴν ψυχήν μου, *liberabis à ſpiritu meo animam meam.* Illud Actuum πρηνὴς γενόμενος, minùs benè redditum eſt *ſuſpenſus;* ſignificat Judam pronum eſſe factum, ſive in faciem cecidiſſe, & in eo ſtatu medium crepuiſſe. Mœrorem autem, ſive ſpiritus compreſſionem ſequi poteſt tumor ventris & inde effuſio viſcerum. ut notat illud Virgilianum, *rumpantur ut illa Codro.* ſimilis mortis, ſive effuſionis viſcerum exemplum occurrit apud Joſephum, lib. 15. cap. 13. qui narrat Zenodorum periiſſe ῥαγέντων αὐτῷ τῶν σπλάγχνων, καὶ πολλοῦ τοῦ αἵματος ὑποχωροῦντος, *ruptis viſceribus ejus & effuſo plurimo ſanguine.* Ergo quoquomodo perierit Judas, ſive laqueo fauces eliſerit, ſive præ magno dolore compreſſus ſit ſpiritus ejus, cùm in faciem cecidiſſet, effuſa ſunt viſcera ejus, poſtquam intumuere, & perrupta ſunt, ut Joſephus dicit de Zenodoro.

12 * 6 *Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis*, qui effuſi erant coram ipſis (res itaque tranſigebatur in Templo) *dixerunt: Non licèt eos mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt.* corbona ut definit eam Joſephus, lib. 2. de bello cap. 8. erat ſacer theſaurus: *Apud eos*, loquitur de Hebræis, *eſt ſacer theſaurus, quem corban dicunt.* non licebat offerre Domino quidquid provenerat ex turpi quæſtu juxta illud Deuteronomii cap. 23. ℣. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.* ergo agnoſcunt ipſi ſacerdotes turpem fuiſſe quæſtum Judæ. Verùm quare turpis, ſi hominem reum ad mortem tradidiſſet?

13 * 7 *Conſilio autem inito*, quid facerent de illis argenteis qui in ærarium Templi inferri non poterant, ſed tamen ſacri erant, quippe ex ipſo Templi ærario accepti, *emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Judæis enim etiam mortuis religio erat, ne attactu Gentilium polluerentur; idcircò cavebant ſi fortè contingeret eos mori Hieroſolymis ne conderentur in alicujus viri Judæi ſepulchro, ſed locus eſſet deſtinatus ſepulturæ eorum. alii tamen volunt peregrinos intelligendos, qui religione Judæi erant, ſed non ex Judæa. Ager autem ille τοῦ κεραμέως, figuli, ſic dicebatur, vel quia in eum teſtarum fragmenta projiciebant, vel quia ejus uber omne ad figlina opera exhauſtum fuerat, ita ut nullus inde fructus ſperari poſſet. nam exigui pretii locum fuiſſe oportet, qui triginta ſiclis argenteis non pluris licuerit. Alio poſteà nomine ager ille appellatus eſt; jam non *figuli*, ſed *ſanguinis*, ut dicit Evangeliſta. 14 * 8 *Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama*, hoc eſt, dialecto Hieroſolymitana, *ager ſanguinis*, *uſque in hodiernum diem.* id nomen huic agro datum Deus voluit, quò celebrior eſſet rei memoria.

15 * 9 *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſrael* 16 * 10 *Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* hæc prophetia nullibi in Jeremia invenitur, ſed in Zacharia. Quid ergo hic Jeremias? alii volunt eſſe memoriæ lapſum, ſicut cenſet B. Auguſtinus lib. 3. cap. 7. de conſ. Evangeliſt. alii errorem

ſcri-

ſcribarum, ſed vetuſtum, ut Hieronymus ſcribit ad Pammachium, de optimo genere interpretandi differens. Syrus interpres nullius prophetæ hîc nomen habet, unde colligunt olim abſuiſſe, & ex margine irrepſiſſe in textum. D. Auguſtinus, lib. 3. cap. 7. de conſ. Evang. notat non omnes codices habuiſſe nomen Jeremiæ, & mendoſos reputandos qui habent. Sunt qui velint & hocce vaticinium à Jeremia ſcriptum, neque, enim omnia Jeremiæ vaticinia ad nos pervenere; vel Zachariam fuiſſe binominem & dictum Jeremiam quid eum imitaretur. Denique volunt ex duobus vaticiniis primo Jeremiæ cap. 32. ubi emit agrum, & altero apud Zachariam unum vaticinium conflatum: quidquid ſit illud quod Matthæus profert, legitur apud Zachariam; & quod ille Evangeliſta dicit *tunc impletum &c.* de eorum eſt genere, quæ primitùs res illorum temporum ſignificabant, ita tamen ut in Chriſti tempora etiam magis congruerent: quod Deus manifeſtum fecit ſingulari eventuum directione; ut modo patebit.

Apud Zachariam, cap. 11. ℣. 12. & 13. Deus querens beneficia ſua in populum Hebræum collata, ingratè nimis fuiſſe accepta, ait operæ in illos impenſæ mercedem à ſe poſtulatam, aſſignatum autem ſibi à populo vile pretium, videlicet quo minima æſtimari ſolent mancipia, triginta ſiclos. *Si bonum eſt oculis veſtris*, inquit Deus apud Zachariam, *afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. Addit Zacharias juſtum fuiſſe projicere illud pretium in agrum in quem fragmenta fictilium projici ſolebant. *Et dixit Dominus ad me: projice illud ad ſtatuarium*, אל־היוצר *el-hajotzer*, id eſt ad figulum, *decorum pretium quo apretiatus ſum ab eis, & tuli triginta argenteos & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium.* vox Hebræa יוצר figulum denotat. hanc interpretes Græci reddiderunt *εἰς τὸ χωνευτήριον, in conflatorium*. Paraphraſtes verò Chaldæus אמרכלא רבא *amarcela rabba*. id eſt, præfectus, præpoſitus pecuniæ fiſci publici ſacri; unde colligimus illum paraphraſtem non legiſſe יוצר *jotzer*, quod nunc eſt in codice Hebræo ſed אוצר *otzer*, theſaurus.

Hoc facto demonſtratum voluit Zacharias omnem pompam cæremoniarum, qua impleta egregiam ſe beneficiis divinis gratiam referre Hebræi exiſtimabant, cùm abeſſet pius animus, indignam eſſe quæ à Deo acceptaretur. Hoc verò omne ſicut ad Zachariæ tempora pertinebat, ita multò magis congruebat Chriſti temporibus. Atque ideo factum eſt divinæ providentiæ gubernatione, ut quod allegoricè tunc erat dictum Chriſti ætate, manente ſenſu illo ſecundùm allegoriam, etiam ſecundùm proprietatem verborum impleretur. Quod genus impletionis vaticiniorum in hac mortis Chriſti hiſtoria ſæpe occurrit. Deus enim in Chriſto æſtimatus eſt à pontificibus ſiclis 30. cùm tanti emptus eſt proditor ejus: atque ea pecunia verè in agrum figlinum non tam impenſa quàm contemptim projecta eſt, facto quidem pontificum, conſilio autem divino: unde quod illi fecerunt, Deo dirigenti rectè adſcribitur.

CAPUT XXXI.

Traditur Jeſus Pilato, à quo ad Herodem mittitur. Herodes ſpernit illum, & ad Pilatum remittit.

HARMONIA.	MARCUS Cap. 15. ℣. 1-5.	LUCAS Cap. 23. ℣. 1-12.
1 *L* ET ſurgens omni multitudo eorum, *Mc.* vincientes Jeſum duxerunt, & tradiderunt Pilato,	1 .... vincientes Jeſum duxerunt, & tradiderunt Pilato.	1 Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

JOANNES, Cap. 18. ℣. 28—38.

2 * 28. † Adducunt ergo Jeſum à Caipha in prætorium. Erat autem manè: & ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha. † *Act.* 10. 18. & 11. 3.

3 * 29 Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?

4 * 23 Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.

5 * 31 Di-

5 * 31 Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.
6 * 32 Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

L U C A S.

7 * 2 Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, † & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.

† *Matt.* 22. 21. *Rom* 13. 7. *Act.* 17. 7.

J O A N N E S.

8 * 33 Introivit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vocavit Jeſum.

HARMONIA.	MAT. Cap. 27. ℣. 11-14.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
9 *Mt.* Jeſus autem ſtetit ante præſidem, † & interrogavit eum præſes, dicens: *MMLJ* Tu es rex Judæorum?	11 Jeſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogavit eum præſes, dicens; Tu es rex Judæorum?	2 Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæorum?	3 Pilatus autem interrogavit eũ, dicens: Tu es rex Judæorum?	Et dixit ei: Tu es rex Judæorum?

† 1 *Tim.* 6. 3.

J O A N N E S.

10 * 34 Reſpondit Jeſus: A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?
11 * 35 Reſpondit Pilatus: Numquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti?
12 * 36 Reſpondit Jeſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
13 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Jeſus: *MMLJ* Tu dicis,	Dicit illi Jeſus: Tu dicis.	At ille reſpondens, ait illi: Tu dicis.	At ille reſpondens ait: Tu dicis.	37 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Jeſus: Tu dicis,

J O A N N E S.

quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati; omnis qui eſt ex veritate audit vocem meam.

HARMONIA.	LUCAS.	JOANNES.
14 Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterùm exivit ad Judæos, *L* ad principes ſacerdotum & turbas?	4 Ait autem Pilatus ad principes ſacerdotum & turbas:	38 Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterùm exivit ad Judæos,
15 *J* Et dicit eis: Ego nullam invenio in eo cauſam.	Nihil invenio cauſæ in hoc homine.	& dicit eis: Ego nullam invenio in eo cauſam.

	MATTHÆUS.	MARCUS.
16 *Mt.* Et cùm accuſaretur à Principibus ſacerdotum, & ſenioribus *Mc.* in multis *Mt.* nihil reſpondit.	12 Et cùm accuſaretur à Principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.	3 Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis.

17 *Mc.* Pi-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.
17 *Mc.* Pilatus autem rurſum interrogavit eum dicens:	13 Tunc dicit illi Pilatus:	4 Pilatus autem rurſum interrogavit eum, dicens:
18 *Mt.* Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? *Mc.* Non reſpondes quidquam? Vide in quantis te accuſant?	Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia?	Non reſpondes quidquam? Vide in quantis te accuſant?
19 Jeſus autem ampliùs nihil reſpondit *Mt.* ei ad ullum verbum, *MM.* ita ut miraretur *Mc.* Pilatus *Mt.* præſes vehementer.	14 Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.	5 Jeſus autem ampliùs nihil reſpondit, ita ut miraretur Pilatus.

L U C A S.

20 * 5 At illi invaleſcebant, dicentes: Commovet populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc.

21 * 6 Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet.

22 * 7 † Et ut cognovit quòd de Herôdis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus. † *Luc.* 3. 1.

23 * 8 Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.

24 * 9 Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat.

25 * 10 Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, conſtanter accuſantes eum.

26 * 11 Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.

27 * 12 Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam anteà inimici erant ad invicem.

1 * 1 ET *ſurgens omnis multitudo eorum*, qui concilio adverſus Jeſum interfuerant, Pontificum, Seniorum, Scribarum *Mc. vincientes Jeſum duxerunt, & tradiderunt Pilato*. quia, ut vulgò ſentiunt interpretes, Judæis non liceret interficere quemquam, & ita à Domino mortem repetere, cujus reum eſſe ſtatuerant; ſed iſta poteſtate non caruiſſe modò oſtendemus. Meminerit lector quibus argumentis evicerimus, hacce feria ſexta ad quam pervenimus, agnum paſchalem horis pomeridianis fuiſſe mactandum, quo tempore Iudæis non licebat mortis ſupplicio quemquam afficere; cùm ergo ultrà ſpem ceſſiſſet Iudæ proditio, & Ieſum vinctum tenerent, quem citò tollere de medio è re ſua eſſe credebant, ad Pilatum duxere ut addiceret morti virum ſeditioſum, quem leges Romanæ vivere non ſinebant; ita Pilatum, ſi qua fuiſſet, onerarent invidia mortis ejus.

Præterea ſi vera ſunt quæ Iudæi narrant de conſuetudinibus ſuis, non licebat repetere ſupplicium eodem die quo decretum erat, quando forma juris ſervabatur; Zelotæ enim alio jure utentes, protinùs neci dabant quem deprehendebant in manifeſta legis prætergreſſione. igitur dicebant non licere ſibi hac ipſa die quemquam interficere, ſenſu quem indicavimus.

2 * 28 J *Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium:* id eſt, in domum Pilati; ſed priùs, ut Lucas docet nos, deduxerant eum in Templum, ubi in ſynedrio ſtatuerant reum eſſe mortis, quam per manus viri Gentilis repeterent. Prætor omnis magiſtratus appellabatur cui pareret exercitus. ita Pilatus prætor: domus in qua prætor habitabat; ſicut & locus in quo jus dicebat, prætorium erat.

Erat autem manè diei paſchæ; ut ex ſequentibus ſatis intelligitur: & ideo *ipſi non introierunt in prætorium*, in domum prætoris, ne redderētur immundi ingreſſu domus viri ethnici. Judæi pariter habebant gentiles immundos, & ædes eorum immundas, juxta illam regulam Num. 19. ℣. 22.

Digitized by Google

Quidquid tetigerit immundus, immundum facit. Videre eſt in Actis, cap. 10. ℣. 28. *Quomodo abominatum ſit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam.* ergo non introierunt in ædes Pilati, *ut non contaminarentur, ſed ut ea die manducarent paſcha*, nec cogerentur differre in alterum menſem, ſi iſtam immunditiem contraxiſſent. In tractatu de Paſchate evicimus ſignificari ibi agnum paſchalem; neque enim aut azymi panes intelligi poſſunt, qui ſeptiduo etiam ab immundis manducabantur, nec ullum aliud ſacrificium; paſchatis enim nomine ſolus agni paſchalis mactatio deſignabatur. Fruſtrà volunt *chagigam* notari, quod erat ſacrificium feſti paſchatis, diſtinctum à ſacrificio agni; *chagiga* enim dicebatur, & non *paſcha*. Præterquam nullum proprium diem haberet *chagiga*, niſi quòd frequentiùs eadem die mactabatur, quà agnus, ut fusè docuimus dicto tractatu & in diſſertatione.

3 * 29 *Exivit ergo*, quia illi intrare nolebant, *Pilatus ad eos foras*, nempe in exteriorem porticum, ſive exterius veſtibulum, ubi erat tribunal ejus in loco aperto, de quo infrà iterùm fiet ſermo, *& dixit eis: quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?* cujus criminis capitalis ipſum accuſatis? 4 * 30. *Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor*, niſi nobis conſtaret ipſum eſſe maleficum, *non tibi tradidiſſemus eum.* 5 * 31. *Dixit ergo eis Pilatus*, ſi eum creditis reum violatæ legis veſtræ, *accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum*: pœnis in lege veſtra ordinatis eum plectite.

Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. Ex his verbis plerique colligunt Pilatum per irriſionem, & inſultabundum dixiſſe Judæis, ut Jeſum ipſi judicarent; cùm jus gladii his dudum ereptum eſſet. Fateor equidem ab Auguſti temporibus arctiorem factam eſſe ſynedrii magni poteſtatem, cùm pars Judææ potior in provinciam eſſet redacta; tunc enim fieri potuit, ut ſine præſidis Romani conſenſu neminem mortis ſupplicio afficere licuerit Judæis, ſervata reliqua judiciaria poteſtate. ipſi Judæi ſcribunt judicia animarum à ſynedrio magno fuiſſe ablata quadraginta annis ante excidium Urbis & Templi, quod contigit anno æræ chriſtianæ 70. Chriſtus autem occiſus eſt anno 33. ita tres annos antequam pateretur, jam jus gladii amiſiſſent. Sed vidimus in chronologicis hunc locum Talmudis ſuſpectum eſſe; & ſi librarii non depravaverint, non ideò omninò ſanus: nam ex multis locis Evangelii conſtat non omnem judiciariam poteſtatem tunc Judæis ademptam fuiſſe. habebant miniſtros, qui ex juſſu ſynedrii conpingerent in vincula, legis violatores. Philo libro de legatione ad Caium oſtendit permiſſum Judæis, ut ſuis uterentur legibus; nec voluiſſe Tiberium ut infringerentur. Τιβέριον ἐᾶν ἐθέλειν τῶν πατρίων καταλύεσθαι. Ergo modo accederet conſenſus præſidum, poterant de more ſuo ſynedrii judices pœnis addicere reos violatatum legum ſuarum; ut diſcimus à Joſepho, qui lib. 20. cap. 8. ſcribit juniorem Ananum pontificem mortuo Feſto præſide Albino qui ei ſucceſſit adhuc in itinere agente, nactum occaſionem, concilium advocaſſe, & quoſdam mortis ſupplicio affeciſſe; quod ei datum eſt crimini, quia id feciſſet ſine conſenſu novi præſidis, χωρὶς γνώμης.

Iterum ergo dicam, modò non diſſentiret Romanus præſes, poterant Judæi ſævire in eos quos ſentiebant ſontes eſſe; ut lapidibus obruerunt Stephanum, quem extra civitatem non eduxiſſent lapidandum, niſi venia impetrata à præſide. Romani devictis gentibus plerumque permittebant ſuis uti legibus. ita Julius Cæſar primùm Hircano pontifici Judæorum concèſſerat, ut ſi qua controverſia oriretur de Judaica diſciplina, judicium penes ipſum eſſet. Joſeph. lib. 14. Antiq. cap. 17. quod & aliis deinceps pontificibus conceſſum videtur. nam Titus Judæis exprobrat quòd leges patrias ſervandas Romani permiſiſſent. Joſeph. lib. 7. de bel. Jud. cap. 13. ut etiam occidere impunè poſſent eum qui ſepta Templi tranſiret, licèt Romanum. Et quorſum Romani, ut citato libro cap. 4. ait Joſephus, patrias leges ad religionem pertinentes illibatas reliquiſſent, niſi ut violatæ religionis reos iſtis legibus vindicarent?

Non itaque inſultabundus Pilatus dicebat Judæis; accipite & judicate quem mihi traditis reum. igitur reſpondebant: nobis non licet interficere quemquam, vel *propter diei feſti ſanctitatem*, ut ait Auguſtinus, *quem celebrare jam cœperant, propter quem de ingreſſu etiam prætorii contaminari metuebant*, vel quia Jeſum ſiſtebant coram Pilato, ut reum violatorum legum Romanarum, quippe qui, ut dicebant, prohibuiſſet dari tributa Cæſari; quod facinus ulciſci attinebat ad præſidem Romanum. Denique & hac re quæ prioris ſuæ poteſtatis imminutio erat, voluerunt uti, ſive hunc uſum capere, ut cùm Jeſus à multis haberetur pro Chriſto, mortis ejus odium in Romanum præſidem transferretur. Ideo perſuadere conabantur quòd Judæorum gentem Jeſus adverſus Romanos excitaſſet, ut de illo præſes Romanus pœnas ſumeret.

6 * 32 *Ut ſermo Jeſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Ita factum eſt ut impleretur quod dixerat Jeſus, tradendum ſe Gentibus, & cruci affigendum; quo ſupplicii genere à ſolis Romanis affici poterat. crucifixio enim non Judæorum erat, ſed Romanorum. ſic contigit ut typus ſerpentis exaltati in cruce impletus fuerit; & ipſe Jeſus eadem hora mactatus, quo agni paſchales in Templo; quod

non

non contigiſſet, niſi alienigenarum manu occiſus; neque enim Judæi ea hora ſimul vacare potuiſſent exigendo ſupplicio & perficiendo ſacrificio paſchatis. Ergo Deus ſic ipſis Judæis neſcientibus uſus eſt, ut veteres omnes typi implerentur.

7 * 2 L. *Cœperunt autem illum accuſare*, non ut violatorem legis Moſaicæ, quod crimen decebat perſequi Judæos, ſed ut reum facinoris quod ſolebant Romani acriter punire. *Hunc*, inquiunt, *invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari.* quia è Galilæa proceſſerat Judas hujus dogmatis auctor, ideo confidenter objiciebant Chriſto crimen & odioſum maximè Romanis & in Galilæo credibile; quod quidem ſciebant falſum; ſed ita conducebat inſtituto. addebant autem ut criminationem veriſimilem facerent *& hunc invenimus dicentem ſe regem Chriſtum eſſe*, nempe ſe eſſe illum Meſſiam expectandum, qui regnaturus eſt, jugo Romanorum excuſſo.

Quædam crimina objeciſſe interdum ſatis eſt. hac criminatione commotus. 8 * 33 J *introivit ergo iterum in prætorium Pilatus*, intra ædes ſuas, unde exierat ad Judæos, allocuturus eos ex tribunali quod erat extra ædes, *& vocavit Jeſum.* 9 * 11 *Mt. Jeſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogavit eum præſes dicens. L. J Tu es rex Judæorum?* Rex ille, quem Judæi jam pridem venturum ſibi pollicentur 10 * 34 J *Reſpondit Jeſus: A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* ſenſus loci eſt. Tot jam annis præſidem agis, & Imperii Romani majeſtatem non negligenter tutaris, compertumne tibi eſt aliquid quod me Imperii turbati ſuſpectum faceret? quòd ſi tibi nihil tale compertum eſt, ſed alii hoc ſuggeſſerunt, vide ne vocis ambiguo fallaris. ita prudenter ex præſide id vult elicere quod ipſi ad ulteriorem reſponſionem viam paret.

11 * 35 *Reſpondit Pilatus: Numquid ego Judæus ſum?* nempe ut Prophetas veſtros legam, aut curem, aut ſciam proprietates Regis quem illi annuntiant? Egone ſcire poſſum quid Judæi ex ſuis libris ſperent, aut ſibi promittant? non ergo ex me ipſo rogavi, ſed ex inſtinctu Judæorum. *gens tua*, populares tui, *& ipſi pontifices tradiderunt te mihi: Quid feciſti?* quo facto eos tam graviter offendiſti? Hoc quoque Chriſto occaſionem dat reſpondendi.

12 * 36 *Reſpondit Jeſus: Regnum meum* à Prophetis promiſſum, quod mihi vindico, *non eſt de hoc mundo;* ſtatum ergo Imperii Romani non lædit, cum quo nihil commune habet, aut quærit. regnum Cæſaris nec impedio, nec mihi arrogo. *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis.* ſi tale regnum affectaſſem quale cavere ad te pertinet, collegiſſem mihi ſtipatores armatos, ut ſolent qui talia conantur: pro me fortiter illi dimicaſſent, ne in poteſtatem venirem inimicorum. *nunc autem regnum meum non eſt hinc*, id eſt, hujus mundi.

13 * 37 *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu?* rectè hoc infert: qui enim regnum habet, qualecumque ſit, rex eſt; *Reſpondit Jeſus: L. J Tu dicis*, quod res eſt. J *quia rex* verè *ſum ego*. interrogatio Pilati tacitè hoc ponebat. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati* Dei, & huic imprimis, me regem eſſe Judæorum, Chriſtum filium Dei, & habere regnum, cœlorum ſcilicet credentibus paratum. quaſi dicat: non negabo me eſſe regem, ſicut tu dicis; nam ad hoc veni, ut atteſtarer veritati. *omnis qui eſt ex veritate*, cui atteſtor, nempe pertinet ad regnum veritatis: quem Deus elegit, *audit vocem meam:* tanquam regi ſponte, vi nulla coactus obedit.

14 * 38 *Dicit ei Pilatus; quid eſt veritas?* quæ eſt iſta veritas cujus te magiſtrum profiteris? putaſſe enim videtur, quod Jeſus tanquam Philoſophus de veritate, regnoque diſputaret; totum enim negotium Philoſophorum verſatur circa inquiſitionem veritatis. ſed id quærit obiter, nec inſtat quaſi de re ad judicis officium nihil pertinente, unde nec expectato reſponſo exit. *& cùm hoc dixiſſet* J *iterum exivit ad Judæos*, L. *ad principes ſacerdotum, & turbas*, ad pontifices adſtante corona populi. 15 * J *Et dicit eis: Ego nullam invenio in eo cauſam.* nullum crimen in eo eſt. Senſus eſt fermè ſimilis ei qui Gallioni tribuitur in Actis, cap. 18. video quidem aliquid eſſe inter vos controverſiæ, ſed ejus generis, quæ in diſputationibus verſetur, quæ non ſit forenſis cognitionis.

16 * 12 *Mt. Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum & ſenioribus Mc. in multis, Mt. nihil reſpondit* Pilato, qui iſtas criminationes ad eum referebat. Judæi enim extra prætorium erant, Jeſus intra. 17 * 4 *Mc. Pilatus autem rurſum interrogavit eum, dicens:* 18 * 13 *Mt. Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Mc. Non reſpondes quidquam? vide in quantis te accuſant?* Matthæus & Marcus qui non eam circumſtantiam notant, Jeſum inductum fuiſſe in prætorium, in quod Judæi noluerunt intrare, quas referente Pilato audiebat criminationes, ſcribunt Jeſum audiiſſe ab ipſo ore Judæorum prolatas, licentia qua hiſtorici utuntur; non enim ſingulas factorum quæ narrant, circumſtantias perſequi neceſſarium eſſe putant.

19 * 5 *Jeſus autem ampliùs nihil reſpondit* 15 *Mt. ei ad ullum verbum.* cauſa ſilentii præter deliberatam mortis patientiam, hæc erat,

quòd apud religioſum judicem accuſatio iſta vana eſſet. nam in criminibus Majeſtatis perſona ſpectanda eſt an potuerit facere: Jeſum autem plebeiæ ſortis hominem, nullas habentem armatorum copias, præſidia nulla, res ipſa ſatis ab hac ſuſpicione liberabat. Quòd ſi Pilatus, ut factum eſt, vellet placere Judæis, ſupervacua erat omnis defenſio, Tacebat ergo, *ita ut miraretur Mc. Pilatus Mt. præſes vehementer*, hominem innoxium, diſertum, & ſapientem in capitis periculo obticeſcere: mirabatur ejus patientiam, fortitudinem, mortis contemptum, integritatem, modeſtiam.

20 * 5 L *At illi invaleſcebant* accuſando, & clamando, ut clamoribus extorquerent quod rationibus non poterant. Clamores autem poterant pervenire uſque ad locum quo Pilatus Jeſum interrogabat. vociferabantur, *dicentes: commovet populum*, excitat in ſeditionem, *docens*, res novas *per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc*. cœpit prædicare in Galilæa nutrice ſeditioſorum hominum. 21 * 6 *Pilatus autem audiens Galilæam* nominari, *interrogavit, ſi homo Galilæus eſſet*. 22 * 7 *Et ut cognovit quòd de Herodis poteſtate eſſet*; Herodes enim erat Tetrarcha Galilææ, ubi educatus eſt Jeſus; ſed ideò maximè quia ſedem fixerat in urbe Capharnaum; quæ urbs ſi de ditione Philippi fuiſſet, ut quidam volunt, Jeſus non habitus fuiſſet de Herodis poteſtate. non enim tam origo quàm domicilium quemque huic vel illi principi ſubjicit. Ergo Pilatus *remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus*, religionis ergo, ut paſcha faceret, quippe Judæus. Ablegavit à ſe Jeſum Pilatus, tum ut ſeipſum extricaret judicio illius, tum ut Herodi gratificaretur. Propriam Romani juris vocem ibi uſurpat Lucas; *ἀνέπεμψεν, remiſit*; nam admittitur reus qui alicubi comprehenſus, mittitur ad judicem aut originis aut habitationis. Itaque Pilatus Herodi ut Tetrarchæ ejus loci, unde eſſe Jeſus dicebatur, poteſtatem permiſit Jeſum abducendi in Galilæam, ibique, ſi vellet, cognoſcendi de ejus cauſa; ut inter Romanos Provinciarum rectores fieri ſolebat.

22 * 8 *Herodes autem viſo Jeſu, gavíſus eſt valdè. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum*, eò *quòd audierat multa de eo* laude & admiratione digna, *& ſperabat ſignum aliquod* propheticæ ſuæ vocationis *videre ab eo fieri*, ut oculos & animum re nova paſceret, more aulæ. Jeſus Chriſtus hunc ſemper effugerat, ut vidimus; ideo non mirum, ſi hactenus non illi viſus. 24 * 9 *Interrogabat autem eum* Herodes *multis ſermonibus* de poteſtate quam ſibi arrogaret: quis eſſet: quæ ejus doctrina: unde ei poteſtas miracula patrandi, & ſimilia. *At ipſe* Jeſus *nihil reſpondebat*; non enim habebat cauſam loquendi, cùm animum Herodis introſpiceret alienum à veritate.

25 * 10 *Stabant autem principes ſacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum*, audacter, pertinaciter, metuentes, ne quà elaberetur. Dabant autem operam Scribæ ut Herodi quoque ſuſpectum facerent Jeſum affectati imperii. nam regnum Davidicum non minùs Galilæam quàm Hieroſolyma complectebatur.

26 * 11 *Sprevit autem illum Herodes*, pro nihilo eum habuit: indignum magnitudine ſua ratus, ſi crederetur metuiſſe hominem neque armis, neque regnandi artibus inſtructum. Accuſabatur enim affectati regni; ſed huic conatui imparem videns, ſprevit eum Herodes *cum exercitu ſuo, σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ*, cum militibus ſuis, nempe cum comitatu ſuo; nam Helleniſtæ στρατιὰ & στράτευμα uſurpant, ut Hebræi צבא, pro quovis *comitatu*. ſic Latinis *agmen, acies, copiæ* ſimili tranſlatione uſurpantur. non enim ſuſtinuiſſet Pilatus Herodem armatum cum ſuis venire Hieroſolyma.

Et Herodes illuſit indutum veſte alba, ἐσθῆτα λαμπράν. vox Græca ſplendorem potiùs & elegantiam quàm colorem ſignificat. hanc Syrus interpres coccineam dicit. ἐσθὴς λαμπρὰ, veſtis erat divitum ac nobilium. *Si introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ*, ſcribit Jacobus, cap. 2. ℣. 2. ibi iterum Latinus interpres hanc veſtem candidam appellat; quam Jacobus opponit veſti ſordidæ. Nempe olim divites utebantur veſtibus albis, quas ut alibi diximus, ſæpiùs dabant detergendas fullonibus, ut ſplendidæ eſſent. ergo Herodes induit Jeſum veſte ſplendida, id eſt privata ſplendidiorem, irridens eum, ut majora captu ſuo appetentem. Ita veſtis illa ſplendida ſive alba ſive coccinea, joculare fuit indicium affectati regni. ſic, inquam, illuſit Chriſto tanquam fatuo vanoque regi, & irridendo potiùs quàm ſeverè vindicando. *Et remiſit ad Pilatum*, beneficio indultæ cognitionis non utens adverſus hominem, quem cenſeret indignum ira ſua.

27 * 12 *Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant ad invicem*. inter reges & Romanos præſides ex æmulatu facillimè odia naſcebantur; forſan etiam ob Galilæos à Pilato nuper trucidatos, dum ſacrificia offerrent Hieroſolymis, ut dictum eſt, adeoque ob juriſdictionem Herodis uſurpatam.

CAPUT XXXII.

Non patiuntur Judæi Jeſum dimitti à Pilato. Rogant ut potiùs Barabbam dimittat; Jeſum verò crucifigat.

LUCAS Cap. 23. ℣. 13—25.

1 * 13 Pilatus autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe.

2 * 14 Dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inveni in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis.

3 * 15 Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei.

4 * 16 Emendatum ergo illum dimittam.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ℣. 15-26.	MARC. Cap. 15. ℣. 6 15.	LUCAS.	Jo. C. 18. ℣. 39-40.
5 *L* Neceſſe autem habebat *Mt.* Præſes *L* dimittere eis per diem feſtum unum *Mt.* vinctum quem voluiſſent.	15 Per diem autem ſolemnem conſueverat præſes populo dimittere unum vinctum, quem voluiſſent.	6 Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petiſſent.	17 Neceſſe autem habebat dimittere eis per diẽ feſtum, unum,	39 Eſt autem conſuetudo vobis ut unum dimittã vobis in paſcha:
6 Habebat autem tunc vinctum inſignem *MM.* qui dicebatur Barabbas, *Mc.* qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium.	16 Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas.	7 Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium.		
7 Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis.		8 Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis.		
8 *Mt.* Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: *Mt. J* Vultis *J* ergo *Mc. J* dimittam vobis regem Judæorum?	17 Congregatis ergo illis, dixit Pilatus.	9 Pilatus autem reſpondit eis, & dicit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum?	JOANNES. vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?	
9 *Mt.* quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?	Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?			
10 *MM.* Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum *Mc.* ſummi ſacerdotes.	18 Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum.	10 Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eũ ſummi ſacerdotes.		

MATTHÆUS.

11 * 19 Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi & juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.

Digitized by Google

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOAN.
12 Principes autem ſacerdotum & ſeniores *Mc.* concitaverunt turbam, *Mt.* perſuaſerunt populis ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent,	20 Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent.	11 Pontifices autem concitaverunt turbam ut magis Barabbam dimitteret eis.		
13 Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem vultis de duobus dimitti?	21 Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem vultis de duobus dimitti?			
† Act. 3. 14. 14 *L* † Exclamavit autem ſimul univerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. *J* Erat autem Barabbas latro,	At illi dixerunt: Barabbam.		18 Exclamavit autem ſimul univerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.	40 Clamaverunt ergo rurſum omnes: Non hunc, ſed Barabbã. Erat autẽ Barabbas latro.

L U C A S.

15 * 19 qui erat propter ſeditionem quandam factam in civitate, & homicidium miſſus in carcerem.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
16 Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos volens dimittere Jeſum.	22 Dicit illis Pilatus:	12 Pilatus autem iterùm reſpondens, ait illis:	20 Iterùm autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Jeſum.
17 *Mc.* Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? *Mt.* de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?	Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?	Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?	
18 *Mc.* At illi iterùm clamaverunt, *L* dicentes: Crucifige, *Mc. L* crucifige eum: *Mt.* dicunt omnes: Crucifigatur:	23 Dicunt omnes: Crucifigatur.	13 At illi iterùm clamaverunt: Crucifige eum.	21 At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.
19 *L* ille autem tertiò dixit ad illos: *MM. L* Quid enim mali fecit *L* iſte? nullam cauſam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.	Ait illi præſes: Quid enim mali fecit?	14 Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit?	22 Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum & dimittam.
20 At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes ut crucifigeretur, & invaleſcebant voces eorum *Mt.* dicentes: Crucifigatur, *Mc.* crucifige eum.	At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.	At illis magis clamabant: Crucifige eum.	23 At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes ut crucifigeretur: & invaleſcebant voces eorum.

M A T T H Æ U S.

21 * 24 Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus; vos videritis.

22 * 25 Et reſpondens univerſus populus, dixit: Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
23 *Mc.* Pilatus autem volens populo ſatisfacere, *L* adjudicavit fieri petitionem eorum.		15 Pilatus autem volens populo ſatisfacere,	24 Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum,
24 Dimiſit autem illis eum qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, *MM.* Barabbam *L* quem petebãt.	26 Tunc dimiſit illis. Barabbam,	dimiſit illis Barabbam,	25 Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant.
25 *Mt.* Jeſum autem flagellatum *L* tradidit voluntati eorum, *Mt.* tradidit eis *MM.* ut crucifigeretur.	Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.	& tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.	Jeſum verò tradidit voluntati eorum.

1 * 13 *L* PILATUS *autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus,* τοὺς ἄρχοντας, primoribus, *& plebe,* 2 * 14. *Dixit ad illos,* nempe ſenatores adſtante populo: *obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi evertentem populum* à Cæſare, *& ecce ego coram vobis interrogans,* examinans (nam etſi non intrarent in prætorium, advertebant inquiſitionem fieri ab eo de Jeſu) *nullam cauſam,* nullum crimen *invenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis.* vanæ ſunt criminationes veſtræ.

3 * 15 *Sed neque Herodes* ullum tale crimen invenit in eo. Si mihi non creditis, credite populari & conſorti religionis. *nam remiſi vos ad illum,* qui res Jeſu meliùs noviſſe potuit, ipſe quippe Judæus, legiſque veſtræ peritus, & ſub cujus ditione Jeſus præcipuè converſatus eſt. *& ecce nihil dignum morte actum eſt ei.* remiſſus eſt ab Herode Jeſus ſine ullo elogio, aut ſigno, quo mortem meritus intelligi poſſet. 4 * 16 *Emendatum ergo illum dimittam.* flagris cæſum, caſtigatum, ne impunè vos offenderit. Flagellatio erat ſupplicium levius, etiam Judæis uſitatum pro delictis non capitalibus, quod Chriſto voluit infligere Pilatus, ut eum morti eximeret.

5 * 17 *Neceſſe autem habebat* 15 *Mt. præſes L dimittere eis per diem feſtum,* κατ' ἑορτὴν, in feſto paſchæ quod tunc agebatur (volunt aliqui id factum in omni feſto) *unum Mt. vinctum quem voluiſſent,* in memoriam populi olim educti ex captivitate Ægyptiaca. 6 * 16. *Habebat autem* Pilatus in vinculis *tunc vinctum* captivum *inſignem,* virum famoſum *qui dicebatur Barabbas, Mc. qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium,* ita multis malis facinoribus notus.

7 * 8 *Et cùm aſcendiſſet* ſcilicèt Pilatus, juxta interpretem vulgatum qui legebat ἀναβὰς, ſive ἀναβὰντος; nunc legitur ἀναβοήσας, *cum acclamaſſet,* nempe ὁ ὄχλος, *turba,* ſive acclamans turba *cœpit rogare,* ſubaudi ut faceret, *ſicut ſemper faciebat illis,* ut juxta conſuetudinem dimitteret eis vinctum. 3 * 17 *Mt. Congregatis ergo illis dixit Pilatus,* nempe congregatos alloquens, *Mc.*] *vultis*] *ergo Mc.*] *dimittam vobis regem Judæorum* veſtrum? 9 * *Mt. Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?* quem plerique dicunt eſſe Chriſtum. 10 * 18 *Mt.* 10 *Mc. Sciebat enim* tum fama, tum ipſa re *quòd per invidiam tradidiſſent eum Mc. ſummi ſacerdotes.* cùm ferre non poſſent hunc clareſcere miraculis, cui mores ſuos non probari intelligebant.

11 * 19 *Mt. Sedente autem illo pro tribunali,* ἐπὶ τῷ βήματος, ſuper ſolium ſuum. βῆμα erat locus editus ex quo præſides jus dicebant. nimirum ſuggeſtum tribunal in loco aperto & patenti, extra, ſed ante ædes. ideo ut diximus, Pilatus compellaturus Judæos qui in ædes ejus noluerant intrare, ivit ad tribunal; in quo cum ſederet, *miſit ad eum uxor ejus,* quæ intra ædes erat, *dicens* per internuncium, *Nihil tibi & juſto illi,* ſupple ſit negotii. nihil agas adverſus illum: miſſum illum fac. Vocat autem eſu juſtum, vel quia illi conſtabat de innocentia ejus; vel, ut mea fert opinio, vocem illam accipit ea ſignificatione, quæ tunc temporis uſurpabatur. Dicebatur ut vidimus, δίκαιος, *juſtus,* ſive potiùs dici volebat, quiſquis ſectæ Judæ Galilæi adhæreret. credens lege Moyſis prohibitum eſſe dare tributa Cæſari. eo nomine ſacerdotes accuſabant Jeſum apud Pilatum. Itaque idem eſt ac ſi uxor Pilati dixiſſet miſſum fac illum Galilæum. multos enim terrores & angores *paſſa ſum hodie* manè, *per viſum,* κατ' ὄναρ, in ſomnio. plura me oſtenta matutino hoc tempore inter ſomniandum exagitarunt *propter eum.* Quæ fuerint iſta oſtenta, an à Deo, an à dæmone immiſſa, divinare non poſſumus. certè his moveri debuiſſet Pilatum, ne, quem ſciebat innocentem, injuſta ſententia damnaret.

12 * 20 *Principes autem ſacerdotum & ſeniores,* id eſt totum ſynedrium, 11 *Mc. concitaverunt*

runt turbas, Mt. perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent, id eſt, curaſent perdendum, & ad necem depoſcerent. 13 * 21. *Reſpondens autem præſes, ait illis,* iterùm à vobis peto: *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* 14 * 18 *L Exclamavit autem ſimul univerſa turba, dicens: Tolle hunc* de medio hominum, *& dimitte nobis Barabbam.* 1 *Erat autem Barabbas latro,* ut dictum eſt. 15 * 19 *L Qui erat propter ſeditionem quamdam factam in civitate & homicidium miſſus in carcerem.*

16 * 20 *Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Jeſum.* ſi potuiſſet flectere Judæorum animos. 17 * 12 *Mc. Quid ergo,* inquit, *vultis faciam regi Judæorum.* 22. *Mt. de Jeſu qui dicitur Chriſtus.* ſi non dimittam, quo illum vultis afficiam ſupplicio. 19 * 13 *Mc. At illi iterum clamaverunt,* 21 *L dicentes: Crucifige, Mc. L crucifige eum,* 23 *Mt. dicunt omnes: Crucifigatur.* crucem Chriſto optant, quia id ſupplicium erat ignominioſiſſimum, quippe viliſſimis & ſceleratiſſimis hominibus proprium, ſervis, aliiſque ob crimen falſi, ſicariatum, lattocinium, ſeditionem, læſam majeſtatem; unde & *mala crux, infelix lignum, & infamis ſtipes.* vulgo gentibus vocabatur. quem ergo ſeditionis reum arguebant, crucifigendum eſſe vociferabantur; ut hæc ipſorum fuerit ſententia & votum. Jeſum afficire ſupplicio quod ſoletia ſumere de ſeditioſis, eum cruci affigentes. Adde quòd Judæis maledicta erat hæc mors.

19 * 23 *L Ille autem tertiò dixit ad illos: MM. L Quid enim mali fecit L iſte,* ut tanto puniatur ſupplicio? *Nullam cauſam mortis* tam acerbæ *invenio in eo: Corripiam ergo illum, &* cæſum illum tantummodò flagris *dimittam.* 20 * 23 *At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes, ut crucifigeretur.* urgebat propoſitum ſuum, *& invaleſcebant voces eorum, Mt. dicentes: Crucifigatur, Mc. Crucifige eum.*

21 * 24 *Mt. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret,* nempe obtinere non poſſet, ut Judæi Jeſum ultrò dimitterent, *ſed magis tumultus fieret,* & ita locus eſſet metuendi, ne per vim Jeſum ad mortem raperent, & ſi obſiſteret, defectionem molirentur; *accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus: vos videritis?* hunc ego non interficio ſed vos: culpa non mea eſt, ſed veſtra, qui me cogitis ad cædem. Juſtum vocat, quem innocentem credebat. potuit tamen non alio ſenſu pronuntiaſſe juſtum quem damnabat, quàm quo diximus Jeſum juſtum appellatum ab uxore ejus. nempe ibi *juſtus* nomen eſt cujuſvis ſectatoris Judæ Galilæi, qui prætextu juſtitiæ nolebat date tributa Cæſari; quo crimine Jeſum coram Pilato accuſabant. Nam licèt Pilatus ſciret Jeſum eſſe innocentem, quem volebat flagris emendare, non decoraſſet titulo juſti; ut plerumque nomen illud ſumitur; plus enim dicit, quàm quod à Pilato dictum volunt, nempe Jeſum non fuiſſe reum.

Lavare manus ſuas vetus mos erat Judæis, cùm teſtarentur nihil à ſe mali admiſſum; & id fieri Deus præceperat, Deuteron. cap. 21. ℣. 6. ſcilicet ut cùm in vicinia urbis alicujus homicidium occultum patratum fuerat, majores natu accederent ad interfectum, lavarentque manus ſuas; inde parœmia frequens Judæorum, cùm ſe innocentes teſtari vellent. Pſalm. 72. ℣. 13. *Lavi inter innocentes manus meas.* & pſal. 25. ℣. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas.* omnibus gentibus conſuetum fuit à cæde recenti ſeſe abluere, ſaltem manus aqua lavare. ita Pilatus, ſive Romanis illud fuerit uſitatum, ſive id fecerit imitatione Judæorum, inter quos verſans eorum inſtituta & conſuetudines in hac parte ſequi voluit, lavit manus ſuas. Vis autem fontis Græci perpendenda *ἀπενίψατο τὰς χεῖρας*; neque enim ſimpliciter hoc ſignificat *lavit manus ſuas*, ſed potiùs *abluit manus ſuas.* verbum enim *ἀπονίψασθαι*, ſignificat manus poſt cœnam cùm infectæ ſunt, abluere. Pilatus videns piaculo ſe teneri ex iis quæ tum agebantur, ablutione uti voluit.

22 * 25 *Et reſpondens univerſus populus, dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* id eſt, pœna propter ſanguinem effuſum, culpam, ſi aliqua eſt, in nos ſuſcipimus à nobis luendam, ut teſtes ſolebant dicere. *Sit ſanguis iſtius ſuper nos*; quod ſæpiùs in ſcripturis occurrit. ſic Joſue cap. 2. ℣. 19. *ſit ſanguis ejus in caput ejus.* Vox autem iſta Judæorum non irrita cecidit; ipſi enim & filii eorum pœnas tam ſcelerati facinoris acerbas dedere. *perſeverat uſque in præſentem diem,* ait B. Hieronymus, *hæc imprecatio ſuper Judæos: & ſanguis Domini non auferetur ab eis.*

23 * 15 *Mc. Pilatus autem volens populo ſatisfacere,* id eſt, efficere ne quærerentur Judæi. 24 *L adjudicavit fieri petitionem eorum.* judicavit, ut id fieret quod petebant. 24 * 25 *Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, MM. Barabbam, quem petebant.* hunc impunitum dimiſit.

25 * *Mt. Jeſum autem flagellatum L tradidit voluntati eorum: Mt. tradidit eis ut crucifigeretur.* juxta voluntatem eorum tradidit, ut crucifigeretur à militibus, poſtquam virgis exceptus eſſet & illuſus: quod diligentiùs Joannes narravit, ſimul docens quod alii Evangeliſtæ prætermiſere ſilentio, Pilatum produxiſſe populo Jeſum flagris cæſum, ut intelligerent ſat grande de illo ſupplicium ſumptum; ſed fruſtrà ſperabat Pilatus hacce imagine commoveri poſſe Judæos.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

Jeſus flagellatur, coronatur ſpinis, veſte induitur purpurea, illuditur in prætorio, & foras ad populum producitur: iterùm annuit Pilatus ut crucifigatur.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ỹ. 27-30.	MARCUS. Cap. 15. ỹ. 16-19.	JOAN. Cap. 19. ỹ. 1-16.
1 *J* Tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit.			1 Tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum. & flagellavit.
2 *Mc.* Milites autem *Mt.* præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium *Mc.* duxerunt eum in atrium prætorii *Mt.* & congregaverunt ad eum univerſam cohortem.	27 Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem.	16 Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem.	2 Et milites
3 Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.	28 Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.	17 Et induunt eum purpura,	
4 Et *Mc. J* plectentes coronam de ſpinis *Mt.* poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus.	29 Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus.	& imponunt ei plectentes ſpineam coronam.	plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpurea circumdederunt eum.
5 *J* Et veniebant ad eum: *Mt.* & genu flexo ante eum illudebant ei.	Et genu flexo ante eum illudebant ei.		3 Et veniebant ad eum,
6 *Mc.* Et cœperunt ſalutare eum, *Mt.* dicentes *MM.J* Ave rex Judæorum; *J* & dabant ei alapas.	dicentes: Ave rex Judæorum	18 Et cœperunt ſalutare eum: Ave rex Judæorum.	& dicebant: Ave rex Judæorum: & dabant ei alapas.
7 *Mt.* Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus, *Mc.* & ponentes genua adorabant eum.	30 Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.	19 Et percutiebant caput ejus arundine: & conſpuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.	

JOANNES.

8 * 4 Exivit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam.

9 * 5 (Exivit ergo Jeſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum.) Et dicit eis: Ecce homo.

10 * 6 Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.

11 * 7 Reſponderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.

12 * 8 Cùm

12 * 8 Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit.

13 * 9 Et ingreſſus eſt prætorium iterùm: dixit ad Jeſum: Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei.

14 * 10 Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?

15 * 11 Reſpondit Jeſus: Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

16 * 12 Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis, enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.

17 * 13 Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum: & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha.

18 * 14 Erat autem paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Judæis: Ecce Rex veſter.

19 * 15 Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit ei Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem, niſi Cæſarem.

20 * 16 Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. *Suſceperunt &c. cap. ſeq.*

MORIS Romani erat, ut qui crucis ſupplicio afficiendi eſſent, priùs virgis flagelliſve cæderentur: eo more Pilatus juſſit ut Chriſtus flagellaretur, antequam affigeretur cruci. *Sciendum eſt enim*, inquit B. Hieronymus, *Pilatum Romanis legibus miniſtraſſe, quibus ſanc tum erat; ut qui crucifigeretur, priùs flagellaretur.* Joſephus ſcribit lib. 2. de bell. cap. 14. Florum quoſdam nobiles Judæos, cives Romanos, verberibus cæſos in crucem ſuſtuliſſe; & lib. 6. cap. 12. Judæos à Tito poſt pugnam captos, poſtquam verberibus cæſi fuiſſent in crucem actos. 1 * 1 J *Tunc ergo*, cùm compulſus fuiſſet dimittere Barabbam, & ſtatuere Jeſum in crucem agendum, *apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit* per lictores ſuos, ſive milites prætorianos.

2 * 16 *Mc. Milites autem 27 præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, Mc. duxerunt eum in atrium prætorii*, in aulam, ſive in locum ſubdialem, patentem; qui in ædibus procerum cingebatur porticibus, ut vidimus ſuprà. *Mt. & congregaverunt ad eum univerſam cohortem.* ſpectandi & deridendi cauſa. 3 * 28. *Et exuentes eum* veſtimentis ſcilicèt propriis, *chlamydem coccineam circumdederunt ei.* juxta Marcum, *& induunt eum purpura.* juxta Joannem. *veſte purpurea.* conciliantur Evangeliſtæ, quod parvum diſcrimen ſit coccineum inter & purpureum colorem, ſed tamen diſcrimen; purpura enim ex liquore piſciculi, ſive conchæ, coccinum autem ex grano fruticis naſcitur. alii ſentiunt tunica purpurea Chriſtum indutum fuiſſe, & deinde chlamyde coccinea circumdatum: ſed fieri poteſt, ut Evangeliſtæ id unum intuiti fuerint, Jeſum ad exprobrationem affectati regni indutum fuiſſe veſte, quæ regiam colore ſuo utcumque imitaretur. Promiſcue cocco & purpura induebantur Imperatores. *Coccum imperatoriis dicatum paludamentis*, ſcribit Plin. lib. 22. cap. 2. Lampridius in Alexandro Severo. *Hoc ſolum imperatorium habens, quòd lacernam coccineam accipiebat.* Paulus diaconus, lib. 10. *Imperii inſigne in chlamyde purpurea tantùm erat.* Vopiſcus in Aureliano ſcribit veſtes militum fuiſſe purpureas. S. Auguſtinus dicit eſſe rubram quamdam purpuram cocco ſimilem.

Sic probabile eſt chlamydem illam, qua Chriſtum milites induerunt, fuiſſe aliquod pallium militare, unique militum detractum fuiſſe, ut eo Chriſtus indueretur, ſeu circumdaretur; nam chlamys pallium militare fuit rotundum, non quadrangulum; ita ut milites tam operiret quàm circumdaret. Color coccineus in ſcriptura ſymbolum eſt peccati; unde illa Iſaiæ cap. 1. ℣. 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ideo aſperſiones ſanguinis pro peccato fiebant lana coccinea, ut docet Apoſtolus ad Hebr. cap. 9. ℣. 19. Et in rogum vaccæ rufæ quæ comburebatur, ſacerdos projecit coccinum, Num. cap. 19. ℣. 6. ad ſignificandum peccata populi ſimul cum vacca comburi. ita non ſine Dei providentia obtigit Chriſto, qui factus eſt *peccatum*, id eſt, victima pro pec-

cato,

cato, ut rubri coloris amictu velaretur. Præterquam mortis ejus typus fuerat caper emiſſarius, qui primùm in Templo judicabatur, addicendus morti extra Templum & urbem oppetendæ; & cujus cornibus alligabatur pannus coccineus, ut obſervant Judæi in codice Joma, cap. 6.

Juvat huc afferre ex Philone, lib. contra Flaccum, quod fecerunt Alexandrini, illudentes Agrippæ Judæo, qui modò rex declaratus à Caio, in Judæam profectus appulerat Alexandriam. Regia dignitas collata Judæo moverat invidiam Alexandrinis. ergò illi quemdam Carabam, puerorum ludibrium ſtatuerunt in loco edito, ut ſpectari poſſet ab omnibus. capiti diadema impoſuerunt papyraceum, pro paludamento corpori ſtoream induerunt, & pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum, quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis inſigniis. & in regem transformatum more hiſtrionico, adoleſcentes perticas in humeri geſtantes ſtipabant pro ſatellitio: tum alii ſalutatum accedebant, alii ſibi reddi jura petebant, alii conſulebant eum de republica. poſt hæc acclamatum magna voce *Marim* appellantibus, quod nomen Syris ſignificat *Dominum*.

Similiter procax militum turba certabat Chriſto illudere. 4 * 29 *Mt.* & *Mr.*] *Plectentes coronam de ſpinis Mt. poſuerunt ſuper caput ejus.* ſcilicet ramuſculos aliquot ſpinoſos circumvolventes, & in orbem torquentes, contexuere coronam conſtantem ligno vice auri, & ſpinis gemmarum loco. lignum autem illud fuit ex ſpinarum, ruborum, ſentiumve genere. Clemens Alexandrinus, lib. 2. Pædag. cap. 8. dicit fuiſſe Χνὶ βάτου. plerique ex Rhamno, quia hæc ſpina, quæ vulgò Hieroſolymis naſcitur, obvia eſſe potuerit; tum quia milites eam potiùs eligere voluerint, quæ magis pungeret, qualis eſt Rhamnus teſte Plinio, lib. 24. cap. 14. *Inter genera ruborum Rhamnus appellatur à Græcis candidior & fruticoſior: is floret, ramos ſpargens rectis aculeis, non, ut cæteri, aduncis, foliis majoribus.* Milites, inquam, pro hiſtrionico rege Jeſum habentes, ipſi dederunt ſpineam coronam pro diademate, chlamydem purpuream pro paludamento, *& arundinem in dextera ejus* pro ſceptro.

5 * 3] *Et veniebant ad eum, Mt. & genu flexo ante eum, illudebant ei.* 6 * 18. *Mc. Et cœperunt* ad ludibrium regem *ſalutare eum, Mt. dicentes: Ave rex Judæorum*, χαῖρε, gaude, ſalve. more Romano Imperatores ſalutabantur nomine *Imperatoris*, vel *Domini*, vel alio nomine adulatorio. ita Pſitacus Cæſarem ſalutat:

Hoc didici per me dicere, Cæſar ave.

Igitur ex hoc more milites Romani Chriſtum Regem per deriſionem ſalutarunt, ut & Alexandrini Carabam ſalutabant, magna voce *Marim*, id eſt, *Dominum* appellantes.] *Et dabant ei alapas* ut ſtulto & ſervo, 7 * 30 *Mt. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem*, forſan illam ipſam quam poſuerant in dextera ejus, *MM. & percutiebant caput ejus Mc. arundine, & conſpuebant eum: & ponentes genua adorabant eum* per deriſionem. Voces improbas & ſputa, & omnes alias inſanæ multitudinis contumelias pertulit Dominus, ut vir idoneus omnibus injuriis.

8 * 4] *Exivit ergò iterùm Pilatus foras* extra prætorium, *& dicit eis: Ecce adduco vobis eum* hominem, *foras* eductum ex atrio, in quo meo juſſu flagris cæſus eſt, *ut cognoſcatis*; certò ſciatis *quia nullam invenio in eo cauſam.* 9 * 5. *Exivit ergò Jeſus*, productus eſt, *portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum*, eo habitu quo illuſus erat à militibus. *Et dicit eis: Ecce homo.* videte ejus miſeriam, & quàm ridiculum ſit in ipſo crimen affectati regni.

10 * 6. *Cùm ergò vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri* illorum, *clamabant*, magis vociferabantur, *dicentes: Crucifige, crucifige eum.* repetitio animi furorem & ardorem ſignificat. *Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.* quaſi dicat: vos hoc, ſi lubet, facite veſtro periculo meum non eſt damnare inſontem. non jus concedit, ſed mavult alienum, quàm ſuum crimen eſſe. 11 * 7. *Reſponderunt ei Judæi*: cùm non perſuaderent crimen adverſus Imperium Romanum, jam legem ſuam urgent, nempe illam de pſeudoprophetis. *nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit*, cùm non ſit. Si mori debet qui prophetam ſe dicit cùm non ſit, mori multò magis debet qui Meſſiam ſe dicit, juxta illud Deuteronomii, cap. 18. ℣. 20. *Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.*

12 * 8. *Cùm ergo audiviſſet Pilatus, magis timuit*, ἐφοβήθη, magis quàm antea perterritus eſt. ſcilicet metuens ob res miras de Jeſu auditas, ne fortè verum eſſet ortum eum divino ſatu; ſicut Romani & Græci de Heroibus ſuis credebant. 13. * 9. *Et ingreſſus eſt prætorium iterùm*, de Jeſu diligentiùs inquiſiturus, *& dixit ad Jeſum: Unde es tu?* unde ortus, quibus majoribus? *Jeſus autem reſponſum non dedit ei*: nihil enim æqui expectari poterat ab eo qui verberari in gratiam plebis iratæ juſſerat eum quem noverat & fatebatur innocentem: præterquam huicce doctrinæ de divino ejus ſatu percipiendæ idoneus non erat; ergo non reſpondit Jeſus; ut de illo prophetatum fuerat, *ſicut agnus coram tondente ſuit, ſic non aperuit os ſuum.*

14 * 10. *Dixit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te,*

&

Digitized by Google

& poteſtatem habeo dimittere te impunitum? 15 * 11. *Reſpondit Jeſus: Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*, unde ſcilicet ortus ſum. Tacitè enim hoc indicat: facilè eam poteſtatem quam jactas, evaderem, ut antehac inſidias multas. ſed nunc Dei voluntate potentiam in me habes, ut manibus tuis id genus mortis ſubeam, quod præſcriptum eſt à patre: *propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* ille enim, ſive illi omnes qui me tradiderunt magis peccant; nam odio in me moventur, tu autem ſolùm odio eorum obſequeris.

16 * 12. *Et exinde*, nempe ex quo ſuboluit, Jeſum eſſe filium Dei, ſive divinam habere originem, *quærebat Pilatus dimittere eum*, quærebat quomodo eum dimitteret. *Judæi autem clamabant dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, ejus jura non tueris. Legati, Præſides, Præfecti, Imperatoris amici dicebantur. Trajanus apud Plinium, lib. 10. ep. 22. *ad Pompeium Plantam præfectum Ægypti, amicum meum.* idque paſſim occurrit in libris juris civilis. *Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari*, adverſatur, rebellat. Redeunt Judæi ad primam illam criminationem; quia iſta accuſatione quòd ſe filium Dei faceret Jeſus, non commoverant Pilatum.

17 * 13. *Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones*, timuit ne apud Cæſarem perduellionis & perfidiæ accuſaretur, Cæſarem magis metuens quàm Deum. Suſpicaciſſimus erat Tiberius, & ſub illo minima quæque veniebant in crimen majeſtatis, ut ex Tacito & Svetonio apertum eſt. apud talem dominum qualiſcumque provinciarum accuſatio afferebat periculum: cujus timori ſuccumbens Pilatus, planè ut Caiphas, injuſtè agere quàm pati mavult; quod ferè eſt ingenium omnium qui rempublicam tractant.

Ergo Pilatus *adduxit foras Jeſum* ex interiori prætorio; *& ſedit pro tribunali*, ἐπὶ τοῦ βήματος, in ſolio habitu judicis ad ferendam ſententiam, *in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbata.* Tribunal, βῆμα, locus editus erat, lapideus, ut appellatur à Suida, ὁ λίθος ἀναστάς. Veriſimile eſt tribunal præſidis Romani affabrè factum; & quod tunc fieri ſolebat, lapidibus ſtratum, incruſtatione exiguis lapillis facta; unde propter eximiam artem dicebatur *Lithoſtrotos*; quo nomine à Græcis & à Latinis talia opera appellabantur, de quibus ſic Plinius loquitur, lib. 36. cap. 25. *pavimenta originem apud Græcos habens, elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithoſtrota expulere eam.* Joſephus libro 7. de bello, cap. 3. narrat lapſum militis Romani, dum curreret, calceos habens creberrimis atque acutis clavis fixos κατὰ λιθοστρώτου, per pavimentum Templi. Quia ergo tribunal Pilati erat lapidibus arte tunc eximia conſtratum Græcè appellabatur λιθόστρωτος, hoc eſt, locus lapidibus ſtratus, *Hebraice* autem, ſive Syriacè *Gabbata*; quod nomen idem ſonat quod *Lithoſtrotos*, ſignificat enim βῆμα, id eſt, locum editum, qualia erant Romanorum tribunalia, ſive ſuggeſta, unde, ut diximus, prætores & qui jus dicebant, alloquebantur populos, vel milites, ut à pluribus audiri poſſent. Hebræis *gaba* eſt *collis.* βῆμα, ſuggeſtum erat quaſi collis.

18 * 14. *Erat autem paraſceve paſchæ hora quaſi ſexta*, id eſt, ſub meridiem; ſexta enim hora Hebræis dividit diem. vidimus pomeridianis horis decimæ quartæ diei menſis Niſan agnos paſchales fuiſſe mactandos. Aderat illa dies decima quarta. ita ea hora παρασκευή, *paraſceve*, nempe præparatio paſchæ acceleranda erat; paranda, inquam, omnia quæ mactando agno erant neceſſaria. Tempus ergo illud diligenter notat Evangeliſta, indicans ardorem Judæorum in accelerando judicio Chriſti, ut vacare poſſent peragendis ſolemniis feſti inſtantis. Alibi confutavimus eos qui volunt illam *paraſceven* fuiſſe ſabbatinam; quod abſurdum eſt; illa enim non incipiebat ſexta hora, ſed nonâ; ut ſuo loco dictum eſt.

Pilatus ergo cùm iterum adduxiſſet Jeſum, conatus eſt verecundia, vel miſericordia flectere eos, *& dicit Judæis, Ecce Rex veſter* pauper & afflictus: Cæſar ſibi ab illo non timet, vos tantùm quieſcite, & illius miſeremini. 19 * 15. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle* è medio, ex conſpectu noſtro. ex vita. *Crucifige eum*, jube ut protinùs crucifigatur. *Dicit eis Pilatus*: non ironicè, ut quidam volunt, nam valdè commovebatur hinc conſcientia, inde timore Cæſaris & ſeditionis; dicit, inquam, *Regem veſtrum crucifigam?* id eſt, Chriſtum veſtrum; putabat enim verè eſſe Chriſtum eorum. *Reſponderunt ipſi Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem*; non alium regem agnoſcimus præter Cæſarem. Mos erat Græcorum & Helleniſtarum, quem Romani vocabant *Imperatorem*, appellare βασιλέα, *regem*, quia poteſtas erat ſimilis.

Tunc ergo contigit, Deo ita res & verba dirigente ut Judæi abdicarint ſpem de Meſſia, quem tota Moſis religio ſpectabat, à quo ſalus eorum & omnes pendebant Dei promiſſiones. Quin ipſi ſe damnabant, qui poſtea in Cæſares rebellarunt. Tantum poteſt ira, ut ſæpè dicantur quæ maximè nocent. odium Jeſu extorſit eis ſervitutis inviſæ publicam profeſſionem, & ut Cæſaribus, quos ut tyrannos ſummè oderant, in æternum ſe obſtringerent. Priùs dicere ſolebant. *Non habemus regem niſi Deum.* 20 * 16. *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.* nempe annuens votis eorum permiſit, ſive juſſit ut milites eum crucifigerent.

DIS-

DISSERTATIO
DE
CRUCE.

Ut crucem in qua paſſus eſt J. C. D. N. plurima veneratione, ita & id omne quod ad illam attinet, ſermone diligenti decet proſequi; ea videlicet quibus prænotatis clariora erunt quæ Evangeliſtæ narrant de crucifixione Domini. Etenim qui tam infame & atrox ſupplicium de Chriſto exegerunt, non ipſi erant de gente Judæorum. uſi ſunt more ſuo, qui in ſacra ſcriptura non expoſitus eſt. igitur à ſcriptoribus exoticis diſcendum, quod ſpectat tum materiam, tum formam crucis, cæteraque crucifixionis adjuncta. Hæc omnia complectemur brevi diſſertatione, exſcribentes Lipſium, Gretſerum, Caſaubonum, Salmaſium, & alios viros doctos qui de cruce opera data diſſeruerunt.

§. I.

Crux de qua hic diſſerimus, lignum erat in quo tandiu pendebant qui huic affigebantur, donec miſerè interirent.

Servorum, latronum, ſicariorum, & ſeditioſorum ſupplicium crux erat, cui illi affigebantur, & in ea pendebant, donec fame, ſiti, doloribus enecarentur: poſt mortem ſuam canum & corvorum relicti cibus. Itaque ſupplicio illo non aliud apud Romanos magis infame & acerbum magis. inde crux *paſſim ſumitur pro maximo angore & tormento*, abire in malam crucem: quæ te mala crux agitat. *Ideo, inquam,* crux *appellatur infelix lignum.* Invenitur, *ait Seneca loquens de cruce*, qui velit adactus ad infelix illud lignum trahere animam tot tormenta tracturam. *E prompto autem aliquo ligno, ſive ex obvio quocumque fiebat: imò arbores cruciatui non rarò inſerviebant, reciſæ leviter, & ad crucem aptatæ, ſive etiam comantes; maximè cùm plures cruciandi erant; etenim hoc aliquando contingebat.* duo millia *poſt Tyrum captam ab Alexandro, inquit Curtius*, crucibus affixa per ingens litoris ſpatium pependerunt. *Tertullianus in Apologetico cap. 8. narrat juſſu Tiberii ſacerdotes Saturni appenſos* fuiſſe in eiſdem arboribus Templi ſui, obumbraticibus ſcelerum. *Non prætermittendum quod ſcribit Joſephus factum à Quintilio Varo, qui ob neſcio quem motum crucifixit circiter bis mille Judæos. Sic etiam Titus in obſidione illa exitiali, qua Deus manu Romanorum ultus eſt mortem filii ſui, quam manibus eorumdem Romanorum procuraverant Judæi, quingenos & plures in ſingulos dies crucibus affixit; ita ut ob multitudinem terra crucibus, & cruces corporibus deeſſent. Ergo crux propriè nihil aliud eſt quàm lignum erectum, & altum ex quo quis cruciandus ſuſpendebatur, non laqueo ſtrangulandus, ut nunc fit; ſed ſive clavis, ſive aliis retinaculis conſtrictus, tandiu pendebat. donec miſerè interiret. Juvat tamen de forma crucis diligentiùs diſſerere.*

§. II.

& poteſtatem habeo dimittere te impunitum? 15 * 11. *Reſpondit Jeſus: Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*, unde ſcilicet ortus ſum. Tacitè enim hoc indicat: facilè eam poteſtatem quam jactas, evaderem, ut antehac inſidias multas. ſed nunc Dei voluntate potentiam in me habes, ut manibus tuis id genus mortis ſubeam, quod præſcriptum eſt à patre: *propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. ille enim, ſive illi omnes qui me tradiderunt magis peccant; nam odio in me moventur, tu autem ſolùm odio eorum obſequeris.

16 * 12. *Et exinde*, nempe ex quo ſuboluit, Jeſum eſſe filium Dei, ſive divinam habere originem, *quærebat Pilatus dimittere eum*, quærebat quomodo eum dimitteret. *Judæi autem clamabant dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, ejus jura non tueris. Legati, Præſides, Præfecti, Imperatoris amici dicebantur. Trajanus apud Plinium, lib. 10. ep. 22. *ad Pompeium Plantam præfectum Ægypti, amicum meum*. idque paſſim occurrit in libris juris civilis. *Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari*, adverſatur, rebellat. Redeunt Judæi ad primam illam criminationem; quia iſta accuſatione quòd ſe filium Dei faceret Jeſus, non commoverant Pilatum.

17 * 13. *Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones*, timuit ne apud Cæſarem perduellionis & perfidiæ accuſaretur, Cæſarem magis metuens quàm Deum. Suſpicaciſſimus erat Tiberius, & ſub illo minima quæque veniebant in crimen majeſtatis, ut ex Tacito & Suetonio apertum eſt. apud talem dominum qualiſcumque provinciarum accuſatio afferebat periculum: cujus timori ſuccumbens Pilatus, planè ut Caiphas, injuſtè agere quàm pati mavult; quod ferè eſt ingenium omnium qui rempublicam tractant.

Ergo Pilatus *adduxit foras Jeſum* ex interiori prætorio; *& ſedit pro tribunali*, ἐπὶ τοῦ βήματος, in ſolio habitu judicis ad ferendam ſententiam, *in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbata*. Tribunal, βῆμα, locus editus erat, lapideus, ut appellatur à Suida, ὁ λίθοις ἐστρωμένος. Veriſimile eſt tribunal præſidis Romani affabrè factum; & quod tunc fieri ſolebat, lapidibus ſtratum, incruſtatione exiguis lapillis facta; unde propter eximiam artem dicebatur *Lithoſtrotos*; quo nomine à Græcis & à Latinis talia opera appellabantur, de quibus ſic Plinius loquitur, lib. 36. cap. 25. *pavimenta originem apud Græcos habent, elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithoſtrota expulere eam*. Joſephus libro 7. de bello, cap. 3. narrat lapſum militis Romani, dum curreret, calceos habens creberrimis atque acutis clavis fixos κατὰ λιθόστρωτον, per pavimentum Templi. Quia ergo tribunal Pilati erat lapidibus arte tunc eximia conſtratum Græcè appellabatur λιθόστρωτον, hoc eſt, locus lapidibus ſtratus, *Hebraicè* autem, ſive Syriacè *Gabbata*; quod nomen idem ſonat quod *Lithoſtrotos*, ſignificat enim βῆμα, id eſt, locum editum, qualia erant Romanorum tribunalia, ſive ſuggeſta, unde, ut diximus, prætores & qui jus dicebant, alloquebantur populos, vel milites, ut à pluribus audiri poſſent. Hebræis *gaba* eſt *collis*. βῆμα, ſuggeſtum erat quaſi collis.

18 * 14. *Erat autem paraſceve paſchæ hora quaſi ſexta*, id eſt, ſub meridiem; ſexta enim hora Hebræis dividit diem. vidimus pomeridianis horis decimæ quartæ diei menſis Niſan agnos paſchales fuiſſe mactandos. Aderat illa dies decima quarta. ita ea hora παρασκευὴ, *paraſceve*, nempe præparatio paſchæ acceleranda erat: paranda, inquam, omnia quæ mactando agno erant neceſſaria. Tempus ergo illud diligenter notat Evangeliſta, indicans ardorem Judæorum in accelerando judicio Chriſti, ut vacare poſſent peragendis ſolemniis feſti inſtantis. Alibi confutavimus eos qui volunt illam *paraſceven* fuiſſe ſabbatinam; quod abſurdum eſt; illa enim non incipiebat ſexta hora, ſed nonâ; ut ſuo loco dictum eſt.

Pilatus ergo cùm iterum adduxiſſet Jeſum, conatus eſt verecundia, vel miſericordia flectere eos, *& dicit Judæis, Ecce Rex veſter* pauper & afflictus: Cæſar ſibi ab illo non timet, vos tantùm quieſcite, & illius miſeremini. 19 * 15. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle* è medio, ex conſpectu noſtro. ex vita. *Crucifige eum*, jube ut protinùs crucifigatur. *Dicit eis Pilatus*: non ironicè, ut quidam volunt, nam valdè commovebatur hinc conſcientia, inde timore Cæſaris & ſeditionis; dicit, inquam, *Regem veſtrum crucifigam?* id eſt, Chriſtum veſtrum; putabat enim verè eſſe Chriſtum eorum. *Reſponderunt ipſi Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem*; non alium regem agnoſcimus præter Cæſarem. Mos erat Græcorum & Helleniſtarum, quem Romani vocabant *Imperatorem*, appellare βασιλέα, *regem*, quia poteſtas erat ſimilis.

Tunc ergo contigit, Deo ita res & verba dirigente ut Judæi abdicarint ſpem de Meſſia, quem tota Moſis religio ſpectabat, à quo ſalus eorum & omnes pendebant Dei promiſſiones. Quin ipſi ſe damnabant, qui poſtea in Cæſares rebellarunt. Tantum poteſt ira, ut ſæpè dicantur quæ maximè nocent. odium Jeſu extorſit eis ſervitutis inviſæ publicam profeſſionem, & ut Cæſaribus, quos ut tyrannos ſummè oderant, in æternum ſe obſtringerent. Priùs dicere ſolebant. *Non habemus regem niſi Deum*. 20 * 16. *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur*. nempe annuens votis eorum permiſit, ſive juſſit ut milites eum crucifigerent.

DIS-

DISSERTATIO DE CRUCE.

UT crucem in qua paſſus eſt J.C.D.N. plurima veneratione, ita & id omne quod ad illam attinet, ſermone diligenti decet proſequi; ea videlicet quibus prænotatis clariora erunt quæ Evangeliſtæ narrant de crucifixione Domini. Etenim qui tam infame & atrox ſupplicium de Chriſto exegerunt, non ipſi erant de gente Judæorum. uſi ſunt more ſuo, qui in ſacra ſcriptura non expoſitus eſt. igitur à ſcriptoribus exoticis diſcendum, quod ſpectat tum materiam, tum formam crucis, cæteraque crucifixionis adjuncta. Hæc omnia complectemur brevi diſſertatione, exſcribentes Lipſium, Gretſerum, Caſaubonum, Salmaſium, & alios viros doctos qui de cruce opera data diſſeruerunt.

§. I.

Crux de qua hic diſſerimus, lignum erat in quo tandiu pendebant qui huic affigebantur, donec miſerè interirent.

Servorum, latronum, ſicariorum, & ſeditioſorum ſupplicium crux erat, cui illi affigebantur, & in ea pendebant, donec fame, ſiti, doloribus enecarentur: poſt mortem ſuam canum & corvorum relicti cibus. Itaque ſupplicio illo non aliud apud Romanos magis infame & acerbum magis. inde crux *paſſim ſumitur pro maximo angore & tormento,* abire in malam crucem: quæ te mala crux agitat. *Ideo, inquam,* crux *appellatur infelix lignum.* Invenitur, *ait Seneca loquens de cruce,* qui velit adactus ad infelix illud lignum trahere animam tot tormenta tracturam. *E prompto autem aliquo ligno, ſive ex obvio quocumque fiebat: imò arbores cruciatui non rarò inſerviebant, reciſæ leviter, & ad crucem aptatæ, ſive etiam comantes; maximè cùm plures cruciandi erant; etenim hoc aliquando contingebat.* duo millia *poſt Tyrum captam ab Alexandro, inquit Curtius,* crucibus affixa per ingens litoris ſpatium pependerunt. *Tertullianus in Apologetico cap. 8. narrat juſſu Tiberii ſacerdotes Saturni appenſos* fuiſſe in eiſdem arboribus Templi ſui, obumbraticibus ſcelerum. *Non prætermittendum quod ſcribit Joſephus factum à Quintilio Varo, qui ob neſcio quem motum crucifixit circiter bis mille Judæos. Sic etiam Titus in obſidione illa exitiali, qua Deus manu Romanorum ultus eſt mortem filii ſui, quam manibus eorumdem Romanorum procuraverant Judæi, quingenos & plures in ſingulos dies crucibus affixit; ita ut ob multitudinem terra crucibus, & cruces corporibus deeſſent. Ergo crux propriè nihil aliud eſt quàm lignum erectum, & altum ex quo quis cruciandus ſuſpendebatur, non laqueo ſtrangulandus, ut nunc fit; ſed ſive clavis, ſive aliis retinaculis conſtrictus, tandiu pendebat. donec miſerè interiret. Juvat tamen de forma crucis diligentiùs diſſerere.*

§. II.

§. II.

Cruces fuere ſorma diverſæ; ſed magis uſitatæ ſunt quæ erant ex duobus lignis, uno erecto & altero tranſverſo.

Video, iſtic *loquitur Seneca Conſol. ad Mart. cap.* 20. cruces nec unius generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. alii per obſcœna ſtipitem egerunt. *nempe crux aliquando fuit unum lignum erectum; ſtipes, qui adactus per medium hominem per os emergeret. etenim ex Heſychio antiqui* maleficos ſudi infigebant, acuto ligno penetrantes ſpinam & dorſum, ſicut aſſos in verubus piſces, *Sed propriè* crux *conſtabat duplici ligno. Forma autem illa varia eſſe poteſt; prout ſe ſecant duo ligna, ſive rectè, ſive obliquè.* Decuſſare eſt per medium ſecare, *ait B. Hieronymus*, veluti ſi duæ regulæ concurrant ad ſpeciem literæ X quæ figura eſt crucis, *nempe iſtius quam nunc ſantandreanam appellamus.*

Cruces ordinariæ apud Romanos literam T *forma ſua referebant;* ipſe enim Græcorum litera Ταῦ noſtra autem T ſpecies crucis; *loquitur Tertullianus, cui & ipſe Hieronymus adſtipulatur in Ezechielis caput nonum, ubi ſic loquitur:* Antiquis Hebræorum literis quibus uſque hodie Samaritæ utuntur, extrema ταυ crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur. *Sed ut iſta ſancti Doctoris ſententia obtineat, neceſſariò dicendum eſt, non ſolùm Hebræorum, ſed & Samaritanorum characteres eſſe mutatos; cùm extrema eorum litera nempe* thau, *ut hodie in alphabetis pingitur, crucis figuram non habeat.*

Carturigthus in ſuo maleficio Hebraico obſervat Tertullianum primum intellexiſſe verba illa Ezechielis, cap. 9. ℣. 4. & ſignabis ſignum ſuper frontes virorum *de figura crucis. In fonte eſt ſignabis* תו thau; *quam vocem verſio Græca communis reddit* σημεῖον, ſignum, *quæ eſt propria ejus ſignificatio. etenim derivatur à verbo* תוה thava, *quod eſt ſignare. vocem autem Hebræam Aquila & Theodotio retinent, quos interpres Latinus ſequutus eſt, Latinis illam literis, ut illi Græcis ſcribens* thau. *nempe ſic reddens locum Ezechielis:* ſigna thau ſuper frontes virorum. *Ergo Tertullianus accipiens vocem* thau *non pro ſigno, ſed pro nomine literæ Hebraicæ, credidit particulari ſigno crucis frontes virorum, de quibus loquitur Ezechiel fuiſſe ſignatas; & hunc prophetam portendiſſe crucem futuram in frontibus noſtris.*

Illam interpretationem Tertulliani ut plauſibilem plerique poſtea ſequuti ſunt. Cùm ergo Hieronymus vir Hebraicè doctus, abſurdum eſſe intelligeret Ezechielis thau, *vel* tau, *de litera Græca, aut Latina interpretari, atque inde myſterium petere, ſuſpicatus eſt (neque enim videtur rem exploraſſe) olim ante mutatos ab Eſdra caracteres, Hebræam literam* thau *crucis formam habuiſſe. Quia verò durum videtur dicere ignotos fuiſſe Hieronymo Samaritanorum caracteres, cùm in vicinia Samariæ ſcriberet, plerique putant id quod omnibus ferè linguis contigit corruptos, ſive permutatos fuiſſe hos caracteres quibus ætate ſancti Doctoris utebantur Samaritæ. Allegant viros doctrina præditos qui teſtantur à ſe viſos ſiclos, in quibus litera* thau, *referret formam crucis; unde colligitur hanc literam ſucceſſu temporum ſic mutatam ut priorem formam amiſerit. ſed pariter certum eſt ſic poſſe intelligi Ezechielem; ut de cruce non agat. communis verſio Græca ſic eum interpretatur* δὸς σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν, pone ſignum in frontibus virorum. *Ergo propheta id unum jubebatur à Deo, ut ſigniret frontes virorum aliquo*


ſigno,

ſigno, cujus ſpecies non definitur. Hanc interpretationem nemo jure repudiaverit tanquam alienam à mente Ezechielis. nec iſta quæ hìc obſervamus aliena unt à loco in quo verſamur. ſed pergamus de vera crucis forma diſſerere.


Sic crucem deſcribit Juſtinus martyr adverſus Triphonem. rectum enim unum eſt lignum, *loquitur de cruce*, à quo eſt ſuprema pars in cornu ſublata, cùm alterum lignum aptatum eſt: & utrinque tanquam cornua illi uni cornu conjuncta, extrema apparent. & illud in medio defixum, & ipſum tanquam cornu eminet, in quo requieſcunt, & innituntur crucifixi. *Hiſce Juſtini verbis ineſt aliqua obſcuritas, ſed illa clara ſunt ejuſdem auctoris. quibus non alia forma repræſentat crucem Dominicam, quàm iſta qua pingi ſolet; & quam ineſſe pleriſque rebus tum naturæ tum artis oſtendit. etenim reipſa homo dum expanſis brachiis orat, ipſam crucem repræſentat, ut videre eſt in ſchemate* A. *Avis* B *dum explicitis alis volat, crucem exhibet. Non trahitur plauſtrum* C *ſine temone cui adjungitur tranſverſum lignum, id eſt ſine cruce. Plerique foſſores ſimili inſtrumento* D *utuntur; cui ineſt & forma crucis. Ad quod mentem gentium convertit Juſtinus.* Conſiderate omnia quæ in mundo ſunt, *inquit ille*, an ſine hoc ſigno crucis gubernentur, aut poſſint præbere ſui uſum. Mare enim non ſcinditur niſi tropæum iſtud, quod malus appellatur, ſalvum in navi maneat. terra non aratur ſine eo. foſſores verò opus non abſolvunt, neque alii item operarii mechanici, niſi per inſtrumenta, quæ formam hanc referant. At humana figura non alia re belluis differt, quam quòd & recta ſit, & manuum extenſionem habeat, & in facie à fronte protenſum naſum, per quem & reſpiratio animalibus ineſt, neque aliud demonſtrat quàm ſignum hoc crucis. *Sic luxuriat patrum oratio in deſcriptione crucis.* Victorias adoratis, *inquit Tertullianus in apologetico*, cùm in tropæis cruce inteſtina ſint tropæorum. omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis, monilia crucium ſunt. Sipara illa vexillorum & cantabrorum ſtolæ crucium ſunt. Laudo diligentiam, noluiſtis incultas cruces conſecrare. *Clara & elegantia verba Minutii Felicis non prætermittam:* Cruces nec colimus, nec optamus. Vos planè qui ligneos deos conſecratis, cruces ligneas, ut deorum veſtrorum partes forſitan adoratis; nam & ſigna ipſa & cantabra & vexilla caſtrorum quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt & ornatæ? Trophæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum ſanè crucis naturaliter viſimus in navi, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis labitur; & cùm erigitur jugum crucis ſignum eſt: & cùm homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita ligno crucis aut ratio naturalis innititur, aut veſtra religio formatur.



Hæc ut nulli negotium faceſſant, apponimus figuras, in quibus licet cernere oculis quod ſuo ſermone dicunt ſancti Patres. E *vexillum eſt quod conſtabat*



haſta; ſive conto, cui inerat tranſverſum lignum, unde pendebant vela plerumque inſcripta literis initialibus horum verborum, Senatus Populuſque Romanus.



Horum

Digitized by Google

Horum vexillorum quædam dicebantur cantabra; cujus nominis veram originem indagare non eſt hujus loci. Et trophæum eſt, quod poſt victos fugatoſque hoſtes erigebatur, ſcilicet truncus arboris vel haſta inſita terræ induebatur thorace devicti & cæſi hoſtis; & ex tranſverſo ligno hinc inde appendebantur ſcuta, ſagittæ, enſes. Denique videre eſt in navi quæ remis agitur & impellitur ventis claram crucis formam, quam efficiunt tum remi extra latera navis protenſi, tum & erectus malus unde vela pendent.

§. III.

Cruces ipſæ excelſæ erant, aut in locis conſpicuis erigebantur.

Exempla, inquit Lipſius, exempla eſſe deſinunt, niſi aliorum in ſe animum, oculoſque vertant. Ideo, inquiebat Quintilianus, quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu poſſent. *Ita Alexander imperator Eunuchum* in crucem tolli juſſit per eam viam qua erat ſervis ſuis ad ſuburbana imperatoria iter frequentiſſimum. *Quin etiam certa loca habuiſſe urbes videntur, huic rei attributa. ſic Mamertini* more atque inſtituto crucem fixerunt in via Pompeia, *ut dicit Cicero, lib. 5. in Verrem. Sic Romæ juxta urbem Tacitus agnoſcit* locum ſervilibus pœnis ſepoſitum. *Hac ipſa de cauſa poſitæ ſæpè cruces in monte, ut ſervatoris noſtri in monte Calvariæ, ut Polycratis*, in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice, *ut diſcimus ex Valerio, lib. 6.*

Quin ſæpè altæ parabantur, præſertim noxio alicui inſigni. Huc pertinet irriſio Galbæ qui cuidam imploranti leges, & civem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari multòque præter cæteras altiorem & dealbatam ſtatui crucem juſſit. *Suet. cap. 9. Præalta erat illa crux Amanis, qui Mardochæo* crucem quinquaginta cubitorum *poſuit, ſed ipſi aſcendendam. Sanè pleræque altiuſculæ; atque ideo Tertullianus:* timebit forſitan caro gladium gravem, aut crucem exceſſam. *Hanc ipſam rationem Lactantius aſſignat dominicæ crucis*, nam quoniam, *inquit*, is qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior: crux potiùs electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum, tamque ſublimen futurum, ut ad eum cognoſcendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. *Inde phraſes veteres, quæ plerumque adſimiles rebus ipſis ſunt, dicunt enim* tollere, agere, ferre, dare *in crucem.*

§. IV.

Clavis ſæpiùs figebantur cruciarii.

Cruciarios appellant qui cruce digni videbantur. Hi autem aſtringebantur non rarò clavis; quòd colligimus ex illis verbis Senecæ *de vit. beat.* Cùm refigere ſe crucibus conentur, in quas unuſquiſque veſtrùm clavos ſuos ipſe adigit. *Ita legendum, inquit Lipſius*, non adjicit. *Illi, ait Seneca, conantur tollere ſe de crucibus ſuis; vos contrà magis magiſque affigitis & clavos adigitis in lignum. Artemidorus dicit ex lignis & clavis cruces confectas eſſe. Atque ab hac re Græcis paſſim ipſa crucifixio* προσήλωσις *dicta:* quaſi dicas clavifixio. *Ulpianus in Demoſthenem verbum* προσηλῶσαι *explicat*, Σταυρῷ προσηλῶσαι τοῖς ἥλοις, cruci affigi clavis. *quem morem in uſu fuiſſe apud Romanos dubitare Joſephus non ſinit. narrat enim*

lib. 6. de bello, cap. 12. Titum captos Judæos cruci affixiſſe; quos inquit, milites Romani, προσήλουν.... ἄλλον ἄλλῳ σχήματι πρὸς χλεύην. clavis ſuffigebant diverſis modis ludibrii cauſa. *Itaque non neceſſe eſt ut unus crucifixionis modus fuerit; ſive ſciri non poteſt in quibus partibus corporis clavi figerentur, & quo numero; an in vola, an in carpo. ſæpiùs, ut videtur, figebantur primùm manus, deinde pedes; quod graphicè exhibet Lucianus in dialogo, ubi Prometheus figitur. Vulcanus Mercurio loquitur.* Crucifigatur, extenſus ambas manus ab hac parte in adverſum. *Ibidem Mercurius Prometheo:* ſed præbe dexteram. Tu autem Vulcane aſtringe, & confige, & malleum fortiter demitte. da & alteram, quo illa etiam rectè aſtringatur. *tum itum ad pedes. Hunc crucifixionis modum non inuſitatum fuiſſe Romanis indicant illa Plauti:* Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excurrerit, ſed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia.

Chriſtum cruci affixum & manus ejus fuiſſe clavis perforatas demonſtrant hæc verba Thomæ: niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. *ſed & pedes ejus fuiſſe ſuffixos ipſe Chriſtus docet.* Quid turbati eſtis, *inquit*, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum. palpate & videte. *id autem fuerat prænuntiatum:* foderunt manus meas & pedes meos. pſal. 21. *An duo pedes uno clavo, an diſtincto ſinguli, ut quaternariis clavis crucifixus ſit Dominus, incertum eſt. Pro quaternario clavorum numero multa teſtimonia collegit Cornelius Curtius in libello quem edidit de clavis dominicis. rem putat demonſtari poſſe variis Chriſti crucifixi imaginibus quas memorat.*

§ V.

Quæritur an in cruce ſuppedaneum fuerit in quo cruciariorum pedes requieſcerent.

Sunt qui putant, cùm cruciari qui cruci affixus erat, manus non eſſent ferendæ moli corporis, ſuppoſitum fuiſſe pedibus ejus ſuppedaneum, quale hìc cernitur, ne totus ille penderet à manibus ſolis. In ſchemate oppoſito crucifixi litera H *deſignat ſuppedaneum. Ego ita arbitror, loquitur Lipſius, ſolas manus potuiſſe ferre pendulum corpus. Quid ni? duræ & nervoſæ illæ partes & lentè frangi poſſunt. fortaſſe nec in media ſemper manus vola fixi clavi, ſed paulo ſuperiùs quà cum brachio coït, id eſt, circa carpum. Plautus facit ſuſpicari, qui diſertè ſcribit* brachia offigi, *non manus. ſed puto equidem ampliùs, ſi corpus gravius, aut manus tenuior; adminiculum ſæpè fuiſſe funes; illos quoque additos, & circa humeros, aut pectus medium ad crucem addictos. Hoc malim, inquit Lipſius, quàm cum aliis aſſerculum, ſive tabellam inducere, in qua innixi & fixi ſimul pedes. Nimis accurata ea fabrica, imò delicata. non diſſimulat tamen Lipſius quæ allegantur teſtimonia pro tabella ſuppedanea. Hanc agnovit in cruce Domini Gregorius Turonicus.* In ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam tanquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ.

Omitto teſtimonia quæ à primis temporibus non petita ſunt. Defenſores tabulæ ſuppedaneæ afferunt verba illa Irenæi, qui ſic crucem deformat, lib. 2. cap. 42. Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque: duos in longitudinem, & duos in latitudinem, & unum in medio ubi requieſcit qui clavis configitur.

En,

En, inquiunt, medius ille finis tabella eſt, in qua corpus requieſcit. Fateor, inquit Lipſius, verba huc ire, nec temerè contenderim de aliena mente. tamen Juſtinus martyr, è quo hæc ſumpta, ſic de illo fine: καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον, ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. & illud medio defixum lignum ut cornu ipſum etiam eminet, in quo feruntur & quaſi invehuntur qui crucifiguntur. *quæ Juſtini verba de ſuppedaneo, ſive de tabula ſuppedanea non poſſe accipi contendunt Scaliger & Salmaſius, aliter crucem deſcribentes. In ea quinque res cum B. Irenæo & Juſtino agnoſcunt; nimirum præter quatuor extremitates, ſtatuunt in media cruce lignum impactum inſtar cornu, cui quaſi inequitaret, & vectaretur qui affixus erat cruci; & hoc eſt, inquiunt, quod dicit Juſtinus utens verbo* ἐποχεῖσθαι *. uſurpatur enim verbum illud de equite qui equo inſidet. in tali autem ligno qui ſubſidebant toto corpore ſuſtentati, quaſi inequitabant cruribus hinc inde pendulis. Verùm licèt non abnuam aliquas cruces hanc formam habuiſſe, cùm verbum* ἐποχεῖσθαι, *& ſignificet* curru vehi, *quod apud allegatos ſcriptores dicitur de cruciario, eum invectum & requieviſſe medio ligno, intelligi poteſt de ipſo ſtipite crucis, cui corpus acclinatum, quaſi curru vectabatur. Ergo quod dicis Auguſtinus longitudini crucis à terra ſurgenti cruciarii corpus fuiſſe infixum, intelligendum eſt corpus ejus dici infixum, quia reclinabatur ſupra ſtipitem, & quaſi illo vectabatur.*



§. VI.

Cruci deſtinati priùs flagellis cædebantur; interdum columnæ alligabantur.

Flagellatio ſolebat præcedere crucifixionem. rarò in crucem dati, niſi primùm ſanguine ſuo purpurati. Alexander apud Curtium, lib. 8. moris hujus retinens, eos qui Petram obſtinatè defenderant, omnes verberibus affectos, ſub ipſis radicibus Petræ crucibus juſſit affigi. *Judæi apud Joſephum, lib. 5. de bello cap. 32.* flagellati & præcruciati ante mortem verberibus crucifigebantur. *Philo item narrans Judæos Alexandriæ in crucem actos à Flacco, addit:* poſtquam flagellati fuiſſent in theatro.

Verberati igitur qui deſtinabantur cruci: ſed utrum virgis an flagellis? Quia virgæ honeſtiores, inhoneſtiſſimo huic ſupplicio attributa flagella. Cicero illudens & cavillans in Labienum orat. pro Rab. Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit; hic miſericors flagella retulit. *flagella, inquam, ſervorum erant. ſic apud Terentium in Adelphis.*

Æschl. . . . . ad necem operiere loris.

San. Loris liber?

Exclamat & indignatur Sannio, ut in re inſolenti, quòd libero intentata lora. At ab hac nota ſervilem conditionem Menæ Horatius approbat.

Sectus flagellis hic triumviralibus.
Præconis ad faſtidium.

ſignificat à Triumviris quorum erat animadvertere in ſervos cæſum flagris publicè, idque ſub præconis voce. Liberi fuſtibus cædebantur. flagella autem ſive lora ſupplicium ſervorum, ita aſpera erant, ut miniſtrorum immanitate multos ſub ejuſmodi flagellis interiiſſe adſtruat Ulpianus, lib. 8. de pœnis. *Inde* horribilè *appellatur* flagellum *ab Horatio*.

Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.

Præſertim cùm flagella inſitis talis aut oſſiculis exaſperabant. an tale aliquod flagri genus, quo Chriſtus cæſus ante crucifixionem, incertum eſſe poteſt; ſed conſtat more ſervi, cujus formam induerat, cæſum fuiſſe flagro. Sic enim Matthæus corrupta illa Latina voce τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας, παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. Jeſum cùm flagellaſſet, tradidit ut crucifigeretur.

Interdum cruciarius ligabatur ad columnam. Artemidorus ubi ſomnium narrat ſervi, qui viſus ſibi ab hero δέρεσθαι, deglubi & turpiter tangi: *addit* προσδεθεὶς κίονι, πολλὰς ἔλαβε πληγάς: columnæ alligatus, multas accepit plagas. *Id Romanis uſitatum fuiſſe Plautus videtur indicare.*

abducite hunc
Intrò, atque adſtringite ad columnam fortiter.

Res non incerta eſt de Judæis. in tractatu enim de pœnis in Thalmude, cap. 3. *num.* 12. *quæritur* quomodo ſit *rei* flagellatio; *& reſpondetur:* aſtringit quis ambas ejus manus ad columnam. tum miniſter publicus veſtem ejus arreptam detrahit, ſive rumpatur, ſive diſſuatur, uſque dum denudet pectus. Lapis pone illum collocatus eſt, in quo ſtat lictor manu tenens lorum bubulum, complicatum primò ut ex ſimplici ſit duplex. in illo duo lora ſunt, quæ aſcendant & deſcendant *&c.*

§. VII.

Cruciarii portabant crucem ſuam ad locum ſupplicii. Deducebantur cum vexatione, & ſtimulis etiam acti. Nudi crucifigebantur.

Crucem ſuam tuliſſe qui in ea figendi eſſent, liquidis verbis dicit Artemidorus, lib. 2. *cap.* 61. *ibidem Plutarchus, lib. de tarda Dei vindicta.* Et corpore quidem quiſque maleficorum ſuam effert crucem. *Hunc morem fuiſſe Romanum probant illa Plauti:* patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci. *Certant inter ſe periti de vera ſignificatione* patibuli; *convenit tamen haberi poſſe tum pro* furca, *tum pro* cruce. *Olim teſte Donato* furciferi *ſervi dicebantur*, qui ob delictum cogebantur à dominis ignominiæ magis quàm ſupplicii cauſa, circa vicinos furcam in collo ferre, ſubligatis ad eam manibus, & prædicare peccatum ſuum, ſimulque monere cæteros, nequid ſimile admittant. *Eadem dicit auctor optimarum & vetuſtarum Gloſſarum, quem perperam Philoxenum aliqui eſſe volunt, inquit Salmaſius. Quiſquis ille fuerit, docet nos eumdem, morem ſervatum in iis qui cruci affigendi erant.* σταυροκάμιστος, διχαλοφόρος. furcifer; crucifer, ſive furcam geſtans. qui deliquerant, pro ſupplicio furcam in collo inſertam circumgeſtantes per urbem circumagebantur.

Iſta autem deductio fiebat cum multa vexatione, ut colligi poteſt ex eo quòd Dionyſius in Antiq. lib. 7. *narrat de cive Romano, qui* ſervum ſuum conſervis tradiderat ad capitis ſupplicium; & quo magis notabilis eſſet pœna, per forum & alia

alia inſignia urbis loca circumagi, & virgis cædi juſſerat. *ſtimulis etiam actos qui deducebantur, cruci affigendi ex Plauto diſcimus, apud quem hæc conſervo ſervus.*

O carnificinum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi noſter huc revenerit ſenex.

Denique qui cruce ſuſpendebantur, ſpoliabantur veſtibus ſuis, ut videre eſt in his verbis Artemidori, lib. 2. cap. 58. Crucifigi bonum pauperi, quia ſublimis eſt crucifixus: noxium vero diviti, quia nudi crucifiguntur. *Judicem hac formula denudationem mandaſſe, Seneca dicit, lib. 9. controv.* 2. ſummove, audis lictor? verbera, deſpolia. *Joſephus, lib.* 19. *cap.* 3. *Antiq. referens ſupplicium Lupi & Chæreæ narrat quòd cùm nudi eſſent, & Chæreas magno animo ferret id infortunium, cavillatus ſit Lupum quærentem de frigore: Lupus, inquiebat Chæreas, nunquam offenditur frigore. Ita de Chriſto nudo Romani ſupplicium ſumpſere.*

§. VIII.

Cruciarii miſerè interibant in cruce fame, ſiti, languore. Cuſtodia apponebatur ne deponerentur cruce.

In ſupplicio crucis id quærebatur, ut ad exemplum quàm diutiſſimè ſervarentur in cruce corpora cruciariorum. Reperti ergo qui non ſtatim mortem obibant, ſed & animosè loquerentur, velut Bomilcarille apud Juſtinum, lib. 22. qui patibulo ſuffixus in foro medio, magno animo crudelitatem civium tulit: adeo ut de ſumma cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionaretur. *Quidam etiam petulanter: ut protervuli apud Senecam*, qui ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuebant. *quidam verò miſeratione principis è cruce ablati, poſtea vixerunt. rem quæ huc pertinet narrat Joſephus libello de vita ſua*: redibam, *inquit*, è vico quodam, & vidi multos ex hoſtibus crucifixos: & tres ex iis agnoſcens, cum quibus antè mihi conſuetudo, valdè in animo dolui, & cum lacrymis progreſſus, dixi Tito. Ille autem ſtatim depoſitos eos mandat diligentiſſimè curari, atque ex iis duo inter ipſam curam obierunt, tertius ſupervixit.

Verùm cruciarii ſæpiùs relinquebantur in prædam volucribus.

Non hominem occidi. non paſces in cruce corvos.

Hæc Horatius, quia ſicarii & homicidæ ſolerent agi in crucem. ad quod & Juvenalis alludit.

Vultur jumento, & canibus, crucibuſque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.

Sic crux erat cruciariorum ſepulchrum; quod non aliud ſibi futurum ſervus ſpondet apud Plautum.

Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum,
Ibi majores mei ſiti ſunt, pater, avus, proavus, abavus.

An crurifragium adderetur aliquando ut citiùs perirent cruciarii, id de Romanis incertum eſt. Crurifragium tamen non erat inuſitatum ſupplicium apud eos. Minantur ſervis crurifragium apud Plautum: crura herclè offringentur. *Ut crucem ipſam, ita crurifragium ſervis peculiare fuiſſe Lipſius credit. ſic enim Seneca*: Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſervulum infelicem in ergaſtulum miſerimus. Quid properamus verberare ſtatim, crura protinùs frangere. *Suetonius narrat*

de *Auguſto*: Thallo à manu, quòd pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit. *Idem in Tiberio:* utrique mox *miniſtro cuipiam & tibicini*, quod mutuò flagitium exprobraſſent, crura fregiſſe.

Potiùs vitam producere cruciarios Romani ſinebant, & corrumpi, & tabe diffluere in cruce, quod & ab aliis factum eſt. Nam id Valerius narrat de Polycrate, qui ab Orate cruci affixus eſt; è qua, *inquit Valerius*, putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lævam, cui Neptunus annulum manu piſcatoris reſtituerat, ſitu marcidam Samos lætis oculis aſpexit. *Quiſpiam tyranno minanti putrefactionem in cruce, reſpondit* ſua nihil intereſſe humi, an ſublimi putreſceret: *Itaque hoc fine aſſervati in cruce, & deponi rarum omninò fuit; niſi quod Philo tamen notat contra Flaccum:* receptum moribus fuiſſe in natali Imperatoris, aut ſimili die feſto, quoſdam è crucibus deponi, & permitti ad ſepulturam: at Flaccum contrà, novos etiam tum iis affixiſſe. *Ne quis autem deponeret, miles & cuſtodia aſſidebat, id teſtantur hæc verba Petronii in ſatyra,* miles cruces aſſervabat, ne quis corpora ad ſepulturam detraheret. *Iſta ſunt ejuſdem Petronii:* cruciarii unius parentes ut viderunt noctu laxatam cuſtodiam, detraxere pendentem. *Plutarchus in Cleomene eamdem rem confirmat:* paucis poſt diebus ii qui Cleomenis cruci affixum corpus cuſtodiebant, viderunt magnum ſerpentem capiti ejus circumplexum, & faciem velantem, tegentemque, ne qua carnivora avis attingeret.

§ IX.

Supplicium crucis infame: ſervi, ſicarii, & latrones in crucem agebantur; etiam ſeditioſi ſine dilatione.

Infame ſupplicium crucis eſſe adeo certum, ut pluribus verbis adſtruere non opus eſſet. In catalectis Virgilianis leguntur verſus illi:

Noxius infami diſtrictus ſtipite membra,
Sperat & affixa poſſe redire cruce.

Verùm quoniam intereſt advertere Chriſtum morte turpiſſima damnatum juxta antiqua vaticinia, verbis Ciceronis iſtam infamiam crucis exaggerabo; neque enim inde Chriſto infamia accedit; nam, ut Arnobius reſpondebat Gentibus, lib. 3. qui exprobrant chriſtianis crucem magiſtri: nemo unquam innocens malè interemptus infamis eſt; nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non pro merito pœnas graves, ſed cruciatoris perpetitur ſævitatem. *Jam ergo audiamus Ciceronem diſſerentem de infamia crucis.* orat. pro Rab. Miſera eſt ignominia judiciorum publicorum, miſera mulctatio bonorum, miſerum exilium; ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod veſtigium libertatis; mors denique ſi proponitur, in libertate moriamur. Carnifex verò & obductio capitis & nomen ipſum crucis, abſit non modò à corpore civium Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolùm eventus atque perpeſſio, ſed etiam conditio, expectatio, mentio denique indigna cive Romano atque homine libero eſt. *Et in Verrem, lib.* 5. Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare. quid dicam in crucem tollere? crudeliſſimum teterrimumque ſupplicium: verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.

Crucem ſervile ſupplicium fuiſſe indicant teſtimonia pleraque ſuprà allegata, ſed etiam ſervilem in modum etiam quando liberi puniebantur, videlicet cùm tur-

pis

Digitized by Google

pis facinoris erant rei, nempe ſi latrones, aut ſicarii. Latrocinium fecit aliquis, *inquit Seneca*, quid ergo meruit? ut ſuſpendatur. *Sic Calliſtratus juriſconſultus:* famoſos latrones in his locis ubi graſſati ſunt, furca figendos compluribus placuit. *Similiter ſeditioſi Romana lege tollebantur in crucem*: auctores ſeditionis, aut tumultus, pro qualitatis dignitate aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur: *Paulus lib. 5. tit. 22. Ideo Judæi ut obtinerent à Pilato mortem Chriſti, & eam turpiſſimam, accuſant eum ſeditionis:* hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.

Quin etiam ſine dilatione plerumque facinoroſi illicò agebantur in crucem. attamen leges Romanæ videbantur præſcribere aliquam dilationem. Factum ſenatuſconſultum, *inquit Tacitus loquens de Tiberio*, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ ſpatium damnandis prorogaretur. *Ergo quæritur an Pilatus qui tam citò Jeſum tolli juſſerit, in iſtud ſenatuſconſultum peccaverit. Prætereà procuratores Cæſaris, qualis erat Pilatus, jus gladii non habuerunt: ſic Antoninus ſcribens A. Valerio, aiebat:* procurator meus, qui vice præſidis provinciæ non fungebatur, exilii tibi pœnam non potuit irrogare. *Apud Tacitum, lib. 4. cap. 15. ann.* adeo ut procurator Aſiæ Lucilius Capito, accuſante provincia cauſam dixerit, magna cum adſeveratione principis, non ſe jus niſi in ſervitia & pecunias familiares dediſſe: quod ſi vim prætoris uſurpaſſet, manibuſque militum uſus foret, ſpreta in eo mandata ſua &c.

Verùm ſenatuſconſultum Tiberii non ſpectabat ſeditioſos & facinoroſos; & alia erat conditio Pilati quàm cæterorum procuratorum. Etenim Dio jam allegatus ſcribit lib. 53. legatos in provincias nondum pacatas miſſos fuiſſe cum jure gladii, ſeu cum poteſtate animadvertendi. Ita veriſimile eſt Pilatum, licèt tantùm procuratorem in Judæa ageret, imperium merum ſeu poteſtatem animadvertendi cum exercitu & copiis militaribus à Tiberio Cæſare accepiſſe, ut Judæos aſſiduè tumultuantes, vel tributa Cæſari dare detrectantes compeſceret. Conſtat hoc jus habuiſſe Coponium qui ante Pilatum miſſus fuerat procurator Judææ cum omni jure in Judæos, ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ, ut dicit Joſephus, lib. 18. Antiq. cap. 1. & lib. 2. de bello, cap. 12. diſertè jus illud de poteſtate occidendi interpretans, miſſus, eſt, *inquit*, Coponius eques Romanus in Judæam cum poteſtate occidendi, *μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ καίσαρος ἐξουσίαν. Non arctata fuit Pilati poteſtas, qui in Judæam venit, exercitu inſtructus.*

Prætereà etſi qui vulgo mitterentur ad procurandas provincias, non antè pœnas exigere poſſent de criminibus quæ cognoverant, quin priùs ſcripſiſſent Cæſari, vel Præſidi provinciæ, attamen cùm res urgebat, & judiciorum ordo non poterat ſervari, ſtatim ſine dilatione reos addicebant ſupplicio. Seditioſos & famoſos latrones ſtatim punitos fuiſſe docet nos Ulpianus Legem de expectandis novis juſſis valere ſignificans, niſi fortè latro manifeſtus, vel ſeditio prærupta, factioque cruenta, vel alia juſta cauſa: tunc enim punire permittitur, deinde ſcribere. *& illa Modeſtini:* conſtitutiones quæ de recipiendis, nec non appellationibus loquuntur, ut nihil novi fiat, locum non habent in eorum perſona, quos damnatos ſtatim puniri intereſt; ut ſunt inſignes latrones, vel ſeditionum concitatores, vel duces factionum. *Itaque non poteſt dici Pilatum caruiſſe poteſtate Jeſum crucifigendi, ſine novis literis Cæſaris; ſi verè conſtitiſſet Jeſum fuiſſe ſeditioſum & facinoroſum. Nec allegari poteſt ipſum Pilatum, quòd Samaritanos quoſdam occidiſſet, reum poſtulatum fuiſſe apud Vitellium Syriæ præſidem, ut narrat Joſephus, lib. 18. Antiq. cap. 5. poterat enim Pilatus judicium illud de Samaritanis non ſtatim executioni mandare:*

res non urgebat; & cæco impetu abreptus fuerat ad puniendos viros innocentes. Verè ergo Pilatus habebat poteſtatem crucifigendi, aut dimittendi Jeſum; ſed non legitimè uſus eſt ſua poteſtate.

§. X.

Crucis ſupplicium quale exigebant Romani, Judæis inuſitatum erat; cadavera autem reorum ſuſpenderunt quandoque è ligno, ſed non ultra ſolis occaſum.

Plerique crucem numerant inter ſupplicia quæ de reis Judæi ſumebant. Certum eſt illam reperiri inter pœnarum genera quæ memorantur in ſacro codice. ſic Cyrus apud Eſdram, lib. 1. cap. 6. decernit, ut omnis homo qui ſuam mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & crucifigatur in eo. *Rex Perſa loquitur. ſed quæritur an ipſi Judæi cruci reos affigerent. Caſaubonus exercit. 16. ad ann. eccl. Baron. luculenter demonſtrat ſupplicium crucis veteribus Judæis non fuiſſe in uſu. 1. auctoritate Rabbinorum, quorum illud eſt teſtimonium:* non fuit hic mos in Iſrael, ut clavos figerent in pedibus, aut manibus hominum qui lapidati, aut ſuſpenſi fuiſſent, *Rabbini ſola quatuor genera pœnarum agnoſcunt, lapidationem, vivicomburium, occiſionem per gladium, ſive decollationem, & ſtrangulationem: quæ pœnæ aliæ ſunt à crucifixione.*

Præterea in lingua Hebræa nullum eſt verbum, quod crucem propriè dictam ſignificet, & actioni crucifigendi proprium ſit. Cruci *reſpondet* עץ etz, *id eſt,* lignum; *ſed vocabulum illud generale eſt, denotans inſtrumentum quod ad varia ſupplicia varia forma adhiberi poterat; nam qui & acuta ſude transfigebantur, & qui laqueo ſtrangulabantur, in altum ſublati; & qui in furca occidebantur, vel cruci ex conſuetudine Romana affigebantur, & alii omnes dici poſſunt mori ſuper ligno. Ergo quoties occurrit in veteri teſtamento vox* lignum *in deſcriptione ſuppliciorum, non ſemper licet latè patentem ejus ſignificationem reſtringere ad crucis Romanæ notionem, cùm nullus ſit locus in totis Bibliis hebraicis, ex quo vel ſuſpicio duntaxat poſſit ſumi, quæ eò nos ducat. Dicitur quidem in Geneſi, cap. 40. ℣. 19. de piſtorum magiſtro quòd eum rex ſuſpenderit ſuper ligno; ſed iſta ſuſpenſio fieri potuit diverſis modis. quin eſto, dicatur* crux, *ut illud ſupplicium Joſephus appellat, ſemper tamen incertum manebit, an fuerit vel ſtrangulatio, vel crucifixio.*

Diligenter quoque advertendum ἀνασταυροῦν, *unde* σταυρὸς, crux, *non ſolùm dici de hominis vivi ſupplicio; ſed de cadavere, aut capite hominis vel decollati, vel alio ſupplicio extincti, quod ignominiæ cauſa palo affixum in propatulo collocabatur. ſic Polybius ſcribit* ἔδοξεν ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα, placuit corpus Achæi erecto palo imponi. *complura in hanc rem aperta teſtimonia congerit Caſaubonus. Inde autem illuſtratur locus Philonis qui alioqui inter genera ſuppliciorum quæ in uſu erant apud Hebræos, videretur numerare crucifixionem. ille de pœnis homicidarum à Moſe ſancitis loquens, ſcribit:* Legislator noſter mille mortibus, ſi fieri potuiſſet, homicidas addixiſſet, quoniam id fieri non poterat, pœnam aliam *mortis ſupplicio* adjecit κελεύων τοὺς ἀνελόντας ἀνασκολοπίζεσθαι, jubens ut qui occiderint alios, ipſi in patibulum tollantur; *alii reddunt* crucifigantur: *non benè; etenim ibi Philo non loquitur de ſupplicio quo vita adimebatur percuſſori, ſed de pœna quæ ignominiæ cauſa extincto irrogabatur: nempe ut ſuſpenderetur ad paucas horas: & ſoli, ut ait Philo, & oculis hominum exponeretur.*

Id

Id Judæis erat quavis dira morte dirius propter horribile carmen vocis divinæ: maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno. *Deut. cap. 21. ℣. 23. Moſes expreſsè non ſtatuerat ſic homicidæ cadaver ſupplicio affectum ſuſpendendum eſſe in ligno; ſed Philo id ſcire potuit ex praxi Judæorum. Vim verbi quo uſus eſt* ἀνασκολοπισθῆναι, *ipſe explicat, adjungens:* ubi manſerit in conſpectu omnium totum diem (*reliquam nempe diei partem poſt ſupplicium*) noctu ſepeliatur. *Talem conſuetudinem Judæis fuiſſe, ut ſuſpenderent ligno cadavera reorum, poſtquam pœnas mortis ſubierant, docet nos Maimonides. Tract. Sanhedrin, cap.* 15. Juſſi ſumus ſuſpendere blaſphemos & idolatras, non tamen fœminas, *propter pudorem, ne libidinoſi ſatiarent oculos fœdo aſpectu, ut puto*: Quomodo? poſtquam lapidati erant, infigebatur terræ palus. unde tranſverſa trabs exibat, & colligatis manibus attracti ſuſpendebantur prope ſolis occaſum, moxque rurſus dimittebantur, quia neſas eſt relinquere per noctem. ſepeliuntur autem omnes ſupplicio affecti ipſa die ſupplicii ſui &c.

Eadem interpretationis ratio tenenda eſt in omnibus hiſtoriis ſacri codicis, ubi de ſuſpenſione fit ſermo; in his enim ſuſpenſus non moritur in ligno, ſed corpus ejus jam mortuum ad ſpectaculum proponitur. In hiſtoria Joſue, cap. 8. ℣. 29. ita ſcriptum: regem quoque *Hai* ſuſpendit in patibulo uſque ad veſperam & ſolis occaſum. præcepitque Joſue & depoſuerunt cadaver ejus de cruce. *Eo in loco ſeptuaginta ſeniores vocem Hebræam* עץ etz, *interpretantur* δίδυμον ξύλον; *id eſt, geminum lignum; quod non aliud eſſe quàm furcam probat Caſaubonus, oſtendens furcam Romanam, cui inſerebatur quandoque collum ſervorum, dum flagris cædebantur, ſic appellari à Græcis* geminum lignum, δίδυμον ξύλον, ἡ παρὰ ῥωμαίοις φοῦρκα. Geminum lignum, *inquit Suidas*, eſt ea quæ apud Romanos vocatur furca. *Furca autem ad ſuſpendium formam idoneam habet, furca eſt, qua pendent qui digni laqueo nunc habentur.*

Dignum eſt animadverſione quod in 2. Reg. cap. 21. dicitur de crucifixione progeniei Saulis, ut loquitur Vulgatus interpres. Juxta Græcos interpretes Gabaonitæ poſtulant, ut dentur illis ſeptem viri de filiis Saul, ut crucifigamus eos, *dicebant in Latina verſione; in Græca autem* ἐξηλιάσωμεν αὐτούς. *verbum autem* ἐξηλιάζω, *ſignificat* in ſole aſſicco, ſole aduro. *Hocce verbo Græci reddunt verbum Hebræum* יקע jachah, *quod & alibi interpretantur modo* ναρκάω, marceſco, *modo* παραδειγματίζω, traduco in exemplum, *tum &* κρεμάω, ſuſpendo, *tum &* ἀναπήγνυμι, figo.

An lignum ex quo pependit Aman vera crux Romana fuerit, nihil ad nos. id unum nobis erat propoſitum (ſiquidem Romani pro conſuetudine ſua cruci affixerunt Dominum) demonſtrare moribus & legibus Romanis convenire, ea omnia quæ in crucifixione Domini contigerunt juxta Evangeliſtas; & illam formam ſupplicii quod Dominus ſubiit, ignotam fuiſſe Judæis. Neceſſarium igitur fuit Jeſum tradi gentibus, ut eo genere mortis quod prædixerat, moreretur: ſimul complerentur veteres typi de exaltatione ejus. Conſtantinus magnus, ubi chriſtianus factus eſt, vetuit ne ſalutare ſignum ampliùs ſubſerviret ad perniciem: ut ſcilicet non vileſceret ampliùs damnatorum pœnis. Ab hoc tempore ſignum crucis in decus & ornamentum ceſſit. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalvatoris pictura condecorat, *inquit B. Hieron. ep. ad Lætam. Jam proſequamur hiſtoriam dominicæ paſſionis.*

CAPUT XXXIV.

Dominus bajulans crucem educitur extra urbem ad montem Calvariæ, ubi crucifigitur inter duos latrones. Titulus crucis præferebat eum eſſe regem Judæorum. Felle potatur, ſors mittitur in veſtimenta ejus.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ℣. 32 34. 38 & 37. 35 & 36.	MARCUS. Cap. 15. ℣. 20-23. & 25-28. & 24.	JOAN. Cap. 19. ℣. 16-24.
1 *J* SUſceperunt autem Jeſum.			16 ... Suſceperunt autem Jeſum,
2 *MM.* Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt *Mc.* illum purpura, *Mt.* chlamyde, & induerunt eum veſtimentis *Mc.* ſuis, & educunt illum *MM.* ut crucifigerent.	31 Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ejus. & duxerunt eum ut crucifigerent.	20 Et poſtquam illuſerunt ei. exuerunt illum purpura, & induerunt eum veſtimentis ſuis; & educunt illum ut crucifigerent eum.	& eduxerunt.
3 *J* Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum.			17 Et bajulans ſibi crucem, exivit in eū, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha: 18 Ubi crucifixerunt eum.
			LUCAS Cap. 23. ℣. 26-34. & 38.
4 *L* Et cùm ducerent eum, *Mt.* invenerunt *Mc.* prætereuntem quempiam *Mt.* hominem Cyrenæum nomine Simonem *Mc. L* venientem de villa, *Mc.* Patrem Alexandri & Rufi.	32 Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem:	21 Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyreneū, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi,	26 Et cùm ducerent eum apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem, venientem de villa:
5 *Mt.* Hunc angariaverunt *MM.* ut tolleret crucem ejus: *L* & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum.	hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.	ut tolleret crucem ejus:	& impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum,

L U C A S.

6 * 27 Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

7 * 28 Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.

8 * 29 Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

† Iſa. 2. 19. Oſe. 10. 8. Apoc. 6. 16. & 9. 6.

9 * 30 Tunc incipient dicere montibus: † Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos:

10 * 31 Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

11 * 32 Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo ut interficerentur.

Digitized by Google

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.	
12 *Mc.* Et perducunt illum in Golgotha locum; quod eſt interpretatũ Calvariæ locus.	33 Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt. Calvariæ locus.	22 Et perducunt illum in Golgotha locum, quod eſt interpretatũm Calvariæ locus.	33 Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ.		
13 *Mt.* Et dederunt ei vinum bibere *Mc.* myrrhatum *Mt.* cum felle mixtum, & cùm guſtaſſet, noluit bibere: *Mc.* & non accepit.	34 Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cùm guſtaſſet noluit bibere. 35 *Poſtquam &c. infra ℣. 22.*	23 Et dabant ei bibere myrrhatũ vinum? & non accepit. 24 *Et crucifigentes. ℣. 22.*			
14 Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum, *J* & cum eo alios duos *L* latrones; unum à dextris, & alterum à ſiniſtris, *J* hinc & hinc, medium autem Jeſum.	38 Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones; unus à dextris & unus à ſiniſtris.	25 Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eũ. 26 *Et erat ℣. 17.* 27 Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum à dextris, & alium à ſiniſtris ejus.	ibi crucifixerunt eum, & latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris,	& cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jeſum.	
15 *Mc.* Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: † Et cum iniquis reputatus eſt.		28 Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Et cum iniquis deputatus eſt.			† *Iſa.* 53. 12.
16 *L* Jeſus autem dicebat: † Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.			34 Jeſus autem dicebat: Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. (*dividentes &c. infra. ℣. 23.*)		† *Act.* 3. 17. & 7. 59. 1. *Cor.* 4. 11.
17 *J* Scripſit (*ſcripſerat*) autem & titulum Pilatus & poſuit ſuper crucem. Erat autem *Mc.* titulus cauſę ejus inſcriptus.		26 Et erat titulus cauſæ ejus inſcriptus:	38 Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eũ literis Græcis & Latinis, & Hebraicis.	19 Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum:	
18 *Mt.* Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam; Hic eſt *Mt. J* Jeſus *J* Nazarenus *MML J* rex Judæorum.	37 Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Jeſus rex Judęorum. 38 *Tunc crucifixi ſunt &c. ſupra ℣. 14.*	Rex Judæorum.	Hic eſt rex Judæorum.	Jeſus Nazarenus rex Judæorum.	

J O A N N E S.

19 * 20 Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.

20 * 21 Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum: Noli ſcribere, rex Judæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum.

21 * 22 Reſpondit Pilatus; Quod ſcripſi, ſcripſi.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
22 J Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam.	35 Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus,	24 Et crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus:	34 ... dividentes verò veſtimenta ejus,	23 Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam.
23 *Mc.* Mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret: *J* erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum.	ſortem mittentes,	mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. 25 *Erat autem &c. ſupra* ℣. 14.	miſerunt ſortes.	Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum.
24 Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit; ut ſcriptura impleretur, dicens: † Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem. † *Pſal.* 21. 19.	ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.			24 Dixerunt ergo ad invicem; Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit; ut ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meã miſerunt ſortem.
25 Et milites quidem hæc fecerunt, *Mt.* & ſedentes ſervabant eum.	36 Et ſedentes ſervabant eum. 37 *Et impoſuerunt &c. ſupra* ℣. 18.			Et milites quidem hæc fecerunt.

1 16] SUSCEPERUNT *autem*, ſive acceperunt milites *Jeſum*, *& eduxerunt*, abduxerunt ex tribunali in prætorium ubi iterum ei illuſerunt. 2 * 31 *Mt.* 20. *Mc. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt Mc. illum purpura, Mt. chlamyde, & induerunt eum veſtimentis Mc. ſuis, & educunt illum* extra civitatem, *ut crucifigerent*. extra caſtra rei ſupplicio afficiebantur quod obſervatum fuerat à Moyſe; ideo conſtituta republica, extra urbes. Nabot eductus eſt extra civitatem, & interfectus, lib. 3. Reg. cap. 21. ℣. 13. Ea re contigit ut impleretur typus hirci qui educebatur extra caſtra mactandus: ad quod alludens ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos cap. 13. ℣. 13. aiebat: *Propter quod & Jeſus ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.*

3 * 17] *Et bajulans ſibi crucem*, ut ſolebant cruci deſtinati apud Romanos, ut vidimus *exivit* extra urbem, *in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha*, id eſt, Syriacè, Gebræis גלגלתא, unde *Golgotha*, factum idem ſonat quod κρανίον, *Calvaria*. Eum autem locum Calvariæ dictum credunt à calvariis & oſſibus hominum eorum, qui ob ſcelera ſua ibi morte mulctari & ſepeliri conſueverant. Videtur autem expreſſio hujus nominis non ad hiſtoriam tantùm, ſed & ad vaticinii implementum pertinere, quòd ibi ſcilicet avolutum à nobis ſit opprobrium noſtrum; quomodo loquebatur Jeſus, ſive Joſue noſtri Jeſu imago, qui exinde locum in quo circumcidit Iſraelitas גלגל *galgala*, nominavit, cujus vocis eadem eſt origo ac *Golgotha*, à radice גלל *galal*, id eſt *convolvit. devolvit*. Hocce nomen *galgala*, Joſephus ἐλευθερίαν, *libertatem* interpretatur, lib. 5. Antiquit. cap. 1. rem potius quàm etymum expendens.

4 * 18. *Ubi crucifixerunt eum & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jeſum.* ſic breviter Joannes perſtringit Jeſum bajulantem crucem ſuam; nulla mentione facta Cyrenæi, cujus hiſtoriam ex aliis Evangeliſtis proferam, cùm præmiſero quæ dicit Tertul. lib. adverſus Judæos, cap. 10. *Cùm* inquit, *Iſaac à patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum jam tunc denotabat, in victimam conceſſi à patre, lignum paſſionis ſuæ bajulantis.* idem alludens ad hæc Iſaiæ verba: *cujus imperium factum eſt ſuper humerum ipſius*, citato libro ait: *ſolus novus rex Chriſtus novæ gloriæ poteſtatem & ſublimitatem in humero extulit, id eſt, crucem.*

5 * 6 L. Et

5 * 26 *L Et cùm ducerent eum.* 32 *Mt. invenerunt* 21. *Mc. prætereuntem quempiam Mt. hominem Cyrenæum, nomine Simonem Mc. L venientem de villa Mt. patrem Alexandri & Rufi.* videntur milites hunc Simonem arripuiſſe qui in onus Chriſto ſuccederet. Colligunt aliqui id eos feciſſe inſtigatu alicujus viri Judæi, qui ſciebat Simonem Chriſto favere; etenim filios ejus putant diſcipulos Chriſti fuiſſe, quia Alexandri fit mentio in Actis, cap. 19. ℣. 33. & Rufi Rom. cap. 16. ℣. 13.

6 * *Mt. Hunc angariaverunt*, id eſt, adegerunt, *ut tolleret crucem ejus*; cùm jam ante Chriſtus ipſe patibulum tuliſſet per urbem more cruciariorum. Porro hoc fecerunt milites, ut ejus mortem accelerarent; vel quia viribus exhauſtus erat, cùm jam multum itineris confeciſſet, ductus modò ad Annam ad Caipham, ad Templum, ad prætorium, ad Herodem, & iterum ad Pilatum, præter innumeras plagas flagellorum. *L & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum*, à tergo ipſius ſub eodem onere præeuntis, ut quibuſdam placet, qui nolunt pondere crucis Jeſum omninò ſublevatum, ſed tantùm adjutum à Simone. Concipere autem poſſumus, ut accelerarent iter milites, Jeſum exoneraſſe, & deduxiſſe feſtinantes, dum Simon ſequeretur ſolus ſub onere.

6 * 27. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eum.* à multis enim habebatur pro Chriſto. 7 * 28. *Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Hieruſalem*, mulieres Hieroſolymitanæ, *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* non mea, ſed veſtra cauſa flere. 8 * 29. *Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt*, innuit miſeram ſortem Judæorum qui in excidio Hieroſolymitano perituri erant acerbo funere. Duplex eſt dolor matri liberos videre miſeriæ participes. unde quempiam dicebat: *Invideo innuptis & ſterilibus, quibus de una tantùm anima dolendum.*

9 * 30 *Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos.* Hæc olim Oſee dixerat, cap. 10. ℣. 8. de Samaria loquens, quæ & pravitatis & pœnæ Hieroſolymorum geſſit imaginem. Matrum ea fuit miſeria, ut ſuos ipſæ natos præ fame manderent; & occupante urbem Romano exercitu plurimi ſe in ſpecus abdiderunt, ut apud Joſephum videre eſt. 10 * 31 *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.* ſi ego juſtus pœnas do, quid ſontes? Apparet autem hoc loquendi genus fuiſſe proverbiale. nam Hebræi viros bonos *lignum viride* vocant malos *aridum*. eſt enim tritum apud eos adagium, *ſi decem fuerint ligna arida & unum viride, arida illa lignum viride exurunt*; quo ſignificant facilè bonos, ut pote pauciores, opprimi malorum conſpiratione. ſic Ezechiel cap. 20. ℣. 47. *Exſcindam & viride lignum & aridum*, id eſt, ut ipſe interpretatur cap. 21. ℣. 3. *juſtum atque improbum.* ſic & pſal. 1. ℣. 3. vir bonus *virenti arbori* comparatur: contra, arbores emortuæ à Chriſto & à Baptiſta vocantur homines pravi.

11 * 32 *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*, viri malefici, facinoroſi, duo latrones, *ut interficerentur.* 12 * 22 *Mc. Et perducunt illum in Golgotha locum; quod eſt interpretatum Calvariæ locus*, ut dictum eſt. 13 * 34 *Mt. Et dederunt ei vinum bibere*, in fonte ὄξος: vulgatus legit οἶνον, *vinum*, quomodo in ſuo vetuſtiſſimo exemplari legi teſtatur Beza. ὄξος ſignificat quidem *acetum*, ſed & Græci hac appellatione vocant vinum factitii ſaporis, ſicut & omnem ferè liquorem. unde etiam cerviſiam, nempe liquorem factum ex hordeo, appellant οἶνον κρίθινον. vinum ergo quod propinaverunt, erat factitium. 23 *Mc. myrrhatum*, ἐσμυρνισμένον οἶνον. ut dicit Marcus. Quid ſit illud vinum myrrhatum quærunt interpretes. alii putant fuiſſe vinum laudatiſſimum quod conjiciunt ab honeſtis matronis propinatum iis qui ducerentur ad ſupplicium; fuiſſe autem laudatum vinum probant eo quòd ſcribit Plinius, lib. 14. cap. 13. *laudatiſſima apud priſcos vina erant myrrhæ odore condita; ut apparet ex Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur.* & mox *ex quibus*, inquit, *apparet non inter vina modò murrinam, ſed inter dulcia quoque numeratam.* Verùm ſuſpicio eſt locum Plinii depravatum eſſe; myrrhina enim vina non à myrrha Græcis ἐμμύρινα dicebantur, ſed ab *unguento*, ſeu μύρῳ; ut oſtendit Bartolinus libro de cruce, allegans clara teſtimonia Pollucis & Æliani. Marcus non dicit μυῤῥίνην, *myrrhinum* vinum fuiſſe Chriſto oblatum, ſed ἐσμυρνισμένον οἶνον. juxta Heſychium autem μυῤῥίνη, erat potio factitia cui infundebatur μύρον, *unguentum*. Ita *murrina* Plinii diverſa potio eſt à vino myrrhato Marci.

Ergo alii dicunt vinum myrrhatum eſſe vinum mixtum cum myrrha, quæ cùm genuina eſt, multum amarorem habet; ut cum Matthæo concors ſit Marcus qui dicit *vinum cum felle miſtum* propinatum eſſe Domino, μετὰ χολῆς; nam χολὴ, non tam *fel* quàm *amarorem* ſignificat, etenim in pſal. 68. ℣. 29. ubi canitur: *& dederunt in eſcam meam fel*, in fonte legimus ראש *roſch*, in verſione Græca χολήν. nomen autem Hebræum *roſch*, redditur in dicta verſione Græca χολὴ, πικρία &c. ita liquet in hocce loco Evangelii ſermonem fieri de myrrha, quæ ab Hebræis ob ſummam amaritudinem appellatur מר *mor* à verbo מרר *amarum eſſe*. lectio autem quam vulgatus ſequutus eſt, non legens ὄξος. ſed οἶνον, verior eſſe probatur ex Mat-

Digitized by Google

Marco, juxta quem ſtatim Chriſto propinatum eſt vinum cum myrrha mixtum, ori autem ejus non protinus admotum eſt *ὄξος*, *acetum*, ſed cùm peragеretur crucifixio.

Unde autem illud vinum myrrhatum? Reſpondebo allegans locum Thalmudis in tractatu Sanhedrin, cap. 6. *Dixit R. chaſda: qui ducitur ad mortem potant eum grano thuris in poculo vini: ut diſtrahatur mens ejus, quia dictum eſt* Proverb. cap. 31. ℣. 6. *Date ſiceram pereunti, & vinum illis qui ſunt amaro animo.* Thus in potu inſanos facere, & largiùs hauſtum mortem conciliare Voſſius probat ex Dioſcoride, lib. 1. cap. 70. itaque Ptolemæus Philopator, cùm vellet Judæos objicere elephantis obterendos, largis thuris manipulis condivit vinum, ut ſcriptor tertii libri Macchabæorum narrat, cap. 5. ἐκέλευσεν τῇ ἐπερχομένῃ ἡμέρᾳ δαψιλέσι δράξεσι λιβανωτοῦ καὶ οἴνῳ πλείονι ἀκράτῳ ἅπαντας τοὺς ἐλέφαντας ποτίσαι.

Cùm ergo id moris eſſet apud Judæos, non mirum eſt ſi Judæi qui urgebant crucifixionem Jeſu, paratum habuerint vinum myrrha conditum. myrrha ſicut & thus lacryma eſt deſluens ex cortice inciſo cujuſdam arboris, idcirco autem pro thure Judæi myrrha uſi ſunt, quia, ut ex vaticinio allegato pſalmiſtæ liquet, non volebant rem gratam Chriſto facere, ideo pro benigni ſaporis thure amarorem myrrhæ propinarunt, ne quid deeſſet, quo violentum ſuum in Servatorem animum proderent; quapropter repulit poculum, *& cùm guſtaſſet*, *γευσάμενος*, id eſt, cùm leviter deguſtaſſet, implendo tantùm vaticinio, *noluit bibere*, id eſt, epotare calicem: quo ſenſu dicit Marcus Jeſum non accepiſſe, *& non accepit.*

14 * 25 *Mc. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* quomodo intra trium horarum ſpatium omnia iſta accidere poterant, deductio Jeſu in Templum, in quo non conſidebant ſynedrii ſenatores ante ſacrificium juge matutinum, adductio ad Pilatum; & quæ apud eum, tum apud Herodem tranſacta ſunt. Præterea hora ſexta prope fuit quando traditus eſt ad crucifigendum Jeſus ex Joan. cap. 19. ℣. 14. ita non convenit inter Marcum & Joannem. Ad hunc nodum ſolvendum promptior reſponſio videtur B. Hieronymi; notam numeri, ibi depravatam à librariis. γ gamma nota eſt ternarii numeri, ſenarii verò nota eſt ϛ, quod vocant *Epiſemon*; in utroque caractere pingendo facilis lapſus, ita potoit Marcus cum Joanne dicere crucifixionem Domini cœptam ſexta hora, qua Joannes dicit Pilatum tradidiſſe Jeſum crucifigendum. Sic Marci codicem eo in loco à librariis corruptum non refugientes dicere cum B. Hieronymo, & pluribus aliis viris doctis, facile conciliamus Joannem & Marcum; neque enim illi diſſident.

Attamen ſi quis & à labe omni cujus etiam librarii auctores eſſe poſſunt, contendat ſacros codices prorſus debere eſſe immunes, dicere poſſumus à tertia hora, quæ juxta morem noſtrum nona eſt matutina cœpiſſe crucifixionem, quia ab illa cœpit judicium de crucifixione coram Pilato. ſtatim ac manè factum eſt, Ieſus deductus eſt in Templum, ubi judicatus reus mortis, inde ad Pilatum, ut re ipſa ante horam tertiam coram eo judice non admiſſus ſit; nec ante illam horam prætores jus dixiſſe viri periti obſervant.

Nolo terere tempus in confutandis illis interpretibus, qui non aliter ineunt concordiam inter Evangeliſtas, quàm ſupponendo modo Romano more, modo Iudaico tempus metiri; quod cùm ſemel admittitur, licet quocumque velis deducere Evangeliſtas. S. Auguſtinus eleganter dicit hora tertia Ieſum crucifixum fuiſſe linguis Iudæorum, hora ſexta manibus militum. mos autem iſte loquendi de horis dici ut alia prima, hæc tertia, ſexta, nona appelletur, natus eſt ex templi conſuetudine. ubi ſacrificia & preces fieri ſolebant his quatuor horis; prima, tertia, ſexta, nona, quæ feſtis maximè diebus, ſono tubæ ſignificabantur, ut docemur, Num. cap. 10. ℣. 10. quo factum ut hæ horæ tanquam notiores vulgò celebrarentur. neque alia nomina horarum reperias, ubi ſtatarum precationum fit mentio: factum autem tertia & ſexta hora dicitur, quidquid contigerat fieri intra ſtata precandi tempora illa; ita ut quæ in medio eſſent poſita nunc ad hunc, nunc ad illum terminum referrentur. ſic Marcus ad horam tertiam retulit quæ Ioannes tribuit horæ ſextæ.

Crucifixerunt, inquam, Ieſum J *& cum eo alios duos L. Latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris*, I *hinc & hinc, medium autem Ieſum*, ut latronum anteſignanum & principem. 15 * 28 *Mc. Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit* Iſaiæ cap. 53. ℣. 12. *Et cum iniquis reputatus eſt.* Totum autem illud Iſaiæ vaticinium ſicut in Actis Philippus, ita & vetus Chaldæus Paraphraſtes, de Meſſia exponit, & in ſe implendum hoc Chriſtus prædixerat, Luc. cap. 22. ℣. 37. Inter duos latrones pendens pro tertio habitus eſt.

16 * 34 *L. Ieſus autem dicebat Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* quod dicto monuerat Chriſtus *orandum pro inimicis*, id facto nunc præſtat. Igitur pro ut ſolent deprecatores omiſſo quod in facto militum Romanorum & Iudæorum erat accuſandum, id refert quod ad minuendam aliquo modo culpam pertinebat. milites Romani verè ignorabant quid facerent; forſan & miniſtri Iudæorum quibus non ſubolebat, ſacerdotes odio abreptos Ieſum tradidiſſe Pilato crucifigendum. itaque videre eſt Deum hac Chriſti deprecatione placa-

tum

tum erga multos, qui hac ipſa hora Jeſum agnoverunt virum eſſe Deo probatum; & ideò feriò eos pœnituit facinoris ſui.

17 * 19] *Scripſit autem*, pro ſcripſerat, *&* *titulum Pilatus*, codicillum qui contineret inſcriptionem, *& poſuit ſuper crucem*, id eſt, juſſerat ut poneretur: *erat autem Mc. titulus cauſæ ejus inſcriptus*: nempe tabula cauſam mortis exhibens. Lucas vocat ἐπιγραφὴν, *inſcriptionem*: Matthæus αἰτίαν, *cauſam*, quòd cauſa mortis in eo publicaretur. 18 * 37. *Mt. Et impoſuerunt ſuper caput ejus*, in ſumma cruce *cauſam ipſius ſcriptam; Hic eſt Mt.*] *Jeſus*] *Nazarenus L*] *rex Judæorum.* ſolebat brevibus verbis cauſa ſupplicii indicari ſcripto, aut præconis voce. Sic Suetonius in Caligula, cap. 38. loquens de reo qui mulctatus eſt: *Præcedente titulo qui cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur.* idem in Domitiano, cap. 10. *Patrem familias detractum è ſpectaculis in arenam canibus objecit cum hoc titulo: Impiè locutus Parmularius.* ſed facite propriè ad crucem Dionis locus lib. 54. de ſervo, quem dominus agi in crucem, idque per forum juſſit μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλούντων, *cum litteris quæ cauſam mortis aperirent.*

19 * 20] *Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus*, nempe Calvariæ, *ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebraice, Græcè, & Latinè.* Latino ſermone ob majeſtatem Imperii; Hebræo ob locum in quo ſupplicium ſumebatur; Græco ob maximam turbam Helleniſtarum, qui ad Paſcha convenerant; quamquam alioqui Græco ſermoni, à Macedonicis temporibus & in Palæſtina Judæi vicinæque gentes aſſueverant. itaque apud Joſephum, lib. 14. cap. 17. C. Cæſar dictator Sidoniis, atque M. Antonius Triumvir Tyriis imperant, ut edicta quædam ſua in pubblicas tabulas referantur tum Latino, tum Græco ſermone. Capitolinus obſervat in vita Gordiani, cùm milites ſepulchrum curaſſent huic imperatori in finibus Perſidis addidiſſe titulum Græcis & Latinis, & Perſicis, & Judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur. ſic omnes Judæi qui de diverſis mundi partibus ad feſtum venerant, legere potuerunt titulum crucis dominicæ. Lucas hoc ordine linguas tituli recenſet, Græca, Latina, Hebræa: Joannes illo; Hebræa, Græca, Latina; quod locum dedit quæſtioni, quæ lingua primum locum tenere cenſenda ſit. Baronius contendit Latinam collocatam in extremo loco, quia honoratior eſſet. Sed ante omnia conſtare deberet verus ordo linguarum in titulo, quem nobis ignotum voluit eſſe Deus, cùm diverſus ſit in Evangeliſtis: hoc eſt non ſategerint exhibere eum ordinem quo quæque lingua vel præpoſita, vel poſtpoſita eſt.

20 * 21. *Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum: Noli ſcribere rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum.* id enim ita accipi poterat, quaſi populus Judæorum eum pro rege habuiſſet. 21 * 22. *Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.* id eſt, quod ſcribi juſſi, pro ſcripto habeo; ſcriptum manere volo. Secundùm leges Romanas, ſententia ſemel dicta à magiſtratu, ſeu judice, mutari non poterat. *Proconſulis tabella ſententia eſt, quæ ſemel lecta neque augeri litera, neque minui poteſt*, inquit Apuleius, lib. 1. Floridor.

22 * 23. *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum*, clavis affixiſſent eum. milites enim in caſtris, & in urbe juſſu Imperatoris, & in provinciis juſſu Præſidum damnatos ſupplicio afficiebant. Chereas apud Joſephum, lib. 19. Antiquitatem, cap. 1. *miniſtramus ſatellites, & carnifices conſtituti pro militibus.* Tertullianus de *corona milit.* cap. 10. loquens de milite, *& vincula, & crucem, & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum.* ergo milites *acceperunt veſtimenta ejus*, τὰ ἱμάτια, quibus eum exuerunt, ut de more nudus crucifigeretur. Illud plurale *veſtimenta* accipi poteſt diſtributivè pro omnibus veſtimentis ejus, quæ inter ſe diviſerunt milites. *& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* ita quatuor milites crucifigebant Jeſum. Tres primi Evangeliſtæ pariter dicunt milites diviſiſſe veſtimenta Domini. rem autem Joannes videtur dicere ἀκριβέστερον magis, id eſt, cum ſuis circunſtantiis; dicens enim cum cæteris Evangeliſtis, Domini veſtimenta diviſa fuiſſe à militibus, diſtinctè nominat tunicam ejus. Pallium quod erat quadratam habens quatuor angulos in quibus appendebant fimbriæ, ſive pannus quadratus integer eſſet, ſive quatuor contextus minoribus pannis, potuit in quatuor æquas partes dividi. quod non potuit fieri de veſte interiori, ſive tunica, ut idem Joannes dicit, quod indictum prætericre alii Evangeliſtæ, *& tunicam*, ſive interiorem veſtem acceperunt inter ſe partiendam *Mc. mittentes ſortem ſuper eis quis quid tolleret.* Hoc quod dicit Marcus, interpretandum ex iis quæ ſubjicit Joannes. In genere dicit Marcus cum Matthæo & Luca milites veſtimenta Criſti partim diviſiſſe, partim alea addixiſſe victori; ſed rem diligentiùs explicat Joannes; cùm enim partem veſtimentorum, ut putamus pallium, dixiſſe milites inter ſe diviſiſſe, addit ab eis id fieri non potuiſſe de tunica. 23 *] *Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum.* ſine commiſſura, continuo textu à ſumma parte ad imum contexta, ſimili opere, quo nunc fiunt tibialia acu texta, *des bas brochez, bas faits à l'eguille.* talium veſtium fragmenta inutilia ſunt, quia diffluuntur ex ſe. An ſimili opere texta eſſet tunica Domini

dice-

dicere non poſſumus. verùm Braunuius eruditus & diligenies ſcritor, lib. 1. cap. 16. de veſtiiu ſacerdotum Hebræorum probat certis teſtimoniis olim integras tunicas opere non omninò diverſo fuiſſe elaboratas. Etenim præter illam artem qua panni & linea nunc vulgò conficiuntur, diverſimodè texi poſſunt veſtes aut acu, aut fuſo.

24 * 24. *Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam*, inutilem futuram ſi ſcindatur, *ſed ſortiamur de illa cujus ſit, ut ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & Mt.* J *in veſtem meam miſerunt ſortem.* dixit hoc David de ſe proverbialiter pſal. 21. ℣. 18. ut indicaret inimicos lætatos ſuis ſpoliis. At Dei providentia factum eſt, ut hæc & alia ejuſmodi in Chriſto implerentur perfectiùs, non modo ſecundùm ſenſum proverbialem, ſed & omni ſenſu, ut appareat in ipſo eſſe complementum omnium quæ veteribus contigerant.

25 * J *Et milites quidem hæc fecerunt.* crucifixus eſt à militibus Romanis 36 *Mt. & centurio & milites ſedentes ſervabant eum*; addit Græcus codex *ibi*, donec Pilati impleretur ſententia ex more Romano; vidimus enim appoſitos crucibus milites qui eas ſervarent, ne damnatus his detraheretur.

CAPUT XXXV.

Chriſtus in cruce pendens irridetur à populo, à ſacerdotibus, à latrone. Interea Maria Mater ſtabat ad crucem. Sole obſcurato emiſit ſpiritum.

	HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ℣. 39-50	MARCUS Cap. 15. ℣. 29-37.	LUCAS Cap. 23. ℣. 35.37.39-46.
† Pſal. 21. 8. & 68. 21. & 108. 25.	1 *Mt.* PRætereuntes autem *MM.* blaſphemabant eum † moventes capita ſua,	39 Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua,	29 Et prætereuntes blaſphemabant eum moventes capita ſua,	
	2 Et dicentes: Vah qui deſtruis Templum Dei, & *Mt.* in triduo illud *MM.* reædificas.	40 Et dicentes: Vah qui deſtruis Templũ Dei, & in triduo illud reædificas:	& dicentes: Vah qui deſtruis Templũ Dei, & in tribus diebus reædificas:	
	3 *Mc.* Salvum fac temetipſum. *Mt.* ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.	Salva temetipſum: Si Filius Dei es. deſcende de cruce.	30 Salvum fac temetipſum deſcendens de cruce.	
	4 *L* Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum.			35 Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum eis,
	5 *Mt.* Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant:	41 Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant.	31 Similiter & ſummi ſacerdotes illudẽtes, ad alterutrũ cum Scribis dicebant:	dicentes:
† Sap. 2. 18.	6 *MM. L* Alios ſalvos fecit, *MM.* ſeipſum non poteſt ſalvum facere; *Mt.* † Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: *L* ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.	42 Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: Si rex Iſrael eſt, deſcẽdat nunc de cruce, & credimus ei.	Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere:	Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.

MARCUS.

7 * 32 Chriſtus Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus:

8 * 43 † Con-

MATTHÆUS.

8 * 43 † Confidit in Deo: liberet nunc ſi vult eum; dixit enim: Quia † *Pſal.* 21. 9.
Filius Dei ſum.

LUCAS.

9 * 36 Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,
10 * 37 Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, ſalvum te fac.
38 *Erat autem, &c. ſuprà, cap.* 34. ℣. 17.

LUCAS.	MATTHÆUS.	MARCUS.
11 * 39 Unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos.	44 Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.	Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.

LUCAS.

12 * 40 Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?
13 * 41 Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.
14 * 42 Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.
15 * 43 Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.

JOANNES, Cap. 19. ℣. 25—30.

16 * 25 Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.
17 * 26 Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.
18 * 27 Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
19 *Mc.* A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam.	45 A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam.	33 Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram uſque in horam nonam.	44 Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, uſque in horam nonam.
20 *L* Et obſcuratus eſt ſol.			45 Et obſcuratus eſt ſol: (*& velum &c. infrà, cap. ſeq.* ℣. 1.
21 *Mt.* Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: † Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt: *MM.* Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? † *Pſal.* 21. 2.	46 Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?	34 Et hora nona exclamavit Jeſus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma ſabacthani? quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?	
22 *Mc.* Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iſte.	47 Quidam autem illic ſtantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte,	35 Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.	

Digitized by Google

JOANNES.

23 * 28 Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio.
24 * 29 Vas ergo erat poſitum aceto plenum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	JOANNES.
† Pſal. 68. 22. 25 *Mt.* † Et continuò currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.	48 Et continuò currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.	36 Currens autem unus & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens:	Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus,
26 Ceteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.	49 Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.	Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.	

JOANNES.

27 * 30 Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſummatum eſt.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
28 *L* Et clamans voce † Pſal. 30. 6. Act. 7. 59. magna Jeſus, ait: † Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.	50 Jeſus autem iterùm clamans voce magna	37 Jeſus autem emiſſa voce magna,	46 Et clamans voce magna Jeſus, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.	
29 Et hæc dicens, *J* inclinato capite tradidit ſpiritum, *Mc. L* expiravit.	emiſit ſpiritum.	expiravit.	Et hæc dicens, expiravit.	Et inclinato capite tradidit ſpiritum.

DE erectione crucis non loquuntur Evangeliſtæ; ſed erectam fuiſſe cùm Jeſum huic affixiſſent, ſatis intelligitur. hæc autem, quæ præſenti capite complectimur, tranſacta ſunt Chriſto in cruce exaltato. 1 * 39 *Mt. Prætereuntes autem*, ſcilicet vulgus Judæorum, etiam plerique è ſacerdoribus & ſenioribus; nam licet ea hora tota congregatio Iſraelis vacaret mactandis agnis paſchalibus, complures impediti aliqua ſecundum legem immunditie, paſcha facere diſtulerant in alterum menſem. Illi ergo prætereuntes *blaſphimabant eum*, contumelioſa verba in eum proferebant, *moventes capita ſua*, ſignum contemptus & irriſionis, ut videre eſt in multis ſcripturæ locis, præſertim in pſalmo 21. in quo David deſcripſit hæc omnia quæ Chriſto in cruce eventura vaticinabatur. 2 * 40 *Mt. Mc. Et dicentes: Vah qui deſtruis*, ὁ καταλύων, ille qui deſtruebas *Templum Dei*, *& Mt. in triduo illud reædificas.* articulus ὁ emphaſim habet. Tu *qui deſtruis Templum Dei*, id eſt, qui dicebas te deſtructurum. 3 * 30 *Mc. Salvum fac temetipſum:* ſubſtrahe te ſupplicio. *Mt. Si Filius Dei es*, pro ut es gloriatus, & docuiſti, & in judicio confeſſus es, *deſcende de cruce:* quid enim non poteſt is qui verè filius Dei eſt? egregium te monſtras Templi inſtauratorem, qui nec temetipſum liberare vales?

4 * 35 *L Et ſtabat populus, ſpectans, & deridebant eum* his & ſimilibus dicteriis. 5 * 41 *Mt. Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus*, id eſt, cum viris primariis ſynedrii magni, *dicebant.* 6 * 42 *Mt. Mc. L Alios ſalvos fecit*, Lazarum reſuſcitavit, *ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Mt. Si rex Iſrael eſt* verus, ille Meſſias potens quem expectamus, *deſcendat nunc de cruce;* hoc edat ſignum potentiæ ſuæ, *& credemus ei. L ſe ſalvum faciat* ab imminentis mortis periculo, *ſi hic eſt Chriſtus* Meſſias *Dei electus*, Deo charus, 7 * 32 *Mc. Chriſtus rex Iſrael deſcendat de cruce ut videamus* aliquod miraculum, & illo adducti *credamus*. 8 * 43 *Mt. Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult eum*, id eſt, ſi in eo ſe oblectat. ſi diligit eum Deus. Verba enim eadem ſunt quibus in pſalmo allegato ſe olim peti quærebatur David, typum gerens Chriſti. in fonte Hebræo כי חפץ בו quod reddunt ſenes Græci ὅτι θέλει αὐτόν, *quoniam vult*

vult eum. verbum autem חפץ ab iiſdem interpretibus non ſemel redditum eſt per εὐδοκεῖν, *complacere*. liquet ſenſum deriſurum fuiſſe, quem illi ſatis indicabant; quòd ſi Jeſus verè eſſet Dei filius, in eo ſibi Deum complaceret.

9 * 36 *L Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei*. unde acetum in monte Calvariæ, & quem in finem? Putant aliqui ad ſiſtendum ſanguinem paratum cum ſpongia ad reſtringenda vulnera. veriſimilius eſt ibi acetum repertum, quia erat potus militum qui deſtinati crucibus ſervandis potu & eſca interea egebant. Acetum tenuioribus olim potus fuit, ut docet nos illud Perſii carmen. Satyr. 4.

Pannoſam fæcem ſorbens morientis aceti.

Allegantur pleraque teſtimonia; ſed inſtar ſit omnium quod dicit Spartianus in Peſcennio Nigro; *Juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos*. potum illum aceti non fuiſſe inſolitum probant hæc verba Ruth. cap. 2. ℣. 14. *Comede panem & intinge buccellam tuam in aceto*. ſunt qui opinantur illud ὄξος, quod vulgatus interpres reddit *acetum*, ſumi poſſe pro vino factitio, ut jam dictum eſt, quod morituris in ſupplicio propinabatur, & ideo ibi paratum erat. inſultabundi, quem advertebant effuſo ſanguine deficere, offerebant milites ſive acetum, ſive vinum factitium adverſus deliquium. 10 * 37. *Et dicentes: Si tu es rex Judæorum*, celebris virtutibus, *ſalvum te fac*. modò enim, ni citò tibi conſulas, moriturus es.

11 * 39 *Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos*. cur pateris tibi & nobis vitam eripi; nec tuam exerces virtutem? Matthæus & Marcus dicunt duos latrones blaſphemaſſe; quia rem non ſuſcipiebant diligentiùs enarrandam, indicare negligentes hanc circumſtantiam, quòd unus tantùm blaſphemaverit, quam circumſtantiam non omiſit Lucas. niſi ſatius ſit dicere ſic ſolitos loqui Hebræos, qui pluralem numerum pro uno aliquo incertè indicato, quandoque ponunt, ſeu plurale pro uno ex pluribus. innumera occurrunt exempla in ſacro codice. *Ut quievit arca ſuper montibus Ararat*, hoc eſt, uno montium. ſic & illud Judicum cap. 12. ℣. 7. *ſepultus eſt in urbibus Galaad*, pro in una aliqua urbium. Ita Matthæus & Marcus dicunt latrones blaſphemaſſe ut indicent unum aliquem ex illis blaſphemaſſe.

12 * 40 *Reſpondens autem alter* latronum, *increpabat* eum ſic blaſphemantem, dicens: *neque tu times Deum*, miſero inſultans, *quòd in eadem damnatione es?* quamvis ſis in eodem ſupplicio. ſenſus eſt, cùm ſimili pœnæ ſubjaceas, & mors proxima ſit, Deum non times? 13 * 41 *Et nos quidem juſtè punimur, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit*. nemo erat ad quem fama Jeſu non perveniſſet, ita nec latebat latronem.

14 * 42 *Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. cùm regni illius tibi à Deo promiſſi poſſeſſionem fueris adeptus. Rara & nobilis erat hæc fides in Chriſtum derelictum, miſerè moribundum, & ab omnibus irriſum. 15 * 43 *Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi e hodie mecum eris in paradiſo*. dubium non eſt quia Chriſtus ita locutus ſit, quomodo ſciebat à latrone intelligi παράδεισον. paradiſus vox eſt ut videtur, Perſica; quæ non cœpit eſſe in uſu apud Græcos, niſi poſt Xenophontis tempora. Nomen Hebræum פרדס *pardes*, conſonum non occurrit niſi apud Nehemiam, & in Canticis & in Eccleſiaſte, qui libri aut edi, aut ſaltem colligi potuerunt, poſtquam Judæi Perſis ſubditi ſunt. Græci verò interpretes, & Philo poſtea uſi ſunt hac voce Græca παράδεισος, ut ſignificarent גן עדן *gen-eden*, id eſt, *hortum in eden*, ſive beatum illum locum, in quo Deus Adamum collocavit; deinde nomen idem tributum eſt loco beatitudinis, quo pii excipiuntur poſt mortem, ubi reſurrexectionem expectant. unde in Thalmudicis ſcriptis frequens [illegible], ſive deprecationis formula pro mortuo: *ſit anima ejus, & animus ejus collectus ſit in horto eden*, & in ſolemnibus precibus tempore mortis. *Partem habeat in Paradiſo, nec non in futuro illo ſæculo*. & in alia formula. *Requieſcat anima ejus: & ſit dormitio ejus in pace, donec veniat conſolator, qui facit audire pacem patrum ſæculi dormientium in Hebron. Portas paradiſi aperite ei: & dicite pacem*.

Negari ergo non poteſt quin latro, utpotè Judæus, audito nomine *gen-eden*, ſive *paradiſi*, addita præſertim deſignatione temporis *hodie*, morte jam imminente, ſtatum illum intellexerit, in quo Abrahami, Iſaaci & Jacob animas eſſe omnibus Judæis erat perſuaſum, quaſi diceret Chriſtus, non tantùm olim, cùm regnum meum ſuam accipiet plenitudinem, tui ero memor, ſed jam nunc magna & ingentia ſolatia tibi repræſentabo. Nec ſine gravi cauſa expreſſum eſt illud *hodie*. cenſebant enim Judæi non quorumvis animas ſtatim in felicem paradiſi ſtatum recipi, ſed eas demum quæ bene purgatæ ex hac vita excederant. certo enim certius eſt, purgatorium locum creditum à Judæis; in quo animæ, quæ alioqui ſtatim demitti debuiſſent in tartara, pœnas dabant per aliquod tempus culparum ſuarum; quas ut eis condonaret precibus & ſacrificiis oblatis Iſraelitæ Deum deprecabantur. neque enim illis videbatur ſuperfluum & vanum orare pro mortuis. Doctrina eſt veterum & ſanctorum Patrum, Chriſtum morientem deſcendiſſe ad il-

lam ſedem, in qua piorum animæ tranquillè agebant, expectantes meliorem ſtatum, quamque ideò aſſimilaverunt Judæi horto voluptatis *gen-eden*, ubi primùm collocatus fuerat Adam. cùm autem ſedes illa eſſet inviſibilis perinde ac animarum infelicium locus; pariter & dicebatur *ᾅδης*, quæ vox redditur à noſtris *infernus*. Ad illa loca, quocumque nomine appellentur, Jeſum deſcendiſſe, ut hactenus in Eccleſia orthodoxa creditum eſt, demonſtrat id quod promiſit latroni; *mecum eris in paradiſo*. Ita articulus ſymboli apoſtolorum, *deſcendit ad inferos*, non tantùm docet Jeſum verè mortuum & concluſum ſepulchro, quod interdum ſignificatur nomine *inferi*; ſed & ſeipſa adiiſſe locum piorum qui corpore ſoluti expectabant mortem ejus, qua recluderetur eis locus adhuc felicior in cœlo.

16 * 25 J *Stabant autem juxta crucem Jeſu*, ut eum videre & loquentem audire poſſent, *Maria mater ejus, & ſoror Matris ejus, Maria* mater, vel filia *Cleophæ*, *& Maria Magdalene*, ſoror, ut puto, Lazari, quæ tanto amore Jeſum diligens, non poterat etiam metu militum circumſtantium removeri à cruce. 17 * 26 *Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem*, etiam juxta crucem, Joannem ſcilicet, *quem diligebat*: ita ſolet ſeipſum ſignificare Evangeliſta; *dicit* Mariæ *matri ſuæ*: *mulier*, matrem non vocat, tum ob hoſtes circumſtantes; tum ne viſcera maternæ æquo vehementiùs commoverentur, *Ecce filius tuus*. hic tibi pro me filii erit loco; & filii officia exhibebit. 18 * 27 *Deinde dicit diſcipulo*: *Ecce mater tua*, quam ut matrem poſthac obſervaturus es. *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*, εἰς τὰ ἴδια, in propria, id eſt in domum ſuam. Unde locutio frequens εἰς τὰ αὐτῶν, pro in ſuas quiſque domos; in qua locutione ſubintelligitur ἴδια. ex eo autem quòd Jeſus matrem Joanni commendaverit, benè colligitur Joſephum Mariæ conjugem, cùm hæc agerentur, jam diem ſuum obiiſſe.

19 * 45 *Mt. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt*, id eſt, factæ erant *ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*, qua Jeſus expiravit. Hora ſexta cœperant illæ tenebræ, nempe in meridie, quo tempore ſol ſplendidior. Sed 20 * 45 *L. & obſcuratus eſt ſol*. ἐσκοτίσθη, obtenebratus eſt; neque enim deficere poterat, ut fieri ſolet in ecclipſibus cùm luna inter eum & terram poſita ſubripit lumen ejus; tunc enim luna plena erat, & ſoli è diametro oppoſita; ſiquidem paſcha celebrabatur tempore plenilunii; ergo facies ſolis non obtecta erat interpoſitu lunæ: apparebat, ſed cilicina, ſive ſimilis ſacco cilicino nigro, juxta vaticinium Amos, cap. 8. ℣. 9. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. vidimus in Chronologicis has tenebras obſervatas ab ethnicis, quas habuere pro defectu ſolis, cujus cauſa eſſet extraordinaria.

21 * 46 *Mt. Et circa horam nonam*, qua ut vidimus in diſſertatione de paſchate, fiebat mactatio agnorum paſchalium. hac, inquam, hora, antequam expiraret, *clamavit Jeſus voce magna, dicens*: *Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt, Deus meus, MM. Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* verba illa ſumpta ſunt ex pſalmo allegato quo deſcribebatur paſſio Domini; ſed illa in Syriacam linguam mutavit Chriſtus; Syriacè enim tunc non Hebraicè loquebantur Judæi. Derelictum autem ſe à Deo dicebat, quòd talia pateretur, quaſi derelictus à Deo fuiſſet; quia ſe fecerat peccatum, ſive hoſtiam pro peccato; & ideo veniebant in eum omnia maledicta: oneratus erat ira Dei, donec illam morte ſua placaret.

22 * 47 *Mt. Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant*: *Eliam vocat iſte*. juxta Matthæum dixerat Ηλὶ Ηλὶ, *Eli Eli*. Juxta Marcum Ελωὶ Ελωὶ, *Eloi Eloi*, quæ nomina ſono ſuo vicina ſunt nomini *Eliæ*. qui à Jeſu advocati Eliam putabant, procul dubio non erant Romani quibus omninò Elias ignotus, neque Judæi Palæſtini Syriacè ſcientes. puto fuiſſe Judæos Helleniſtas qui cùm verba Hebræa non intelligerent, *Eliæ* nomen ſibi notum audire ſe exiſtimaverunt; de redituro enim Elia vetus fama, ex vaticiniis malè intellectis hauſta, omnes Judæos pervaſerat.

23 * 28 J *Poſtea ſciens Jeſus, quia omnia conſummata ſunt*, id eſt, reliqua quæ præceſſerant, *ut conſummaretur ſcriptura*, complerentur vaticinia, quibus prædicebatur quòd potandus eſſet aceto in pſal. 68. ℣. 22. (*& dederunt in eſcam Fel*: *& in ſiti mea potaverunt me aceto*.) hæc de ſe David dicebat, ut Chriſti typum gerens. Ergo Jeſus *dixit*: *ſitio*, ut daret locum implendo huic vaticinio. 24 * 29 *Vas ergo erat poſitum aceto plenum*, ὄξος μεστὸν. vel reipſa acetum erat, potus militum Romanorum, vel vinum illud factitium quod apponi ſolebat ad crucem; nam ut vidimus ſuprà, ὄξος non tantùm ſignificat acetum illud, quo jura condiuntur, ſed & potus aliquod genus: reſpondet Hebræo חמץ *chomets*. illud autem *chomets*, fuiſſe potus genus, ſive vinum factitium apparet ex capite 6. numerorum ℣. 3. *à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt*. *acetum*, ὄξος, chomets ex *vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent*. Ter autem videtur oblatum vinum illud factitium Chriſto: 1. antequam affigeretur cruci, 2. cùm jam in cruce exaltatus fuiſſet. 3. cùm ipſe ſitiret paulò ante mortem.

25 * 48 *Mt. Et continuò currens unus ex eis*

qui

Digitized by Google

qui audierat eum, cùm dixit : ſitio, *acceptam ſpongiam implevit aceto*, nempe vel vero aceto, vel illo vino factitio myrrhato, cum felle mixto, ſive amaro, quod paratum erat his qui ſupplicio afficiebantur, *& impoſuit arundini*, κάλαμῳ. juxta Matthæum & Marcum in fonte ; Latinus enim interpres hoc nomen in Matthæo reddit *arundini*, in Marco *calamo* ; Joannes dicit *hyſſopo circumponentes*, quod alii ſic intelligunt, ut calamus fuerit caulis, ſive bacillus hyſſopi ; nam *calamus* dici poteſt de omni *virga*, ſive *bacillo*. liquet *hyſſopum* Joannis reſpondere *calamo* Matthæi & Marci, ſive in eundem uſum adhibitam, nempe pro bacillo cui circumpoſita ſit ſpongia. Cametarius conjectabat pro ὑσσώπῳ, *hyſſopo*, ſcriptum olim fuiſſe ὑσσῷ. Græcis autem ὑσσὸς pilum eſt, Romanæ militiæ proprium armorum genus ; ſed illud craſſius, ut uſum arundinis commodè poſſet præbere. Lectio vulgata ſuſpecta eſſe non poteſt ; quaſi *hyſſopus*, ſive *hyſſopi* calamus hunc uſum præbere non potuerit ; Rabbinorum enim auctoritate conſtat eſſe hyſſopi ſpeciem quæ fruticibus lignoſis adnumeratur ; quin ipſa ſcriptura id ſatis indicat, ubi de Salomone, dicit 3. Reg. cap. 4. ℣. 33. *Diſputavit ſuper lignis, à cedro quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete* ; liquet enim ibi de lignis fieri ſermonem, & ideo hyſſopum eſſe ſpeciem ligni ; id eſt, arboris, ſed quæ ſit tantùm frutex, ſive arbuſcula. *de quaque ſpecie arboris* ; καθ' ἕκαστον εἶδος δένδρων, *parabolam dixit ab hyſſopo uſque ad cedrum*, ait Joſephus. Ergo ex hyſſopo frutice, calami, ſive bacilli concinnari poterant. Sunt qui velint ramuſculis hyſſopi, quaſi funiculis ſpongiam arundini fuiſſe circumligatam. ſed cùm rem eamdem Evangeliſtæ narrent qui inter ſe concordes ſunt ; id quod ab aliis de calamo dictum erat ; ei alligatam fuiſſe ſpongiam intelligi debet de hyſſopo quæ & calami uſum præſtare poteſt, ſiquidem frutex lignoſus. Quidquid ſit hyſſopus, ſive herba, ſive frutex, cùm aſtantes experiri vellent an priuſquam Jeſus animam exhalaret, adventurus eſſet Elias, quem putabant advocaſſe, ne citiùs moreretur, unus ex illis admovebat ori ejus ſpongiam aceto plenam, *& dabat ei bibere*, ſive, ut loquitur Joannes, *obtulerunt ori ejus*.

26 * 49 *Cæteri verò dicebant : ſine* : ἄφες. vox illa non prohibentis, ſed ſubjunctivo ſequenti inſerviens ; quaſi dicas age. nunc videamus, cæteris omiſſis. *videamus an veniat Elias*, quem vocavit, *liberans eum, ad deponendum eum*, de cruce ; vetus enim erat traditio apud Judæos Eliam paraturum vias Meſſiæ, hactenus tectum in turbine, ut dicitur in Eccleſiaſtico, cap. 48. ℣. 13. ita explorari poſſe putabant ex repentino adventu Eliæ, an reipſa Jeſus eſſet Meſſias.

27 * 30 J *Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum dixit, Conſummatum eſt*. peractum eſt. defunctus ſum omnibus iis, quibus in hac vita defungi debui. 28 * 46 L *Et clamans voce magna Jeſus ait : Pater meus in manus tuas*, tibi, tutelæ, curæque tuæ *commendo ſpiritum meum*. verba ſunt Davidis in pſal. 30. quatenus, ut ſæpiùs diximus, typus Chriſti erat. 29 * *Et hæc dicens*, J *inclinato capite*, qui geſtus eſt morientium, cùm emiſſo ſpiritu, caput ſuo pondere in pectus inclinat, *tradidit ſpiritum*, id eſt, animam in manus Dei patris *Mc. exſpiravit*, poſtquam ſcilicet *conſummatum eſt*, id eſt, ut inquit B. Auguſtinus, *cùm perfectum in illo eſſet, quod de illo prophetatum erat, & tanquam ad hoc expectaret qui utique, cùm vellet, moreretur. Quis ita dormit, quando voluerit, ſicut Jeſus mortuus eſt, quando voluit ? clamans voce magna &c.* animam Deo patri commendavit & reddidit. Clamor ille magnus quem moriens edidit, humanis viribus major erat ; multa enim eum debilitaverant, nox inſomnis, longa & varia itinera, flagra, crucis bajulatio, ſanguinis effuſio, pœna crucifixionis. Tantus itaque clamor declarabat illum non neceſſitate, aut infirmitate mori ; ſed voluntate, qui mortem, cùm poſſet, noluerat prohibere. Tunc autem mori voluit, cùm opportunum judicavit ; nempe eo tempore quo agni paſchales mactabantur, circa horam nonam. Itaque ut homo mortuus eſt, ſed moriens ſe oſtendit Deum. etenim ſi Romani eum cruci affixerint, *prædixerat & ipſe ita facturos. parum hoc, ſi non & prophetæ retro. & tamen ſuffixus ſpiritum cum verbo dimiſit prævento carnificis officio* : Tertull. apol. cap. 21. Sic, inquam, liberè moriens ea qua volebat hora, confirmabat quod dixerat apud Joan. cap. 10. ℣. 17. 18. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo & poteſtatem habeo ponendi eam ; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

CAPUT XXXVI.

Prodigia poſt mortem Domini. Velum Templi ſciſſum: Terra mota: Rupes ſciſſæ: monumentis apertis reſurgunt mortui: Aqua & ſanguis exeunt è latere Jeſu.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ℣. 51-56.	MARCUS. Cap. 15. ℣. 38-41.	LUCAS Cap. 23. ℣. 45 & 47-49.
† Exod 26.31. 2. Paral.3. 42. 1 *Mt.* † ET ecce *MM. L* velum Templi ſciſſum eſt *Mt.* in duas partes *MM.* à ſummo uſque deorſum. *Mt.* Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,	51 Et ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,	38 Et velum Templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo uſque deorſum.	45 . . . . . . & velum Templi ſciſſum eſt medium.

MATTHÆUS.

2 * 52 Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.

3 * 53 Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
4 *Mc. L* Videns autem centurio, *Mc.* qui ex adverſo ſtabat,	54 Centurio autem.	39 Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtab e,	47 Videns autem Centurio,
L quod factum fuerat, *Mc.* quia ſic clamans expiraſſet,		quia ſic clamans expiraſſet, ait:	quod factum fuerat,
L glorificavit Deum, dicens: *Mc.* Verè hic homo Filius Dei erat.		Verè hic homo Filius Dei erat.	glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo Juſtus erat.

MATTHÆUS.

5 * Et qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte.

LUCAS.

6 * 48 Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
† Pſal 37.12. 7 † Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa *Mt.* miniſtrantes ei, *L* hæc videntes.	55 Erant autem ibi mulieres multæ a longè, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa miniſtrantes ei.	40 Erant autem & mulieres de longè aſpicientes:	49 Stabant autem omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa. hæc videntes.
8 *MM.* Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi *Mc.* minoris, *MM.* & Joſeph mater & *Mc.* Salome *Mt.* mater filiorum Zebedæi.	56 Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.	inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Salome.	

MAR-

MARCUS.

9 * 41 † Et cùm eſſet in Galilæa ſequebantur eum, & miniſtrabant ei: & † *Luc. 8. 2. 3.*
aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam.

JOANNES, Cap. 19. ℣. 31—37.

10 * 31 Judæi ergo, (quoniam paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati,) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

11 * 32 Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.

12 * 33 Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

13 * 34 ſed unus militum lancea latus ejus aperuit & continuò exivit ſanguis, & aqua.

14 * 35 Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credatis.

15 * 36 Facta ſunt enim hæc, ut ſcriptura impleretur: † Os non comminuetis ex eo. † *Exod. 12. 15. Num. 9. 12.*

16 * 37 Et iterùm alia ſcriptura dicit: † Videbunt in quem transfixerunt. † *Zach. 12. 1.*

1 * 51 *Mt.* ET *ecce MM. L velum Templi*, *καταπέτασμα τοῦ ναοῦ*, *Mt. ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum.* duo erant vela, unum oppanſum ante intimum adytum, ſive penetrale templi, aliud ante fores exteriores. ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos, cap. 9. nos docet illud adytum Templi, in quod ſemel in anno introibat ſummus pontifex non ſine ſanguine, fuiſſe imaginem cœli, quod morte Chriſti hactenus occluſum reſeratum eſt, cùm nempe caro ejus deſtructa eſt, quam velut oppanſum divinitati ejus velamen *καταπέτασμα* appellat, cap. 10. ℣. 20. loquens autem de inferiori velo, cap. 9. ℣. 3. cùm nominet *δεύτερον καταπέτασμα*, liquet & primum pariter dictum fuiſſe *καταπέτασμα*, ſive duo vela, nempe tum interiùs, tum exteriùs appellata fuiſſe *καταπέτασμα*. ſciſſionem autem factam in velo exteriori interpretamur; quia ſi interiùs ſciſſum fuiſſet, ſoli ſacerdotes miraculum advertiſſent, & ea tantùm hora qua templum ingrediebantur ad adolendum thymiama, aut ad componendas lucernas; quod tamen veriſimile eſt omnium oculis patuiſſe, ideoque contigiſſe in velo exteriori ut magis conſpicuum eſſet; maximè quia mira arte primum illud velum elaboratum, omnium in ſe oculos convertebat, ut ſcribit Joſephus. Secundum quidem velum appellatur in fonte Hebræo פרכת *parochet*, quod Græci reddunt *καταπέτασμα*. primum verò מסך *maſaca*, in Græca verſion- *κάλυμμα*; ſed & ſæpiùs nomen illud *maſach*, redditur *καταπέτασμα*; ut hac voce probari non poſſit ſciſſuram de qua quæſtio eſt, non contigiſſe velo exteriori.

Et terra mota eſt. horruit terra immane hoc ſcelus, ut ſolet homo horrens contremiſcere. Iram Dei hæc commotio ſignificabat, & majeſtatem ejus qui patiebatur, ut dicitur in pſalmis, commota eſt, & contremuit terra à à facie Dei, *& petræ ſciſſæ ſunt*. puto conſequens eſſe terræ motus.

2 * 52 *Et monumenta aperta ſunt*, id eſt ſepulchra. *& multa corpora ſanctorum*, piorum, *qui dormierant*, mortui erant, *ſurrexerunt*. 3 * 53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem*, id eſt, poſt reſurrectionem venerunt Hieroſolymam: ſive reſurgente, pariter & reſurrexerunt. *& apparuerunt multis*, quo miraculo conſtabat Jeſum eſſe vitæ auctorem, *& morte ſua aboleviſſe habentem imperium mortis*. Heb. 2. ℣. 14. Quod Matthæus dicit de reſurrectione quorumdam Sanctorum non caret ambiguitate; quia ſi illud *poſt reſurrectionem ejus*, attineat ad id quod præcedit, ſenſus, eſt mortuos illos reſurrexiſſe poſt Chriſti reſurrectionem; quæ tamen poſt veli ſciſſionem continenter narrat Evangeliſta, ſcilicet ne unius & ejuſdem facti hiſtoriam diſcerperet. ſi verò illud *poſt reſurrectionem ejus*, præcedatur nota diſtinctionis, ut referri poſſit ad ſequentia, reſurrectio horum Sanctorum tantùm diſtinguenda ab eorum apparitione. Nempe monumenta aperta ſunt, Sanctique inde

dicere non poſſumus. verùm Braunuius eruditus & diligentes ſcritor, lib. 1. cap. 16. de veſtitu ſacerdotum Hebræorum probat certis teſtimoniis olim integras tunicas opere non omninò diverſo fuiſſe elaboratas. Etenim præter illam artem qua panni & linea nunc vulgò conficiuntur, diverſimodè texi poſſunt veſtes aut acu, aut fuſo.

24 * 24. *Dixerunt ergo ad invicem : Non ſcindamus eam*, inutilem futuram ſi ſcindatur, *ſed ſortiamur de illa cujus ſit, ut ſcriptura impleretur, dicens : Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & Mt.* J *in veſtem meam miſerunt ſortem.* dixit hoc David de ſe proverbialiter pſal. 21. ℣. 18. ut indicaret inimicos lætatos ſuis ſpoliis. At Dei providentia factum eſt, ut hæc & alia ejuſmodi in Chriſto implerentur perfectiùs, non modo ſecundùm ſenſum proverbialem, ſed & omni ſenſu, ut appareat in ipſo eſſe complementum omnium quæ veteribus contigerant.

25 * J *Et milites quidem hæc fecerunt.* crucifixus eſt à militibus Romanis 36 *Mt.* & centurio & milites *ſedentes ſervabant eum*; addit Græcus codex *ibi*, donec Pilati impleretur ſententia ex more Romano; vidimus enim appoſitos crucibus milites qui eas ſervarent, ne damnatus his detraheretur.

CAPUT XXXV.

Chriſtus in cruce pendens irridetur à populo, à ſacerdotibus, à latrone. Interea Maria Mater ſtabat ad crucem. Sole obſcurato emiſit ſpiritum,

HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ℣. 39-50	MARCUS Cap. 15. ℣. 29-37.	LUCAS Cap. 23. ℣. 35. 37. 39-46.
1 *Mt.* PRætereuntes autem *MM.* blaſphemabant eum † moventes capita ſua, († Pſal. 21.8. & 68. 21. & 108. 25.)	39 Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua,	29 Et prætereuntes blaſphemabant eum moventes capita ſua,	
2 Et dicentes : Vah qui deſtruis Templum Dei, & *Mt.* in triduo illud *MM.* reædificas.	40 Et dicentes : Vah qui deſtruis Templũ Dei, & in triduo illud reædificas :	& dicentes : Vah qui deſtruis Templũ Dei, & in tribus diebus reædificas :	
3 *Mc.* Salvum fac temetipſum. *Mt.* ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.	Salva temetipſum : Si Filius Dei es. deſcende de cruce,	30 Salvum fac temetipſum deſcendens de cruce.	
4 *L* Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum.			35 Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum eis,
5 *Mt.* Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant :	41 Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant.	31 Similiter & ſummi ſacerdotes illudẽtes, ad alterutrũ cum Scribis dicebant :	dicentes :
6 *MM. L* Alios ſalvos fecit, *MM.* ſeipſum non poteſt ſalvum facere; *Mt.* † Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei : *L* ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. († Sap. 2. 18.)	42 Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: Si rex Iſrael eſt, deſcẽdat nunc de cruce, & credimus ei.	Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere:	Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.

M A R C U S.

7 * 32 Chriſtus Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus :

8 * 43 † Con-

MATTHÆUS.

8 * 43 † Confidit in Deo: liberet nunc ſi vult eum; dixit enim: Quia Filius Dei ſum. † *Pſal. 21. 9.*

LUCAS.

9 * 36 Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,
10 * 37 Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, ſalvum te fac.
38 *Erat autem, &c. ſuprà, cap. 34. ℣. 17.*

LUCAS.	MATTHÆUS.	MARCUS.
11 * 39 Unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos.	44 Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.	Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

LUCAS.

12 * 40 Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?
13 * 41 Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.
14 * 42 Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.
15 * 43 Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.

JOANNES, Cap. 19. ℣. 25—30.

16 * 25 Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.
17 * 26 Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.
18 * 27 Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
19 *Mc.* A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam.	45 A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam.	33 Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram uſque in horam nonam.	44 Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, uſque in horam nonam.
20 *L* Et obſcuratus eſt ſol.			45 Et obſcuratus eſt ſol: (*& velum &c. infrà, cap. ſeq. ℣. 1.*
21 *Mt.* Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: † Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt: *MM.* Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? † *Pſal. 21. 1.*	46 Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?	34 Et hora nona exclamavit Jeſus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma ſabacthani? quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?	
22 *Mc.* Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iſte.	47 Quidam autem illic ſtantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte,	35 Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.	

JOANNES.

23 * 28 Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio.

24 * 29 Vas ergo erat poſitum aceto plenum.

	HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	JOANNES.
† *Pſal.* 68. 22.	25 *Mt.* † Et continuò currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.	48 Et continuò currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.	36 Currens autem unus & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens:	Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.
	26 Ceteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.	49 Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.	Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.	

JOANNES.

27 * 30 Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſummatum eſt.

	HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
† *Pſal.* 30. 6. *Act.* 7. 59.	28 *L* Et clamans voce magna Jeſus, ait: † Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.	50 Jeſus autem iterùm clamans voce magna	37 Jeſus autem emiſſa voce magna,	46 Et clamans voce magna Jeſus, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.	
	29 Et hæc dicens, *J* inclinato capite tradidit ſpiritum, *Mc. L* expiravit.	emiſit ſpiritum.	expiravit.	Et hæc dicens, expiravit.	Et inclinato capite tradidit ſpiritum.

DE erectione crucis non loquuntur Evangeliſtæ; ſed erectam fuiſſe cùm Jeſum huic affixiſſent, ſatis intelligitur. hæc autem quæ præſenti capite complectimur, tranſacta ſunt Chriſto in cruce exaltato. 1 * 39 *Mt. Prætereuntes autem*, ſcilicet vulgus Judæorum, etiam plerique è ſacerdotibus & ſenioribus; nam licet ea hora tota congregatio Iſraelis vacaret mactandis agnis paſchalibus, complures impediti aliqua ſecundum legem immunditie, paſcha facere diſtulerant in alterum menſem. Illi ergo prætereuntes *blaſphemabant eum*, contumelioſa verba in eum proferebant, *moventes capita ſua*, ſignum contemptus & irriſionis, ut videre eſt in multis ſcripturæ locis, præſertim in pſalmo 21. in quo David deſcripſit hæc omnia quæ Chriſto in cruce eventura vaticinabatur. 2 * 40 *Mt. Mc. Et dicentes: Vah qui deſtruis*, ὁ καταλύων, ille qui deſtruebas *Templum Dei*, *& Mt. in triduo illud reædificas*. articulus ὁ emphaſim habet. Tu *qui deſtruis Templum Dei*, id eſt, qui dicebas te deſtructurum. 3 * 30 *Mc. Salvum fac temetipſum*: ſubſtrahe te ſupplicio. *Mt. Si Filius Dei es*, pro ut es gloriatus, & docuiſti, & in judicio confeſſus es, *deſcende de cruce*. quid enim non poteſt is qui verè filius Dei eſt? egregium te monſtras Templi inſtauratorem, qui nec temetipſum liberare vales?

4 * 35 *L Et ſtabat populus, ſpectans, & deridebant eum* his & ſimilibus dicteriis. 5 * 41 *Mt. Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus*, id eſt, cum viris primariis ſynedrii magni, *dicebant*. 6 * 42 *Mt. Mc. L Alios ſalvos fecit*, Lazarum reſuſcitavit, *ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Mt. Si rex Iſrael eſt* verus, ille Meſſias potens quem expectamus, *deſcendat nunc de cruce*; hoc edat ſignum potentiæ ſuæ; *& credemus ei*. *L ſe ſalvum faciat* ab imminentis mortis periculo, *ſi hic eſt Chriſtus* Meſſias *Dei electus*, Deo charus, 7 * 32 *Mc. Chriſtus rex Iſrael deſcendat de cruce ut videamus* aliquod miraculum, & illo adducti *credamus*. 8 * 43 *Mt. Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult eum*, id eſt, ſi in eo ſe oblectat. ſi diligit eum Deus. Verba enim eadem ſunt quibus in pſalmo allegato ſe olim peti quærebatur David, typum gerens Chriſti. in fonte Hebræo כי חפץ בו quod reddunt ſenes Græci ὅτι θέλει αὐτόν, *quoniam*

vult

vult eum. verbum autem חפץ ab iiſdem interpretibus non ſemel redditum eſt per εὐδοκεῖν, *complacere.* liquet ſenſum deriſurum fuiſſe, quem illi fatis indicabant; quòd ſi Jeſus verè eſſet Dei filius, in eo ſibi Deum complaceret.

9 * 36 *L. Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei.* unde acetum in monte Calvariæ, & quem in finem? Putant aliqui ad ſiſtendum ſanguinem paratum cum ſpongia ad reſtringenda vulnera. veriſimilius eſt ibi acetum repertum, quia erat potus militum qui deſtinati crucibus ſervandis potu & eſca interea egebant. Acetum tenuioribus olim potus fuit, ut docet nos illud Perſii carmen. Satyr. 4.

Pannoſam fæcem ſorbens morientis aceti.

Allegantur pleraque teſtimonia; ſed inſtar ſit omnium quod dicit Spartianus in Peſcennio Nigro; *Juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos.* potum illum aceti non fuiſſe inſolitum probant hæc verba Ruth. cap. 2. ℣. 14. *Comede panem & intinge bucellam tuam in aceto.* ſunt qui opinantur illud ὄξος, quod vulgatus interpres reddit *acetum*, ſumi poſſe pro vino factitio, ut jam dictum eſt, quod morituris in ſupplicio propinabatur, & ideo ibi paratum erat. inſultabundi, quem advertebant effuſo ſanguine deficere, offerebant milites ſive acetum, ſive vinum factitium adverſus deliquium. 10 * 37. *Et dicentes: Si tu es rex Judæorum*, celebris virtutibus, *ſalvum te fac;* modò enim, ni citò tibi conſulas, moriturus es.

11 * 39 *Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos.* cur pateris tibi & nobis vitam eripi; nec tuam exerces virtutem? Matthæus & Marcus dicunt duos latrones blaſphemaſſe; quia rem non ſuſcipiebant diligentiùs enarrandam, indicare negligentes hanc circumſtantiam, quòd unus tantùm blaſphemaverit, quam circumſtantiam non omiſit Lucas. niſi ſatius ſit dicere ſic ſolitos loqui Hebræos, qui pluralem numerum pro uno aliquo incertè indicato, quandoque ponunt, ſeu plurale pro uno ex pluribus. innumera occurrunt exempla in ſacro codice. *Ut quievit arca ſuper montibus Ararat*, hoc eſt, uno montium. ſic & illud Judicum cap. 12. ℣. 7. *ſepultus eſt in urbibus Galaad*, pro in una aliqua urbium. Ita Matthæus & Marcus dicunt latrones blaſphemaſſe ut indicent unum aliquem ex illis blaſphemaſſe.

12 * 40 *Reſpondens autem alter* latronum, *increpabat* eum ſic blaſphemantem, dicens: *neque tu times Deum*, miſero inſultans, *quòd in eadem damnatione es?* quamvis ſis in eodem ſupplicio. ſenſus eſt, cùm ſimili pœnæ ſubjaceas, & mors proxima ſit, Deum non times? 13 * 41 *Et nos quidem juſtè* punimur, *nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.* nemo erat ad quem fama Jeſu non perveniſſet, ita nec latebat latronem.

14 * 42 *Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* cùm regni illius tibi à Deo promiſſi poſſeſſionem fueris adeptus. Rara & nobilis erat hæc fides in Chriſtum derelictum, miſerè moribundum, & ab omnibus irriſum. 15 * 43 *Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* dubium non eſt quia Chriſtus ita locutus ſit, quomodo ſciebat à latrone intelligi παράδεισος. paradiſus vox eſt ut videtur, Perſica; quæ non cœpit eſſe in uſu apud Græcos, niſi poſt Xenophontis tempora. Nomen Hebræum פרדס *pardes*, conſonum non occurrit niſi apud Nehemiam, & in Canticis & in Eccleſiaſte, qui libri aut edi, aut ſaltem colligi potuerunt, poſtquam Judæi Perſis ſubditi ſunt. Græci verò interpretes, & Philo poſtea uſi ſunt hac voce Græca παράδεισος, ut ſignificarent גן עדן *gen-eden*, id eſt, *hortum in eden*, ſive beatum illum locum, in quo Deus Adamum collocavit; deinde nomen idem tributum eſt loco beatitudinis, quo pii excipiuntur poſt mortem, ubi reſurrexectionem expectant. unde in Thalmudicis ſcriptis frequens [illegible], ſive deprecationis formula pro mortuo: *ſit anima ejus, & animus ejus collectus ſit in horto eden*, & in ſolemnibus precibus tempore mortis. *Partem habeat in Paradiſo, nec non in futuro illo ſæculo.* & in alia formula. *Requieſcat anima ejus: & ſit dormitio ejus in pace, donec veniat conſolator, qui facit audire pacem patrum ſæculi dormientium in Hebron. Portas paradiſi aperite ei: & dicite pacem.*

Negari ergo non poteſt quin latro, utpotè Judæus, audito nomine *gen-eden*, ſive *paradiſi*, addita præſertim deſignatione temporis *hodie*, morte jam imminente, ſtatum illum intellexerit, in quo Abrahami, Iſaaci & Jacob animas eſſe omnibus Judæis erat perſuaſum, quaſi diceret Chriſtus, non tantùm olim, cùm regnum meum ſuam accipiet plenitudinem, tui ero memor, ſed jam nunc magna & ingentia ſolatia tibi repræſentabo. Nec ſine gravi cauſa expreſſum eſt illud *hodie*. cenſebant enim Judæi non quorumvis animas ſtatim in felicem paradiſi ſtatum recipi, ſed eas demum quæ bene purgatæ ex hac vita excederant. certo enim certius eſt, purgatorium locum creditum à Judæis; in quo animæ, quæ alioqui ſtatim demitti debuiſſent in tartara, pœnas dabant per aliquod tempus culparum ſuarum; quas ut eis condonaret precibus & ſacrificiis oblatis Iſraelitæ Deum deprecabantur. neque enim illis videbatur ſuperfluum & vanum orare pro mortuis. Doctrina eſt veterum & ſanctorum Patrum, Chriſtum morientem deſcendiſſe ad il-

lam ſedem, in qua piorum animæ tranquillè agebant, expectantes meliorem ſtatum, quamque ideò aſſimilaverunt Judæi horto voluptatis *gen-eden*, ubi primùm collocatus fuerat Adam. cùm autem ſedes illa eſſet inviſibilis perinde ac animarum infelicium locus; pariter & dicebatur *ᾅδης*, quæ vox redditur à noſtris *infernus*. Ad illa loca, quocumque nomine appellentur, Jeſum deſcendiſſe, ut hactenus in Eccleſia orthodoxa creditum eſt, demonſtrat id quod promiſit latroni; *mecum eris in paradiſo*. Ita articulus ſymboli apoſtolorum, *deſcendit ad inferos*, non tantùm docet Jeſum verè mortuum & concluſum ſepulchro, quod interdum ſignificatur nomine *inferi*: ſed & reipſa adiiſſe locum piorum qui corpore ſoluti expectabant mortem ejus, qua recluderetur eis locus adhuc felicior in cœlo.

16 * 25 J *Stabant autem juxta crucem Jeſu*, ut eum videre & loquentem audire poſſent, *Maria mater ejus, & ſoror Matris ejus, Maria* mater, vel filia *Cleophæ*, *& Maria Magdalene*, ſoror, ut puto, Lazari, quæ tanto amore Jeſum diligens, non poterat etiam metu militum circumſtantium removeri à cruce. 17 * 26 *Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem*, etiam juxta crucem, Joannem ſcilicet, *quem diligebat*: ita ſolet ſeipſum ſignificare Evangeliſta; *dicit Mariæ matri ſuæ: mulier*, matrem non vocat, tum ob hoſtes circumſtantes; tum ne viſcera materna æquo vehementiùs commoverentur, *Ecce filius tuus*. hic tibi pro me filii erit loco; & filii officia exhibebit. 18 * 27 *Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua*, quam ut matrem poſthac obſervaturus es. *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua, εἰς τὰ ἴδια*, in propria, id eſt in domum ſuam. Unde locutio frequens *εἰς τὰ αὐτῶν*, pro in ſuas quiſque domos; in qua locutione ſubintelligitur *ἴδια*. ex eo autem quòd Jeſus matrem Joanni commendaverit, benè colligitur Joſephum Mariæ conjugem, cùm hæc agerentur, jam diem ſuum obiiſſe.

19 * 45 *Mt. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt*, id eſt, factæ erant *ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*, qua Jeſus expiravit. Hora ſexta cœperant illæ tenebræ, nempe in meridie, quo tempore ſol ſplendidior. Sed 20 * 45 *L. & obſcuratus eſt ſol. ἐσκοτίσθη*, obtenebratus eſt; neque enim deficere poterat, ut fieri ſolet in eccliпſibus cùm luna inter eum & terram poſita ſubripit lumen ejus; tunc enim luna plena erat, & ſoli è diametro oppoſita; ſiquidem paſcha celebrabatur tempore plenilunii; ergo facies ſolis non obtecta erat interpoſitu lunæ: apparebat, ſed cilicina, ſive ſimilis ſacco cilicino nigro, juxta vaticinium Amos, cap. 8. ℣. 9. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* vidimus in Chronologicis has tenebras obſervatas ab ethnicis, quas habuere pro defectu ſolis, cujus cauſa eſſet extraordinaria.

21 * 46 *Mt. Et circa horam nonam*, qua ut vidimus in diſſertatione de paſchate, fiebat mactatio agnorum paſchalium. hac, inquam, hora, antequam expiraret, *clamavit Jeſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lammaſabacthani? hoc eſt, Deus meus, MM. Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* verba illa ſumpta ſunt ex pſalmo allegato quo deſcribebatur paſſio Domini; ſed illa in Syriacam linguam mutavit Chriſtus; Syriacè enim tunc non Hebraicè loquebantur Judæi. Derelictum autem ſe à Deo dicebat, quòd talia pateretur, quaſi derelictus à Deo fuiſſet; quia ſe fecerat peccatum, ſive hoſtiam pro peccato; & ideo veniebant in eum omnia maledicta: oneratus erat ira Dei, donec illam morte ſua placaret.

22 * 47 *Mt. Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte.* juxta Matthæum dixerat Ἠλὶ Ἠλὶ, *Eli Eli*. Juxta Marcum Ἐλωῒ Ἐλωῒ, *Eloi Eloi*, quæ nomina ſono ſuo vicina ſunt nomini *Eliæ*. qui à Jeſu advocari Eliam putabant, procul dubio non erant Romani quibus omninò Elias ignotus, neque Judæi Palæſtini Syriacè ſcientes. puto fuiſſe Judæos Helleniſtas qui cùm verba Hebræa non intelligerent, *Eliæ* nomen ſibi notum audire ſe exiſtimaverunt; de redituro enim Elia vetus fama, ex vaticiniis malè intellectis hauſta, omnes Judæos pervaſerat.

23 * 28 J *Poſtea ſciens Jeſus, quia omnia conſummata ſunt*, id eſt, reliqua quæ præceſſerant, *ut conſummaretur ſcriptura*, complerentur vaticinia, quibus prædicebatur quòd potandus eſſet aceto in pſal. 68. ℣. 22. (*& dederunt in eſcam Fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto.*) hæc de ſe David dicebat, ut Chriſti typum gerens. Ergo Jeſus *dixit: ſitio*, ut daret locum implendo huic vaticinio. 24 * 29 *Vas ergo erat poſitum aceto plenum*, ὄξους μεστόν. vel reipſa acetum erat, potus militum Romanorum, vel vinum illud factitium quod apponi ſolebat ad crucem; nam ut vidimus ſuprà, ὄξος non tantùm ſignificat acetum illud, quo jura condiuntur, ſed & potus aliquod genus; reſpondet Hebræo חמץ *chomets*. illud autem *chomets*, fuiſſe potus genus, ſive vinum factitium apparet ex capite 6. numerorum ℣. 3. *à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. acetum*, ὄξος, chomets *ex vino, & ex qualibet alia poiione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent.* Ter autem videtur oblatum vinum illud factitium Chriſto: 1. antequam affigeretur cruci, 2. cùm jam in cruce exaltatus fuiſſet. 3. cùm ipſe ſitiret paulò ante mortem.

25 * 48 *Mt. Et continuò currens unus ex eis*

qui

qui audierat eum, cùm dixit : ſitio, *acceptam ſpongiam implevit aceto*, nempe vel vero aceto, vel illo vino factitio myrrhato, cum ſelle mixto, ſive amaro, quod paratum erat his qui ſupplicio afficiebantur, *& impoſuit arundini*, κάλαμῳ. juxta Matthæum & Marcum in fonte ; Latinus enim interpres hoc nomen in Matthæo reddit *arundini*, in Marco *calamo* ; Joannes dicit *hyſſopo circumponentes*, quod alii ſic intelligunt, ut calamus fuerit caulis, ſive bacillus hyſſopi ; nam *calamus* dici poteſt de omni *virga*, ſive *bacillo*. liquet *hyſſopum* Joannis reſpondere *calamo* Matthæi & Marci, ſive in eundem uſum adhibitam, nempe pro bacillo cui circumpoſita ſit ſpongia. Camerarius conjectabat pro ὑσσώπῳ, *hyſſopo*, ſcriptum olim fuiſſe ὑσσῷ. Græcis autem ὑσσὸς pilum eſt, Romanæ militiæ proprium armorum genus ; ſed illud craſſius, ut uſum arundinis commodè poſſet præbere. Lectio vulgata ſuſpecta eſſe non poteſt ; quaſi *hyſſopus*, ſive *hyſſopi* calamus hunc uſum præbere non potuerit ; Rabbinorum enim auctoritate conſtat eſſe hyſſopi ſpeciem quæ fruticibus lignoſis adnumeratur ; quin ipſa ſcriptura id ſatis indicat, ubi de Salomone, dicit 3. Reg. cap. 4. ℣. 33. *Diſputavit ſuper lignis, à cedro quæ eſt in libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete* ; liquet enim ibi de lignis fieri ſermonem, & ideo hyſſopum eſſe ſpeciem ligni ; id eſt, arboris, ſed quæ ſit tantùm frutex, ſive arbuſcula. *de quaque ſpecie arboris* ; καθ' ἕκαστον εἶδος δένδρου, *parabolam dixit ab hyſſopo uſque ad cedrum*, ait Joſephus. Ergo ex hyſſopo frutice, calami, ſive bacilli concinnari poterant. Sunt qui velint ramuſculis hyſſopi, quaſi funiculis ſpongiam arundini fuiſſe circumligatam. ſed cùm rem eamdem Evangeliſtæ narrent qui inter ſe concordes ſunt ; id quod ab aliis de calamo dictum erat, ei alligatam fuiſſe ſpongiam intelligi debet de hyſſopo quæ & calami uſum præſtare poteſt, ſiquidem frutex lignoſus. Quidquid ſit hyſſopus, ſive herba, ſive frutex, cùm aſtantes experiri vellent an priuſquam Jeſus animam exhalaret, adventurus eſſet Elias, quem putabant advocaſſe, ne citiùs moreretur, unus ex illis admovebat ori ejus ſpongiam aceto plenam, *& dabat ei bibere*, ſive, ut loquitur Joannes, *obtulerunt ori ejus*.

26 * 49 *Cæteri verò dicebant : ſine* : ἄφετε. vox illa non prohibentis, ſed ſubjunctivo ſequenti inſerviens ; quaſi dicas age. nunc videamus, cæteris omiſſis. *videamus an veniat Elias*, quem vocavit, *liberans eum, ad deponendum eum*, de cruce ; vetus enim erat traditio apud Judæos Eliam paraturum vias Meſſiæ, hactenus tectum in turbine, ut dicitur in Eccleſiaſtico, cap. 48. ℣. 13. ita explorari poſſe putabant ex repentino adventu Eliæ, an reipſa Jeſus eſſet Meſſias.

27 * 30 J *Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum dixit, Conſummatum eſt*. peractum eſt. deſunctus ſum omnibus iis, quibus in hac vita defungi debui. 28 * 46 L *Et clamans voce magna Jeſus ait : Pater meus in manus tuas*, tibi, tutelæ, curæque tuæ *commendo ſpiritum meum*. verba ſunt Davidis in pſal. 30. quatenus, ut ſæpius diximus. typus Chriſti erat. 29 * *Et hæc dicens*, J *inclinato capite*, qui geſtus eſt mortuorum, cùm emiſſo ſpiritu, caput ſuo pondere in pectus inclinat, *tradidit ſpiritum*, id eſt, animam in manus Dei patris *Mc. exſpiravit*, poſtquam ſcilicet *conſummatum eſt*, id eſt, ut inquit B. Auguſtinus, *tùm perfectum in illo eſſet, quod de illo prophetatum erat, & tanquam ad hoc expectaret qui utique, cùm vellet, moreretur. Quis ita dormit, quando voluerit, ſicut Jeſus mortuus eſt, quando voluit ?* *clamans voce magna &c.* animam Deo patri commendavit & reddidit. Clamor ille magnus quem moriens edidit, humanis viribus major erat ; multa enim eum debilitaverant, nox inſomnis, longa & varia itinera, flagra, crucis bajulatio, ſanguinis effuſio, pœna crucifixionis. Tantus itaque clamor declarabat illum non neceſſitate, aut infirmitate mori ; ſed voluntate, qui mortem, cùm poſſet, noluerat prohibere. Tunc autem mori voluit, cùm opportunum judicavit, nempe eo tempore quo agni paſchales mactabantur, circa horam nonam. Itaque ut homo mortuus eſt, ſed moriens ſe oſtendit Deum. etenim ſi Romani eum cruci affixerint, *prædixerat & ipſe ita facturos. parum hoc, ſi non & prophetæ retro. & tamen ſuffixus ſpiritum cum verbo dimiſit prævento carnificis officio*. Tertull. apol. cap. 21. Sic, inquam, liberè moriens ea qua volebat hora, confirmabat quod dixerat apud Joan. cap. 10. ℣. 17. 18. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo & poteſtatem habeo ponendi eam ; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

CAPUT XXXVI.

Prodigia poſt mortem Domini. Velum Templi ſciſſum: Terra mota: Rupes ſciſſæ: monumentis apertis reſurgunt mortui: Aqua & ſanguis exeunt è latere Jeſu.

† Exod 26.31. 2. Paral. 3. 42.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 27. ℣. 51-56.	MARCUS. Cap. 15. ℣. 38-41.	LUCAS Cap. 23. ℣. 45 & 47-49.
1 *Mt.* † ET ecce *MM. L* velum Templi ſciſſum eſt *Mt.* in duas partes *MM.* à ſummo uſque deorſum. *Mt.* Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,	51 Et ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum. & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.	38 Et velum Templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo uſque deorſum.	45 . . . . . . & velum Templi ſciſſum eſt medium.

MATTHÆUS.

2 * 52 Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.

3 * 53 Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.

HARMONIA.	MATTÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
4 *Mc. L* Videns autem centurio, *Mc.* qui ex adverſo ſtabat,	54 Centurio autem.	39 Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtab t,	47 Videns autem Centurio,
L quod factum fuerat, *Mc.* quia ſic clamans expiraſſet, *L* glorificavit Deum, dicens: *Mc.* Verè hic homo Filius Dei erat.		quia ſic clamans expiraſſet, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.	quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo Juſtus erat.

MATTHÆUS.

5 * Et qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte.

LUCAS.

6 * 48 Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.

† Pſal 37. 12.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
7 † Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa *Mt.* miniſtrantes ei, *L* hæc videntes.	55 Erant au em ibi mulieres multæ a longè, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa miniſtrantes ei.	40 Erant autem & mulieres de longè aſpicientes:	49 Stabant autem omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.
8 *MM.* Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi *Mc.* minoris, *MM.* & Joſeph mater & *Mc.* Salome *Mt.* mater filiorum Zebedæi.	56 Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.	inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Salome.	

MAR-

M A R C U S.

9 * 41 † Et cùm eſſet in Galilæa ſequebantur eum, & miniſtrabant ei: & alıæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. † *Luc. 8. 2. 3.*

J O A N N E S, Cap. 19. ℣. 31—37.

10 * 31 Judæi ergo, (quoniam paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati,) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

11 * 32 Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.

12 * 33 Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

13 * 34 ſed unus militum lancea latus ejus aperuit & continuò exivit ſanguis, & aqua.

14 * 35 Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credatis.

15 * 36 Facta ſunt enim hæc, ut ſcriptura impleretur: † Os non comminuetis ex eo. † *Exod 12.15. Num. 9. 12.*

16 * 37 Et iterùm alia ſcriptura dicit: † Videbunt in quem transfixerunt. † *Zach. 12. 1.*

1 * 51 *Mt.* ET *ecce MM. L velum Templi*, καταπέτασμα τοῦ ναοῦ, *Mt. ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum.* duo erant vela, unum oppanſum ante intimum adytum, ſive penerale templi, aliud ante fores exteriores. ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos, cap. 9. nos docet illud adytum Templi, in quod ſemel in anno introibat ſummus pontifex non ſine ſanguine, fuiſſe imaginem cœli, quod morte Chriſti hactenus occluſum reſeratum eſt, cùm nempe caro ejus deſtructa eſt, quam velut oppanſum divinitati ejus velamen καταπέτασμα appellat, cap. 10. ℣. 20. loquens autem de inferiori velo, cap. 9. ℣. 3. cùm nominet δεύτερον καταπέτασμα, liquet & primum pariter dictum fuiſſe καταπέτασμα, ſive duo vela, nempe tum interiùs, tum exteriùs appellata fuiſſe καταπέτασμα. ſciſſionem autem factam in velo exteriori interpretamur; quia ſi interiùs ſciſſum fuiſſet, ſoli ſacerdotes miraculum advertiſſent, & ea tantùm hora qua templum ingrediebantur ad adolendum thymiama, aut ad componendas lucernas; quod tamen veriſimile eſt omnium oculis patuiſſe, ideoque contigiſſe in velo exteriori ut magis conſpicuum eſſet; maximè quia mira arte primum illud velum elaboratum, omnium in ſe oculos convertebat, ut ſcribit Joſephus. Secundum quidem velum appellatur in fonte Hebræo פרכת *parochet*, quod Græci reddunt καταπέτασμα. primum verò מסך *maſaca*, in Græca verſione κάλυμμα; ſed & ſæpiùs nomen illud *maſach*, redditur καταπέτασμα; ut hac voce probari non poſſit ſciſſuram de qua quæſtio eſt, non contigiſſe velo exteriori.

Et terra mota eſt. horruit terra immane hoc ſcelus, ut ſolet homo horrens contremiſcere. Iram Dei hæc commotio ſignificabat, & majeſtatem ejus qui patiebatur, ut dicitur in pſalmis, commota eſt, & contremuit terra à à facie Dei, *& petræ ſciſſæ ſunt.* puto conſequens eſſe terræ motus.

2 * 52 *Et monumenta aperta ſunt*, id eſt ſepulchra. *& multa corpora ſanctorum*, piorum, *qui dormierant*, mortui erant, *ſurrexerunt.* 3 * 53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem*, id eſt, poſt reſurrectionem venerunt Hieroſolymam: ſive reſurgente, pariter & reſurrexerunt. *& apparuerunt multis*, quo miraculo conſtabat Jeſum eſſe vitæ auctorem, *& morte ſua aboleviſſe habentem imperium mortis.* Heb. 2. ℣. 14. Quod Matthæus dicit de reſurrectione quorumdam Sanctorum non caret ambiguitate; quia ſi illud *poſt reſurrectionem ejus*, attineat ad id quod præcedit, ſenſus, eſt mortuos illos reſurrexiſſe poſt Chriſti reſurrectionem; quæ tamen poſt veli ſciſſionem continenter narrat Evangeliſta, ſcilicet ne unius & ejuſdem facti hiſtoriam diſcerperet. ſi verò illud *poſt reſurrectionem ejus*, præcedatur nota diſtinctionis, ut referri poſſit ad ſequentia, reſurrectio horum Sanctorum tantùm diſtinguenda ab eorum apparitione. Nempe monumenta aperta ſunt, Sanctique inde

egreſſi ante Chriſti reſurrectionem ad demonſtrandam vim mortis Chriſti; ſed delituerunt extra urbem, donec reſuſcitato Chriſto ingreſſi ſunt in ſanctam urbem, ibique apparuerunt, ut ſimul & mortis & reſurrectionis Chriſti gloria in ipſis appareret. Nec obſtat quominus Chriſtus dicatur primitiæ dormientium & primogenitus ex mortuis, ſiquidem hoc ſpectat ad generalem reſurrectionem. quin & Chriſtus dum vivebat, alios excitaverat à morte.

4 * 39 *Mc.* 47 *L Videns autem Centurio*, qui ſupplicio erat præpoſitus, *Mc. qui ex adverſo ſtabat*, omnia obſervans cum militibus ſuis, ne quis crucifixis ſubveniret. More Romano centurionem fuiſſe præpoſitum, dum damnati afficerentur ſupplicio, illa Senecæ verba indicant. *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpiculatorem jubet.* lib. de ira, cap. 17. videns, inquam, Centurio, *L quod factum fuerat*, omnia quæ contigerant *Mc. quia ſic clamans expiraſſet*, commendans ſpiritum Deo; & oſtendens valido illo clamore poſſe & ſibi vitam prolongare. *L glorificavit Deum*; id eſt, teſtimonium dedit. Teſtes enim priùs adjurabantur Deo gloriam dare. teſtatus eſt ergo, *dicens: verè hic juſtus erat*, injuſtè damnatus: *Mc. verè hic homo filius Dei erat*; hoc eſt, Chriſtus. Meſſias quem expectabant Judæi. etenim qui inter Judæos verſaretur, ignorabat ab eis Meſſiam expectari, quem & filium Dei appellabant. Forſan & ille, ut & plerique alii, Deum Iſraelis colebat. 5 * 54 *Mt. Et qui cum eo erant* milites *cuſtodientes Jeſum*, ne quis eum de cruce detraheret, *viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè*, ut ſævitiæ miniſtri iram Dei metuentes, *dicentes, verè filius Dei erat iſte*, verus rex Judæorum; cui ut falſo regi illuſimus. 6 * 48 *L Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum illud*, ad ſpectandum crucis ſupplicium: *Et videbant quæ fiebant*, ſolis deliquium extra naturæ ordinem, tremorem terræ, hominem velut ſuo arbitrio expirantem, *percutientes pectora ſua* ex pœnitentia facti, & metu vindictæ divinæ, *revertebantur* in civitatem.

7 *L* 49 *Stabant autem omnes noti ejus*, diſcipuli, amici, conſanguinei *à longè* procul. Alluſio eſt ad pſalm. 37. ℣. 12. *Et qui juxta me erant, de longe ſteterunt*. erant *& mulieres, quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, Mc. miniſtrantes ei, L hæc videntes*, non auſæ propiùs accedere. 8 * 56 *Mt. Inter quas erat Maria Magdalene*. noluit Evangeliſta illam prætermittere, eam numerat inter pias mulieres quæ Jeſum ſecutæ erant; ſed inde temerè colligeretur eam fuiſſe è Galilæa, & idcirco aliam à ſorore Lazari quæ erat ex vico Bethaniæ; potuit enim ſe ſociam addere piis mulieribus, quæ ſpectatrices fuere mortis Chriſti. Nec tres primi Evangeliſtæ adverſantur Joanni, qui ſtatuit hunc Magdalenam juxta crucem; dum enim illam accenſent mulieribus quæ longè ſtabant, non negant propius ad crucem acceſſiſſe. Erant & inter illas mulieres *& Maria Jacobi Mc. minoris, & Joſeph* mater, *&. Mc. Salome Mt. mater filiorum Zebedæi*. 9 * 41 *Mt. Et cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei* in iis quæ ſunt de officio piarum mulierum: *& aliæ multæ* has præter quæ illi ſerviebant, *quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam* ad dies feſtos paſchatis.

10 * 31 J *Judæi ergo, (quoniam paraſceve erat)* hora erat paraſceves, nempe qua præparanda erant omnia ad eſcam neceſſaria, quæ legitimè coqui non poterant in ſabbato, in quo non licebat ignem accendere. In tractatu de paſchate oſtendimus tempus paraſceves ſabbati cœpiſſe ab hora nona uſque ad occaſum ſolis, in quo oriebatur dies ſabbati. *Ut non remanerent in cruce corpora ſabbato* proximè inſtanti, quod veſpera illius diei incepturum erat. longa enim permanſione corporum in patibulo terra ſancta contaminari dicitur in Deuteronomio, cap. 21. ℣. 22. & 23. *quando peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno; ſed in eadem die ſepelietur: quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno*. hanc legem Judæos ſua ætate ſervaſſe religioſè ſcribit Joſephus, lib. 4. de bello, cap. ultimo. Non qualecumque autem ſabbatum proximum erat; in illud enim ut in chronologia evicimus, incidebat magnus dies azymorum, dies ſcilicet decimus quintus primi menſis. *erat enim magnus dies ille ſabbati* feſti paſchatis ſolemnior. In hoc enim feſtò Judæi ab Ægypto liberi exierant. *Rogaverunt* ergo Pilatum *ut frangerentur eorum* qui crucifixi erant *crura*, quò citiùs morerentur, *& tollerentur* è conſpectu ante veſperam. alioqui enim ex more Romano cruciarii paſcebant in cruce corvos. idcirco Judæi rogavere Pilatum ut acceleraretur mors crucifixorum.

11 * 32 *Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo* ad accelerandam mortem eorum. 12 * 33 *Ad Jeſum autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*, quia ſuperfluum erat, eo jam mortuo.

13 * 34 *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit*, perfodit, ut exploraret an verè mortuus erat στρατιώτης, miles non eques, nomen enim illud de pedite uſurpari ſolet, etſi poſtremis ſæculis *miles* accipi ſueverit de equite. Miles autem ille erat ſpiculator, quippe armatus lancea. cuſtodes deligebantur ex ſpiculatoribus; ut videre eſt in eo quod Suetonius narrat de Tiberio Claudio, cap. 35. *neque convivia inire auſus eſt, niſi*

us

ut ſpiculatores cum lanceis circumſtarent; militeſque vice miniſtrorum fungerentur. miles inquam latus Domini lancea aperuit; Deus enim voluit teſtatiſſimam eſſe chriſti mortem, ne de ejus reſurrectione dubitaretur. *& continuò ſtatim exivit ſanguis & aqua.* quas partes internas lancea militis attigerit unde ſanguis & aqua fluxerint, certò definiri non poteſt. nam *ἡ πλευρὰ, latus*, quod miles percuſſit, tantummodò deſignat externum vulneris locum. Bartholinus celebris anatomicus credidit in thoracis cavum lanceam militis penetraſſe, ubi copia ſanguinis eſt cum ſero, ſive aqueo humore. id pleriſque non ſatisfacit, quia videtur Evangeliſta innuere impermixtam aquam ſicut & purum ſanguinem manaſſe ex latere aperto. volunt ergo vel cor perfoſſum, aut ſaltem pericardium, in quo aquam reperiri obſervat Hipocrates in ſuo libro de Corde. *Cor*, inquit, *figura quidem metæ ſimilis, colore autem admodum puniceo, tunica levi circumtegitur, in qua humor paucus, qualis urina, ineſt, ut cor in veſica conſervari exiſtimes. Ea verò de cauſa exiſtit, ut validum in cuſtodia vigeat. Humiditatem autem tantam habet, quanta maximè ad æſtuantis medelam ſatis ſit.* Liber ille ſpurius aliquibus videtur; ſed eadem docet Galenus, lib. 5. de locis affectis, cap. 23. conſentiunt anatomici peritiores. poſſet & res aſcribi miraculo; ſed quacumque ex cauſa contigerit ille effluxus aquæ & ſanguinis, ſi Chriſtus jam non expiraſſet, certam mortem accepiſſet ab hoc vulnere, & hoc eſt, quod Joannes ſatagit adſtruere adverſus hæreticos, qui, quo tempore hæc ſcribebat, impugnantes veritatem carnis Chriſti pariter impugnabant veritatem mortis ejus. Eo fine addit. 14 * 35 *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit*, hæc enim præſente Joanne contigerunt. *& verum teſtimonium ejus*, ut oculati teſtis. *Et ille ſcit quia vera dicit*; certò ſibi conſcius eſt hæc vidiſſe, *ut & vos credatis* ſcilicet Jeſum verè mortuum, & conſequenter veram carnem habuiſſe.

15 * 36 *Facta ſunt enim hæc, ut ſcriptura impleretur: os non comminuetis ex eo.* ſcilicet in typum, ſive in vaticinium quod Chriſti non frangerentur oſſa, præceperat Deus ne agni paſchalis oſſa ullo modo frangerentur. Hoc & à pſalmiſta prædictum fuerat pſal. 33. ℣. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: unum ex his non conteretur.* Addit Joannes & illam transfixionem lateris Chriſti prædictam fuiſſe, nempe à Zacharia. 16 * 37 *Et iterum alia ſcriptura dicit*, Zacharias, cap. 12. ℣. 10. *videbunt in quem transfixerunt*, ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. ſic habuit haud dubiè aliqua Græcarum verſionum; plures enim fuerunt verſiones Græcæ; at in ea quæ dicitur ſeptuaginta interpretum, nunc legitur, κατωρχήσαντο. ſcilicet illi legerunt רקדו *racdu*, id eſt, inſultaverunt. in fonte autem Hebræo Joannes legerat דקרו *dachru*; id eſt *transfixerunt*, quod & in hodierno codice legitur: utrumque verbum conſtat iiſdem literis, ſed aliter diſpoſitis. Quod autem Zacharias dixit de Jehova; id eſt, de ſummo Deo, Joannes interpretatur de Chriſto; quod non faceret, niſi Jeſum crediſſet verè eſſe Deum. ſenſus vaticinii eſt: conjicient oculos in eum, cujus latus lancea perforabunt, pungent.

CAPUT XXXVII.

Corpus Chriſti è cruce depoſitum conditur in novo monumento cui Judæi cuſtodes apponunt.

HARMONIA.	MAT. Cap. 27. ℣. 77-66.	MARC. Cap. 15. ℣. 42-47.	LUCAS Cap. 23. ℣. 50-56.	JOAN. Cap. 19. ℣. 38-42.
1 *J* POſt hæc autem *Mc.* & cùm jam ſerò eſſet factum, (quia erat paraſceve, quod eſt ante ſabbatum.	57 Cùm autem ſerò factum eſſet,	42 Et cùm jam ſerò eſſet, factum, (quia erat paraſceve, quod eſt ante ſabbatum;)		38 Poſt hæc autem
2 *Mt.* Venit quidam homo dives *L* nomine Joſeph *Mc.* nobilis decurio, *L* vir bonus & juſtus.	venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu.	43 Venit Joſeph ab Arimathæa nobilis decurio	50 Et ecce vir nomine Joſeph, qui erat decurio, vir bonus & juſtus.	

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
3 Hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum; ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei.		qui & ipſe erat expectans regnū Dei,	51 Hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei.	
4 *Mt. L* Hic acceſſit, *Mc.* & audacter introivit *MM. L* ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu,	58 Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.	& audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.	52 Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.	rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathæa
4 *J* Eò quòd eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum.				(eò quòd eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jeſu.
6 *Mc.* Pilatus autem mirabatur ſi jam obiiſſet, & accerſito Centurione, interrogavit eum, ſi jam mortuus eſſet.		44 Pilatus autem mirabatur ſi jam obiiſſet. Et accerſito Centurione, interrogavit eum, ſi jam mortuus eſſet.		
7 Et cùm cognoviſſet à Centurione, donavit corpus Joſeph.	Tunc Pilatus juſſit reddi corpus.	45 Et cùm cognoviſſet à Centurione, donavit corpus Joſeph.		Et permiſit Pilatus.
8 *J* Venit ergo, & tulit corpus Jeſu.	59 Et accepto corpore,			Venit ergo, & tulit corpus Jeſu.
9 Venit autem, & Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes quaſi libras centum.				39 Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum.
10 *Mc.* Joſeph autem mercatus ſindonem; & deponens eum, involvit ſindone *Mt.* munda.	Joſeph involvit illud in ſindone munda.	46 Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit ſindone,	53 Et depoſitum involvit ſindone,	

J O A N N E S.

11 * 40 Acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire.

12 * 41 Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat.

13 * 42 Ibi ergo propter paraſcevem Judæorum, quia juxta erat monumentum.

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOAN.
14 *Mt.* Poſuit illud (*Joſeph*) in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.	60 Et poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit.	& poſuit eum in monumento, quod erat excīſū de petra. & advolvit lapidem ad oſtium monumenti.	& poſuit eū in monumento exciſo in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.	poſuerūt Jeſum.

HAR-

HARMONIA.	MATTHÆUS.	MARCUS.	LUCAS.
15 *L* Et dies erat paraſceves, & ſabbatum illuceſcebat.			54 Et dies erat paraſceves & ſabbatum illuceſcebat:
16 Subſecutæ autem mulieres, *Mt.* Maria Magdalene & altera Maria *Mc.* & Joſeph quæ cum eo venerant de Galilæa	61 Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria,	47 Maria autem Magdalene, & maria Joſeph	55 Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum,
Mt. ſedentes contra ſepulchrum,	ſedentes contra ſepulchrum.		
Mc. aſpiciebant ubi poneretur,		aſpiciebant ubi poneretur.	
L & quemadmodum poſitum erat corpus ejus.			& quemadmodū poſitum erat corpus ejus.

L U C A S.

17 * 56 Et revertentes paraverunt aromata & unguenta: & ſabbato quidem ſiluerunt † ſecundùm mandatum. † *Exod. 20. 10.*

M A T T Æ U S.

18 * 62 Altera autem die; quæ eſt poſt Paraſceven, convenerunt Principes ſacerdotum & Phariſæi ad Pilatum,

19 * 63 dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam.

20 * 64 Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium: ne fortè veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore.

21 * 65 Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite ſicut ſcitis.

22 * 66 Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.

1 * 38 J POST *hæc autem*, Jeſu in cruce mortuo. 42. *Mc. & cùm jam ſerò eſſet factum*, nam Jeſus expiraverat circa horam nonam, ita ut jam inclinaret dies. (*quia erat paraſceve*) id eſt, ut vidimus, tempus quo præparabantur cibi comedendi in ſabbato, *quod eſt ante-ſabbatum*, προσάββατον. nempe illud tempus præparationis appellabatur προσάββατον, *ante-ſabbatum*: eo, inquam, tempore. 2 * 57 *Mt. Venit quidam homo dives* 50 *L nomine Joſeph*, 43 *Mc. nobilis decurio* εὐσχήμων βουλευτὴς. nomen εὐσχήμων, quod Latinus interpres reddit *nobilis*, dicitur tum de eo qui decenti, ac ſpecioſa forma eſt, tum de eo qui ſe decenter, compoſitè, & honeſtè gerit; ut notat Suidas. εὐσχήμων, inquit, non dicitur qui multa poſſidet, & dives eſt, ſed ὁ κόσμιος καὶ πειθόμενος τοῖς νόμοις, καὶ συνιστῶν, modeſtus & legibus obtemperans, & commendans ſe, videlicet propter ſuam modeſtiam. βουλευτὴς autem ſignificat conſiliarium, ſenatorem; ſed & in gloſſis accipitur pro *decurione*. Quod enim Romæ erant ſenatores, id in municipiis & coloniis erant *decuriones*; ſive qui magiſtratus dicebantur Romæ ſenatores, in municipiis appellabantur *decuriones*; ita nomen βουλευτὴς, non potuit magis propriè verti quàm *decurio*. nomen enim *ſenator*, proprium eſt dignitati Romanæ. forſan Joſephus unus erat è magno ſynedrio. quiſquis fuerit, erat *L vir bonus & juſtus* 3 * 51. *Hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum*; nam, ut diximus, forſan unus fuit è proceribus magni ſynedrii, *ab Arimathæa civitate Judæ oriundus*, *qui expectabat & ipſe regnum Dei*, ſollicitis votis, ut cæteri pii Iſraelitæ, expetens adventum Meſſiæ. de ſitu Arimathææ ſermonem fecimus in deſcriptione terræ Iſrael.

4 * 58 *Mt.* 52 *L Hic acceſſit Mc. & audacter* fiducia dignitatis & divitiarum; nec jam timens ne videretur adverſari Judæis & ipſi Pilato; fidenti inquam animo *introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.* depoſuit metum & ſumpſit fiduciam, cùm neceſſe eſſet, nec timuit odium Judæorum, nec iram Pilati, 5 * J *eò quòd eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum.* ſcilicet hactenus; tunc enim ſe patefecit.

6 * 44 *Mc.*

6 * 44 *Mc. Pilatus autem mirabatur, ſi jam obiiſſet*, quia, ut liquet ex iis quæ obſervata ſunt, crucifixi, viri præſertim florenti ætate, etiam plures dies in eo ſupplicio vivere ſolebant; tum quia divinum hunc hominem putabat non tam facilè moriturum, forſan etiam ſe liberaturum à cruce: *& accerſito Centurione, interrogavit, ſi verè jam mortuus eſſet.* 7 * 45. *Et cùm cognoviſſet à Centurione* qui præfuerat ſupplicio, rei veritatem, *donavit corpus* Jeſu *Joſeph*: permiſit ei ut Jeſum deponeret de cruce, & arbitrio ſuo conderet ſepulchro. alioqui enim cruces erant cruciariorum ſepulchra: illic paſcebant corvos & feras, ut in diſſertatione vidimus.

8 * J *Venit ergo* Joſeph, *& tulit* ex cruce *corpus Jeſu*. rerum omnium quæ obſervant Evangeliſtæ exempla occurrunt in libris Judæorum. Joſephus, lib. 4. de bello in fine exprobrat ut ſcelus ingens Idumæis, quod abjecerint inſepulta cadavera; *cum præſertim Judæis*, inquit ille, *tanta ſepultura cura ſit, ut etiam judicio cruci ſuffixos ad occaſum ſolis deponant atque ſepeliant.* non alienum eſt ab hoc loco quod nos docet Maimonides in tractatu Sanhedrin. cap. 15. non ſolùm corpora crucifixorum ante occaſum ſolis, ſed & omnia inſtrumenta ſupplicii mandata eſſe terræ. *Nemo ſuſpenditur*, inquit, *ad arborem ſolo innatam, ſed ad avulſam, ne fortè exciſio ejus ſit moleſta; quia lignum unà cum ſuſpenſo ſepeliendum eſt, ne relinquat turpem in mundo memoriam, aut dicatur: ecce de hoc ligno quondam pendebat iſte, vel ille. Sic & lapis quo aliquis obrutus, gladius quo decapitatus, ſudarium*, ſive *mantile quo aliquis ſtrangulatus, omnia hæc ſepeliuntur, in carcere tamen occiſi, non in ipſo ſepulchro.*

9 * 39. *Venit autem & Nicodemus*, ille *qui venerat ad Jeſum nocte primùm*, πρῶτον pro πρότερον, *primùm* pro *priùs*, ut ipſe Ioannes narrat, cap. 3. *ferens*, afferens *mixturam myrrhæ & Aloes*, id eſt, aromata compoſita ex myrrha & Aloe, *quaſi libras centum.* ſignum opulentiæ Nicodemi & non parci affectus. Diſcimus à Salmaſio duas diverſiſſimi generis plantas uno eodemque nomine ἀλόη, veteribus notatas; alteram arborem aromaticam ad thymiamata vulgò uſurpatam; alteram herbam, ex qua ſuccus amariſſimus eliciebatur, qui etiam ἀλόη nomine appellabatur. Aloa, inquit Iſidorus, in India atque Arabia gignitur, arbor odoris ſuaviſſimi ac ſummi. lignum ipſius vice thymiamatum adoletur altaribus, unde & nomen traxiſſe videtur. Idem Iſidorus dicit Aloen eſſe herbam amariſſimi ſucci. tondebatur, & redigebatur Aloe lignum in pulverem, & pulvere ejus cum myrrha mixto, id eſt, humida cum ſiccis miſcentes (nam myrrha eſt liquor) perungebant corpora. rebus amaris abſtinent vermes; & quæ exſiccata ſunt, difficiliùs corrumpuntur. Tres autem, aut quatuor libræ forſan ſufficere potuiſſent perſundendo corpori Domini, ſed illud cum omni illa mixtura tanti ponderis, ſive tam copioſa faſciis involvere placuit.

10 * 46 *Mc. Joſeph autem mercatus ſindonem*; nova itaque erat, *& deponens eum* de cruce, *involvit ſindone Mt. munda*, quæ alteri uſui non inſervierat. Sindon erat linea; exponitur à Syro interprete *involucrum lineum*; ideo autem Joannes addidit de ſindone loquens, eam mundam fuiſſe; quia nihil pretioſius ad ſepulturam adhibere licebat, teſte *Juchaſin*, cujus hæc verba ſunt: *non licet ſepelire in ſericeis involucris aut veſtibus Phrygionicis, ne principem quidem, quoniam hæc eſt perditio & opus gentium.* Ex ſimplicitate ſepulturæ dominicæ occaſionem capit B. Hieronymus inſectandi ambitionem divitum qui nec divitiis, inquit, poſſunt carere in ſepulchro. Videtur ſindone illa munda corpus Domini cruentum, & à cruce recens depoſitum obtectum fuiſſe, ut honeſtè ad pollincturæ locum deferretur. ea enim ſindone poſtea non fuit involutus Dominus in ſepulchro, jam ablutus & perunctus, ſed tantùm ubi de cruce depoſitus eſt. ut dicunt Evangeliſtæ. Ioſeph deponens de cruce, juxta Matthæum ἐνετύλιξεν, *involvit*; juxta Marcum ἐνείλησεν, *involvit* circumvolvit: poſtea non integra ſindone ſed faſciis corpus Domini involutum & conſtrictum eſt, ut modò dicemus.

11 * 40 J *Acceperunt ergo corpus Jeſu*, ut permiſerat Præſes, *& ligaverunt illud linteis cum aromatibus*, obvinxerunt, involverunt ὀθονίοις, id eſt; faſciis, zonis *cum aromatibus*, illis quorum ſcilicet fit mentio ſuprà, quæ attulerat Nicodemus. *ſicut mos eſt Judæis ſepelire*, ἐνταφιάζειν, funerare, aromatibus condire, præparare ad ſepulturam; neque enim illud ἐνταφιάζειν, dicit ſimpliciter *ſepelire* more noſtro, ſed condire corpus aromatibus, & σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι, id eſt, inciſis loris ex ſindone byſſina εἰλίσσειν σῶμα involvere corpus, καὶ χρίειν τῷ κόμμι, & illinere gummi. utor verbis Herodoti, ubi loquitur lib. 2. de more quo Ægyptii ſepeliunt mortuos ſuos, quem morem ea in re Judæi imitabantur, ut Tacitus de iis aſſerit lib. 5. hiſtor. num. 5. ſolitos magis fuiſſe *corpora condere quàm cremare è more Ægyptio*. Contendunt aliqui præter illas faſcias quibus conſtringebatur corpus, & appoſitam ſindonem. Chiflerius qui in ea ſententia eſt, libro de linteis ſepulcralibus Chriſti allegat locum Herodoti; ſed non bona fide illum exprimit; ut enim videatur Herodotus indicare ſindone ſimul & faſciis corpora fuiſſe involuta, ſic illum loquentem inducit: ubi abluerunt mortuum ſindone byſſina, inciſis loris totum involvunt, gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur.

Chi-

Digitized by Google

Chifletius inquam inſerit comma, ſive virgulam poſt *βυσσίνης*, qua caret codex Herodoti, in quo genitivus ille *βυσσίνης* regitur voce *τελαμῶσι*; nempe clarè dicit Herodotus ſindonis byſſinæ longis faſciis involuta fuiſſe corpora. Judæi verò præter faſcias, ſive ſindonis lineæ inciſa lora, caput operiebant ſudario, ut vidimus in Lazaro.

Hic autem non oppugno Chifletium in omnibus quæ eruditè & eleganter diſſerit in dicto libro. nollem aliquid præjudicatum his quæ dixi adverſus pias opiniones de ſacris ſindonibus, quæ pluribus in locis exponuntur venerationi fidelium. Ne autem ambiguitate verbi *ſepelire* quis decipiatur, apponam quod de hoc verbo dicit B. Auguſtinus, lib. 1. locut. num. 202. in hæc verba Geneſ. cap. 50. ℣. 2. *dixit Joſeph ſervis ſuis ſepultoribus, ut ſepelirent patrem ejus ... Non invenit lingua Latina quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς: non enim ipſi ſepeliunt, id eſt terræ mandant corpora mortuorum, quod non eſt Græcè ἐνταφιάζειν, ſed θάπτειν. Illi ergo ἐνταφιάζουσι, id agunt quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel ſiccando, vel involvendo & alligando, in quo opere maximè cura Ægyptiorum præcellit.* Cùm autem Joſephus & Nicodemus peregerint quæ fieri ſolerent in funerandis mortuis: *ſicut mos eſt Judæis ſepelire*. Illi falluntur qui putant eos tantummodò congeſſiſſe in loculum Domini aromata, donec corpus ungerent commodo tempore. equidem piæ mulieres ſibi propoſuerant hocce miniſterium Chriſto exhibere tranſacto ſabbato, quia ignorabant rem jam peractam fuiſſe.

12 * 41 *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt* Jeſus, *hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat*, nullus in eo monumento ſepulturæ mandatus. 13 * 42 *Ibi ergo propter paraſcevem Judæorum*, quia ſcilicet effluebat tempus paraſceves, ſive jamjam oriturus eſſet dies ſabbati, quo non licitum erat efferre mortuum ad tumulum, *quia juxta*, prope *erat* illud novum *monumentum* Joſeph. 14 * *Mt. Poſuit illud* corpus Jeſu *in* hocce *monumento ſuo novo, quod exciderat in petra*. hæc autem etſi caſu geri videbantur, ad reſurrectionis fidem faciebant. Non enim potuit ſuffoſſum videri ſepulchrum quod in ſolida rupe fuerat exciſum, ut ſubriperetur corpus Jeſu; nec alius credi poterat ex eo monumento reſurrexiſſe, in quo ſolus poſitus fuerat; aut reſurrectio Domini adſcribi virtuti oſſium alicujus prophetæ ibi ſepulti, quorum contactu reſurrexiſſet; ut olim ille qui conditus fuerat in monumento viri prophetæ. *Sicut* autem *in Mariæ virginis utero nemo ante illum, nemo poſt illum conceptus eſt, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo poſt illum ſepultus eſt*, aiebat Auguſtinus. *& advolvit ſaxum magnum* adjutus plurium auxilio, *ad oſtium monumenti & abiit*, ſecurus quòd non facili negotio corpus furtim abripi poſſet. ea res profuit ad adſtruendam veritatem dominicæ reſurrectionis.

15 * 54 *L. Et dies erat paraſceves*. nempe dies ſexta, quæ ex parte illa qua Judæi edulia & cætera præparabant ad tranſigendum in quiete ſabbatum, tota appellabatur paraſceve, ſive dies paraſceves, & *ſabbatum illuceſcebat*, *ἐπέφωσκε*, id eſt illuceſcere debebat, ingruebat nox qua poſt occaſum ſolis incipiebat ſabbatum. Cur autem de iſto talis noctis initio uſurpetur illud *ἐπέφωσκε*, *illuceſcebat*, alii cauſam afferunt lucernas, quas initio ſabbati accendere ſolent Judæi tanta religione, ut etiamſi *non ſit homini quod comedat, mendicet*, inquiunt, *oſtiatim, ut acquirat oleum & accendat lucernam*. alii verò referunt ad exortum ſtellarum indicantium veſperam à qua Judæi diem ſabbati, & alios dies inchoabant. alii denique dicunt quemvis diem naturalem rectè dici illuceſcere, quando initium capit, ſive id ſit à veſpera, ut apud Judæos, ſive ab intempeſta nocte, ut apud Romanos. dies enim denominatione ſua *lucem* denotat. propriè ea pars temporis, quæ luce prædita nocti opponitur, dies dicitur; ſed & generaliùs extenditur ad illud 24. horarum ſpatium, quod à principaliori ſui parte dies etiam appellatur.

16 * 55 *Subſecutæ autem mulieres*, 61 *Mt. Maria Magdalene & altera Maria Mc. Joſeph, quæ cum eo venerant de Galilæa Mt. ſedentes contra ſepulchrum*, è regione loci in quo erat monumentum; forſan non noverant affectum Joſephi & Nicodemi erga Jeſum, & ideo non audebant accedere. Ergo à longè *Mc. aſpiciebant ubi poneretur L. & quemadmodum poſitum erat corpus ejus*, ubi & quomodo ſitum. 17 * 56 *Et revertentes* in civitatem *paraverunt aromata & unguenta*, ſed tranſacto ſabbato, neque enim antea illa emerant, ut conſtat ex Marco. putabant cùm ſol vergeret ad occaſum ungendo corpori Chriſti tempus ſibi non ſufficere. Ideo reverſæ ſunt Hieroſolymam. & hoc *ſabbato quidem ſiluerunt*, *ἡσύχασαν*, *quieverunt*. idem verbum Hebræis חרש *charaſch*, ſignificat *ſilere*, & *quieſcere*, & *prætermittere*. redditur à Græcis *ἡσυχάζειν*, Nehem. cap. 5. ℣. 8. ſenſus ergo eſt nihil illas egiſſe quoad aromatum & unguentorum apparatum, niſi elapſo ſabbato, *ſecundùm mandatum* legis, cujus præcepti vinculo Chriſtus ſectatores ſuos hactenus non exſolverat.

18 * 62 *Mt. Altera autem die, quæ eſt poſt paraſceven*; id eſt, die ſequenti paraſcevem, *convenerunt principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum*. hoc eſt cùm jam dies ſabbati advenisſet, illi adierunt Pilatum. Cur autem ſabbatum illud ſic per periphraſim Evangeliſta notet, alii dicunt id factum, quia non erat ſabbatum ordi-

næ

narium, ſed in illud incidebat dies magna Azymorum; ſed cur non nominaſſet iſtam diem? Ni mea me fallat conjectura, credo Evangeliſtam obliquè taxare ſacerdotes & Phariſæos, qui quamvis tranſactum eſſet tempus paraſceves, & jam dies ſequens adveniſſet, attamen ipſi adeundo Gentilem profanaverint religionem ſabbati.

Diem illum quo paſſus eſt Dominus fuiſſe ſextum hebdomadis confirmant Evangeliſtæ qui illum appellant *ante-ſabbatum*, & indicant à veſpera hujus diei uſque ad occaſum ſolis in ſequenti die quieviſſe pias mulieres ob religionem ſcilicet ſabbati. Cum autem ſepultus ſit Dominus ante occaſum ſolis in die ſexta, antequam inciperet ſabbatum, non reſurrexerit autem niſi orto ſole in prima feria hebdomadis ſequentis per tres dies jacuit in ſepulchro juxta vaticinium quod ipſe de ſe ediderat, nempe feria ſexta deſinente, toto ſabbato, & parte primæ feriæ.

Igitur ſacerdotes & Phariſæi adierunt Pilatum. 19 * 63 *dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam.* hoc teſtimonio eorum conſtabat reſurrectionem ſuam Chriſtum prædixiſſe. 20 * 64. *Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum*, ἀσφαλίσασθαι, muniri militum præſidio: conſtitue qui ſepulchro caveant *uſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum*, furtim abripiant eum, *& dicant plebi* imperitæ *Surrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore.* locutio proverbialis.

21 * 65 *Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam*, intelligit præſidiarios milites, nimirum Templi cuſtodiæ deſignatos, vel ipſos miniſtros qui parebant præfecto Templi, vel quoſcumque alios, puta qui & ſupra dicuntur ſacerdotum miniſtri. verbum autem Græcum ἔχετε, ambiguum eſt; ſignificat *habetis* & *habete*, ut dicere potuerit Pilatus: Adhibete cuſtodes ne ſubripiatur corpus Jeſu. *ite, cuſtodite, ſicut ſcitis*; id eſt, ut fieri oportere pro ſolertia veſtra judicabitis. 22 * 66. *Illi autem abeuntes munierę ſepulchrum, ſignantes lapidem.* ſunt qui velint & Pilati annulo hunc lapidem ſignatum, hoc Deo agente, ut magis magiſque conſtaret veritas reſurrectionis dominicæ; quemadmodum publica ſigilli fide conſtitit Danielem nulla ope humana periculo exemptum, cùm rex obſignaſſet os lacus annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum. *cum cuſtodibus*, μετὰ τῆς κουστωδίας, referunt illa verba ad præcedens *munierunt*, & parentheſi includunt, *ſignantes lapidem*, ut ſenſus ſit; munierę ſepulchrum, appoſita cuſtodia. ſic ipſi providerunt ne quis ſuſpicaretur fraudem; & ut teſtatiſſima eſſet reſurrectio Domini, nullique calumniæ obnoxia.

CAPUT XXXVIII.

Angeli mulieribus, quæ Chriſtum uncturæ venerant ad monumentum, indicant reſurrexiſſe.

✠ Sabbato ſancto.
** ✠ Domin. Reſurr.*
** ✠ * Sabbato in Albis.*

HARMONIA.	MAT. Cap. 28. ℣. 1-7.	MARC. Cap. 16. ℣. 1-7.	LUCAS Cap. 24. ℣. 1-8.	JOAN. Cap. 20. ℣. 1.
1 *Mt.* Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, *Mc.* Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.	1 ✠ Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria,	1 * ✠ Et cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.	1 Una autem ſabbati,	1 * ✠ * Una autem ſabbati. Maria Magdalene.
2 Et valdè manè una ſabbatorum, *J* cùm adhuc tenebræ eſſent, *Mc.* veniunt ad monumentum, orto jam ſole, *L* portantes, quæ paraverant, aromata.	videre ſepulchrum.	2 Et valdè manè una ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam ſole.	valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata.	venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.

MAR-

MARCUS.

3 * 3 Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?

MATTHÆUS.

4 * 2 Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum.
5 * 3 Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix.
6 * 4 Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.

HARMONIA.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES
7 *Mc.* Et reſpicientes (*mulieres*) viderunt *L* lapidem revolutum à monumento. *Mc.* Erat quippe magnus valdè,	4 Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè.	2 Et invenerunt lapidem revolutum à monumento.	& vidit lapidem ſublatum à monumento. 2 *Cucurrit &c. infra cap. ſeq.*
8 Et introeuntes in monumentum, *L* non invenerunt corpus Domini Jeſu.	5 Et introeuntes in monumentum,	3 Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu.	
9 Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto: Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.	invenerunt juvenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida,	4 Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.	
10 Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas:	& obſtupuerunt. 6 Qui dicit illis:	5 Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas:	MATTHÆUS.
11 *Mt.* Nolite timere vos; ſcio enim quòd Jeſum, qui crucifixus eſt quæritis.	Nolite expaveſcere: Jeſum quæritis Nazarenum, crucifixum:		5 Reſpondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos; ſcio enim, quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis.
12 *L* Quid quæritis viventem cum mortuis?		Quid quæritis viventem cum mortuis?	
13 *Mt.* Non eſt hic, ſurrexit enim, ſicut dixit.	ſurrexit, non eſt hic,	6 Non eſt hic, ſed ſurrexit:	6 Non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit.
14 *L* Recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet,		recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet,	
15 Dicens: † Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere.		7 Dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere.	
16 *Mt.* Venite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus.	ecce locus ubi poſuerunt eum,		venite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus.

† *Matt.* 16.21. *Marc.* 8. 31.

HAR-

HARMONIA.	MARCUS.	MATTHÆUS.
18 Et citò euntes *MM.* dicite diſcipulis ejus, *Mc.* & Petro, *Mt.* quia reſurrexit, & ecce præcedet *MM.* vos in Galilæam, ibi eum videbitis, † *Mc.* ſicut dixit vobis, *Mt.* ecce prædixi vobis.	7 Sed ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. ¶	7 Et citò euntes dicit diſcipulis ejus, quia ſurrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis. ¶

† *Marc.* 14.28. *Matt.* 26. 32. *Act.* 1. 3. & 13. 31.

L U C A S.

18 * 8 Et recordatæ ſunt verborum ejus.

1 * 1 *Mt.* VESPERE *autem ſabbati*, ὀψὲ δὲ σαββάτων, poſt tranſacta ſabbata, ut habet Marcus, *& cùm tranſiſſet ſabbatum.* ὀψὲ, maximè cum caſu adjuncto denotat apud Græcos quidquid ordine temporis poſterius: quomodo Plutarchus in Numa ὀψὲ τούτων, *poſt iſta*; & Philoſtratus, ὀψὲ τῶν Τρωικῶν, *poſt Trojana tempora.* ὀψὲ τῆς ὥρας, *poſt horam*, id eſt ſerò. ὀψὲ τοῦ καιροῦ, *poſt tempus*, ſive ſerò, ut dicit Suidas in voce σάββατον. Exemplum hujus ſignificationis nobis ſuppeditat vir Judæus græciſans; videlicet Joſephus; etenim lib. 16. cap. 16. antiquitatum hæc legimus ὀψὲ δὲ τοῦ πολέμου, ubi ὀψὲ, idem valet quod Latinum *poſt*, vel *tandem*. Senſus igitur loci in quo verſamur, eſt, tandem tranſacto ſabbato, ineunte die, *quæ luceſcit in prima ſabbati*, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. Id eſt, cùm advenillet dies, cujus lux prima eſt in ſeptimana: ſive quæ prima eſt hebdomadis, *una*, μία, *ſabbati*, ut loquitur B. Lucas, quod idem ſonat: nam μία Helleniſtis idem ſignificat ac πρώτη, *prima*, ut conſtat multis teſtimoniis quæ proferre ſupervacaneum eſſet.

Sabbato, inquam, tranſacto nempe poſt occaſum ſolis cùm illuceſceret lux orientium ſtellarum quibus cùm oriebatur prima dies hebdomadis, quam appellari *ſabbatum*, alibi diximus; cùm licitum eſſet mercari, ſive à mercatoribus pretio comparare merces eorum. *Mc. Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata;* quod non antè poterant ob religionem ſabbati, *ut venientes ungerent Jeſum;* nam obſervaverant quidem à longè aſpicientes quo loco depoſitum fuiſſet corpus Jeſu, ſed ignorabant unctum à Joſepho & à Nicodemo; qui hoc munere defuncti fuerant erga corpus Jeſu; non enim aromatibus tantùm appoſitis unctionem diſtulerant, ne ſabbatum interveniens deprehendiſſet operantes, ut plerique putant.

2 * 2 *Et valdè manè una ſabbatorum*, prima die hebdomadis, quæ *ſabbatum & ſabbata* dicitur; nomen enim illud *ſabbatum*, etiam in plurali intelligitur vel de unica die, vel de unica hebdomade. J *cùm adhuc tenebræ eſſent*, profectæ ſunt dictæ mulieres de civitate. Nempe ſtatim ac ſol occidit, & ita ſabbatum tranſit, emerunt aromata, quæ tota nocte paraverunt, id eſt, miſcuerunt, ut illorum commixtura ungerent Dominum. Et ſtatim ac ortus ſolis appropinquavit: neque enim licuiſſet illis profunda nocte exire Hieroſolymis; *valdè*, inquam, *diluculo*, ut habet Lucas, ſummo mane profectæ ſunt, & *Mc. veniunt ad monumentum orto jam ſole*, vel, ut alii vertunt, cùm ſol oriretur *L. portantes quæ paraverunt aromata.* ſic omnia ſibi conſtant; nec vel apparet minima contradictio inter Evangeliſtas, quorum verba accipimus, ut ſonant in lingua qua ſcripſerunt. Ioannes autem unius Mariæ Magdalenæ ibi mentionem facit.

3 * 3 *Mc. Et dicebant ad invicem*, colloquentes ſimul aiebant mulieres: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* cui advolutum ſciebant vel ex conſuetudine, aut quia à longè ſtantes potuerant advertere hunc advolventes qui condiderant corpus Domini in monumento.

4 * 2 *Mt. Et ecce terræ motus factus eſt magnus*, σεισμὸς ἐγένετο μέγας. in fonte non fit mentio *terræ*; ita motus ille haberi poteſt pro concuſſione aeris cum tonitru, qua concuſſi ſunt animi cuſtodum; ſimul & momentum, quo Dominus reſurgebat à mortuis ſpectabile factum eſt. Potuit & commoveri terra, dum à mortuis ad vitam redibat Chriſtus, cujus præſentiam ſenſit; à facie enim Domini movetur terra, ſive commotione terræ præſentiam ſuam declarat Deus, ut canitur in pſalmo 113. *Angelus enim Domini deſcendit de cælo*, quod ille motus magnus demonſtrabat, *& accedens revolvit lapidem, & ſedit ſuper eum;* ut cuſtodes qui viderint & mulieres pariter dubitare non potuerint de miraculo; neque enim tantus fragor edi potuiſſet ab hominibus qui vel vi, vel fraude ſubripere voluiſſent corpus Domini.

Angelus accipi non poterat pro homine mortali; alius enim erat aſpectus ejus. 5 * 3. *Erat autem aſpectus ejus*, inquit Matthæus, *ſicut fulgur & veſtimentum ejus ſicut nix.* indutus erat veſte ſuperba, ad talos uſque demiſſa, quam

Græci

Græci *ποδήρη*, nuncupant, & quali veſtitu apparuit angelus in Apocalypſi, nempe veſte pontificia, qua ſuperior alia cogitari non poteſt. Angelus qui Danieli viſus eſt ſimiliter lineis & ideo albis veſtibus indutus erat. Non autem ut egrederetur Dominus, revolverat angelus lapidem; clauſo enim potuit exire ſepulchro, qui clauſo natus eſt virginis utero; ſed aliter non patuiſſet Jeſum verè reſurrexiſſe, niſi apertus & vacuus tumulus id oſtendiſſet.

6 * 4 *Præ timore autem ejus* angeli ſcilicet in tanta gloria apparentis, & cum tanto fragore, *exterriti ſunt cuſtodes* ſepulchri, *& facti ſunt velut mortui*, exanimes. veriſimile eſt & ipſas mulieres attonitas ſubſtitiſſe aliquandiu, antequam auſæ eſſent accedere; cuſtodes verò, ubi per metum licuit, fugam arripuiſſe. Sol ortus erat; ita rem ipſam quæ agebatur, mulieres videntes ſuis oculis, certò intelligere potuerunt non ſubeſſe fraudem. ibi autem obſervandum ea die & hora ſurrexiſſe Dominum, qua primùm mundus conditus fuerat, aut condi cœperat. etenim quoniam ſeptima die requievit Deus, prima die hujus ſeptenarii, ſive hujus hebdomadis cœperat operari.

7 * 4 *Mc. Et reſpicientes* mulieres *viderunt L lapidem revolutum à monumento*, cùm propiùs acceſſerunt diffugientibus cuſtodibus. *Mc. Erat quippe magnus valdè* lapis iſte. In his Marci verbis ellipſis eſt, ſenſus enim eſt: quod commodè ipſis evenit, quia magnum erat ſaxum.

8 * 5 *Et introeuntes in monumentum*, quod revoluto lapide apertum erat *L non invenerunt corpus Domini Jeſu*; ſurrexerat enim. 9 * 4 *Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto*, ἐν τῷ διαπορεῖσθαι αὐτὰς περὶ τούτου, dum in ea re hæſitarent, perplexæ eſſent: *Ecce duo viri ſteterunt*, duo angeli in ſpecie virorum ſuperveneruntperveneruntpervenerunt *ſecus illas in veſte fulgenti*, ut ſolent ſplendidè veſtiti apparere angeli. Unius angeli mentionem faciunt Matthæus & Marcus, duorum verò Lucas & Joannes. 10 * 5 *Cùm timerent autem* mulieres, & ex timore & verecundia, vel etiam quia fulgorem ferre non poterant, *declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas*. 11 * 5 *Mt. Nolite timere vos: ſcio enim quòd Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis*; & ideo perplexæ eſtis, non invento ejus corpore. 12 * 5 *L Quid quæritis viventem cum mortuis?* Auctor vitæ diutiùs non poterat detineri inter mortuos. 13 * 6 *Mt. Non eſt hic*, in eo ſepulchro: *ſurrexit enim, ſicut dixit*. juxta quod prædixit. 14 * 6 *L Recordamini, qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet*. 15 * 7 *Dicens: quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi*, mortem ſubire, *& die tertia reſurgere*.

16 * 6 *Mt. Venite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus*. ſcilicet mulieres ingreſſæ quidem erant in hortum, ſed non in ſpecu, ubi conditum fuerat corpus Domini; ſed in illud tantummodò injicientes oculos adverterant abeſſe ab eo corpus Domini. Monumenta erant in hortis, ſive in agello concluſo, ut horti concludi ſolent aliqua maceria. effodiebatur in horto ſpelunca; & in latere ſpeluncæ cavum quo mortui corpus condebatur. Angelus hortatur mulieres ut propiùs accedant ad locum ut certiores fiant, non ampliùs ibi Jeſum reſidere. 17 * 7 *Et citò exeuntes*, inquit, *dicite diſcipulis ejus*, *Mc. & Petro Mt. quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis*, *Mc. ſicut dixit vobis*, ante mortem ſuam. *Mt. ecce prædixi vobis*. de hac re vos admoneo. 18 * 8 *L Et recordatæ ſunt* mulieres *verborum ejus*, quæ ab ore ejus audierant.

CAPUT XXXIX.

Mulieres reſurrectionem Domini nunciant Apoſtolis. Petrus & Joannes primi currunt ad monumentum rem exploraturi.

HARMONIA.	MATTH. Cap. 28. ℣. 8.	MARCUS Cap. 16. ℣. 8.	LUCAS Cap. 24. ℣. 9-12.
1 *Mt.* ET exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis ejus.	8 Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis ejus.	8 At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: invaſerat enim eas tremor & pavor,	9 Et regreſſæ à monumento.

HARMONIA.	MARCUS.	LUCAS.
2 *Mc.* Et nemini quidquam dixerunt, (*obvio*) timebant enim: *L* nuntiaverunt (*autem*) hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus.	& nemini quidquam dixerunt, timebant enim.	nutiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus.

L U C A S.

3 * 10 Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc.

4 * 11 Et viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum, verba iſta: & non crediderunt illis.

J O A N N E S, Cap. 20. ℣. 2—10.

5 * 2 Cucurrit ergo (*Maria Magdalene,*) & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus; & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.

6 * 3 Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.

7 * 4 Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum.

L U C A S.

12 Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum; & procumbens vidit linteamina ſola poſita, ...

8 * 5 Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina; non tamen introivit.

9 * 6 Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita,

10 * 7 & ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.

11 * 8 Tunc ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit:

12 * 9 nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere. ¶

13 * 10 Abierunt ergo iterùm diſcipuli ad ſemetipſos.

L U C A S.

14 * ... & abiit (*Petrus*) ſecum mirans quod factum fuerat.

AD ſolvendas difficultates quæ ſolent agitari circa hæc loca hiſtoriæ Evangelicæ in quibus nunc verſamur, commodum eſt quod viri periti excogitarunt, & conſonum Evangelio Joannis, Mariam Magdalenam ſtatim ac vidit lapidem ſublatum à monumento, reverſam eſſe ad Petrum & Joannem; antequam omninò certa eſſet de veritate reſurrectionis, & audiiſſet teſtimonium Angelorum. unde non mirum eſt, ſi iterum reverſa ad monumentum, adhuc quærebat quis ſuſtuliſſet corpus Domini; neque enim ullam in animo ejus dubitationem reliquiſſet teſtimonium angelorum. Igitur diſtinguenda reverſio Mariæ Magdalenæ à reverſione cæterarum mulierum, quæ dum Maria pergeret ad Petrum & Joannem, ab ipſo angelorum ore didicerant Jeſum verè reſurrexiſſe.

1 * 8 *Mt. Et exierunt illæ mulieres citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis* quid ſibi obtigiſſet, *fugerunt de monumento*, inquit Marcus; *invaſerat enim eas timor & pavor*, ob viſos angelos. 2 *Mc. & redeuntes in locum ubi erant* Apoſtoli, *nemini quidquam dixerunt* obvio: dixerunt enim apoſtolis quos convenerunt: *timebant enim* Judæos; ideo nec auſæ ſunt mutire de Jeſu qui ſurrexerat. 9 *L & regreſſæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim*, *nïc ſcilicet*, undecim apoſtolis, & *cæteris omnibus* diſcipulis, nempe Jeſum ſurrexiſſe, & ſibi viſos angelos. 3 * 10 *Erat autem Maria*

Magda-

Magdalene, juxta noſtram ſententiam ſoror Lazari quæ prævenerat Jeſum ungere in cœna quæ ſex ante paſcha dies ſacta eſt Domino in Bethania. B. Lucas illam admunerat piis mulieribus quæ ſummo manè venere ad ſepulchrum; ſed non diſtinguit an prior reverſa ſit ad apoſtolos; quod Joannes videtur innuere. Enumerat Lucas pias illas mulieres: *Erat & Joanna, & Maria Jacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apoſtolos*; quæ hoc nuntium detulere apoſtolis. 4 * 11 *Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta*, hæc omnia quæ nuntiarent: *& non crediderunt illis*.

5 * 2] *Cucurrit ergo, & venit* Maria Magdalene, de qua ſola loquitur Joannes, *ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem amabat Jeſus*. Jam dixi veriſimile eſſe Mariam Magdalenam, ſtatim ac vidit revolutum lapidem, forſan & audito terræ motu, dum aliæ mulieres rem propiùs explorarent, cucurriſſe ad Petrum & Joannem; & hoc eſt quod ipſe Joannes adſtruit, loquens de Maria Magdalena. *Et vidit lapidem ſublatum à monumento: cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum &c.* dum interea cæteræ mulieres re introſpecta ad alios omnes apoſtolos, nempe ad eos quos invenerunt, retulere quæ viderant, & audierant ab angelis.

Et dixit illis Maria: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum. non hæc dixiſſet, ſi cum cæteris mulieribus vidiſſet angelos, & audiiſſet loquentes tam clarè de certa reſurrectione Domini. Igitur, quod conſuetum eſt mulieribus quæ magno aliquo affectu commoventur, non ſuſtinuit quin id quod primùm illi viſum eſt dignum quod referretur ad apoſtolos, ſine dilatione referret. Sic in Actis, cap. 12. Rhode ancilla, cùm audiit vocem Petri fores pulſantis, quem credebat carcere teneri, ita commota eſt, ut fores non aperuerit, quin prius reverſa in interiora cubicula commonefaceret omnes Petrum ſtare ante januam. Ita non mirum eſt, ſi Maria conjiciens ex ſublato lapide corpus Domini ablatum, nec rem diligentiùs expendens ita compellet Petrum & Joannem.

6 * 3 *Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus & venerunt ad monumentum*, rem exploraturi. 7 * 4 *Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro*, ut pote ætate junior, & velocior. *& venit primus ad monumentum*. 8 * 5 *Et cùm ſe inclinaſſet* procumbens, capite ſpecum intromiſſo. non enim poterat ſepulchrum inſpici ab erecto, cùm oſtium humile, & ſepulchrum profundum eſſet. *non tamen introivit* vel præ timore, vel quia ſatis illi conſtabat, corpus abeſſe.

9 * 6 *Venit ergo Simon Petrus, ſequens eum, &* rem diligentiùs exploraturus, *introivit in monumentum*, in cavum, ubi corpus Jeſus poſitum fuerat. *& vidit linteamina poſita*. κείμενα, jacentia, tamquam exuvias, & certiſſima teſtimonia corporis abſentis. Illa autem linteamina ὀθόνια, viræ ſunt tenues & longæ, quibus corpora mortuorum ligari ſolita ſuprà vidimus; & quibus re ipſa, ut Joannes dicit, cap. 19. ℣. 40. Joſephus & Nicodemus corpus Domini ligaverant. *ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις*. linteamina ergo illa malè quis interpretaretur gallicè *des linceuls*.

10 * 7 *Et ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus*. ſudarium propriè pannus eſt quo ſudor extergitur: mulierum & virorum caput obtegebatur ſudario, ut vidimus; neque enim ligabatur ὀθονίοις, ſive vinculis illis quæ deſcripſimus. Vidit ergo Petrus ſudarium, *non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum*, ἐντετυλιγμένον, quod vernaculè diceremus *bien plie, in unum locum*, pro in uno loco, alio ſcilicet loco proprio & peculiari, quia res diverſæ erant ὀθόνια faſciæ, & ſudarium. Hæc autem collocatio linteorum tam accurata amovebat furti ſuſpicionem. fures enim feſtinant, nec agunt aliena à ſuo inſtituto: hi totum corpus, ut erat obvolutum, potiùs abduxiſſent cum aromatibus, linteis, & ſindone, ſi non ob pretium rerum, certè ob id, quòd non tantum habuiſſent otii ad evolvenda illa lintea, ſive ad explicandas illas vitas quæ ſimul inhærebant unguentis non minus viſco tenacibus, ut ſine multo negotio expediri non poſſent, & ſuo quæque loco digeri. unde Sedulius poeta canebat.

——————*Anne beati*
Corporis ablator velocius eſſe putavit,
Solvere contectum, quàm devectare ligatum?
Cùm mora ſit furtis contraria. Cautius ergo
Cum Domino potuere magis ſua lintea tolli.

11 * 8 *Tunc ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit & credidit*, verè corpus Domini, ut dixerat Magdalena, fuiſſe ablatum. 12 * 9 *Nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere*, ſenſum ſacrorum ſcriptorum, qui ſub figuris & typis hoc indicaverant. Petrus & Joannes ſæpè audierant Dominum clarè de ſua futura reſurrectione diſſerentem; ſed rei magnitudo, & ingenii tarditas obſtabant quominus hoc in animum admitterent. Nondum autem viderant mulieres quas angeli allocuti fuerant; neque enim illæ rem celaſſent primarios apoſtolos; ſed ut diximus, Maria eos citò convenerat, ut admoneret de ſublato corpore Domini, ſicut conjectaverat ex lapide revoluto.

12 * 10 *Abierunt ergo iterùm diſcipuli ad ſemetipſos*, in eam domum in quam diverterant pro tempore quo Hieroſolymis commorabantur. Incerti & anxii erant quid Domini corpori contigiſſet. 14 * 12 L *Et abiit* (Petrus) *ſecum mirans quod factum fuerat*.

Digitized by Google

CAPUT XL.

Chriſtus ſe conſpicuum præbet Mariæ Magdalenæ, cùm ſecunda vice reverſa eſt ad monumentum.

MARCUS, Cap. 16. ℣. 9.

1 * 9 SUrgens autem (*Jeſus*) manè, prima ſabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia.

JOANNES, Cap. 20. ℣. 11—17.

† Fer. 5. poſt Paſcha.

2 * 11 † Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum:
3 * 12 & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.
4 * 13 Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & neſcio ubi poſuerunt eum.
5 * 14 Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt.
6 * 14 Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam.
7 * 16 Dicit ei Jeſus: Maria. Converſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.)
8 * 17 Dicit ei Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.
18 *Venit &c. cap. ſeq.*

1 * 9 *Mc.* SURGENS *autem manè* Jeſus è ſepulchro *prima* die *ſabbati*, id eſt, hebdomadis; ita ea ipſa die qua ſurrexit, *apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia*, cujus mentionem facit Lucas, cap. 8. ubi ſcribit cum Joanna uxore Chuſæ miniſtraſſe Domino; & in illa die reſurrectionis idem Evangeliſta, ut ſuprà vidimus; pariter illam Joannam cum Magdalene ad monumentum veniſſe narrat. Maria Magdalene autem venerat ad monumentum uncturâ Dominum, quod à Maria Lazari ſorore faciendum ille prædixerat. Eadem itaque Maria ſoror Lazari & Magdalena. Prætereà quiſquis, modò mentem advertat, facilè deprehendet in hocce loco, cui tractando incumbimus, Mariam Magdalenam qua cum Jeſus tam familiariter agit, eam eſſe ſororem Lazari diligentem & dilectam. Maria autem illa Magdalena, quæque ſit, poſtquam admonuit Petrum & Joannem de lapide ſepulchri revoluto, quia nondum expleverat deſiderium ſuum, cupiens reperire corpus Domini, & illud, ut par erat, ungere, ſine mora repetiit locum ſepulchri; ad quod cùm pervenit, Petrus & Joannes itinere vel iter confecto, jam reverſi erant. *Cùm autem non adfuiſſet colloquio Angelorum, qui ſocias ejus compellaverant; non mirum ſi ipſa agat, ut adhuc incerta de iis quæ corpori Domini contigiſſent. Sunt qui omittenda putavere quæ nunc leguntur apud Marcum, cap. 16. à verſu nono qui incipit: *ſurgens autem mane prima ſabbati &c.* ad libri uſque finem, aut quia inire concordiam non poterant inter Marcum & cæteros Evangeliſtas, aut quia codex quo uterentur, his careret, ut ſuppe etiam hodie à quibuſdam mſſ. qui deſectis antiquus eſt; meminere enim ejus Gregorius Nyſſenus, uti & B. Hieronymus ad Hedibiam, quæſt. 111.

2 * 11] Ma-

Digitized by Google

2 * 11] *Maria autem ſtabat ad monumentum foris*, extra ſpeluncam in qua exciſum erat ſepulchrum, *plorans*. nempe iſta ſecunda vice qua reverſa eſt ad monumentum, forſan comitata Petrum & Joannem, qui non invento corpore Jeſu domum reverſi ſunt; illa verò, quia tenerior erat affectus ejus, ſubſtitit, ſive non diſceſſit à monumento, neſciens quò abitura eſſet, ut inveniret Jeſum. *dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum*, in ſpecum ubi corpus Domini poſitum fuerat, quaſi nondum ſatis exploraſſet, an re ipſa inde ablatum.

3 * 12 *Et tunc vidit duos angelos in albis*, veſtitos lineis indumentis, *ſedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu*. ſic erant Cherubini ab utraque extremitate arcæ fœderis. 4 * 13 *Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & neſcio ubi poſuerunt eum*. iidem illi angeli videntur fuiſſe qui ſocias ejus admonuerant Dominum ſurrexiſſe; cui colloquio ſi interfuiſſet Magdalena, ut jam dixi, non ita reſpondiſſet.

5 * 14 *Hæc cùm dixiſſet*, nempe querens Dominum ſuiſſe ſibi ablatum; *converſa eſt retrorſum*, oculos à monumento ad hortum vertit, ut ſolent anxii; vel percepit ex ſtrepitu, vel ex angeli vultu geſtuque aliquem à tergo adſtare; *& vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt*, quia forſan in alia facie tunc apparuit, 6 * 15 *Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras?* quem quæris? *illa exiſtimans quia hortulanus eſſet*, nempe colonus horti illius, in quo monumentum erat, *dicit ei: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum*; probabile enim videbatur ab hoc potiùs quàm ab alio ablatum corpus, quòd nemo liberiorem haberet aditum. ſuſpicari poterat Maria quòd amicus quiſpiam ob Judæorum metum curaſſet corpus Domini clanculùm aſportandum, ne à Judæis, ſecus tractaretur quàm vellet: ergo ſollicitè rogat eum quem putabat hortulanum, ut ei patefaceret quò aſportaſſet Dominum. Indica mihi, inquit, ubi poſuiſti eum *& ego eum tollam*, nempe ad ſepeliendum; ipſa ego ſola, nimis præſumens de ſuis viribus præ affectus vehementia; aut quaſi dicat: inveniam ubi honeſtè ſepeliatur, ne tanti viri corpus inimicis ſit ludibrio. Vidimus Judæos mortuorum corpora quibus illudere vellent, ſuſpendiſſe qui mos cæteris gentibus conſuetus; Philiſtæi enim corpus Saul ſuſpenderunt in muro Bethſan; quod cùm ægrè ferrent viri fortiſſimi urbis Galaad, tota nocte iter facientes, ut narratur, lib. 2. Reg. cap. 31. ℣. 12. tulerunt illud, & ſublatum honeſto funere decoraverunt. Videtur Magdalena Galaaditarum pro Saule officium exhibitum voluiſſe Chriſto.

Igitur Jeſus hocce mulieris officium gratum habens, voce amica & nota eam compellat. 7 * 16 *Dicit ei Jeſus: Maria* ea voce qua facilè agnoſceretur. *converſa illa* verſus Jeſum & propiùs intuens, cùm agnoviſſet, *dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magiſter*. Rabboni ſonat *magiſter meus*; ſed Evangeliſta interpretans hocce nomen non expreſſit pronomen *meus*, quod ob frequentem uſum facilè ſubintelligebatur. 8 * 17 *Dicit ei Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*. locus ille parùm interpretibus intellectus mihi videtur, licèt apertus ſit. Statim ac amicè compellata eſt proprio ſuo nomine Maria, agnovit vocem Domini & eum ſalutavit magiſtrum: oculis ſuis tamen diffidebat, incerta an ſibi appareret phantaſma; ut Terentianum illud uſurpare poſſet; *Miſera mens incredula eſt; quò plus cupio, minùs credo*. itaque jam promovebat brachia & manus, exploratura palpando, an re ipſa eſſet Dominus, in carne ſua vera eam alloquens: quin potuit, dum mens ejus dubia fluctuaret, præſentem Jeſum audiens & tamen abſentem credens, nempe aſcendiſſe ad Patrem, re ipſa Jeſum tetigiſſe; ut horum verborum, *noli me tangere*, ſenſus ſit: noli ultrà tangendo explorare; ipſe ego ſum; *nondum enim*, ut tu putabas *aſcendi ad Patrem meum*: adhuc in terris verſor. *vade autem ad fratres meos*; potiùs feſtina ire ad diſcipulos meos, quos fratres vocat, ut erigat mœrentes, *& dic eis*: hæc verba mea ipſis refer. *aſcendo ad Patrem meum: & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum*. intra ſcilicet aliquot dies, per quos interea in terris agam.

Quæri poteſt cur ſe tangendum & palpandum obtulerit Dominus diſcipulis, qui ut Magdalena incerti erant, an ipſe eſſet: *palpate*, inquiebat, *& videte*; Mariæ verò dicat: *Noli me tangere*. ſcilicet Maria vehementior ſtatim, promoverat manus ut palpando exploraret; quòd cùm tardiùs facerent diſcipuli provocavit eos Dominus, ut animum ſolverent dubitatione; Mariæ verò ſignificavit non eſſe locum dubitationi ejus, ſive exploratione longiori non opus eſſe, quoniam ipſe eſſet viva & vera voce eam compellans.

CAPUT XLI.

Chriſtus occurrit mulieribus quæ redibant à monumento: Judæi inducunt argento cuſtodes ſepulchri, ut dicant corpus Jeſu fuiſſe à diſcipulis ſubreptum, Maria Magdalena nuntiat Apoſtolis apparuiſſe illi Dominum.

MATTHÆUS, Cap. 28. ℣. 9—15.

1 * 9 ET ecce Jeſus occurrit illis (*mulieribus quæ redibant à monumento*) dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

† *Act.* 1. 3. 2 * 10 Tunc ait illis Jeſus: † Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis: ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

3 * 11 Quæ cùm abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

4 * 12 Et congregati cum Senioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus,

5 * 13 dicentes: Dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.

6 * 14 Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.

7 * 15 At illi, accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos, uſque in hodiernum diem

HARMONIA.	MARCUS Cap. 15. ℣. 10 & 11.	JOANNES Cap. 20. ℣. 18.
8 *J* Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis, *Mc.* qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus: *J* Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.	10 Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus:	18 Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. ¶

MARCUS.

9 * 11 Et illi audientes quia viveret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt.

MULIERES juxta mandatum angelorum revertebantur ad apoſtolos, nuntiaturæ quòd Jeſus reſurrexiſſet; alio itinere, quàm quo Maria Magdalena, Petrus & Joannes, illa rediit ad monumentum, hi primùm venerunt, ita non mirum ſi à mulieribus hactenus non reſciviſſent, quæ illis fuerant dicta ab angelis. Ubi autem Dominus ſe conſpicuum præbuit Mariæ Magdalenæ, pro libitu ſuo potuit momento ſe præſentem ſiſtere mulieribus, dum revertentes à ſepulchro properarent iter ad apoſtolos.

1 * 9 *Mt. Et ecce Jeſus occurrit illis dicens: Avete*, χαίρετε, gaudete. *Illæ autem* etiamſi ſcirent Jeſum verè ſurrexiſſe; ut omnem dubitationem amoveret diligens exploratio, & ipſæ (quod fecerat Maria Magdalene) voluere tangendo experiri, an verè ipſe eſſet, ne oculos earum luderet ſpiritus, vultum ejus gerens. Id Matthæus videtur innuere. *acceſſerunt*, inquit, ad Jeſum, ut propiùs intuerentur, *& tenuerunt pedes ejus*, ἐκράτησαν, *prehenderunt*, *conſtrinxerunt*, explorantes an vera eſſet caro, & non phantaſma, *& adoraverunt eum*, ubi verè eſſe Dominum cognoverunt. nec omninò diſſimile eſt huic ad Mariam reſponſio, *Noli me tangere*, quod ſubjicit Matthæus dictum à Domino his mulieribus. 2 * 10 *Tunc ait illis Jeſus: Nolite timere.* video vos perturbatas, anxias, quaſi non ipſe ego vos alloquerer: amovete illum timorem, cer-

certiores factæ vobis non apparere ſpiritum. *Ite ergo, nuntiate fratribus meis*, diſcipulis meis, *ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*: me illis conſpicuum præbebo in Galilæa.

3 * 11 *Ms. Quæ cùm abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant*. contraxit Matthæus hiſtoriam reſurrectionis: ita ordinem temporum ibi liberiùs ſequitur: quæ ſpectarent mulieres ſimul conjungit, de cuſtodibus non agens, niſi peracta de hiſce mulieribus narratione. Veriſimile autem eſt, revoluto lapide ſepulchri cum magno fragore, perterritos fuiſſe cuſtodes, & protinus, ubi apertum ſepulchrum & vacuum viderunt, aufugiſſe, ſibi metuentes ab angelo qui apparuerat. Ita credo illis abeuntibus liberè etiam prima vice acceſſiſſe mulieres ad ſepulchrum. dum autem irent & redirent mulieres illæ, Petrus & Joannes, interea cuſtodes rem ad principes ſacerdotum pertulere.

4 * 12 *Et congregati cum ſenioribus*; nempe rem in ſynedrio expendentes *conſilio accepto*, inito, *pecuniam copioſam dederunt militibus*, ἀργύρια ἱκανὰ, id eſt, tantum nummorum quantum neceſſarium erat, ut ad mendacium adducerentur. 5 * 13 *dicentes: Dicite, quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus*. veritate audita ex non ſuſpectis teſtibus, mendacium pecunia redimunt. 6 * 14 *Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus*. nempe, ſi ea res apud judicem agatur ob malè curatas excubias, & deſertam ſtationem, placabimus eum. ex Digeſtis enim, titulo de re Militari, ſatis conſtat, quantoperè qui ſtationem deſeruiſſent, aut malè cuſtodiam curaſſent, puniri ſolerent à Romanis, militaris diſciplinæ obſervantiſſimis.

7 * 15 *At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos*, ſparſa eſt fama illa mendax de corpore Chriſti à diſcipulis ſubſtracto. Vel, ut alii interpretantur, ſenſus Matthæi eſt, non potuiſſe ita celari ſceleratam illam inter ſacerdotes & milites mendacii nundinationem ut non aliquam rimam inveniret veritas, per quam in publicum emanaret. Prior interpretatio veriſimilior mihi videtur, & magis conſentanea huic rumori quem per orbem à ſynedrio ſparſum fuiſſe diſcimus ex Juſtino. Scribit ille ſynedrii proceres legationem miſiſſe ad totius orbis Judæos, cujus hæc ſumma erat. *Quòd ſecta quædam athea & exlex orta eſt auctore Jeſu quodam Galilæo impoſtore, quem cùm nos cruci affixiſſemus, diſcipuli ejus ipſum nocte è ſepulchro ſuffurati ſunt, falluntque homines dicendo, ſurrexiſſe eum à mortuis, & in cælum aſcendiſſe.*

Verùm hujuſce mendacii nequitia facillimè deprehenditur. quomodo enim conſtare poterat fides teſtibus de eo quod ſe dormientibus dicebant eveniſſe? Deinde qua fiducia hoc auſi fuiſſent homines & inermes & piſcatores? ſi impoſtorem Chriſtum ipſi jam intra mentem ſentiebant, cur pro ipſo ſubirent periculum? ſi à Deo miſſum credebant, quæ religio illos impellebat ad furtum & mendacium? Ut pro concepta opinione mortem quis ſubeat fieri poteſt, quamquam & hoc rarum eſt, at ut quis idem faciat pro teſtimonio rei, quam falſam eſſe noverit & unde nihil aut ipſi, aut aliis boni poſſit ſperari, omnibus ſani judicii hominibus incredibile videbitur. Nulla ergo res teſtatior, quàm reſurrectio Domini. primùm enim mors ejus explorata & confirmata ab ipſis quorum intererat eam pro falſa haberi; qui jure negare poterant verè reſurrexiſſe, ſi re ipſa non fuiſſet mortuus? Ipſi Gentiles aperto ejus latere experti erant mortuum. ſepultum & tumulo conditum Judæi cuſtodierunt, apponentes ſigillum & cuſtodes, ne ſubriperetur; illi autem ipſi cuſtodes, quorum fidei rem commiſerant, omnia quæ contigerunt in reſurrectione Domini annuntiaverunt, commotam terram, revolutum divinitùs lapidem, viſos angelos, ipſum Jeſum exiiſſe è ſepulchro.

Hæc equidem narrantur ab ipſius diſcipulis; neque enim aliunde ſcimus mendacium Judæos redemiſſe multa pecunia, ut illi cuſtodes dicerent corpus Jeſu ſubreptum à diſcipulis ejus; ſed apertum eſt fieri non poſſe ut illi ſcientes fallant; deceptos autem non fallere pariter certum eſt. Temerè enim non crediderunt uſque increduli donec palpaverunt carnem ejus. ſervata ipſius vulnera, certos faciebant non alium eſſe virum; ſicut plura cum eo colloquia, etiam convivia, non ſuis illudi oculis; neque enim aliquibus, ſed etiam quingentis; non ſemel, ſed multoties; non uno, aut altero loco, ſed diverſis temporibus & locis apparuit. præterquàm mirum iis videri non debebat, hunc qui ſe auctorem vitæ probaverat mortuos ad vitam revocans, potuiſſe ſeipſum excitare à morte; maximè cùm recordati ſunt illam reſurrectionem ab ipſo prædictam.

Iterùm dicam: gratis fingeretur apoſtolos omnes, ſimul conſenſiſſe in fraudem, ut magiſter eorum, cujus mors latere non poterat, vitæ glorioſioris particeps celebraretur. Quo enim emolumento id feciſſent? qua præmiorum ſpe? Prædicantes Jeſum reſurrexiſſe à mortuis in omnium odia incurrebant: accerſebant omnia mala quæ timeri poſſunt in vita præſenti, dedecus, pauperiem, tormenta, mortem, ſpe ſola recreari fore aliquando participes reſurrectionis. Si autem, ut Paulus aiebat 1. Corinth. cap. 15. ℣. 19. *in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus*; nec ille reſurrexerit, *miſerabiliores ſumus omnibus homi-*

minibus. Ergo fieri non poteſt ut apoſtoli fiducia reſurrectionis quam ſcirent vanam, tantis periculis ſeſe objectarent, & vitæ diſpendio pertinaciter eum celebrarent, quem non certò ſcirent fore remuneratorem. Sicut dicebat Paulus: *Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens depoſitum meum ſervare.* 2. Timoth. cap. 1. ỳ. 12. His addamus, quingentos viros haud fungendi peritos non potuiſſe tanta concordia conſentire in fraudem, ut nullus neque præmio illectus, neque tormentis deterritus vellet verum fateri. quomodo verò ii omnes qui aures apoſtolis præbebant, non habuiſſent eos pro fidis teſtibus, quos videbant edere tot tantaque miracula in nomine ejus, quem aſſerebant de morte triumphaſſe.

Attamen aliquot ante annos extitit vir notus temeritate qua nova errorum monſtra protulit, ex Judæo Chriſtianus factus, nomine potiùs quàm re (loquor de Benedicto Spinoſa, qui negavit reſurrectionem Domini veram fuiſſe; quam ita tamen ab apoſtolis narratam dicit, ut eam crediderint, ſed ipſi primùm decepti.) ſic loquitur Spinoſa Epiſtola xxv. *Fateor quidem*, inquit, *hanc etiam ab Evangeliſtis iis narrari circumſtantiis, ut negare non poſſimus, ipſos Evangeliſtas credidiſſe Chriſti corpus reſurrexiſſe, & ad cœlum aſcendiſſe, ut ad Dei dexteram ſederet; & quod ab infidelibus etiam potuiſſet videri, ſi unà in iis locis adfuiſſent, in quibus ipſe Chriſtus diſcipulis apparuit; in quo tamen, ſalva Evangelii doctrina potuerunt decipi.* Quomodo ergo decepti ſunt? impius ille ſcribit altera epiſtola quæ eſt XXIII. Chriſtum non niſi allegoricè reſurrexiſſe, & omnia quæ narrant Evangeliſtæ, non res, ſed apparitiones fuiſſe. Hæc dicit non probat: nec ſatagit cum hoc ſuo dogmate conciliare veritatem Evangelii quam agnoſcit, cujus fides inanis eſt, ſi ſpes reſurrectionis inanis. doctrinam ſuam liquidò non exponit; victoria noſtra fuiſſet hunc apertè dixiſſe quod ſentiebat. quid enim aliud feciſſet quàm prodere deliria ſua & ineptias? Colligimus autem hoc uno fundamento ab illo negari reſurrectionem, quia nullum aliud majus miraculum, quia nullum miraculum fieri poſſe credit. Statuit enim in ſuo Theologo politico, à Deo omnia non aliter emanare ac rivulos è fonte ſuo; ut Deus ea ſola operetur, quæ natura ejus cogit eum operari. Itaque dicit hæc quæ ſacri codices appellant miracula, fluxiſſe omnia ex legibus naturæ; ſed ſic appellata quia latentes cauſas haberent; quod in uno, aut in altero demonſtraſſe putat de omnibus miraculis. Quia verbi cauſa fieri potuit, ut maris rubri aquæ à ventis repulſæ præbuerint tranſitum Iſraelitis, eadem ſentit de omnibus aliis miraculis quæ narrantur, iis inquit circumſtantiis ut populi commoverentur ad pietatem. quid hoc eſt, niſi dicere piæ plebi illuſiſſe ſcriptores qui dicuntur ſacri, minùs digni venia quàm poetæ qui ſibi credi ſeriò non poſtulant.

Non hujus eſt loci doctrinam Spinoſæ expendere & confutare quæ de Deo perverſa ſcripſit, ſpolians hunc vera libertate, unde tot ſcaturiunt errores ejus. Multa vi & eloquentia arguit errores ejus vir doctus è Congregatione S. Mauri. ergo tantùm hic animadvertam quòd cùm omnes homines qui Deo colendo facti ſunt, debeant eſſe idonei religioni exercendæ; pauci autem apti ſint ſtudio difficili in quo mens avocanda à ſenſibus & faciliùs erratur, ut contingit iis qui deviis itineribus, non publicis incedunt. Animadvertam inquam, fidem noſtram non niti ſubtilibus ratiociniis ſed factis, de quibus nullus jure dubitare poteſt, niſi priùs à ſe impetraverit ut ſeriò credat quod hactenus falſò opinatus ſit ſe habere corpus, pedes, manus, & cœlum terramque exiſtere, illuſus à quodam genio potenti. Non hoc dixerit Spinoſa, nec hi omnes qui ut obtundant aculeos conſcientiæ exprobrantis nefarias ſuas libidines, vellent animo amovere ſpem & metum alterius vitæ. Ita ſufficit adverſus eos & Spinoſam oſtendere reſurrectionem Dominicam quæ fundamentum eſt chriſtianæ religionis non minùs certam eſſe, quàm quodlibet aliud factum olim oculis ſubditum, nunc certo hominum ſibi ſuccedentium teſtimonio confirmatum. Nemo hoc tempore quo decimum ſeptimum ſæculum deſinit, negaverit partem Europæ conjuratam, bellum cum Gallia geſſiſſe: labentibus ſæculis non deſipient qui fidem facient hiſtoricis id geſtum teſtantibus. Ergo ſi ſuo tempore reſurrectio Dominica ſimiliter teſtata fuerit; an nunc ſapiunt qui eam negant; maximum ſubituri damnum, nempe diſpendium vitæ æternæ beatiſſimæ, ſi tot ſcriptis quibus adſtruitur, fidem præbere temerè renuant.

Miraculis manifeſtis & certis, quæ in hiſtoria Evangelica continentur, nititur fides orthodoxa. nullum vetuſtum antiquitatis monumentum meretur fidem, ſi fides non debetur Evangelio, ut in præfatione totius operis dictum eſt. Ne extra rem vagetur oratio Chriſti reſurrectio, quæ ut diximus fundamentum eſt fidei noſtræ, in eo non verbis tantùm ſed & factis adſtruitur. qui enim reſurrexit Chriſtus, poteſtatem eam habuiſſe ut animam ſuam poneret & iterum ſumeret, demõſtravit, ſolo juſſu mortuos excitans, ſub complurium conſpectu. Puellam quidem ſolis ſuis adſtantibus parentibus, cum aliquibus ejus diſcipulis, revocavit à morte ad vitam; ſed coram omni cœtu qui funus proſequebantur vitam redonavit unico filio mulieris viduæ prope Naim. Spinoſa profitetur credere Evangeliſtas fuiſſe veraces: quomodo ergo reſurrectionem horum mortuorum perinde ac ipſius Domini falſam reputabit? Dicat deceptam quadam

dam apparitione ; & qui apparebant mortui non indiguiſſe vera reſurrectione. ergo decepta ipſa mater pueri ; decepti omnes qui corpus ejus abluerant, unxerant, conſtrinxerant faſciis. Sed ſi qui verè mortui ſunt, non poſſunt ampliùs verè reſurgere, quas agebat præſtigias Dominus, cùm illo imperante Lazarus viſus eſt exire è ſepulchro? Quando eum decumbere ægtum audiit nondum in Judæam ingreſſus, ſignificaverat gaudere ſe, quòd tunc temporis Bethania abfuiſſet, quia id pertinebat ad confirmationem veritatis. Cùm advenit Bethaniam, jam à quatuor diebus Lazarus occubuerat concluſus tumulo. lacrymatus eſt, infremuit ſpiritu. ſanè ut luderet ſpectatores ſuos, cùm Lazarus viveret in tumulo unde juſſus prodiit pedibus & manibus ligatis. Quomodo autem apoſtoli qui vincula ſolverunt, non deprehendiſſent fraudem ; & tot alii qui decumbentem Lazarum viderant, mortuum fleverant, & de more aromatibus condierant inſtitis eum ligantes? Teſtor conſcientiam cujuſque, utrum ſi conſtet fides Evangelio, de vera Lazari reſurrectione ulla dubitatio animum ſubire poſſit? Reſurrectio autem illa & aliorum certum eſt argumentum veram fuiſſe Chriſti reſurrectionem. Teſtes enim apoſtoli poteſtatis qua toties viderant eum de morte fuiſſe victorem, dubitare non poterant de reſurrectione ejus, quam ipſi oculis, manibus & omni ſenſu exploraverant.

Itaque confirmata ſatis ſuperque veritate reſurrectionis Dominicæ, pergemus texere hujus hiſtoriam ; ubi adverterimus, hac veritate omnes ferè errores confutari. 1. illa enim probatur Deus exiſtens adverſus atheos ; neque enim alius quàm Deus poteſt mortuum è tumulo excitare. 2. virum ſibi exoſum non ſiviſſet Deus redire ad vitam, qui ipſe poteſtatem divinam ut ſibi propriam ſumebat ; dixerat enim, Joan. cap. 10. ℣. 17. *quia ego pono animam meam ut iterum ſumam eam : nemo tollit eam à me : ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Itaque quæ ſubſequuta eſt reſurrectio ejus, demonſtrabat iniqua morte à Judæis fuiſſe damnatum. 3. an numero creaturarum accenſeri poteſt, qui non ſolùm ſe dixit ſed & ſe probavit vitæ auctorem, habentem mortis & vitæ imperium, quod ſolius Dei eſt. 4. reſurrectio confirmat quam Chriſtus in Evangelio ſtatuit doctrinam de pœnis & præmiis alterius vitæ ; reſurrectio enim Chriſti ſpem facit certæ reſurrectionis. 5. denique hæc revincit Græcos, ſive Gentiles quibus crux ſtulta & infamis videbatur ; neque enim quodcumque mortis genus poteſt dedecorare eum qui ſe obtulit ad moriendum in piaculum gentis ſuæ (laudantur Decii, & alii qui dicuntur morte ſua iram deorum placaſſe) maximè qui paſſus ſe morti addici, ipſe mortem vincit, & poſtquam animam poſuit, iterum eam ſumere poteſt.

Revertamur ad codicem ſacrum. dum cuſtodes appoſiti ſepulchro conveniebant proceres Judæorum, nuntiantes quæ ſibi obtigerant ; & ipſa Maria Magdalene convenit diſcipulos.
8 * 18 J *Venit Maria Magdalene* poſtquam à Domino dimiſſa eſt, *annuntians diſcipulis* 10
Mc. qui cum eo fuerant, Jeſum nempe conſueverant ſectari, *lugentibus & flentibus* ob mortem ejus, J *quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi*. quæ ſuperiùs dicta non repetit
Joannes. 9 * 11 *Mc. Et illi audientes* Mariam nuntiantem, *quia viveret, & viſus eſſet ab ea, non* adhuc *crediderunt*. nec forſan fidem adhibuere cæteris mulieribus quæ eadem nuntiarent, nempe viſos à ſe angelos, qui teſtarentur Jeſum ſurrexiſſe à mortuis ; ſcilicet metuebant ne falſum eſſet quod verum eſſe vehementer exoptabant.

C A P U T XLII.

Dominus eadem reſurrectionis ſuæ die apparet duobus ex diſcipulis euntibus Emmaus.

M A R C U S Cap. 16. ℣. 12 & 13.

L U C A S Cap. 24. ℣. 13-35.

13 Et ecce ✠ duo ex illis. ✠ *Feria 2. poſt Paſcha.*

1 * 12 POſt hæc autem duobus ex his (*diſcipulis*) ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in villam.

L U C A S.

2 * ibant ipſa die (*reſurrectionis*) in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine Emmaus.

3 * 14 Et

3 * 14 Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.

4 * 15 Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent: & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis:

5 * 16 oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoſcerent.

6 * 17 Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?

7 * 18 Et reſpondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa his diebus?

8 * 19 Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jeſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo:

9 * 20 Et quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

10 * 21 Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt.

11 * 22 Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

12 * 23 & non invento corpore ejus, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere.

13 * 24 Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non invenerunt.

14 * 25 Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ!

Iſa. 50.6. 15 * 26 † Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?
[illegible] 53. toto, 16 * 27 † Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur
Phil. 2.7. illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant.
Hebr. 12.2.
† Ioan. 3.15. 17 * 28 Et appropinquaverunt caſtello quò ibant: & ipſe ſe finxit longiùs ire.

18 * 29 Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. Et intravit cum illis.

19 * 30 Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

20 * 31 Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum.

21 * 32 Et dixerunt ad invicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?

22 * 33 Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Hieruſalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant.

23 * 34 dicentes: Quòd ſurrexit Dominus verè & apparuit Simoni.

HARMONIA.

MARCUS.

23 * 35 Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis. ¶ *Mc.* nec illis crediderunt.

13 Et illi euntes narraverunt cæteris; nec illis crediderunt.

ISTAM apparitionem Lucas fuſiùs narrat, ſed non alia eſt ab ea, de qua ſic Marcus: 1 * 12 *Mc. Poſt hæc autem duobus ex his*, nempe qui fuerant cum eo ſive apoſtoli, ſive tantum diſcipuli, *ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie euntibus in villam*, Lucas pariter dicit Jeſum duobus ex iis qui eum ſectati fuerant, apparuiſſe. unum nominat Cleopham; quis fuerit ſecundus non declarat: plerique ſatagunt divinare. his Nathanael, aliis videtur fuiſſe Petrus, ob

ob illud Pauli 1. Corinth. cap. 15. ℣. 5. *Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim.* Dominus autem oſtenſus eſt ἐφανερώθη, apparuit *in alia effigie*, ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, id eſt veſtitu, ſive habitu alio quàm quo uti ſolebat; ideo advenam putabant; formam enim nativam retinuit ut ex eo liquet, quòd retentione oculorum opus erat, ne ipſum diſcipuli agnoſcerent. ſic in hiſtoria *transfigurationis* verbum μετεμορφώθη, ad habitum refertur. Ita Marcus cum Luca facilè conciliantur. primus dicit alium fuiſſe habitum Chriſti, ſed non alium vultum: alter divinitùs impeditos oculos diſcipulorum, quominus eum ex vultu agnoſcerent.

Duo inquam ex illis Chriſti ſectatoribus 2 * 13. *Ibant ipſa die* reſurrectionis in caſtellum εἰς κώμην, id eſt, in pagum, in villam, *quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem nomine Emmaus.* totidem ſtadia numerat editio Joſephi Baſileenſis, an 1544. quare quod aliæ editiones habent τριάκοντα, *triginta*, vitioſum eſt. Diſtabat pagus ille 60. ſtadiis, id eſt, ſeptem miliaribus Italicis cum dimidio, nam ſtadium eſt octava pars miliaris; ita ſpatium illud duabus, aut tribus horis conficere, & redire Hieroſolymam ad congregatos apoſtolos potuere illi duo diſcipuli ante mediam noctem, & ita intereſſe alteri apparitioni.

3 * 14. *Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.* colloquebantur unà euntes, confabulabantur, diſſerebant de vita & morte Chriſti, & de iis quæ mulieres Petruſque & Joannes renuntiaverant. 4 * 15. *Et factum eſt, dum fabularentur*, dum ſic unà colloquerentur, *& ſecum quærerent*, ſimul quærerent, ſe mutuò cogitarent varias conjecturas in omnem partem volvendo: *& ipſe Ieſus appropinquans*, quaſi à tergo aſſecutus eos, ut in via fieri ſolet. unde & eos ita affatur quaſi partem ſermonum audiiſſet. ibat cum illis quaſi viæ comes, eodem tendens quò illi.

5 * 16. *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.* ἐκρατοῦντο, *retinebantur*, id eſt, impediebantur vi divina ne propriùs conſiderarent ea ex quibus cognoſci Jeſus poterat, cæteroqui habitu externo ſeſe diſſimulans. Iſta cæcitatis ſpecies in oculis diſcipulorum fieri potuit multis modis quos non eſt hujus loci exponere. Jeſus autem noluit dignoſci ab eis, ut liberiùs explicarent animi ſui ſenſum, nec ejus auctoritate, ſed argumentis convincerentur.

6 * 16. *Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes:* σκυθρωποί, triſti, ſive tetrico vultu. 7 * 18. *Et reſpondens unus cui nomen Cleophas*, forſan ipſe qui Joannis dicitur cap. 19. ℣. 25. Κλωπᾶς, contractiori pronunciatione, *dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa his diebus.* παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλήμ. in multis codicibus abeſt ἐν. Verbum παροικεῖν ſignificat habitare in vicinia, ſive intra fines majorum urbium. Chriſtus ſeſe gerebat quaſi & ipſe in agro habitaret paulò ulteriùs Emmaunte, ac proinde domum, ut ipſi, rediret. mirantur ergo diſcipuli quòd tam propè ab urbe habitans ea ignoraret quorum rumorem pro rei magnitudine ut par erat longè latèque eſſe ſparſum. Sed & verbum παροικεῖν interpretari poſſumus cum vulgato interprete *peregrinari*; ut ibi ſit Latiniſmus; nam Romani *peregrinari eum*, & *in urbe ſua hoſpitem eſſe* dicunt, qui quid ignorat agatur. Cicero pro Milone *an verò judices vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures?* ſenſus ergo ſit: tunc ſolus omnium hic ut peregrinus vivis & hoſpes; id eſt, ita ignarus rerum Hieroſolymitanarum, ut ea quæ nota ſunt omnibus etiam advenis, ipſe ignores?

8 * 19. *Quibus ille dixit: Quæ?* Quæ illa ſunt quæ putatis mihi ignota eſſe non poſſe. *Et dixerunt: de Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone*, non quivis propheta, ſed inter ipſos prophetas eminens docendi modo & factis. vox *propheta* non uſurpatur de iis ſolis qui futura prædicunt, ſed de omnibus qui voluntatem Dei explicabant coram Deo & omni populo; id eſt, probante Deo & etiam populo.

9 * 20. *Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* de ſenatoribus ſynedrii agit Cleophas, qui injuſtam ſententiam à Pilato expreſſerant. *in damnationem mortis*, εἰς κρίμα, in judicium, nempe ut morte damnaretur, *& crucifixerunt eum*, id eſt, effecerunt ut crucifigeretur. Alibi notavimus verba Hebræa quæ ſunt in conjugatione Hiphil, eam propriam ſignificationem habere, ut indicent non actorem ſe auctorem actionis: qua conjugatione cùm Græci careant, Hebræi Græcè loquentes auctorem actionis pro ipſo actore ponunt. *crucifixerunt*, pro effecerunt ut *crucifigeretur*.

10 * 21. *Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael*: ſperaveramus hunc fore verum Meſſiam qui liberaturus eſſet Iſraelem. indicant autem jam aliquo modo animos deſpondere: cauſam reddunt. *Et nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt.* ἀφ᾽ οὗ ex quo hæc facta ſunt: quòd ſcilicet damnatus & crucifixus fuerit. Supplendum; adeo ut jam accidiſſet ſi quid boni inde exſpectari poſſit. ſermo enim eorum eſt defectivus, ut hominum inter ſpem & metum pendentium. ſed meritò illis dici poterat quod à Spurinna Cæſari, *venit dies, non abiit*; ſive potiùs quod pollicitus erat tertia die reſurrecturum, re ipſa contigerat. Qui

opinantur Jeſum feria quinta crucifixum, ut tribus veris diebus, hoc eſt, integris jacuerit in ſepulchro, expendant verba illa: *tertia dies eſt hodie &c.* Hæc dicebant diſcipuli prima die hebdomadis; ergo ſi Dominus traditus fuiſſet die quinta, non illi dicerent *tertia dies eſt hodie*, ſed quarta dies eſt.

11 * 22. *Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.* ἐξέστησαν perculerunt nos, obſtupefecerunt. 12 * 23. *Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere.* ita non decuiſſet ſpem abjicere, cùm eum à mortuis excitatum angeli aſſererent. 13 * 24. *Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non invenerunt.*

14 * 25. *Et ipſe dixit ad eos: ò ſtulti & tardi corde*, duri & difficiles *ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ!* in iis præſertim quæ ſpectant ad Chriſti perpeſſiones. Cùm autem ſuſpecti ſint qui aures nimiùm credulas præbent, iſta diſcipulorum incredulitas & tarditas confirmavere reſurrectionis fidem; ad quam non temerè adducti ſunt, ſed tardè acceperunt. 15. * 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum*, ſubire mortem, quam tota lex Moyſis prænuntiabat variis ſacrificiorum ritibus, & vaticiniis Prophetarum, *& ita intrare in gloriam ſuam*; ut ipſe toties prædixerat 16. * 27. *Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant:* Chriſtus enim finis legis; tota Chriſtum ſpectabat; in qua non allegoricè, ſed & aperto ſermone declarabatur quæ futura eſſet mors ejus. Cui enim alteri conveniunt quæ narrantur in pſalmo vigeſimo primo? *Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis & moverunt caput.* quod fecere Judæi dum Jeſus in cruce penderet, uſurpantes ipſa verba hujus pſalmi. *ſperavit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.* Non illi ſolebant manus & pedes reorum clavis figere: ita hæc ejuſdem pſalmi Chriſto propria ſunt. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea: ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* nunc in bibliis Hebraicis pro כארו *caru* (id eſt *foderunt*,) legitur כארי *cari*, id eſt, *ſicut leo*. Eraſo pede literæ ו *vau*, factum eſt י *jod*. Verùm præterquam ipſi Judæi qui hiſtoriæ Chriſti fidem labefactare conati ſunt, dum textu inſeruere *caari*, ipſi relinquunt in margine *caaru*, lectionem illam quam ſequimur, probat vetus Græca verſio, facta ante Chriſtum, ubi eſt ὤρυξαν, *foderunt*; ſicut & Aquilæ, quæ edita eſt ſub Ælio Adriano centum annis poſt Chriſti aſcenſionem; ponit enim Aquila ἤσχυναν *fœdaverunt*, turpiter tractarunt; quod verbum apud Homerum & alibi ſonat idem quòd Latinum *lacerare*: quo ſenſu non ſemel Virgilius uſurpavit verbum *fœdare*. lectio hodierna Judæorum *caari*, id eſt *ſicut leo*, nullum commodum ſenſum exhibet, ut evincunt qui dedita opera Judæos impugnant.

Iſaias tam luculenter denuntiat futuras Chriſti paſſiones, ut non tam dicendus ſit propheta ejus, quàm Evangeliſta, ut de illo dicit B. Hieronymus. Totum caput quinquageſimum tertium aperta prophetia eſt, quod Chriſtum oporteret pati. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit . . . vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra . . . livore ejus ſanati ſumus . . . poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrùm. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum . . . fortium divides ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Vetus paraphraſtes Caldæus hęc de Chriſto interpretatur. unde meritò Hulſius libro de Judæorum Meſſia hoc Iſaiæ caput vocat carnificinam Rabbinorum, & refert aliquos Judæos coram eo confeſſos eſſe *Rabbinos ſuos ex propheticis ſcripturis facilè ſe extricare potuiſſe, modò Iſaias tacuiſſet.*

Nec ab innatis animo opinionibus alienum eſt, Chriſtum qui venerat homines ſervaturus, oportuiſſe pati; nam ſemper conſtitit, peccatum piari non poſſe niſi aliqua pœna, ſive morti obnoxios eſſe quotquot rei ſunt, & hanc ab illis jure repetendam, niſi vicariam animam darent. Hinc ſacrificia inſtituta & uſurpata gentibus omnibus; quæ putarunt pœnas, quas deberent, in pecudes pro victimis cæſas transferri poſſe. quin & unum hominis caput quandoque pro multis datum eſt. *Nam Maſſilienſes*, ut refert Servius Honoratus, *quoties peſtilentia laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic poſtea ornatus verbenis & veſtibus ſacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis, & ſic projiciebatur.*

17 * 28. *Et appropinquaverunt caſtello quò ibant:* pervenere Emmauntem: *& ipſe ſe finxit longiùs ire:* id eſt, præſe ferebat longiùs ire, ſeſe componens, tanquam longiùs iturus, & fortaſſe progreſſus paſſus aliquot. Non itaque ſubeſt ullum mendacium huicce fictioni. *Cùm* enim *fictio noſtra*, inquit Auguſtinus, *refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis.* Cogi volebat Dominus, ideo reſpiciebat viam ulteriorem, quaſi eam ingreſſurus,

niſi

niſi manere cogiſſent eum diſcipuli. 18 * 29 *Et* conſtanter rogando *coegerunt illum dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies*, dies ad tenebras vergit. *Et intravit cum illis* in idem diverſorium.

19 * 30 *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*, præter morem convivarum: erat enim id munus convivatoris. Quare hoc facto ſe dominum ac patremfamilias profitebatur: quòd primùm ſuſpicionem illis injecit eſſe hunc Jeſum præceptorem ſuum, qui inter diſcipulos ſolebat patrisfamilias ritibus defungi. Hunc locum ad Euchariſtiam pertinere vix probari poſſe exiſtimo. illud *benedixit*, idem ſonat ac *gratias egit*, ſive recitavit preces: ſic Hebræi loquuntur, quorum in ritualibus libris *preces* appellantur *benedictiones*. In conviviis autem eorum ante cibum gratias agebat Deo cibi nomine, qui inter convivas erat præcipuæ auctoritatis, & ille deinde panem frangebat.

20 * 31 *Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum*, ſublatis impedimentis propiùs eum intueri & cognoſcere cœperunt: *& ipſe evanuit ex oculis eorum*. ἄφαντος ἐγένετο, inconſpicuus factus eſt. Hoc quomodo factum ſit, non nuper demum cœpit diſputari, ſed olim de iſtis ſalva pace quærebatur. Syrus & Arabs exiſtimare videntur factum hoc ſubita loci mutatione. Epiphanius diſcipulorum oculis potiùs obductam putat caliginem: ſed potuit ſolo voluntatis ſuæ arbitrio conſpicuus, aut inconſpicuus fieri.

21 * 32 *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* quaſi dixerint: niſi mens fuiſſet læva, potueramus eum, antequam nobiſcum accumberet, agnoſcere ex docendi modo; nam præter argumentorum pondera, & comitatem in docendo ſummam, accedebat divina efficacia animos incendens, qualem ſentire quondam ſolebamus ipſo docente. Heinſius conjicit Lucam ibi uſurpaſſe verbum καίεσθαι, *ardere*, in ea ſignificatione quam habet verbum Hebræum בער *baar*, quod utrumque ſignificat *ardere* & *ſtulteſcere*, ſive *bruteſcere*. ut ſermonis diſcipulorum ſenſus ſit: nonne cor noſtrum hebes erat, ſive brutum, dum loquebamur cum magiſtro, quem ſtatim non agnovimus. Quare enim arſiſſe ſibi cor dicerent, cùm ſtultitiam, aut hebetitudinem accuſant propriam. Adde, quod huic favet ſententiæ, in optimis codicibus legi κεκαλυμμένη, id eſt, cor noſtrum erat caligine tectum.

22 * 33 *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Hieruſalem*. ſtatim ac Jeſus evanuit ex oculis eorum, rediere ad Apoſtolos, procul dubio, ut eos certiores facerent, Jeſum vivere quem adhuc ut mortuum lugebant; ita feſtinanter remenſi ſunt iter, quod duabus, aut tribus horis conficere potuerunt. *Et invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant*, nempe omnes, aut pleroſque ex illis qui Jeſum ſecuti erant, tunc inter ſpem & metum ambiguos quid eis accideret. 23 * 34 *dicentes*, λέγοντας: *Quòd Dominus ſurrexit verè; & apparuit Simoni*. illa non eſſe duorum diſcipulorum oſtendit caſus verbi Græci λέγοντας, quod referendum eſt ad τοὺς ἕνδεκα. nimirum duo illi diſcipuli invenerunt undecim, id eſt, apoſtolos qui tunc inter ſe colloquebantur, narrantes quæ geſta erant, quomodo ſurrexiſſet Dominus, & apparuiſſet Simoni. 24 * 35 *Et ipſi narrabant*, pro, & ipſi narravere *quæ geſta erant in via; & quomodo eum cognoverunt in fractione panis*, id eſt, non cognoverint; tarditatem enim ſuam accuſant, niſi poſtquam menſæ cum illis accubuit, & panem fregit. attamen *Mc. nec illis crediderunt*, omnes ſcilicet, donec ipſi viderunt Jeſum.

C A P U T XLIII.

Domum ubi erant diſcipuli, Dominus foribus clauſis ingreſſus, reſurrectionis ſuæ veritatem confirmat; quod & facit octo poſt dies, Thomæ ſe palpandum præbens.

HARMONIA.	MARCUS Cap. 16. ℣. 14.	LUCAS Cap. 24. ℣. 36-43.	JOAN. Cap. 20. ℣. 19-31.
1 *L* DUm autem hæc loquuntur, *Mc.* recumbentibus illis undecim apparuit.	14 Noviſſimè + recumbentibus illis undecim apparuit.	36 Dum autem hæc loquuntur.	

+ *In feſto Aſcenſionis Domini.*

HAR-

HARMONIA. | LUCAS. | JOANNES.

* ✝ * *Dom. in albis.*

2 *J* Cùm ergo ſerò eſſet die illo una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus & ſtetit *L* in medio eorum, & dicit ei: Pax vobis: ego ſum, nolite timere.

* ✝ * *Fer. 3. poſt Paſcha.*

LUCAS: * ✝ ſtetit Jeſus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere.

JOANNES: 19. * ✝ * Cùm ergo ſerò eſſet die illo una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

MARCUS.

3 * Et exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. (15 *Et dixit eis &c. infrà, cap. 44.*)

LUCAS.

4 * 37 Conturbati verò, & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.

5 * 38 Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?

6 * 39 Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate. & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

HARMONIA. | LUCAS. | JOANNES.

7 *L J* Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, *L* & pedes *J* & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.

LUCAS: 40 Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes.

JOANNES: 20 Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.

LUCAS.

8 * 41 Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

9 * 42 At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis.

10 * 43 Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.

(44 *Et dixit &c. infrà, cap. 45.*)

JOANNES.

11 * 21 Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

12 * 22 Hæc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum:

13 * 23 quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

† *In Feſto S. Thomæ ad ℣. 29.*

14 * 24 † Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jeſus.

15 * 25 Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

16 * 26 Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus; & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis.

17 * 27 Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.

18 * 28 Reſ-

18 * 28 Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.
19 * 29 Dixit ei Jeſus: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non
viderunt, & crediderunt. ¶
20 * 30 Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum,
quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.
21 * 31 Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius
Dei: ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus. ¶

1 * 36 L DUM *autem hæc loquuntur*, nempe diſcipuli qui Emmaunte reverſi, quæ ſibi contigiſſent enarrabant, 14. *Mc. noviſſimè recumbentibus illis undecim apparuit* Dominus. Marcus dicit *noviſſimè*, ὕστερον; quia alias apparitiones ſequentes non memorat. 2. * 19 J *Cùm ergò ſerò eſſet die illo, una ſabbatorum*, cùm adveniſſet veſpera, ſive nox quæ ſubſequebatur primam diem hebdomadis: οὔσης οὖν ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, nempe nocte ſequenti ejuidem diei reſurrectionis. *& fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, & ſtetit L in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere.* poſtrema illa verba *ego ſum &c.* abſunt à codice Græco. Heterodoxi autem ſic locum illum interpretantur, ut Evangeliſta non alio ſenſu dixerit Jeſum intraſſe foribus clauſis, niſi quia tunc eſſet κλεισίθυρον, tempus ſcilicet quo claudebantur fores. Sed multa nox erat; nam diſcipuli non niſi poſt cœnam Emmaunte reverſi erat; ſic tranſierat illud κλεισίθυρον. præterea niſi obturatis foribus adſtitiſſet in medio eorum, cur viſus eſſet ſpiritus; *exiſtimabant* enim *ſpiritum ſe videre*, inquit Lucas, quia ſciebant fores non fuiſſe reſeratas. Alii ergo inter heterodoxos cùm agnoſcant ingreſſum Domini clauſis foribus factum, id feciſſe dicunt rareſaciendo portas, janua utrinque coarctata, & in medio diviſa, rurſuſque per potentiam divinam dilatata atque unita, aut cedere jubendo. Quò tendunt illæ interpretationes ne hinc orthodoxi ſumamus exemplum divinæ potentiæ, quâ ſub ſpeciebus Euchariſticis re contineri poſſit verum corpus Domini; ſive aliam eſſe conditionem corporis glorioſi quocum unitur divina natura; ut de illo ſtatui non debeat ex conſuetudine. Audiamus Cyrillum. *Hic nemo quærat, quomodo clauſis januis corpus Domini penetravit, cùm intelligat, non de homine nudo, ut modò nos ſumus, ſed de omnipotente filio Dei hæc ſcribi.* Audiamus & Auguſtinum in Joan. Tract. 114. *Moli corporis*, inquit, *ubi divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inviolata permanſit.* idem epiſt. 148. *Valet Deus de iſta viſibili atque tractabili natura corporum, quibuſdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates.*

3 * *Mc. Et exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* aliqui enim ex iis qui tunc aderant, forſan nec Magdalenæ, nec Simoni, nec diſcipulis Emmaunte reverſis fidem adhibuerant. 4 * 37 *L Conturbati verò, & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre*, quia nec apertas fores, nec vultum adventantis ſtrepitum ſenſiſſent.

5 * 38. *Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?* quare perplexi, & dubii eſtis an ego ipſe ſim? 6 * 39. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum.* explorate an incorporeus ſpiritus ſim: *palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* etenim tangere & tangi niſi corpus nulla poteſt res. 7 * 40. *L.* 20 J *Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, L & pedes* tangendos offerens, etiamnum clavis perforatos. J *& latus* in quo transfixionis erant veſtigia. *Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.* emphaſim hoc habet: non imaginem aliquam ipſius intuentes, ſed planè ipſum, eodem corpore.

8 * 41 *L Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio*, cùm non ſatis firmo animo id quod res erat ſibi perſuaderent, & vehemens gaudium obſcuraret judicium illorum; metuebant enim ne quod valdè cupiebant, non iis verè daretur, ſcilicet Jeſum viventem videre, *dixit* illis Jeſus: *Habetis hic aliquid, quod manducetur.* ut comedendo teſter verè eſſe viventem 9 * 42. *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi & favum mellis.* victus tenuis & pauper diſcipulorum, cui addiderunt procul dubio etiam panem & potum 10 * 43. *Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis*, ut eum verè ediſſe oblatum cibum certiores eſſent. Sic ipſe Dominus, cùm demonſtrare vellet filiam Jairi verè à mortuis ſuſcitatam, juſſit ut illi apponeretur cibus. Hinc Apoſtoli in Actis, cap. 10. ℣. 41. teſtantur verè Jeſum reſurrexiſſe, & manifeſtum ſibi factum: *qui manducavimus*, inquiunt, *& bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* vera autem iſta fuit manducatio, nec indecora. *nam*, ut inquit Auguſtinus epiſtola 49.

ſu-

Digitized by Google

futuræ reſurrectionis corpus imperfectæ poteſtatis eris, ſi cibos ſumere non potueris: imperfectæ felicitatis, ſi eguerit. non ergo egeſtate manducavit Dominus, ſed quia hoc egebat teſtimonio infirma apoſtolorum fides.

11 * 21] *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis.* hoc repetit, rebus maximis dicendis attentionem paraturus. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos;* nempe ad annuntiandum Evangelium. ſignificat autem ſe legatione defunctum ad procurandam hominum ſalutem. 12 * 22. *Hæc cùm dixit, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* flatum, ſive anhelitum in eos geſtu oris immiſit, hoc externo ſymbolo ſignificans ſe reipſa facere quod diceret, hoc eſt, Spiritum ſanctum ipſis interiùs infundere. Sufflando datus erat homini ſpiritus vitæ: ſufflando promittitur Spiritus ſanctus. 13 * 23. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Si Spiritus ſanctus dandus promittitur poſt abitum Chriſti, & datus eſt in die Pentecoſtes; quomodo ergo dicit Jeſus: Accipite Spiritum quem nondum acciperent? Reſpondetur varia eſſe dona Spiritus ſancti. nunc autem datus eſt quoad poteſtatem dimittendi peccata, quem poſtea pleniùs accepturi erant & viſibiliter; ut ſicut Deus Pater unxerat Jeſum Spiritu ſancto deſcendente ſuper eum in baptiſmo; ſic & Apoſtoli in inauguratione ſua ad munus ſuum conſecrarentur ejuſdem ſancti Spiritus viſibili deſcenſu.

Quorum remiſeritis peccata, inquit Chriſtus, id eſt, judicaveritis eſſe remittenda, verbiſque ipſis remiſeritis, poſtquam cognoveritis eos pœnitentia duci, *peccata remittuntur eis*; etiam apud Deum tales recipientur in gratiam, judicio ſcilicet rectè peracto; *& quorum retinueritis*, teſtando ſcilicet quod retineantur; quos ſcilicet repuleritis à remiſſione, quia non ea dignos, *retenta ſunt*: meo patriſque judicio maneant peccatis ſuis obnoxii. Hic poteſtatem ligandi & ſolvendi Dominus confert ſuis apoſtolis, quam non eſt hujus loci pluribus verbis adſtruere, maximè cùm ad finem operis properemus. Attamen verbis magni Ambroſii, lib. 1. de Pœnit. cap. 2. confutabo heterodoxos qui eccleſiam catholicam accuſant ſibi jus divinum arrogare. *Sed aiunt ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui ejus volunt mandata reſcindere, munus refundere. nam cùm ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus: accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata &c. Quis eſt ergo qui magis honorat? utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit?* Invehitur ſanctus doctor in Novatianos, adverſus quos ſtatuit poteſtatem eccleſiæ ſolvendi ſicut & ligandi: *Dominus enim par jus & ſolvendi eſſe voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit:* & paulo poſt. *ſi quibuſdam datum utrumque eſt licere, aut utrumque non licere, certum eſt eccleſiæ utrumque licere, hæreſi utrumque non licere. jus enim hoc ſolis permiſſum ſacerdotibus eſt. rectè igitur eccleſia vindicat, quæ veros ſacerdotes habet. hæreſis vindicare non poteſt, quæ ſacerdotes Dei non habet.*

14 * 24. *Thomas autem unus ex duodecim*, unus ex cœtu apoſtolico, qui primùm conſtitit duodecim viris, *qui dicitur Didymus*, (*δίδυμος*, nempe à Græcis, nomine quod idem ſonat ac Hebræum תאומים *theomim*, id eſt, gemelli) *non erat cum eis quando venit Jeſus*, quo caſu fruſtra quæritur. 15 * 25. *Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem* fidem dictis eorum non adhibens, *dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, τὸν τύπον τῶν ἥλων, veſtigium, vel foramen clavorum, *& mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* ſcilicet ipſum reſurrexiſſe; potiùs deceptos putabo omnium oculos & phantaſma vobis apparuiſſe. Permittebat Dominus iam pertinacem incredulitatem, ut illa daret locum confirmandæ fidei, quòd verè ſurrexiſſet à mortuis. Ergo *non caſu*, verba ſunt Gregorii Magni, *ſed divina diſpenſatione geſtum eſt. egit enim miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur.*

16 * 26. *Et poſt dies octo*, id eſt, octavo poſt die. Vidimus ſuprà hebdomadam octonario dierum numero ſignificari, quatenus comprehenduntur duo ejus termini. allegavimus Joſephum qui dicit Ephemerias ſacerdotum fuiſſe octo dierum à ſabbato ad ſabbatum; reipſa autem quæque Ephemeria non durabat pluſquam ſeptem integris diebus. Itaque illud *poſt octo dies*, notat alteram hebdomadam incluſis diebus primo & ultimo: ergo ſicut dominica die ſurrexerat Dominus, & apparuerat ſuis diſcipulis, diem illum ſolemnibus conventibus dicans, rurſus ſequenti dominica viſus eſt. Octavo inquam die à reſurrectione, *Iterum erant diſcipuli ejus intus*, id eſt, concluſi & abditi domi; *& Thomas cum eis.* tunc non aberat. *venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis.* omnia quæ ſemel fecerat, iterat in Thomæ gratiam. 17 * 27. *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc*: repetit Thomæ verba, ut ſe omniſcium oſtendat; *& vide manus meas, & affer manum tuam, &*

mitte

mitte in latus meum: quod expetiſti, explota tactu, *& noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* jam depone incredulitatem. Ex hoc loco colligere eſt, non ſolas cicatrices vulnerum, ſed & aperturas remanſiſſe in carne Chriſti: qui illas in redivivo corpore ſervare voluit diſpenſationis gratia, ut monſtraret ſuis diſcipulis non aliud corpus pro alio, ſed hoc quod crucifixum viderant, verè reſurrexiſſe.

18 * 28. *Reſpondit Thomas, & dixit ei*, alloquens: *Dominus meus, & Deus meus*, ὁ κύριός μου, κ̀ ὁ θεός μου. Confeſſio illa confutat incredulitatem Socinianorum. hanc autem confeſſionem in alium ſenſum conatur Enjedinus ſic detorquere: omnibus, inquit, hominibus quaſi innatum eſt, ut cùm aliquid præter opinionem & admiratione dignum repentè conſpiciunt, exclament, & Dei nomen proferant. Jam verò res inuſitata præter opinionem, & admiratione digniſſima Thomæ objecta eſt, cùm Chriſtum ex improviſo redivivum videret, itaque terrore & ſtupore plenus, & extra ſe quaſi raptus, exclamat, more hominibus conſueto: *Dominus meus, & Deus meus;* quibus quidem verbis non Chriſtum compellat, neque eum Dominum & Deum ſuum vocat, ſed rem inuſitatam & admiratione dignám ſignificat. Hæc Enjedinus; quem contra ſtat pagina ſacri codicis, & arguit ineptiæ; neque enim ſcriptum eſt tunc Thomam exclamaſſe, quod vult Socinianus, *o Dominus, o Deus*, ut certum eſt quemque in periculis deprehenſum exclamare, ſed ipſum Chriſtum compellavit, ſive ad illum verba illa direxit; etenim ſic rem narrat Evangeliſta: *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* nomine autem Domini Jeſum apoſtoli intelligebant & compellabant. *vos vocatis me magiſter & Domine: & bene dicitis, ſum etenim.* Joan. cap. 13. ℣. 13. Non mirum autem ſi Thomas Jeſum pro Deo habeat, qui morte redivivus agnoſcebatur auctor vitæ. unde Petrus in Actis, cap. 3. ℣. 15. *auctorem verò vitæ interfeciſtis.* qui enim vitæ auctor alius quàm Deus? ergo Thomas Chriſtum hìc palàm vocat *Deum*, quod & agnovit Chriſtus, utique repulſurus, ſi falsò dictus fuiſſet Deus.

19 * 29 *Dixit ei Jeſus: quia vidiſti me, Thoma, credidiſti.* id quod res eſt, me ſcilicet virtute mea reſurrexiſſe, ac proinde Deum eſſe; ſupple, *alioqui non crediturus.* quaſi dicat Chriſtus: non jam mihi & auctoritati meæ, quàm manibus tuis credidiſti: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* beatiores illi, Deoque gratiores.

20 * 30 *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*, 21 * 31. *Hæc autem ſcripta ſunt.* non adeo multa, ſed præcipua, *ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei*, ille Abrahamo, Jacobo, Davidi promiſſus, quod conſtare debet ex iis quæ enarrata ſunt; *& ut credentes*, ut in ea fide confirmari *vitam habeatis*, aſſequamini jus ad vitam æternam *in nomine ejus*, id eſt per eum, merito ſanguinis & mortis ejus. Grotius arbitratur duos illos poſtremos verſiculos concluſionem eſſe totius operis, & ibi Joannem finiiſſe librum quem edidit: ac ſicut caput ultimum Pentateuchi & caput ultimum Joſue poſt Moſis & Joſuæ mortem additum ſit à ſynedrio Hebræorum; ita & caput quod ſequitur in Evangelio Joannis, poſt mortem ejus additum ab Eccleſia Epheſina; hoc maximè fine ut oſtenderetur impletum quod de longævitate, ac non violenta morte Joannis Dominus prædixerat. Grotium relinquo confutandum noſtris Theologis, qui de libris canonicis dedita opera diſſerunt.

CAPUT XLIV.

Diſcipulis piſcantibus Dominus apparet. Petro ſuas oves committit; eique vincula & mortem prædicit.

JOANNES, Cap. 21. ℣. 1—24.

1 † POſtea manifeſtavit ſe iterùm Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis. † *Fer. 4. poſt Paſcha.*
Manifeſtavit autem ſic:
2 Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo.
3 Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari: Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim; & illa nocte nihil prendiderunt.

4 Manè autem facto, ſtetit Jeſus in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli quia Jeſus eſt.

5 Dixit ergo ei Jeſus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non.

6 Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete: & invenietis. Miſerunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

7 Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.

8 Alii autem diſcipuli navigio venerunt, (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.

9 Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem.

10 Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.

11 Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.

12 Dicit eis Jeſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt.

13 Et venit Jeſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.

14 Hoc jam tertiò manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis. ¶

15 Cùm ergo prandiſſent, † dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

† Vigil. Apoſt. Petri & Pauli.

16 Dicit ei iterùm: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

17 Dicit ei tertiò: Simon Joannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.

18 † Amen, amen dico tibi: cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.

† 1. Pet. 1. 14. 18.

19 Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. ¶ Et cùm hoc dixiſſet, dixit ei: † Sequere me.

† In feſto ſancti Ioan. Evangel.

20 Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te?

21 Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine, hic autem quid?

22 Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.

23 Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jeſus: Non moritur; ſed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24 Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus. ¶

1. POSTEA *manifeſtavit ſe iterum Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis*, in Galilæa, quò venturum ſe dixerat, Matth. 28. ℣. 7. *Manifeſtavit autem ſic*, ea occaſione & loco ſe conſpicuum præbuit. 2. *Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael*

nael qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo. fruſtrà quæreretur qui illi duo fuerint. unà verſabantur in eodem hoſpitio. 3. *Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari*, id eſt, volo ire piſcatum. *Dicunt ei: Venimus & nos tecum*; volumus & nos ire. Apoſtoli ad priſtinam artem revertuntur, ut ſibi manibus victum pararent, ne cuiquam graves eſſent; aut in otio degentes, liberalitate aliorum alerentur. *Et exierunt, & aſcenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt*, nihil ceperunt.

4. *Mane autem facto, ſtetit Jeſus in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli quia Jeſus eſt.* non eum protinùs agnoverunt. 5. *Dixit ergo eis Jeſus: Pueri*, alloquitur eos ut ſervulos & operarios, *numquid pulmentarium habetis?* προσφάγιον, id eſt, obſonium, ſive aliquid quod cibi loco eſſe poſſit, εἰς τὸ φαγεῖν ἐπιτήδειον, ad cibandum opportunum. προσφάγιον ſignificat quicquid cum pane comeditur. *Reſponderunt ei: Non.* cogit eos fateri inopiam ſuam, ut attentiores faciat ad miraculum.

6. *Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis* quantum ſatis. *miſerunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* præſagium maximæ capturæ hominum per Apoſtolos faciendæ. Hæc, inquam, multitudo piſcium erat imago multitudinis hominum, quæ ex omnibus totius orbis linguis ac regionibus adjungenda erat Eccleſiæ. ex novitate autem rei Joannes factus attentior agnovit Jeſum.

7. *Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt:* nimirum miraculo admonitus eſt. *Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare*, præ amore & deſiderio præſentiæ Domini moras navigii non ſuſtinens. Multùm laborant interpretes in aſſignanda ſpecie veſtis, qua præcinxit ſe Petrus. videtur quòd Hebræis nudus dictus ſit, qui ſuperiori veſte rejecta, interula ſolùm induebatur. ſic Saul 1 Reg. cap. 19. ℣. 24. dicitur nudus propheraſſe: 1 lib. 2. cap. 6. ℣. 20. David nudus ſaltaſſe: Iſai. cap. 20. ℣. 2. ambulaſſe nudus. Ita Petrus veſte tantùm ſuperiori exutus erat: honoris autem cauſa totum corpus induit veſte, ſed illam conſtrinxit, ne impediretur natando. 8. *Alii autem diſcipuli navigio venerunt (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium* piſcibus plenum. Periculoſo compendio religioſum Petrus maturavit obſequium; ſerum æſtimans, ſi cum cæteris navigio perveniret. rem illam referre mores Petri & Joannis obſervat B. Chryſoſtomus. Ille, inquit, ferventior, hic altior erat; ille vehementior, hic perſpicacior; ideo Joannes prior agnovit Jeſum, Petrus prior ad eum pervenit. 9. *Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas,* ἀνθρακιὰν κειμένην, ſtruem carbonum, *& piſcem ſuperpoſitum.* carbonarium ignem Chriſtus cum piſce & pane creaverat. 10. *Dicit ei Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc*; quibus non indigebat, ſiquidem cibus ſuppetebat. 11. *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus.* ex omni hominum genere capturam fore, illa indicabant. figura autem jam præceſſerat tempore Davidis & Salomonis, quo 153. millia fuere proſelytorum 2. Paralip. cap. 2. ℣. 17. *Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.* præſagium miræ unitatis eorum, qui per Apoſtolorum operam in Eccleſiam erant colligendi.

12. *Dicit eis Jeſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es?* id eſt, nemo ſuſtinebat, ſive opus ſibi ducebat interrogare, quippe *ſcientes, quia Dominus eſt* ex vultu, voce, factis. 13. *Et venit Jeſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter*; ut confirmaret fidem corporis ſui, unà cum ipſis cibum ſumens. 14. *Hoc jam tertiò manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.* hoc referendum eſt ad dierum numerum. Primùm enim apparuit diverſis ipſo reſurrectionis die, iterum die octavo, nunc tertium.

15. *Cùm ergo prandiſſent*, quod tempus eſt colloquendi, *dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis* filius, *diligis me plus his*, ut olim fidenter profeſſus es? Matth. cap. 26. ℣. 33. *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* non addit *plus his.* lapſus eum modeſtiorem fecerat. *Sufficit ei teſtimonium perhibere cordi ſuo: noluit judex eſſe cordis alieni*, ut notat B. Auguſtinus. *Dicit ei: Paſce agnos meos*, quos diligo, & ideo non alteri, quàm mei amoris vicario committerem curandos: 16. *Dicit ei iterùm: Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te: Dicit ei: Paſce agnos meos.* videtur Dominus dare locum P ro, ut trina profeſſione emendaret trinam negationem. 17. *Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus; quia dixit ei tertiò, amas me.* quaſi eſſet ſuſpectus; & Jeſus cui notior erat quàm ſibi ipſi, noſſet aliquem in ipſo amoris defectum, aut ipſum non perſeveraturum.

Et dixit ei: Domine, tu omnia noſti: Tu ſcis, quia amo te. jam enim metuebat Petrus, ne ut antè, ita nunc quoque minùs fortaſſe Chriſtum amaret, quàm ſibi videbatur, & ne iterum Chriſtum negaturus eſſet. *Dixit ei: Paſce oves meas.* abſit ut quæ in hunc locum dicit B. Auguſtinus, ipſe non proferam, *Dominus quod ſciebat, interrogat, nec ſemel, ſed iterum, ac tertiò, utrùm Petrus eum diligat, nec aliud toties audit à Petro, quàm ſe diligi:*

nec aliud toties commendas, quàm ſuas oves paſci. Redditur *negationi trinæ trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſerviat quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens. ſit amoris officium paſcere dominicum gregem: ut fuit timoris indicium negare paſtorem. Qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel adquirendi cupiditate, non obediendi & ſubveniendi & Deo placendi, caritate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata iſta vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere, non quæ Jeſu Chriſti.* Philip. cap. 2. ℣. 21. *nam quid eſt aliud,* diligis me: paſce oves meas, *quàm ſi diceretur: ſi me diligis, non te paſcere cogita, ſed oves meas, ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam in iis quære, non tuam, dominum meum, non tuum, lucra mea, non tua.*

Jeſus autem ſolatur Petrum; neque enim illi commiſiſſet agnos, niſi hunc ſciret in amore ejus perſeveraturum. Quin & prædicit ei ab eo vitam ponendam. 18. *Amen, amen dico tibi: cùm eſſes junior*, id eſt, anteacta & præſenti ætate *cingebas te, & ambulabas ubi volebas*; quod modò feciſti, cùm præcinxiſti te, & proſiliiſti in mare; neque enim vinculis eras conſtrictus. *cùm autem ſenueris*, alia erit conditio ſenectutis tuæ; *extendes* enim *manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Cogeris manus extendere, ut ſolent captivi, & conſtringeris vinculis, ut tuo arbitratu non poſſis, quod facis, huc, vel illuc tendere. 19. *Hoc autem dixit* Jeſus, *ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*, morte ſcilicet violenta in crucis patibulo. *Et cùm hoc dixiſſet, dicit ei: ſequere me*: quaſi diceret Jeſus, interea ſequere me; mutabat enim locum. Vel illud *ſequere me*, indicat ſimiliter Petro ſubeundam crucem. hocce vaticinium impletum eſt in ipſa urbe Roma quod olim caput orbis, poſtea evaſit religionis. *Quin cruce Petrus*, verba ſunt Grotii, *& quidem Romæ obierit dubitandum non arbitror, cùm tot habeamus veterum teſtimonia. Tertullianus tanquam rem apud omnes etiam hæreticos confeſſam affert.* ſtatu felix Eccleſia Romana, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt; ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, *ſimiliter Clemens ſtrom. 7. his adde Caium qui ſub Zephyrino Epiſcopo vixit, & Dionyſium Corinthi Epiſcopum, quorum teſtimonia apud Euſebium exſtant. Poſteriores auctores qui plurimi id tradiderunt omitto. ſi quis tamen eos qui auctoritatis ſunt eximia voles videre, legat Ambroſium in nativitatem Apoſtolorum, Prudentium de paſſione Petri & Pauli, Chryſoſtomum Oratione de iiſdem, Theodoretum alei ἀγάπης.* hactenus Grotius cujus verba majus pondus habent, quia ſejunctus vixit à ſede Romana.

Dum in eo Evangelii loco verſamur, ubi J. C. D. N. conſtituit Petrum gregis ſui primarium paſtorem, non prætermittemus luculentum B. Auguſtini pro ſede Romana teſtimonium. Ille ſcribens contra epiſtolam fundamenti ſic compellat Manichæos: *Ut ergo hanc omittam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis, multa ſunt alia, quæ in ejus gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa ſede Petri apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum.*

29. *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te?* ſic ſe ipſe deſignat Joannes, abſtinens ſuo nomine. 21. *Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine, hic autem quid?* quid patietur, aut aget? quem habebit exitum? 22. *Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manere donec veniam*, uſque ad adventum meum glorioſum, *quid ad te? tu me ſequere.* fons Græcus habet ἐὰν αὐτὸν θέλω, *ſi eum volo manere*; quæ lectio reperitur etiam in antiquis codicibus Latinis; ſed & antiqua eſt lectio Vulgatæ. Hoc enim loco Auguſtinus, Euſebius Emiſenus, Ambroſius, Beda, Rupertus legunt *ſic*. Verùm, ut inquit Maldonatus, lectio vulgaris, quæ in omnes ferè Latinos codices pervaſit, eos incredibili ſcriptorum negligentia contaminavit, nulla prorſus ſpecie probabilitatis. Nam & ſententia particulam conditionalem *ſi* neceſſariò requirit; & nulla inter ἐὰν, *ſi*, quæ in omnibus Græcis legitur libris, & οὕτω, *ſic*, eſt ſimilitudo, ut ſuſpicio ulla eſſe poſſit, interpretem noſtrum unam pro altera legiſſe. Vera ergo lectio eſt, ut ex Græcis codicibus apparet, *ſi eum volo manere*. ſed aut incuria, ut fit, notariorum pro *ſi* cœptum eſt ſcribi *ſic*; aut ab aliquo fortaſſe, qui nolebat Joannem eſſe mortuum, ſtudioſè per ſpeciem correctionis, locus corruptus eſt, hæc Maldonatus.

Dominus autem ad inquiſitionem Petri magis curioſam, quàm utilem ita reſpondebat, ut rogantis animum ad alia abduceret; neque enim mortis expertem futurum Joannem dicit, nec etiam definit an moriturus eſſet. non, inquam, quæſitum ſolvit. 23. *Exiit ergo ſermo ille inter fratres*, propter illam ambiguitatē reſponſionis Domini, *quia diſcipulus ille non moritur*, quòd Joannes mortem non eſſet experturus. Ambiguitas autem illa non in ſola particula ἐὰν, *ſi*, ſita erat, ſed & in verbo *donec veniam*. quippe incerti erant

an

Digitized by Google

an modò eſſet reverſurus Jeſus, qui de profectione ſua ad Patrem ſæpiùs locutus fuerat. ambiguam tamen orationem Domini non tam res, quàm ipſi diſcipuli patùm attenti faciebant; verba illa non ſatis perpendentes. Etenim: *Et non dixit ei Jeſus: non moritur*: mortem non ſubibit Joannes; ſed *ſic eum volo*, vel ut Græcus codex habet, ἐὰν αὐτὸν θέλω, *ſi eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* ſupple, pertinet rogare, aut cognoſcere? 24 *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc*: ſic ſe modeſtè vocat Evangeliſta; teſtem ſe appellans, quia illa tantùm narraret, quæ viderat & audiverat. *& ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* qui volunt poſtremum illud caput additum Evangelio poſt mortem Joannis, ex ejus commentariis, ubi & quæ modò relata ſunt, ipſe ſcripſerat. illi, inquam, poſtrema illa verba, *& ſcimus &c.* ſentiunt eſſe ecclesiæ Epheſinæ loquentis. Joannes, enim inquiunt, ſcripſerat rogatu epiſcoporum Aſiæ; quorum proinde teſtimonio par erat cæteris eccleſiis commendari.

C A P U T XLV.

In monte Galilææ ſe oſtendit Dominus Apoſtolis & in civitate ſancta, unde eos mittit prædicatum ac baptizatum, aperiens illis ſenſum ad intelligendas ſcripturas.

M A T T H Æ U S Cap. 28. ℣. 16—20.

1 * 16 † Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi conſtituerat illis Jeſus. *† Fer. 6. poſt Paſcha, uſque ad ℣. 13.*

P A U L U S 1. Cor. Cap. 15. ℣. 6 & 7.

2 * 6 *Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt.*

3 * 7 *Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus.*

M A T T H Æ U S.

4 * 17 Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.

5 * 18 Et accedens Jeſus locutus eſt eis, dicens: † Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. *† In feſto SS. Trinit. uſque ad ℣. 13.*

6 * 19 Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:

7 * 20 docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.

M A R C U S Cap. 16. ℣. 15—18.

8 * 15 Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.

9 * 16 Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.

10 * 17 Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur.

11 * 19 In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.

M A T T H Æ U S.

12 * Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi. ¶

ACTUS APOSTOLORUM Cap. 1. ℣. 4—8.

13 * 4 *Et conveſcens, præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum:*

14 * 5 *Quia Joannes quidem baptizavit aqua. vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies.*

LUCAS, Cap. 24. ℣.44—50.

15 * 44 Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum; quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.

16 * 45 Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas.

17 * 46 Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die:

18 * 47 & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes ¶ incipientibus ab Hieroſolyma.

19 * 48 Vos autem teſtes eſtis horum.

20 * 49 Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto.

21 * 50 Eduxit autem eos foras in Bethaniam .... (*& elevatis &c. capite ſequenti.*)

ACTUS APOSTOLORUM.

22 * 6 *Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?*

23 * 7 *Dixit autem eis: Non eſt veſtrùm noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate:*

24 * 8 *Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.*)

1 * 16 *Mt.* UNDECIM *autem diſcipuli* (Apoſtolos vocat diſcipulos, qui, quia perierat Judas, reſtabant undecim) *abierunt in Galilæam, in montem, ubi conſtituerat illis Jeſus*, ſeceſſus gratia, ut liberè cum ſuis colloqueretur. Locum & diem conſtituerat quò omnes diſcipuli congregarentur, de quo intelligere poſſumus illud Pauli: 2 * 6 *Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul*, congregatis in hoc monte. *Ex quibus multi manent uſque adhuc*, eo tempore quo Paulus ſcribebat Corinthiis. 3 * 7 *Deinde viſus eſt Jacobo: deinde Apoſtolis omnibus*, ea iſta die cujus hiſtoriam nunc ſcribimus. Idcirco autem juſſerat Dominus diſcipulis ſuis ſecedere in Galilæam, & iis conſtituerat montem, in quo congregatis omnibus appareret; quia cœtus ille potuiſſet in ſe concitare motus adverſantium Judæorum.

4 * 17 *Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.* non de reſurrectione ejus, quam illis teſtatam fecerat; ſed an ille quem forſan eminùs videbant, ipſe Chriſtus eſſet. nondum enim ad illos proximus acceſſerat. 5 * 18 *Et accedens Jeſus propiùs, locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, quæ non concludatur Judææ finibus, neque enim veni, Judæos ſolos docturus legem meam. 6 * 19 *Euntes ergo docete omnes gentes, μαθητεύσατε*, id eſt, diſcipulos mihi facite ex omnibus gentibus. Quare inde Anabaptiſtæ deducere non poſſunt, nefas eſſe baptiſmum dare pueris recèns natis; quia non idonei ſunt doctrinæ, qua neceſſariò imbui debeat quiſque, priùs quàm baptizetur. *μαθητεύειν* enim hoc loco non neutropaſſivè pro *diſcipulum eſſe*, ſed activè ſumitur, quaſi in conjugatione, quam Hebræi appellant *Hiphil*, ac ſi dicas *diſcipulos facere*.

Sic ergo Chriſtum loquentem inducere poſſumus. antea interdixeram ne Evangelium communicaretis Samaritanis, cæteriſque gentibus; quia

Digitized by Google

quia ſic decebat; primùm enim miſſus fuerat Judæis, patribus eorum promiſſus. nunc quoniam *Dei eſt terra & plenitudo ejus*; decet me ut Dominum, ita & ſervatorem eſſe omnium. vos ergo mitto ad omnes gentes; ideò Paulus dicebat *Græcis & Barbaris debitor ſum*. Illud autem *data eſt mihi omnis poteſtas*, ἐξουσία, denotat jus illud quo Jeſus quatenus homo conſtitutus eſt hæres omnium gentium. Sic ad primum caput Joannis expoſuimus illud nomen ἐξουσία, de jure quod quis conſequitur. In eo ſenſu accipiendum eſſe demonſtrat Paulus in Actis, cap. 13. ℣. 33. interpretans pſalmum ſecundum de Chriſto reſurgente: *Filius meus es tu, ego hodie genui te: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, Equidem Apoſtoli non in omnes orbis plagas pervaſere, quia illis oſtium tunc non aperuit Deus. attamen ſenſus hujus loci eſt, nullam gentem excipi à regno Dei. Ite, inquit Dominus, docete omnes Gentes: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. modum diſcipulos faciendi proponit, ſimul docens eos quo ritu jam factos diſcipulos pro talibus ſuſcepturi eſſent, nempe non ritu circumciſionis, ſed baptiſmi. Populo congregando ex omnibus gentibus competebat profeſſionis nota, quæ perſpicuam apud omnes haberet ſignificationem. Jam diximus apud Judæos moris fuiſſe ut baptizarentur, qui ſe à falſorum deorum cultu ad cultum unius Dei convertebant. ſed & apud Gentes etiam profanas uſurpatum antiquitùs fuit, ut qui initiari vellent, priùs toto corpore ablueerentur, haud dubie eo ipſo teſtantes propoſitum innocentiæ. nam ejus propoſiti ſponſionem ab iis myſtagogi exigebant, ut ex Libanio & Lampridio diſcimus.

Diligenter autem conſiderandum eſt quod adjungit Dominus, baptizandas omnes gentes *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Baptizari enim in aliquem, vel in ejus nomen, eſt ſe ei auctorare atque devovere & de ejus nomine appellari velle; quo ſenſu Paulus 1. Cor. cap. 10. ℣. 2. dicit Judæos omnes baptizatos fuiſſe in Moſem ſervum ejus; id eſt Moſi tanquam Dei miniſtro, cum bona fiducia regendos ſe commiſiſſe. Sic idem Paulus negat quemquam baptizatum in ſuum nomen 1. Cor. cap. 13. ℣. 15. hoc eſt, ſibi, velut novi dogmatis auctori, mancipatum. Ergo cùm gentes baptizabantur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, profitebantur credere, & adorare ſacram illam Trinitatem, & de ea profiteri, quæ credenda proponebantur ab Apoſtolis.

Ante baptiſmum autem, ut videmus etiam nunc, duo exigebantur à candidatis baptiſmi, i. e. ab iis qui baptizari poſtulabant; fides, & propoſitum emendationis vitæ. utrumque per interrogationes & reſponſiones expediri ſolebat. De fide hoc modo, *credis?* aiebat miniſter baptiſmi. *credo*, reſpondebat Baptizandus. Neque verò in hac fidei interrogatione Pater, Filius, & Spiritus ſanctus nominabantur tantùm, ſed certis notis deſcribebantur. Id eſt, non tria tantùm nomina proponebantur, ſed clara & diſtincta ſacræ Triadis cognitio, quæ ab Apoſtolis tradita uſque ad noſtra tempora pervenit, eò clarior & diſtinctior, quò magis impugnata eſt ab hæreticis. Satagebant enim Antiſtites, ut vana hæreticorum commenta diſertis verbis damnarent, qui ſe aquis baptiſmi abluendos pariter & doctrina ſacra imbuendos tradebant orthodoxis Epiſcopis. Sancti doctores hac una baptiſmi formula demonſtrant fidem unius Dei ſimul & Trini. ſi enim Deus Trinus non eſt, quare in nomine trium confertur baptiſmus: ſi autem Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt unus cum Patre Deus, cur conjunguntur. *Inæqualium ſocietas*, ut ait Ambroſius, lib. 1. de fide cap. 1. *melioris offenſa eſt, & injuria ejus qui verè Deus eſt, ſi ei non verus alius comparatur*. eodem argumento utebatur Athanaſius, contra Arianos pugnans. *Quæ communio*, inquit, *aut quæ ſimilitudo creatori cum creatura? Itaque nihil reſtat, niſi ut cum filio numeretis, ſimul & conjungatis creaturas illas, quæ per ipſum factæ ſunt*. Non omittam illud dictum Gregorii Nazianzeni: *Trinitas revera Trinitas: Trinitas autem non rerum inæqualium enumeratio. Alioqui quid prohibet etiam denarium, aut centenarium, aut decies mille nominare, ex totidem coaleſcentem.*

Proſequamur quæ ſpectant illas interrogationes quæ præmittebantur baptiſmo. Alterum interrogandi genus ad vitam pertinebat, quod pleriſque in locis præcedebat ipſam fidei profeſſionem. promittere enim baptizandi debebant vitam ſe exacturos ad normam à Chriſto traditam; & ſic ſæculo renuntiare: *Sæculo*, inquiebat Cyprianus *renunciavimus, cùm baptizati ſumus*. ſolebat ſimul renuntiari *diabolo & cultui, pompæ & angelis ejus*; aut *diabolo, pompis, ſpectaculis, & operibus ejus*: quæ formula apud Tertullianum & alios ſæpè occurrit. Sic præceperat Chriſtus, dicens. 7 * 20 *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. id eſt, docentes vitam exigere ad normam in Evangelio meo traditam. ſimiliter Marcus narrat miſſos à Chriſto in univerſum mundum apoſtolos.

8 * cap. 16. ℣. 15. *Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. phraſilogia Judæis tritiſſima, per quam omnes homines denotantur, maximè hi qui Iſraelitæ non ſunt. Pro omnibus enim mortuus erat Jeſus; ideò fructus mortis ejus ad omnes homines pertinebat: ut omnis creaturæ conditor, ita & ſervator erat. 9 * 16 *Qui crediderit*

& baptizatus fuerit, ſive Judæus, ſive Gentilis, *ſalvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur*, etiam ſi Judæus. Sic autem locus ille non eſt intelligendus, quaſi fides ſufficiat, niſi illa ſit *quæ*, ut ait Gregorius magnus, *moribus non contradicit*. ſenſus ergo eſt neminem ſalvum fore, niſi qui crediderit ; ſcilicet ut oportet, id eſt, cum ſanctæ vitæ profeſſione ; ipſe enim Dominus eodem in loco præcipit Apoſtolis, ut doceant quoſcumque baptizaverint, ſervare mandata.

10 * 17 *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur*; id eſt, miracula, à Deo tanquam ſigilla & teſtimonia veritati data. 11. *In nomine meo dæmonia ejicient : linguis loquentur novis* : *ſerpentes tollent* manibus. Ita vipera illa innoxia pendebat à Pauli manu, Act. cap. 28. ℣. 3. *& ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit : ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt*. non omnibus omnia hæc dona data ſunt ; diviſiones enim ſunt donorum cuilibet, ut oportebat credenti. aliqua olim dabatur admirabilis facultas, quæ non ſemper quidem, ſed data occaſione ſeſe explicaret. Nec iſta pertinent æqualiter ad omnia tempora, quaſi ſemper & ubique hæc deberent fieri, ſed duntaxat cùm opus fuit, ad eum finem propter quem data eſt illa poteſtas, id eſt quando res, aut profectus Evangelii id poſcebat. erat nempe, cùm fides nondum propagata ſatis & roborata erat. Ideò frequentiora initio naſcentis Eccleſiæ ſub Apoſtolis, & primis martyrum temporibus. poſt eos. Evangelio jam radicato, ac regnante, minùs opus erat miraculis, quæ idcirco rariora erant. rariora dico ; etenim non reſtringenda ſunt ad prima Eccleſiæ cunabula. Ad omnium ætatum Eccleſiam pertinet hæc promiſſio, magis tamen, aut minùs, pro ut Chriſtus ad Evangelii confirmationem neceſſariam eſſe judicaverit. *Neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt*, ait Gregorius magnus. *ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos, cum arbuſta plantamus, tandiu iis aquam infundimus, quo uſque ea in terra jam coaluiſſe videamus. & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.*

Cæterùm promiſit hoc Chriſtus, ne deſperarent Apoſtoli tantum opus aggreſſuri. 12 * *Mt. Et ecce ego vobiſcum ſum*, inquit, etiam poſtquam cœlum aſcendero, *omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*. quæ locutio de Deo ſolo uſurpari poteſt ; neque enim homo cum altero eſſe dici poteſt, niſi cui præſens adſit. conſummatio ſæculi eſt finis mundi hujus, quo tranſeunte fiet novum cœlum, & regnabit Chriſtus cum ſanctis ſuis. omnes Apoſtoli quandiu vixerunt, ſenſere Jeſum præſentem : novis linguis locuti ſunt : imperaverunt morbis & dæmoniis : revocaverunt ad vitam mortuos, quæ miracula in nomine Jeſu Chriſti facta fuiſſe adſtruunt ſcriptores teſtes horum oculati, alloquentes teſtes pariter oculatos. Ita nec potuerunt illa fingere, nec voluere. qua enim utilitate ? ſiquidem propter eum, quem horum miraculorum auctorem prædicabant, varios cruciatus, exilia, carceres, mortem paterentur. Apoſtolorum ſucceſſores non diſſimilia patraverunt. Ita & eos ſpectabant promiſſiones Chriſti. Id teſtantur antiqui ſcriptores : omnium inſtar ſit Tertullianus. Scribens ille Apologiam pro chriſtianis, non allegaſſet rem quam Gentiles omnes experirentur falſam. *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris*, inquiebat, *quem dæmone agi conſtet. juſſus à quolibet chriſtiano loqui : ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.* Lector velim hæc expendas ; ut magis magiſque tibi conſtet efficaciter à nobis comprobatum adverſus impios, Deum exiſtere, qui tot miraculorum ſolus auctor eſſe poteſt ; quem & veracem eſſe cùm oſtendant quæ Evangelium ſubſequuta ſunt, quæ dicit parata eſſe malis mala, & bonis bona pro indubitatis habenda ſunt.

Ut perficiam hiſtoriam vitæ J. C. D. N. ſive ut illa plenior ſit, mutuabor ex libro Actorum, quæ ex Evangeliſtis nobis non ſuppetunt. Poſt hæc ergo omnia quæ enarravit, ut B. Lucas in Actis ſcribit, cap. 1. ℣. 4. *Et conveſcens*, *συναλιζόμενος*, verbum illud ſignificat quidem *communi menſa uti* ; ſignificatio verò magis propria ejus eſt *congregare in unum*. ſenſus itaque eſt ; cùm Jeſus congregaſſet Apoſtolos, quibuſcum Hieroſolyma repetiverat, *præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris quam audiſtis, inquit, per os meum*. quod nomine Patris vobis promiſi, ſcilicet 5. *quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies*. indicat copioſam Spiritus ſancti effuſionem in Pentecoſte.

15 * 44 *L. Et dixit ad eos : Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & prophetis & pſalmis de me*, hæ ſunt res, quas nunc videtis impletas ; nimirum paſſio & reſurrectio mea. quod prædicenti mihi ſæpè non credidiſtis, aut quod prædictum non intellexiſtis, nunc reipſa experimini. 16 * 45 *Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas*. eventus optimus vaticiniorum interpres ; ſed tamen indigebant Chriſto interprete, qui mentem eorum deduceret ad harum rerum certa vaticinia & veteres typos. 17 * 46 *Et dixit eis : Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die*. hoc definitum & prænunciatum erat vaticiniis & typis. Pati oportebat ; quia erat propitiatio noſtra,

ex-

Google

expiatio ideò neceſſe erat ut loco noſtrò mortem peccatis debitam ſubiret. Hæc doctrina ipſis Judæis non ignota eſt. *Ubicumque autem dicitur: Ecce me in expiationem* (ſic loquuntur Hebræi in lexico aruch in voce כפר) *ſenſus eſt: Ecce me in locum ejus, ut portem iniquitates ejus, quaſi diceret, peccata ejus ego ſuſcipio in me, ut ea expiem.* oportebat inquam ſic Chriſtum pati, ut etiam præberet exemplum, quo voluntariis pœnis poteſt placari Deus; ſed & ſimul reſurgere, in pignus patis ſortis omnibus qui ſequentes exemplum ejus, cum eo paterentur, & ſic conſtaret verè eſſe juſtificatos, ſive Deo patri verè reconciliatos, quotquot illi conjungerentur adhærentes doctrinæ ejus. 18 * 47 *Et prædicari* nempè oportebat *in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus* vobis *ab Hieroſolyma.* Chriſtus omnium hominum ſervator eſt; & à Prophetis prædictum erat ad omnes gentes perventurum Evangelium, & promulgationis ejus initium fore Hieroſolyma. *Quoniam de Sion exibit lex & verbum Domini de Hieruſalem.* Iſa. cap. 2. ℣. 3.

19 * 48 *Vos autem teſtes eſtis horum*, vitæ nempe meæ, mortis & reſurrectionis quibus fundamentis totum promulgandi Evangelii ædificium ſuperſtruitur: hinc in Actis, cap. 1. ℣. 21. Apoſtoli dicunt duodecimum Apoſtolum loco Judæ proditoris, eligendum eſſe, unum ex iſtis qui cum illis verſatus ſit à tempore quo intravit & exivit inter eos Dominus Jeſus, qui pariter reſurrectionis ejus cum illis teſtis ſit. 20 * 49 *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos*, brevì mittam ſpiritum, quem nomine Patris promiſi vobis. *vos autem ſedete*, manete *in civitate*, nempe in urbe Hieruſalem, *quoad uſque induamini virtute ex alto.* è cœlo Spiritus ſanctus in vos illabatur. & robore ſuo vos confirmet adverſus pericula, quæ adituri eſtis; prædicantes Evangelium.

Ab ea die qua Jeſus in monte Galilææ apparuerat ibi congregatis diſcipulis, potuit reverti Hieroſolyma, ſaltem cum Apoſtolis, ubi cum eis aliquot ſermones habuit. Cùm tempus advenit, quo rediret ad Patrem. 21 * 40 *Eduxit autem eos foras* extra urbem *in Bethaniam*, in tractum montis, qui Bethania dicebatur, nam Bethania vicus remotior. ſi nomen *Bethania*, vico hujuſce nominis proprium ſit, cenſendus Jeſus eduxiſſe diſcipulos Bethaniam, quia iter Bethaniæ ingreſſus ſit, ſive cœperit ingredi quaſi in Bethaniam iturus. ad hocce tempus licet referre quæ Lucas in Actis narrat à Domino dicta. 22 * 6 *Igitur qui convenerant* quos ſcilicet congregaverat, *interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* an reſtituere paras populum Iſraelis in veterem dignitatem; cùm enim eos omnes congregaſſet, ſperabant protinus rem magni momenti ab eo perficiendam: puta regnum Meſſiæ ab eo ſtatuendum, de quo non recta ſenſerunt, niſi poſtquam Spiritus ſanctus tenebras eorum luce ſua diſpulit.

23 * 7 *Dixit autem eis: Non eſt veſtrùm noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, non pertinet ad vos hoc ſcire, nec quærere; id quod expedit vobis, audite. 24 * 8 *Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos.* illabetur in vos Spiritus ſanctus, & roborabit vos, *Et tunc eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* omni timore depoſito.

C A P U T XLVI.

Dominus è monte Olivarum coram diſcipulis aſcendit in cœlum.

MARCUS Cap. 16. ℣. 19 & 20.

1 * 19 Et Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis.

ACTUS APOSTOLORUM Cap. 1. ℣. 9—12.

2 * 9 *Videntibus illis elevatus eſt.*

LUCAS, Cap. 24. ℣. 50—53.

3 * 50 .... Et elevatis manibus ſuis benedixit eis.
4 * 51 Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis; & ferebatur in cœlum.

ACTUS APOSTOLORUM.

5 * *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*

MAR-

M A R C U S.

6 * Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.

ACTUS APOSTOLORUM.

7 * 10 *Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis.*

8 * 11 *Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*

L U C A S.

9 * 52 Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno.

ACTUS APOSTOLORUM.

10 * 12 .... *à monte Oliveti, qui eſt juxta Hieruſalem, ſabbati habens iter.*

L U C A S.

11 * 53 Et erant ſemper in Templo laudantes & benedicentes Deum.

M A R C U S.

12 * 20 Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. ¶

J O A N N E S, Cap. 21. ℣. 25.

13 * 25 Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.

LUCAS. Amen.

1 * 29 *Mc.* ET *Dominus poſtquam locutus eſt eis*, poſt hunc ſermonem; quem ſuperiori capite expoſuimus; cùm nihil jam reſtaret, niſi ut præcepta & promiſſa quæ illis dederat, per Spiritum ſanctum obſignarentur, 2 * 9 *Videntibus illis elevatus eſt*. ut dicitur in actis, diſcipuli qui congregati erant, aſpexerunt eum aſcendentem in cœlum; 3 * 50 *L. Et* dum aſcenderet *elevatis manibus ſuis benedixit eis*. ibi non ſignificatur ſimplex precandi mos, ſed ritus benedictionis, qui fieri ſolebat manibus impoſitis. Manus, inquam, protendebantur ſuper eorum capita, pro quibus preces offerebantur; ut videre eſt in Levitico, cap. 9. ℣. 22. hunc morem tum initió, tum fine cujuſque conventus uſurparunt Epiſcopi. 4 * 50 *Et factum eſt, dum* ſic Dominus *benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum*. poſtquam ritum illum valedicendi implevit, ſeparatus eſt ab illis, & paulatim, ac ſi angelorum manibus geſtatus eſſet, aſcendebat via recta; 5. *& nubes*, ut dicitur in Actis, *ſuſcepit eum ab oculis eorum*, ſuſceptum eum abſtulit ab oculis eorum. 6 * *Et aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei*, inquit Marcus, alludens ad illa verba Dei Patris ad filium ſuum in pſal. 109. *ſede à Dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; ſicut ſignificans hunc, quem iniquo judicio damnaverant Judæi, ſedere judicem ſupremum. Pergit B. Lucas in Actis enarrare hiſtoriam aſcenſionis dominicæ. 7 * 10 *Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis*. nempe in lineis veſtibus, quibus amiciebantur ſacerdotes miniſtrantes in Templo. 8 * 11 *Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* quaſi dicant, ſat ſuſpexiſtis. Chriſtus vobis ſubductus eſt, non ampliùs videndus niſi in fine ſæculorum. *Hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum eum vidiſtis euntem in cœlum*. cum eadem majeſtate & gloria redibit ad homines judicandos.

9 * 52 *L. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno, ...*, id eſt, cùm adoraſſent nempe Jeſum abeuntem in cœlum; vel coram illis viris quos agnoverunt eſſe angelos cùm corpus proſtraviſſent de more,

regreſſi ſunt in Hieruſalem, juſſis Chriſti obedientes qui præceperat illis ut non diſcederent ex illa civitate, donec induti eſſent virtute Spiritus ſancti. Redierunt, inquam, in illam civitatem, ut legimus in Actis, *à monte qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Hieruſalem, ſabbati habens iter.* juxta Judæos iter ſabbati eſt duo mille cubitorum Hebraicorum. Non hic vacat diſſerere de menſura hujus itineris; & conciliare cum Evangeliſta Joſephum, qui ſcribit montem Oliveti remotum fuiſſe ab urbe quinque tantum ſtadiis. Stadium eſt 125. paſſuum Romanorum, paſſus quinque pedum, cubitus unius dedis cum ſemipede; ita ſtadium habet 416. $\frac{2}{3}$ cubitos Romanos. Verùm Joſephus alicubi ſtadium facit 400. cubitorum Hebraicorum. ita quinque ſtadia paria duobus mille cubitis Hebraicis. ſic convenit inter Evangeliſtam & Joſephum; cùm quinque ſtadia & iter ſabbati idem intervallum ſint. Sed cubiti Hebraici multò majores ſint; adeo ut 335. $\frac{15}{41}$ pares ſint ſtadio. In primo libro de Templo ubi dedita opera diſſerimus de menſuris, nodum illum ſolvere ſatagemus. Sed in præſenti Lucas cum Joanne conciliandus. ex primo enim Jeſus aſcenſurus in cælum eduxit diſcipulos in Bethaniam, ut vidimus; ex Joanne autem quindecim ſtadiis Bethania diſtabat à ſancta civitate: ita locus aſcenſionis, ſi ipſa fuit Bethania longiori itinere quàm ſabbati remotus erat. Lis illa citò & facilè dirimitur. non enim in ipſa Bethania, ſed in via qua Dominus ſe recipere ſolebat in Bethaniam, aſcendit in cælum ſcilicet eduxerat diſcipulos foras extra Hieroſolyma, quaſi more ſuo vellet ire Bethaniam. In itinere autem antequam huc perveniret aſſumptus eſt.

11 * 53 L. *Et erant ſemper in Templo laudantes, & benedicentes Deum.* vulgò interpretes ſic illa accipiunt ut dicant Apoſtolos ſæpius fuiſse in Templo. ego quidem cenſeo re ipſa habitaſse in ipſo Templo, in aliquo ex ejus cœnaculis: ita ut in ipſo Templo effuſus ſit in eos Spiritus ſanctus cum donis ſuis. In Actis dicitur cap. 1. ℣. 13. eoſdem à monte Oliveti reverſos, cum urbem ingreſſi eſsent, aſcendiſse in cœnaculum, juxta Græcum codicem καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον, *& cùm introiſſent*, nempe in ſanctam civitatem *aſcenderunt in cœnaculum.* vulgatus enim interpres reddit, *& cùm introiſſent in cœnaculum aſcenderunt.* illud autem τὸ ὑπερῷον, *cœnaculum*, ſic emphaticè enunciatum non intelligi poteſt, niſi de aliquo nobili cœnaculo, puta Templi quod cœnacula multa habebat. οὗ ἦσαν καταμένοντες ὅ τε Πέτρος καὶ Ἰάκωβος, &c. Latinus interpres poſuit *ubi manebant Petrus & Joannes.* ſed poſt καταμένοντες, interponenda diſtinctio. Et liquet B. Lucam ſcriptorem Actuum non ſignificaſse *cœnaculum* fuiſse partem domus Petri & aliorum Apoſtolorum. Igitur ſenſus ejus eſt, Apoſtolos reverſos Hieroſolymam aſcendiſse in cœnaculum, quod cùm celebre & publicum fuerit, non poteſt aliud cenſeri quàm Templi, ubi erant indeſinenter commorantes. poſtea Lucas recenſet horum nomina qui cœnaculum aſcenderant ὅ τε Πέτρος καὶ Ἰάκωβος &c. quaſi dicat: hi erant, *& Petrus & Jacobus &c.* ſed ipſa hiſtoria Spiritus ſancti deſcendentis probat rem in Templo tranſactam, Act. cap. 2. ℣. 5. & 6. *erant autem in Hieruſalem habitantes Judæi viri religioſi ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* hi tunc verſabantur, procul dubio intra ambitum Templi, ad ſolemnia Pentecoſtes congregati; ex verſu enim 15. hora erat tertia, tempus matutini ſacrificii. *Facta autem hac voce*, γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης, audito ſono ſpiritus deſcendentis, *convenit multitudo & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unusquiſque lingua ſua illos loquentes.* nempe omnes excitati ſono qui repentè de cælo factus eſt; & huc currentes, unde ad aures eorum videbatur pervenire ſonus ille, inciderunt in Apoſtolos. Quomodo autem illi commorati potuerint noctu diuque in Templo, ſimul congregati in uno ex cœnaculis Templi patefaciam in libris de Templo, de quibus edendis cogitabo defunctus præſenti opere.

12 * 20 *Mc. Illi autem profecti*, poſtquam accepere dona Spiritus ſancti, *prædicaverunt Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*, quæ ſcilicet ſubſecutura eſse promiſerat Dominus. quod ideo Marcus notat contigiſse; quia, cùm ſcriberet Evangelium ſuum, jam illa ſigna fieri cœperant. 13 * 25. J. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Multa alia miracula ediderat Dominus quæ ab Evangeliſtis non ſcripta ſunt; quia ſi ſigillatim ea narrare ſuſcepiſsent, plures ſcribendi fuiſsent libri; quos Chriſtianis difficile fuiſset omnea evolvere, & memoria ſua complecti; legem enim brevem eſse oportet, quæ mentis oculis ſemper ſubjecta eſse debeat. Vitam D. N. J. C. claudimus cum Luca, hac voce *Amen.* ſunt qui additam credunt ab Eccleſia, quæ lectionem Evangelii hac acclamatione excipere ſolebat.

APPENDIX AD COMMENTARIUM IN HARMONIAM EVANGELICAM.

NE cui mirum videatur longam appendicem me adtexere operi, quod ſatis prolixum eſt; & cui inſudaverim per multos annos, & diutiùs moratum ſit ſub prælo, revocare ad incudem; uſurpabo hic verba magni Auguſtini Voluſianum compellantis, Epiſtol. 3. *Tanta eſt enim Chriſtianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perveniatur difficultate; ſed cùm quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua piè, rectèque non vivitur; tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opacata intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolùm in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupididitate diſcendi hoc contigat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet.* Eccle. cap. 18. ℣. 6. CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC INCIPIT. In iſta autem appendice propono diſſertationem de unica Magdalena, quæ cùm proprium locum non haberet in opere, quod nec interpellandum erat, apponendam putavi poſt hiſtoriam dominicæ reſurrectionis, unde illi affulget lux dilucidior. Adjungam *Paralipomena*: hoc eſt, prætermiſſa, quæ animum non ſubierant, dum ea loca tractarem, quæ poſtea majori luce egere ſenſi. nec tunc incideram in ſcripta, ex quibus poſtea excerpſi quæ nunc adjiciam.

DISSERTATIO DE UNICA MAGDALENA.

Mulier peccatrix, Maria Magdalena, è qua ſeptem dæmonia ejecta, Maria ſoror Marthæ & Lazari una & eadem eſt mulier.

§. I.

Licet cuique de iſta quæſtione ſentire, quæ probaverit magis eſſe ſacro codici conſentanea.

U*Trum uni & eidem mulieri conveniant quæ Lucas narrat capite VII. de muliere peccatrice: & capite VIII. dicit de Maria Magdalena, de qua ſeptem dæmonia Dominus ejecerat: quæ denique Joannes capit. X. & alibi tribuit Mariæ,*

Mariæ, cujus ſoror Martha & frater Lazarus. Utrum inquam, nomine perinde ac perſonis, diverſæ ſint tres illæ mulieres nominatæ, an una & eadem mulier, quæſtio celebris eſt, tum & ambigua; quæ in diverſas ſententias olim ſciderit ſanctos Patres, nunc plerosque doctores. Alii enim ex antiquis ſcriptoribus triplicem agnoverunt, alii duplicem, alii unicam: fuere etiam qui inter oppoſitas ſententias dubii fluctuarent ſine ullo periculoſo errore. ſicut enim hac impugnata ſententia non evertitur fides, ita nec aſtruitur altera propugnata.

Ante ſæculum XVI. theologi cum populis, docti cum indoctis ore & animo laudabant unam & eandem mulierem ſub dictis tribus nominibus decantantes hymnos & officia B. Mariæ Magdalenæ quæ ſunt in Breviario Romano. Hujus ſæculi XVI. initio Jacobus Faber Stapulenſis, edito ſcripto admonuit, ut putabat, erroris, quo videbat doctores cum plebe errare, aſſeverans mulierem peccatricem Magdalenam, & ſororem Lazari re eſſe mulieres diverſas. Adſtipulatus eſt ei Jodocus Clychtoveus Profeſſor theologiæ in ſchola Pariſienſi; qui denuò commiſit prælo ſcriptum Fabri anno MDXVIII. quod iterùm recudendum curavit anno ſequenti MDXIX. cum defenſione prima, & iterata adverſus Marcum Grandivallenſem Canonicum Victorinum; qui acerrimè ſcripſerat adverſus Fabrum pro unica Magdalena pugnans. in eo certamine partes unicæ Magdalenæ tutatus eſt vir magni nominis Joannes Fiſcher Roffenſis in Anglia epiſcopus, conſcriptis ad veterem & vulgatam opinionem adſtruendam tribus libris qui editi ſunt Pariſiis anno MDXIX.

Ex ſcriptis, quæ hinc inde tunc in publicum emiſſa ſunt, diſcimus acre prælium fuiſſe, & ab his, qui contendebant unicam eſſe Magdalenam certatum, quaſi ipſa catholica Eccleſia impeteretur, & convellerentur fundamenta ejus, videlicet quia una caneretur Magdalena, nec multiplicem agnoſceret Gregorius magnus in homiliis ſuis, quæ legebantur in Eccleſia, ſuam opinionem habebant loco dogmatis certi, quod traditio confirmaverat. ideo inſurgebant adverſus Fabrum, tanquam in novatorem. Lutherus modò exortus, propalabat ſua nova dogmata, inde omnibus catholicis magis ſuſpecta quæcumque novitas. Præterea aliunde ſuſpectus Faber, qui videbatur favere hæreticis, ut exitus vitæ ejus indicat; Neraci enim mortuus eſt apud Margaretam reginam Navarræ, quæ palàm hæreſim fovebat. Ille primus opinionem triplicis Magdalenæ quaſi tumulo revocabat; fuerat enim, ut vidimus, quorumdam antiquorum Patrum ſententia; ſed id latebat ferè omnes, qui hymnos Magdalenæ audiebant in Eccleſia decantatos: non legebant Origenem, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum & alios, qui crediderant diverſas fuiſſe dictas mulieres; ſaltem dubitaverant an unica mulier cenſeri poſſent. Igitur numero & auctoritate eorum qui obſiſtebant, victus eſt Faber, cùm res complurium ſuffragio dijudicata eſt in ſchola Pariſienſi; opinio enim ejus damnata fuit judicio ſcholæ; & prohibitum nequis poſtea eam propugnaret.

Juncundius eſt acquieſcere in primis ſuis opinionibus, quàm iterati examinis laborem ſubire. Idcirco plerique faſtidiunt & adverſantur, quidquid novum eſt, & contrarium opinionibus eorum; ſiquidem verò omnium mentes in ſe convertat novitas; & lubenter homines diſcant quod priùs eos latebat: faſtidio & odio quandoque ſuccedit exiſtimatio & amor, ubi ex novitate lux aliqua oboritur. Ergo quæ primùm faſtidita & exoſa fuerat nova ſententia Fabri, diligentius expenſa eſt; animadverſum eſt judicium quo damnata fuerat niti falſo fundamento: omnes enim intellexerunt non protinus evadere canonicum quidquid canitur, aut legitur in Eccleſia. Etenim perſæpe viri pii, quorum animus affe-

ctibus

ctibus potiùs movetur, quàm luce illuſtratur, componunt hymnos & cantica; quæ ſi devota plebeculæ placeant, etiam docti viri illa admittunt; quia ipſa plebis propenſione utendum eſt, ut ad Deum laudandum & amandum feratur. Sicut autem illa cantica pietati non nocent, alioquin fuiſſent omninò rejecta, ita non debent veritati præjudicare; & cùm ſancti Patres vim ſuam habeant à communi eorum conſenſu, ſolo Gregorii magni calculo non poterat Faber damnari; præterquam nec etiam Patrum inter ſe conſentientium abſoluta ſit auctoritas in omnibus & quibuſcumque quæſtionibus dijudicandis: in his enim, quas D. Auguſtinus appellat præter fidem, licet cuique ſentire quæ ſuo, licèt privato judicio, cenſet ſacro codici magis eſſe conſentanea.

Ut homines in utramque partem vehementes ſunt nimis, id quod ſtultum & irreligioſum viſum fuerat initio ſæculi XVI. poſtea in fine ejus, & toto ſæculo ſequenti, conſentaneum rationi, & pium creditum eſt; & quæ unica mulier habita fuerat, paſſim à viris doctis diviſa eſt in plures. id licuit etiam in Sorbona publicitùs defendere, modò adhiberetur levis diſtinctio, ne verbis infringeretur decretum vetus quod re infringebatur. Scilicet qui poſteà propugnavere cum Fabro non unam eſſe Magdalenam, negabant à ſe agnoſci triplicem [quod damnatum fuerat] ſed tres diverſas mulieres, quarum una diceretur Magdalena. Quin eò res venit, inclinante præſenti ſæculo, ut puduiſſet virum doctum ſentire quod plebs caneret in feſto Magdalenæ. Idcircò, quia prævaluiſſet iſta ſententia, qui Breviarium Pariſienſe meliori formæ reſtituere conati ſunt, ita & correctores breviarii Aurelianenſis & Viennenſis in Delphinatu, Mariam ſororem Lazari apertè diſtinguentes, tum à muliere peccatrice, tum à Magdalena, quæ fuerat à ſeptem dæmoniis poſſeſſa mutaverunt hymnos & officia in feſto B. Mariæ Magdalenæ decantari ſolita. plerique verò qui dictis Breviariis non utebantur, legerunt quidem & cecinerunt in Breviario Romano vetus officium Magdalenæ, ſed ne indocti viderentur, gloriabantur veterem opinionem exuiſſe; quæ itaque ferè ab omnibus exploſa erat; cùm eam ſtudui revocare. Priuſquam nova argumenta depromam, iterum dicam, quemque uti poſſe ſuo judicio in ſimilibus quæſtionibus,

Scimus & hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim.

modò illa libertas in vitium non excidat: hoc eſt, ne noceat vel leviter piis moribus & fidei.

Qui, inquam, hæc ſentiam, longe abſum, ut pro unica Magdalena pugnans; tragœdias agam, quaſi ageretur de ſummis religionis capitibus. Nec inter ſe committam ſanctos Patres qui in diverſas ſententias abierunt; ut cujus præponderare debeat auctoritas deliberetur; tum ut pateat quæ ſit vera eorum ſententia; nam aliquorum ambigua eſt circa præſentem quæſtionem. cùm quæſtio non debeat ſolvi illorum judicio, non multùm ſatagendum eſt qualecumque ſit illud judicium, ſicut nec numeranda ſuffragia; ſiquidem, nec numero, nec auctoritate ſuffragatorum quæſtio finiri poſſit. Igitur ſemota auctoritate alia quacumque quàm ſacri codicis, diſſeram ſine ullo præjudicio non expendens quæ fuerit doctorum ſententia, an plures faveant unicæ Magdalenæ, an pauciores duplici, vel triplici. rationes quæ pro hac, vel illa ſententia ex Evangelio ſuppetunt, comparabo; ſcilicet librabo pondera earum, ut apertum ſit in quam partem lanx propendeat.

§. II.

§. II.

Mulier in civitate peccatrix non fuit proſtibulum. Verus ejus caracter ante & poſt converſionem ejus.

Dominum non venerat vocare juſtos ad pœnitentiam, ſed peccatores, quorum ergo paſſus eſt dici amicus, nec abnuit conſortium; ægri enim egebant medico. attamen non veriſimile eſt tantam cum ſcorto omnibus noto, quod recèns deſeruiſſet ſcortationes ſuas, voluiſſe contrahere neceſſitudinem, quantum cum Maria ſorore Lazari & Marthæ contraxerat. Diligebat ... Jeſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum, *ut Joannes dicit, cap.* 11. ℣. 5. *eorum hoſpitio excipiebatur, utens eis familiariter; ita ut fama eorum mala, ſi mala fuiſſet, ipſe reſperſus eſſet; crimen enim, cujus ſuſpicio animum malevolum facilè ſubit, exprobratum ei fuiſſet ſi mulier peccatrix ipſa eſſet Lazari & Marthæ ſoror, inclyta ſcortationibus ſuis in tota Hieroſolymorum civitate, & in vicinia. Cùm ergo contubernii inhoneſti & conſuetudinis ſimilis ab omni pagina vitæ Domini abſit exprobratio; qui dividunt Magdalenas concludunt, mulierem peccatricem aliam eſſe à Maria ſorore Marthæ, cui hoſpitæ Chriſti immeritò, inquiunt, mala fama inuſta eſt. Hoc eſt primarium, & magnum fundamentum eorum; quod non ſubvertunt, qui conjungentes Magdalenas, ut unica ſit, habent mulierem peccatricem pro ſcorto. ſentiunt quidem non fuiſse vile proſtibulum quod plebeculæ proſtaret; ſed proceres habuiſse amaſios, ſed hoc non ſolvit difficultatem, imo auget. ideo enim magis notæ fuiſsent ſcortationes ejus Phariſæis & cæteris Judæorum proceribus, quia amaſii ejus notiores. Eodem argumento, qui multiplicant Magdalenas, probant mulierem peccatricem diverſam eſse à Maria Magdalena, de qua exierant ſeptem dæmonia; quis enim, ajunt, non abhorruiſset à muliere, quam tot dæmonia poſſiderent: ipſa ab omnibus deſerta, caſtimoniam coluiſset; ita non fuiſset* mulier in civitate peccatrix, *hoc eſt, ut ſentiunt, non ſcortum publicum & notum.*

Nihil magis incertum, ne dicam falſum, quàm quod vulgò aſsumunt mulierem in civitate peccatricem, de qua diſserimus, fuiſse vile, aut nobile ſcortum. multa & invicta, ut credo, argumenta hanc ſuppoſitionem evertunt I. *licèt mulier dicatur* ἁμαρτωλὸς, peccatrix, *non ſequitur meretricem fuiſse; hocce enim nomine generatim mulier intelligebatur, quæ non incedebat in omnibus mandatis legis, plura eorum negligens. ob illam, inquam negligentiam, quæque mulier licèt nullo turpi facinore fœdata, more loquendi uſitato dicebatur* peccatrix. *ea eſt propria ſignificatio vocis* ἁμαρτωλὸς, *in verſione Græca veteris fœderis, & in novo teſtamento; nec uſpiam reperias illud, quod Hebræi appellabant* זונה, *Græci* πόρνη, *dictum eſse* ἁμαρτωλὸς. *ergo mulier illa peccatrix, quæcumque fuerit, non propter hanc appellationem cenſeri debet ſcortum.*

2. *Mulier iſta non impunè exercuiſset meretricias artes: præceperat enim Deus:* Non erit meretrix de filiabus Iſrael. *Deuter. cap.* 23. *non ergo vivere paſſi eſſent Judæi hanc peccatricem, ſi fuiſset meretrix; ſiquidem eſset de filiabus Iſrael. Etenim quæcumque ſit civitas illa, de qua dicitur:* mulier quæ erat in civitate peccatrix &c. *mulier iſta non alienigena erat, cùm tam liberè ingreſsa ſit domum Phariſæi. Gentiles non ignorabant quantùm ab illis alieni eſsent Judæi: Gentilis ergo non irrupiſset in ædes Phariſæi; aut ſtatim repulſa fuiſset.*

Negant adverſarii meretrices addictas morti; ſiquidem ex Evangelio certum

ſit

ſit plurimas vixiſſe inter Judæos; quarum aliquæ & audierunt verbum Domini; unde ad ipſos ſacerdotum principes dicebat ipſe Dominus, Matth. cap. 21. ℣. 31. Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. *Præterea inquiunt, ſi nulla meretrix impunè verſaretur in Judæa, quid opus erat ſpeciali præcepto ut lex prohiberet ne ſacerdotes nuberent meretrici. Reponimus plurimas quidem fuiſſe meretrices in terra Iſrael, ſed alienigenæ reputandæ ſunt; neque enim ullo argumento probari poteſt fuiſſe Iſraeliticas. Contrà verò meretrices omnes fuiſſe alienigenas exiude conſtare debet, quòd alio nomine quàm* alienigenæ *Hebræi non ſignificarent id quod Græcis dicitur* πόρνη, *Latinis ſcortum. Nec quis dicere poteſt, dictam legem adverſus filias Iſrael meretricantes dudum abolitam fuiſſe. Hanc enim legem temporibus illis de quibus loquimur, viguiſſe, comprobavimus in commentariis, teſtimonio aperto Philonis, qui teſtatur meretrices, ut peſtem ac perniciem, labemque publicam ſaxis obrutas fuiſſe: cui conſuetudini & teſtimonium vidimus perhibitum à Joſepho. Leges Moſaicas dum verſaretur in terris Dominus noſter, non fuiſſe neglectas oſtendit zelus quo Judæi mulierem in adulterio deprehenſam ſtiterunt damnandam judicio ejus.*

Revertens ad mulierem peccatricem, his quæ jam dixi adjungam, non ſolùm non repulſam fuiſſe à Simone Phariſæo ex ædibus ſuis; quas tamen nec honeſta mulier Gentilis auſa fuiſſet ingredi; ſed & admiſſam inter ancillas quæ miniſtraverit, & pedes Jeſu hoſpitis laverit. Neque enim alia de cauſa quàm neceſſitatis cogitandum eſt, Jeſum permiſiſſe ſibi ablui pedes: nimirum ab itinere aliquo redibat, ideo non dedignabatur conſuetum miniſterium. nam moris erat ut peregrinorum advenientium pedes lavarentur.

Id omne quod ſpectat hiſtoriam mulieris peccatricis excutiamus. proprium nomen ejus non declaratur in Evangelio, nec locus ex quo erat. Unde autem Evangeliſta hæc ſilentio prætermiſit? Qui iſtam mulierem opinamur eſſe Mariam ſororem Marthæ, id à B. Luca factum dicimus propter verecundiam & honorem. noluit eam noto nomine appellare; ubi neceſſe era peccatricem indicare; ut idem Lucas & Marcus, cùm narrant Matthæum à telonio vocatum, non hoc ſuo nomine quo innotuerat Chriſtianis, ſed alio obſcuro appellant, nominantes Levi, *& vulgatum nomen reticentes, ut notat B. Hieronymus. Iſtam autem civitatem quam Lucas non nominat, quidam volunt intelligendam Naim, aut aliam Galilææ urbem, hoc pugnantes argumento quòd initio capitis VII. ubi proponitur hiſtoria peccatricis mulieris, mentio fiat Capharnaum & Naim; unde deducunt iſtam mulierem neceſſariò diſtinguendam à ſorore Marthæ & Lazari, quæ de vico Bethaniæ in Judæa erat. Illud argumentum nullum eſt; potuit enim Lucas hoc uno capite quod & alibi facit, complecti res diverſas diverſis temporibus & locis tranſactas. Evangeliſtæ quidem cùm de Capharnaum loquuntur, interdùm appellant* civitatem *ſed addunt* ejus, *nempe Chriſti, quia illam elegerat ad habitandum. Veriſimile ergo magis, civitatem ſimpliciter dictam interpretandam Hieruſalem, præcipuum caput totius regionis & Gentis Iſrael, quæ nomine* urbis *tunc intelligebatur ut Roma, dum erat caput Imperii. Equidem fateor Hieruſalem dici cum epitheto* civitatem ſanctam, *ſed poterat omitti epithetum quoties nullæ aliæ circumſtantiæ admonerent ſermonem fieri de altera civitate.*

Licet ergo cogitare, quòd, cùm Dominus adveniſſet in viciniam Hieroſolymorum, rogatus ſit à Simone Phariſæo, ut apud eum hoſpitaretur. Etiam licet credere hunc Simonem non alium eſſe ab eo Simone, apud quem narratur Dominus cœnaſſe in Bethania poſt Lazari reſurrectionem. De iſta cœna agentes

vivimus locum eſſe huicce conjecturæ. Matthæus quidem & Marcus Simonem Bethaniæ leproſum appellant; ſed ille potuerat olim laboraſse lepra, à qua, vel ab alia re denominatus fuerit jam ſanus; alioquin non habuiſset hoſpites. Leproſi enim vivebant extra hominum conſortium. ſi autem Simon ille, cujus in ædibus nunc Dominus verſatur; idem ſit ac Simon Leproſus Bethaniæ, vicinus erat Marthæ, & Mariæ ſororum Lazari; apud quem quandoque illæ miniſtrabant, ut non mirum ſit acceſſiſse Mariam, & veniſse in ejus ædes ut lavaret & ungeret pedes Domini, quem cognoverat modò adveniſse. Miniſterium illud exhibebatur à mulieribus. Abigail dicebat Davidi: Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei. 1. *Reg. cap.* 25. ℣. 41. *Paulus* 1. *Ep. ad Tim. cap.* 5. ℣. 10. *recenſet inter opera viduæ piæ:* ſi Sanctorum pedes lavit.

In noſtra, inquam, hypotheſi non mirum videri poteſt, mulierem peccatricem in ædes Simonis non vocatam irrumpere, nec illam ab eo arceri. Vicina enim & familiaris acceſserat in ædes ſibi notas, ſublevatura ancillas, & diligentiùs exhibitura miniſterium Domino, cujus fama ad aures ejus pervenerat. Nota erat & familiaris Simoni, qui, dum adverteret eam tergentem capillis ſuis pedes Domini, oſculantem, & ungentem eos, aiebat intra ſe de Jeſu: ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. *Non miratur Simon hanc auſam ſubire ædes ſuas, miſceri ancillis, & cum illis miniſtrare. non repellit eam. Cur id patitur, ſi, quam peccatricem appellat, fuit notum proſtibulum? dicit, ſed intra ſeipſum,* quæ & qualis mulier. *unde quis objiciat: ſi mulier non impudica erat, quare reputat omnem attactum ejus eſse impudicum? facilis reſponſio. Scitum erat apud Phariſæos & omnes Judæos, contactu flagitioſorum hominum non minùs quàm leproſorum, viros mundos inquinari.* Phariſæi non permittebant ſe tangi à populis terræ, *ut dicitur in Juchaſin. Hos indicabat Iſaias, cap.* 65. ℣. 5. qui dicunt: recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. *Mos Samaritanorum eſt hodie, cùm occurrunt Judæo, aut Chriſtiano, aut Mahumetano, ut dicant,* ne attingiro me, *ideo, ut puto, ubi Petrus advertit quanta eſset Domini ſanctimonia, aiebat eum alloquens:* exi à me, quia homo peccator ſum, *Luc. cap.* 5. ℣. 8.

Juvat inſuper comprobare peccatoris *nomine non intelligendum neceſsariò hominem vel adulterum, vel homicidam, vel furem, ſicut* peccatricis *adulteram mulierem. Teſtimonia nobis ex Judæis Thalmudiſtis ſuppeditat Ligfootius. quærit ille, quænam fœminæ inter Judæos eſsent mali nominis, & reſpondet verbis Talmudis.* Chetubb *fol.* 72. 1. illa quæ tranſgreditur legem Moſaicam, & illa quæ Judaicam. *Gloſs.* legem Judaicam, quam ſequuntur filiæ Iſraelis, etiamſi non ſit ſcripta. *Non ergo ſola ſcortatio & alia crimina quæ lex Moyſis prohibebat, efficiebant mulierem peccatricem. Pergunt loqui Talmudiſtæ.* Quænam illa quæ tranſgreditur legem Moſis? illa quæ marito præber aliquid comedendum quod non decimatur: quæ coitum ejus patitur exiſtens menſtruoſa: quæ non ſeparat ſibi collyram: quæ vovet, & non præſtat quod votnm. Qualiter tranſgreditur legem Judaicam? ſi prodeat in publicum capite aperto: ſi neat in plateis: ſi confabuletur cum quovis obviante. Abba Saul dicit, ſi maledicat filiis ſuis. R. Tarphon dicit, ſi quoque ſit clamoſa. *Maimonides in hoc loco adjungit:* ſi nens in platea, brachia denudet conſpicienda viris: ſi vel roſas, aut myrrhum, aut pomum granatum, aut aliquid tale appendat oculis, vel genis: ſi luſitet cum adoleſcentibus: ſi maledicat patri mariti ſui coram marito. *Nomen igitur* peccatrix *non ingerit animis notionem proſtibuli. Potuit itaque Simon mirari Jeſum ſinentem*

ſe tangi à muliere; quæ etiamſi non impudica, non tamen ſancta eſſet, quales reputabantur ſanctæ Iſraelitæ omnes, quæ legem ſcriptam & traditam religioſè ſervabant.

Plurimi refert ſedulam mentem advertere ad illum caracterem quo pingitur Mulier peccatrix, ut illam comparantes cum Maria Magdalena, è qua exierant ſeptem dæmonia, deinde cum Maria ſorore Marthæ, dignoſcere poſſimus, an neceſſariò diverſæ mulieres exiſtimandæ ſint, aut unica mulier ob unum & eumdem caracterem. Omnia quæ de peccatrice narrat B. Lucas, oſtendunt non vulgari amore correptam erga Dominum, nec mediocrem fuiſſe dolorem, quem illi pariebat peccatorum recordatio. Non opus fuit illi aqua ut lavaret pedes Chriſti. Lachrymis cœpit rigare pedes ejus; *nempe pro lavacro effudit lachrymas.* & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. *Noſtra ſententia eſt, hanc mulierem eſſe Mariam Magdalenam, & hoc cognomine appellatam, quòd, ut ſequenti articulo dicemus, plicandis ſuis crinibus nimiam curam impenderet. Ergo ſi vana non conjectamus, Evangeliſta ſedulò eam obſervat capillis ſuis abſterſiſſe pedes Domini, ut oſtenderet quantùm illa mutaſſet primum vitæ inſtitutum, quæ in eos uſus converteret ſuos crines, qui antea fuerant ſua cura.*

Aliis verbis non opus eſt, ut Peccatricis amorem erga dominum ſignificemus, quàm ipſis verbis Domini. dixit Simoni, Vides hanc mulierem, *quam deſpicis?* intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, *licèt hoſpiti advenienti peregrè. Etenim non toties abluebantur pedes, quoties accumbebatur menſæ, ſed tantùm manus. Sic conſtare debet, tunc Jeſum ab itinere redeuntem, quoniam debuiſſet Simon præbere aquam pedibus ejus.* Hæc autem *mulier, ajebat Jeſus, conſuetum illud & neceſſarium miniſterium mihi præſtans (modo excellenti, qui affectum ejus prodidit)* lachrymis pedes meos rigavit &c. *Imprimis ponderentur verba quibus Dominus exprimit mentem mulieris peccatricis:* dico tibi *alloquens Simonem,* remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multùm.

Ergo quocumque nomine poſtea appelletur in Evangelio, cùm amor ſe prodat; non latebit iſta mulier facilè agnoſcenda ex judiciis vehementis amoris. ſed, lector, fruſtrà pergam, ſi præjudicatis opinionibus adhærens, falſa omnia credas, quæ illis contraria ſunt; aut res æſtimans ex hodierno loquendi, & vivendi more cogites Judæas mulieres ſine periculo capitis ſcortatas, quia impunè peccant plurima etiam è chriſtianarum grege ſcorta, & peccatricis nomine nunquam niſi meretricem ſignificatam, quia ſolæ meretrices nunc hac appellatione infamantur. Saltem vim argumentorum noſtrorum perpende. Hocce articulo fundamentum ponimus, noli tranſire ad articulos ſequentes, niſi hæc diu meditatus.

§. III.

Maria Magdalena, è qua ſeptem dæmonia ejecta ſunt, non diverſa eſt à muliere peccatrice.

Poſtquam B. Lucas, capite VII. enarravit, quæ primùm ſpectabant Mulierem peccatricem, quando Dominus ei remiſit peccata, protinus loquitur initio capitis VIII. de Maria Magdalena. Iter faciebat *Jeſus* per civitates & caſtella prædicans, & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus. Maria

Google

Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant; & Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. *Inde colligunt adverſarii Magdalenam tum à Peccatrice muliere, tum à Maria ſorore Lazari & Marthæ diverſam eſſe ob nomen, ob patriam, & miniſterium, & ob conditionem. Mulier enim peccatrix, inquiunt, innominata eſt. hæc appellatur Maria Magdalene; quod cognomen* Magdalene *indicare videtur, Galilæam fuiſſe patriam ejus. Etenim Joſephus in libro de vita ſua memorat* φρούριον, *arcem verſus lacum Tiberiadis, prope Gamalam, quæ arx* Magdala *diceretur; unde derivari poteſt nomen Magdalene: nimirum nomen ſuum acceperat ab urbe* Magdala *ex qua orta. quod etymum, ſi verum eſt, Magdalena cenſeri debet alia quàm Maria ſoror Lazari & Marthæ, quæ erat ex Bethania vico in Judæa.*

Addunt illam Magdalenam miniſtraſſe Domino, quem ſequebatur prædicantem per civitates; cùm totam ſe dederet quieti Maria altera, etiam cùm apud eam Dominus hoſpitaretur, nec ſe movens loco, & relinquens Martham ſolam miniſtrare. inſuper dici comitem uxoris Chuſæ qui procurator erat Herodis; quo comitatu ſatis indicatur mulier Galilæa: Herodes enim Galilææ Tetrarcha fuit. denique, inquiunt, ipſa conditio ejus demonſtrat aliam eſſe à peccatrice; quam refugiſſent omnes, ſi corpus ejus fuiſſet penes ſeptem dæmonia; quibus Mariam Marthæ ſororem nunquam fuiſſe ſubditam probat tranquillitas vitæ ejus, & ſtudium illud quo Dominum placidè audiebat.

His adverſariorum argumentis reſpondeo 1. *jam redditam à nobis cauſam, cur B. Lucas reticuerit nomen Mariæ, dum dicenda fuit peccatrix.* 2. *Etiamſi quædam loca Galilææ appellarentur* Magdala, *non neceſſe eſt ut Maria nomen Magdalene habuerit ab his locis. Præterea.* Magdala *non videtur fuiſſe aliud quàm* φρούριον, *ut appellatur à Joſepho, arx quæ teneretur à militibus, nec alios haberet incolas. nempe turris erat;* מגדל Migdal, *ſonat Hebrais* turris; *unde factum Syriacum nomen* Magdala.

3. *Probabilius etymon nominis* Magdalene *aſſignavimus in commentario, ſimul & conjecturam propoſuimus non abſonam cur hocce cognomento Maria appellata eſſet; quo & eam appellaverit Evangeliſta, innuere volens iſtam Mariam, de qua hocce, capite VIII. loquebatur, ipſam eſſe peccatricem, quæ priùs vitæ inſtitutum mutans, ſuis ipſis capillis, quibus olim tantam curam impendebat, pedes Domini terſerat. Etenim in libris Hebræorum* מגדלא Magdela, *vel* Megaddela *ſignificat mulierem plicatricem muliebrium capillorum, à verbo* גדל gaddel, *quod eſt,* intorquere. implicare; *unde* גדילא ghedila, *id eſt,* funis intortus. *Quia ergo olim nimia cura compoſuiſſet ſuos crines Maria; ſic cognominata fuerat Magdalene; quod & inter Chriſtianos ſervaverat cognomen; quia, ex quo illi innotuerat Dominus, in alium uſum crines ſuos vertiſſet.*

Ex eodem cognomento conjicere poſſumus antea Mariam non fuiſſe ſatis accuratam in lege ſabbati ſervanda, putà quia etiam in ſabbatis componeret capillos ſuos. Nam inter opera in ſabbato prohibita, id recenſent Judæi; ut videre eſt in tractatu de ſabbato, cap. 10. *num.* 6. Quicumque ungues ſuos minuit, alterum altero, aut dentibus ſuis; ſic comam ſuam, ſic ſuum myſtacem, ſic barbam ſuam: item quæ implicat crines ſuos רג דלר *baghodeleth*, ſic quæ ſe fucat; quæ diſcernit crines ſuos. R. Elieſer quidem reos pronuntiat, ſed melius ſapientes ex ſtatuto ſabbatico prohibent.

Potuit ergo Maria Magdalene *ſic cognominari, quia crines intorqueret, etiam diebus ſabbati, floccifaciens ſtatuta ſabbatica, ſicut alia hujuſce generis plurima,*

ob quæ dicebatur peccatrix. Quod & cogitandum relinquit Evangeliſta, cùm dicit ab ipſa exiiſſe ſeptem dæmonia. nam, ut ait Gregorius magnus, ſeptem dæmonia habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit. *Licèt autem verè eam poſſediſſent ſeptem, aut plura dæmonia, quanquam certum eſt more loquendi Hebræorum vitia appellari dæmonia: attamen hacce obſervatione, quòd olim Maria habuiſſet ſeptem dæmonia, ſatis indicabatur vitam ejus non fuiſſe inculpatam, nec ſubditam omnibus legis mandatis. Tunc temporis enim dæmonio permittebantur quandoque, qui legis jugo collum ſubſtrahebant. ſed quæ diu fuiſſet à dæmoniis agitata, potuit ab illis libera vitam poſtea tranquillam agere, ut ſequenti articulo dicemus.*

4. *Quod dicunt adverſarii Magdalenam à peccatrice diſtinguendam, quia omnes refugiſſent cujus corpus eſſet penes ſeptem dæmonia, jam ſolvimus. Supponunt enim peccatricem fuiſſe reipſa ſcortum: quod falſum arguimus. Nec quia Magdalena olim divexata fuiſſet ab his ſeptem dæmoniis, ſequitur aliam eſſe à Maria ſorore Lazari, quam volunt tranquillam egiſſe intra proprios lares. Potuit enim peccatrix, ex quo remiſſa ſunt ei peccata ſua, quietior vivere, Dominum ſequi, & huic miniſtrare cum aliis mulieribus, quarum comitatui ſe adjunxerat; tanto enim amore erga Dominum quæ correpta eſſet, non veriſimile eſt ſtatim ab eo divulſam fuiſſe, & ſiviſſe ut aliæ mulieres eam vincerent aſſiduo obſequio. ſed inter illas ſic potuit verſari, ut tota intenta eſſet ſermonibus Chriſti audiendis.*

5. *Quia in Domini comitatu erant quædam mulieres è Galilæa haud neceſſe eſt cæteras omnes Galilæas fuiſſe; & Magdalenam quæ ſequeretur Jeſum per civitates evangelizantem, per Galilæam & alias regiones, non potuiſſe eum excipere propriis in ædibus in Bethania. etenim diebus ſolemnibus quibus ille intererat Hieroſolymis ad feſta ſolemnia, Magdalene indivulſa comes ſimul aderat, tum ut intereſset feſto, tum ut ei hoſpitium præberet. etiam, ut poſtea obſervabo, præcedens aliquot dierum intervallo adventum ejus, ut huic excipiendo omnia eſsent parata.*

§. IV.

Maria ſoror Marthæ ipſa eſt Magdalene ſimul & peccatrix quæ unxerat Dominum ante Lazari reſurrectionem.

B. Lucas in fine capitis x. loquitur expreſſis verbis de Martha & Maria ſorore ejus. non diffiteor mirum meritò videri; quòd ille Evangeliſta (ſi noſtra ſententia verior eſt) agens de eadem muliere, deſignet illam diverſis nominibus & rebus; non aliter loquens in capitibus VII. VIII. X. quàm ſi vellet tres diſtinctas mulieres recenſere. Simpliciter appellat mulierem peccatricem, capite VII. quam nominat Mariam Magdalenam, capite VIII. & dicit olim poſseſsam à ſeptem dæmoniis, ſequentem Jeſum & huic miniſtrantem; à qua toto vitæ ordine diſconvenire videtur Marthæ ſoror quam memorat, capite X. Verùm iſta difficultas nulla eſt, ſi ſororum verecundiæ & honori conſulere voluit Evangeliſta. Forſan adhuc in vivis erant, dum ſcriberet. Ideo Mariam non nominaverat. ubi dicenda fuerat peccatrix, & olim dæmoniis plena; Verùm reipſa non exhibet diverſas mulieres. etenim qualem deſcribit Mariam ſororem, talis eſt character peccatricis, & Magdalene. tota adhæret dilecto ſuo, nec ab ejus conſpectu diſtrahi poteſt; tranquilla ſedet ad pedes ejus: quia circumſtantia puto indicari Magdalenam

ab Evan-

Digitized by Google

ab Evangeliſta, priùs à dæmoniis poſseſsam. eo enim quod dicit Lucas: ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius, videtur ſignificare tunc plenè liberam fuiſse à dæmoniis Mariam. ſic ipſe loquens de illo homine à quo Dominus ejecerat legionem dæmoniorum, cap. VIII. Venerunt, inquit ad Jeſum, incolæ civitatis, quorum in porcos intraverant dæmonia, & invenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant veſtitum, ac ſana mente ad pedes ejus.

Non inanes ſunt illæ conjecturæ; poſsumus autem demonſtrare ex Joanne, Mariam ſororem Marthæ ipſam eſse peccatricem. Harum ſororum mentionem facit hic Evangeliſta, capite XI. quas dicit habuiſse fratrem nomine Lazarum. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis ejus. Sunt, qui ex illis verbis Joannis colligunt, Mariam & Martham habuiſse pagos, turres & caſtella; unde, inquiunt, fieri non poteſt, ut vile ſcortum fuerit. ultrò vindicamus ab iſta infamia Mariam; ſed argumentum quo utuntur, imbecille eſt. etenim in fonte Græco eſt ἐκ τῆς κώμης, id eſt ex vico. Ita illud de caſtello, non indicat Mariam habuiſse caſtellum, aut fuiſse dominam Bethaniæ. His temporibus æqua erat Iſraelitarum conditio quoad genus; omnes enim ex eadem ſtirpe, nec domini, nec vaſsalli erant.

Proſequamur narrationem Joannis. Maria autem erat, quæ unxit, ἡ ἀλείψασα, (quod verti poteſt, quæ unxerat) Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis. Certum eſt à nulla alia muliere niſi à peccatrice unctos fuiſse Domini pedes ante Lazari reſurrectionem. ita verba illa Evangeliſtæ demonſtrant quam Mariam appellat, ipſam eſse peccatricem. Reſpondent adverſarii illud ἡ ἀλείψασα, quod Latinè ut diximus, exprimi poteſt, quæ unxerat, poſse intelligi de futura unctione, nimirum de illa quæ poſtea facta eſt in cœna, ubi accubuit Lazarus poſt ſuam reſurrectionem; ut præteritum tempus ſit ibi pro futuro; quaſi id dixerit Joannes eo ſenſu, quo de Juda Lucas dicit, capite VI. ℣. 16. qui fuit proditor, longè ante proditionem: ſcilicet qui futurus erat proditor. Sic quæ unxit, ſive quæ unxerat, pro, quæ unctura erat in dicta cœna.

Verùm hoc ipſum quod allegatur de Juda, admonet nos, debuiſse Joannem aliter loqui, ſi reipſa Maria ſoror Lazari non fuiſset Mulier peccatrix. Nam cùm Evangeliſtæ, quia duo erant Apoſtoli cognomento Judæ, ſatagunt quoties eos nominant, diſtinguere Judam Jacobi à Juda Iſcariote, qui fuit proditor: procul dubio Joannes ne mulier integra confunderetur cum peccatrice, potiùs dixiſset non eam eſse, quæ antea unxerat pedes Domini. Non, inquam, uſus eſset ſermone, qui ad literam cùm ſumitur, ſignificat eamdem eſse. præterea liquet hocce argumento Joannem non diſtinxiſse duas pedum Domini unctrices mulieres; quòd cùm ante ſcriptum Joannis Evangelium, Lucas locutus fuiſset de peccatrice quæ unxerat Dominum, ante Lazari reſurrectionem; decuiſset eum amovere opinionem noſtram, ſi falſa eſset, quam animis ingerit ſermo ejus. Nam etiamſi ſcriptum ſit de Juda initio Evangelii, qui fuit proditor, ſermo ille non ambiguus eſt, quaſi jam proditus fuiſset Dominus; nemo enim ſuſpicari poteſt alium eſse ab eo qui proditurus erat Dominum tempore paſſionis. ſed ante reſurrectionem Lazari jam mulier unxerat Dominum; ita removendus ſenſus in quo accipimus verba ejus, ſi hunc non voluiſset indere.

Præterea ſi Maria hactenus non unxiſset pedes Domini, quæ cauſa erat anticipationis? Cùm Evangeliſtæ nominant Judam, ſi de proditore agant, ne intelligeretur alter Judas, nempe Thaddæus Jacobi frater, addunt qui fuit proditor, quia pro illo ſumi probroſum fuiſset Judæ Thaddæo ob nominis æquivo-

cationem. Joannes verò, ſi interpretatio quam impugnamus, admittatur, dicta anticipatione infamiam accerſit Mariæ: quatenus, qui non advertunt anticipationem eſſe, concipiunt Mariam ipſam eſſe peccatricem, quæ jam unxerat Dominum. ita vix excuſari poteſt Evangeliſta, cùm illa anticipatio nullo modo neceſſaria eſſet; nam ſupervacaneum omnino erat dicere ante reſurrectionem Lazari, quod ſtatim poſt reſurrectionem illam fusè enarrat, deſcribens quomodo Maria unxerit Dominum in cœna quæ ei facta eſt in Bethania ſex ante paſcha dies.

Iſta cœna nobis inſuper ſuppeditat non contemnendum argumentum. Etenim quam Joannes nominat Mariam ſororem Lazari, quæ tunc unxit Dominum, proprio nomine non appellant Matthæus cap. XXVI. & Marcus cap. XIV. de eadem cœna ſermonem facientes ut vidimus in commentario. ſimpliciter dicunt mulierem tunc acceſſiſſe, quæ unxerit pedes Domini. Qua de cauſa reticuerunt nomen Mariæ? Nullam afferre poſſunt adverſarii noſtri: aperta autem eſt in noſtra hypotheſi. ſcilicet quia Matthæus & Marcus non locuti fuerant de altera unctione; hæc verò quam eo in loco narrabant, refricaret memoriam primæ, ubi peccata Mariæ remiſſa fuerant (forſan etiam quia utramque unctionem non diſtinguebant) ideo nomine Mariæ abſtinuerunt propter verecundiam & honorem ejus, quæ multùm conſpicua erat inter Chriſtianos, tum ob dilectionem qua eam Dominus proſecutus fuerat, tùm ob inſigne miraculum editum in Lazaro fratre ejus. Adeò ſimiles ſunt circunſtantiæ utriuſque unctionis; ut mirum eſſet in prima & ſecunda adhibitos contra morem capillos loco lintei, niſi una & eadem eſſet mulier, quæ utroque tempore idem miniſterium exhibuerit. in cœna Bethaniæ non rigavit pedes Jeſu ſuis lacrymis; neque enim bis ampliùs locus erat; poſtquam ei fuerant condonata peccata ſua.

Caracterem utriuſque unctricis ſedulò obſervemus. De Maria Lazari dicit Joannes: Diligebat autem Jeſum Martham & ſororem ejus Mariam, & Lazarum. *Amant qui amantur; amor ergo Mariæ erga Jeſum nobis præbet agnoſcendam mulierem peccatricem, de qua dixerat Dominus:* remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. *Nec ideo Maria ſoror Lazari diſtingui debet à Magdalene, quòd eo tempore quo mortuus eſt Lazarus, tunc abeſſet à Domino, nec eum comitaretur. etenim potuit illa, ut jam innuimus, præcedere eum aliquot diebus, antequam adveniret Bethaniam ad dies feſtos paſchatis. Huicce conjecturæ locus eſt; nam ubi Lazarus languere cœpit,* miſerunt... ſorores ejus *ad* Jeſum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. *niſi autem ſciviſſent illicò adventurum, fruſtrà miſiſſent ad eum in Galilæa morantem.*

§. V.

Non duæ ſunt, & diverſæ Magdalenæ, ſed unica ipſa ſoror Lazari, & Marthæ.

Mulieres quæ à Galilæa Dominum ſecutæ fuerant, non deſeruerunt eum pendentem in ligno. ſed comites adhærere perrexerunt. ſtabant autem omnes noti ejus a longè, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa hæc videntes, *ait Lucas, cap. 23. ℣. 4. quod & dicunt Matthæus & Marcus, qui addunt:* inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Salome, *Mt.* mater filiorum Zebedæi; *Mc.* & cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum. *Matthæus, cap. 27. ℣. 53. Marcus, cap. 14. ℣. 40. Joannes verò ſcribit.* Stabat autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria

Maria Magdalene. *Primò non licet cogitare Matthæum, Marcum, & Joannem loqui de duabus diverſis Magdalenis. etenim ex hoc ipſo loco Evangelii patet, quando perſonæ ſunt cognomines & diverſæ, ut ambiguitas tollatur, addi notam aliquam diſtinctionis; ut,* Maria mater Jeſu, Maria Cleophæ, Maria Magdalene. *Itaque ſi fuiſſent duæ, & diverſæ Magdalenæ, quæ cruci aſtiterunt, illas diſtinxiſſent Evangeliſtæ. neque enim diſcrimen eſt, quod dicit Joannes Mariam Magdalene ſtetiſſe juxta crucem; quæ juxta Matthæum & Marcum longè à cruce ſteterit. diverſis enim temporibus ſtare potuit Maria in diverſis locis; juxta crucem, cùm Jeſus paulò ante quàm extremum ſpiritum emitteret, Mariam matrem compellavit: deinde, ubi mortuus eſt, potuit conjungi cum mulieribus, quæ à longè ſpectabant, quid corpori Domini obtingeret; & idcircò diceſſerant à loco crucis, ut minùs ſuſpectæ explorarent rei eventum.*

Ergo Maria Magdalene unica erat; quæ ſi alia ſit à ſorore Lazari, Maria iſta ſoror, quæ multùm diligebat, abfuiſſet à cruce; quod vix cogitari poteſt. An id ſiviſſet dilectio ejus? Scio quid reponant adverſarii, non quidem abfuiſſe Mariam, ſed de illa tacuiſſe Evangeliſtas, ſiquidem adſtiterit permixta Galilæis mulieribus. Verùm an iſta Maria Magdalene magis conſpicua erat ſororibus Lazari à Domino dilectis, ut hujus, non earum ſpecialis mentio fieret? Jam diximus malè Magdalenam diſtingui à ſorore Lazari, quæ de Bethania erat, quia Magdalena, cenſeri debeat Galilæa, quæ reperiatur inter Galilæas mulieres. Quaſi mulier de Bethania, aut de alio vico Judææ, non potuerit ſe adjungere comitem mulieribus Galilæis. Cognomen Magdalenæ non reticuit Joannes, quam hactenus ſolùm Mariam nominaverat, quia ibi diſtinguenda erat à Maria matre Jeſu, & à Maria Cleophæ.

Evincere poſſumus Mariam Magdalenam ipſam eſſe Lazari ſororem, hocce argumento. Maria Magdalene, paravit aromata manè reſurrectionis. & venit ad monumentum ut ungeret Dominum, quem reipſa unxiſſet, niſi jam ille exiiſſet è monumento. Hoc eſt, quod à Domino fuerat prædictum Mariæ ſorori Lazari, in iſta cœna, qui ſex dies ante paſcha accubuit Lazarus poſt reſurrectionem ſuam. In hac enim cœna cùm Judas proditor quæreretur, magnam factam à Maria pretioſi unguenti perditionem ungendo Dominum, Dominus dixerat: Mt. quid moleſti eſtis huic mulieri? *J* ſinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. *juxta fontem hodiernum ſervavit illud. Mc.* bonum opus *MM.* operata eſt in me. *Mt.* mittens enim hæc unguentum in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit, *Mc.* prævenit ungere corpus meum in ſepulturam. *Hiſce verbis nullus ſubeſt ſenſus, niſi vaticinium ſit quod tunc faceret Maria: quod ab illa poſtea fieri non poſſet: nempe innuebat Dominus quòd illa neſciens vivo exhiberet munus ſepulturæ: unxit me illa quaſi mortuum, qui vivus nunc ſum, quia mortuum me ungere non poterit. Etenim religione ſabbati impeditæ mulieres, quibus Mariam accenſemus, non potuerant emere unguenta ad ungendum Jeſum, niſi tranſacto ſabbato, cùm jam Dominus reſurrexerat. Eo ergo ſenſu Jeſus dicebat de Maria:* prævenit ungere, *id eſt, fecit nunc quod in morte mea præſtare non poterit, reſurgam enim priùs quàm me inveniat ungendum.*

Verba illa Domini carent myſterio quod in illis Evangeliſtæ indicant, niſi noſtra interpretatio admittatur. Dicunt aliqui interpretes Jeſum tantummodo voluiſſe indicare mortem ſuam, quia corpora mortuorum ſic ungerentur. Ergo quiſquis homo quoties perfunderetur unguentis, quippe aliquando moriturus ſit, eadem unctrici ſuæ dicere potuiſſet. ſed Evangeliſtæ ſatis ſignificant id proprium fuiſſe

Domino. Et reipſa ſi Maria Magdalene ſoror ſit Lazari, ea vivo Domino fecit quæ poſtea non potuit facere mortuo. Saltem locus ille Evangelii apertior eſt in noſtra hypotheſi. Caracter Mariæ Lazari quem deprehendimus in Maria Magdalene, confirmat hanc hypotheſim. illa impigra & ardens erat, ut eam ubique exhibet Joannes. etenim mortuo Lazaro, cùm audiiſset Jeſum adveniſse & ſe vocari ab illo, ſurgit citò, & venit ad eum. *cap.* 11. ℣. 29. *Pariter Magdalene impigra & ardens, ubi tranſactum eſt ſabbatum, cùm adhuc tenebræ eſsent, properavit cum cæteris mulieribus ad monumentum, ut Jeſum ungeret.* Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, *inquit Matthæus, cap.* 28. ℣. 1. venit Maria Magdalene & altera Maria videre ſepulchrum. *Illa altera Maria procul dubio ipſa eſt Maria* Jacobi; *has enim mulieres paulò antè conjunxerat:* inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi. *Statim Angelus admonuit mulieres* Jeſum *non ampliùs reſidere in ſepulchro: quod ubi audiit Maria, ſiquidem ſollicitus amor & irrequietus, deſerens mulieres, quarum comes fuerat, properavit ad Petrum &* Joannem, *nuntiatura corpus Domini abeſse à ſepulchro.* Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum. *Mox deinde ipſa reverſa eſt ad monumentum, rem exploratura diligentiùs. interea abierant cæteræ mulieres, poſtquam didicerunt ab angelis Jeſum reſurrexiſse, & id nuntiare diſcipulis juſsæ ſunt. Eam eſse veram ſeriem rerum quæ in Dominica reſurrectione contigerunt, probavimus in commentario.*

Pergam narrare quæ Mariam ſpectant. Illa reverſa ſine comitibus ad monumentum indicabat ſuis lachrymis vehemens ſuum deſiderium, ſcrutans diligentiùs locum ubi poſitum fuerat corpus Domini, cùm eam compellaverunt Angeli dicentes: Mulier quid ploras? dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Joan. *cap.* 20. ℣. 13. *Quis non agnoſcat in his omnibus mulierem illam, quæ multùm amabat? Quæ ſequuntur demonſtrant familiari colloquio eam Jeſum ſæpiùs dignatam, ſive cum Jeſu familiariter vixiſſe.* Hæc cùm dixiſſet *Maria*, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem, & non ſciebat quia Jeſus eſt. Dicit ei Jeſus, mulier, quid ploras? quem quæris? illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum; dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam. *Præ amore ſuo neſciebat quid diceret: ſeu potiùs amor ejus erat audacior. an etenim mulier infirma potuiſset ipſa tollere Dominum, etiam ab invitis.* dicit ei Jeſus Maria. *Ut autem vox nota auribus ſuis inſonuit, cùm Jeſus proprio nomine Mariam, & conſueta voce eam allocutus eſt:* converſa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter. *ſcilicet exclamavit, numquid tu ipſe es Dominus meus quem quæro, & quia circa ea, quæ maximè diligimus, ſumus ſollicitiores: Mariæ ſuis oculis diffidens ne falleretur, credens præſentem qui abeſset, voluit manibus explorare, an ipſe verè eſset Jeſus corpore præſens. promovit manus, eum palpatura, ne phantaſma eſset. Idcirco continuò* dicit ei Jeſus: Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum.

Horum verborum ut vidimus in commentario, ſenſus eſt: nondum cælo receptus ſum; ita me verè carne præſentem alloqueris; non ſum ſpiritus ſine carne; nec opus eſt ut id explores me tangendo. ſenſus ille abſonus dici non poteſt: avocat animum ab omni cogitatione familiaritatis, quæ ſanctimoniam Chriſti, & plenum veneratione amorem Mariæ non decuiſset. Sed huic licebat explorare attactu an ex vero corpore emitteretur vox quæ auribus ſuis inſonabat. Tunc Dominus

dixit

dixit: noli me tangere*; quia ſcilicet hoc experimento certa eſſe debes, quod jam ſatis experta es, me non eſſe ſpiritum. Ipſe enim Apoſtolis dubitantibus de veritate carnis ſuæ poſt reſurrectionem, juſſit ut eum palparent, id eſt iterum & iterum tangendo explorarent hanc veritatem. Nec repulit mulieres Galilæas, quibus occurrit, quæ* acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt. *id eſt: incurvaverunt ſe, & prehenderunt pedes ejus, reverentiæ quidem & adorationis ergo, quod non erat inſolitum; ſed etiam ut experirentur an non eſſet ſpiritus:*

Qui multiplicant Magdalenas, & hanc quæ ſibi Dominum ablatum quærebatur, diſtinguunt ab illa quæ cum cæteris mulieribus primò venerat ad ſepulchrum: utriuſque hæc eſſe diſcrimina contendunt. Altera, inquiunt, vadit ad ſepulchrum cum comitibus: hæc ſola, & una neſcit quid Domino contigiſſet, putans raptum; prima cum aliis mulieribus nuntiat cæteris Apoſtolis Jeſum reſurrexiſſe: ſecunda currit ad Petrum & Joannem. Prima ſicut & ſuis comitibus permittitur pedes Domini tenere, tangere: ſecunda prohibetur. prima Angelum videre meruit: ſecunda primò cùm venit, neminem vidit.

Illa omnia diſcrimina nulla eſſe oſtendit vera ſeries hiſtoriæ reſurrectionis quam ſuprà exhibuit noſtra Harmonia. Liquet enim in unam & eamdem mulierem convenire quæ in hacce hiſtoria dicuntur de Magdalena; quod nomen ſi duabus diverſis perſonis commune fuiſſet, ſategiſſent Evangeliſtæ utramque diſtinguere, aliquo addito cognomento. Sic hiſtoriam reſurrectionis digeſſimus, nulla vi illata textui Evangelico: Maria, ut putamus, ſoror Lazari valdè diluculò venit ad momentum cum cæteris mulieribus; quod cùm vacuum reperiſſet, non diutiùs morata cucurrit, rem nuntiatura Petro & Joanni: cæteræ verò mulieres juxta ſepulchrum cùm remanſiſſent aliquantiſper, audierunt vocem Angelorum, à quibus juſſæ ſunt deferre ad Apoſtolos, Jeſum à mortuis reſurrexiſſe.

Interea Maria reverſa eſt ad monumentum, ubi ſola occurrit Domino; quem cùm putaret phantaſma, & ideo tangere vellet, ut fieret certior, dixit Dominus: noli me tangere, *eo ſenſu quem expoſuimus. jam abierant ad Apoſtolos aliæ mulieres, quibus & ſe conſpicuum præbuit Dominus, ac permiſit pedes ſuos tangere ut explorarent an non eſſet phantaſma. Marcus autem non ideo cenſendus Magdalenas duas agnoſcere; nimirum diſtinguere eam quæ cùm tenebræ adhuc eſſent, venerat ad monumentum, ab illa Magdalena cui primùm Dominus apparuit, eo quòd dicit ab illa ejecta fuiſſe ſeptem dæmonia; nam ex Joanne conſtat hanc Mariam Magdalenam quæ manè venit ad monumentum. quam & Magdalenam appellat, cap. 20. ℣. 1.* una autem ſabbati Maria Magdalene venit manè cùm adhuc tenebræ eſſent ad monumentum*; ita pias mulieres comitata fuerat. Conſtat, inquam, ipſam eſſe Mariam, cui primùm apparuit Dominus, & cui dixit:* noli me tangere &c. *de qua & Joannes hæc ſubjicit,* ℣. 18. venit Maria Magdalene annuncians diſcipulis, quia vidi Dominum. *Evangeliſta in his decem & octo primis verſibus, capitis 20. procul omni dubio locutus eſt de una & eadem muliere initio & fine, quam nominat Magdalenam; ita Magdalene, cui primum apparuiſſe Dominum dicit Marcus & olim ab ea ejecta fuiſſe ſeptem dæmonia, non diverſa cenſeri poteſt à Magdalene quam valdè diluculo ad monumentum veniſſe dicit Marcus.*

§. VI.

§. VI.

Unicam eſſe Magdalenam communis erat opinio Eccleſiæ tempore Origenis; quæ ergo opinio cenſeri poteſt tradita ab ipſis primis temporibus.

Ergo cùm duas diverſas eſſe Magdalenas nulla perſuadeat diverſitas, ſive nominis, quod idem eſt, ſive circumſtantiarum, quæ uni tribui poſſunt perſonæ, concludere licet primùm unicam eſſe Magdalenam: ſecundò Mariam ſororem Lazari ipſam eſſe Magdalenam, quæ venerat ad ſepulchrum ut ungeret Jeſum, è qua ſeptem dæmonia fuerant ejecta; cui primùm apparuit Dominus, dans ei præcipui amoris ſigna; hoc enim caractere Maria ſoror Lazari facilè agnoſcitur. Ita quacumque de cauſa Lucas Magdalenæ cognomen, quod expreſſerat in octavo capite, reticuerit in decimo, de eadem perſona agens, nempe de ſorore Marthæ, conſtare debet hanc Marthæ ſororem eſſe ipſam Magdalenam, de qua ſeptem dæmonia ejecerat Dominus. Denique concludere licet Mariam Magdalenam ſororem Lazari & Marthæ non aliam eſſe mulierem à peccatrice. Etenim non levibus argumentis demonſtravimus, eam quæ unxit Dominum in cœna, ubi accubuit Lazarus poſt ſuam reſurrectionem, eſſe ipſam mulierem peccatricem, quæ in alia præcedenti cœna ſimiliter pedes Domini laverat.

Diximus in iſta quæſtione non eſſe locum periculoſo alicui errori; nullam enim habet cum placitis fidei neceſſariam connexionem. Quapropter etiamſi à primis temporibus uſque in hodiernum diem conſtaret eam opinionem fuiſſe omnium chriſtianorum, quòd unica ſit Magdalena, erraret quidem qui contrà ſentiret; & niſi contrariæ opinioni ineſſent difficultates, quas nemo poſſet ſolvere, pertinax & temerarius meritò judicaretur; ſed non adverſus fidem error ejus eſſet; neque enim de ſymbolo fidei eſt credere unam Magdalenam, vel plures. quod animadverto inde quia nollem cenſura acerbiori vexare opinionem quam impugno; inde quia quam propugno, cenſeam non ſolùm propriam fuiſſe Romanæ Eccleſiæ à temporibus Gregorii magni, ſed ab ipſis Apoſtolicis viris traditam: hoc nixus fundamento, quòd ea quæ per ſe latent in ſacro codice, nec eruuntur niſi adhibita non vulgari ſagacitate, pluribus tamen innotuerunt, certum ſit non eſſe cognita niſi auxilio traditionis alicujus vetuſtiſſimæ. Origenis autem tempore multorum opinio erat, ne dicam omnium, quòd unica eſſet Magdalena; ut ipſe Origenes declarat, tractatu 35. ſuper Matthæum, diſſerens de cœna Bethaniæ, in qua Maria pedes Domini unxit. Occaſione hujus Mariæ quæſtionem quam agitamus, attingit, de qua ſic loquitur: Multi quidem exiſtimant, de una eademque muliere quatuor Evangeliſtas expoſuiſſe &c. *Quid illud,* multi quidem exiſtimant, *denotat, niſi vulgatam fuiſſe opinionem unicam eſſe Magdalenam? Hanc autem opinionem non ingerebat ſacer codex niſi eum rimantibus. etenim, quam Lucas in capite octavo nominat Magdalenam, non liquidò dicit ipſam eſſe mulierem peccatricem, de qua ſermonem fecerat capite ſeptimo. non id ſignificat, ſed potiùs occultat; & cùm in capite decimo loquitur de Maria ſorore Marthæ, nec peccatricem appellat, nec eam dicit olim à ſeptem dæmoniis poſſeſſam. Quæ cùm ita ſint, ſi omnium, aut complurium animis inditum fuerit illas mulieres non eſſe diverſas, procul dubio id acceperant ab antiqua traditione, quæ tunc alia eſſe non poterat, quàm virorum Apoſtolicorum.*

Huic opinioni ideò cœpit adverſari Origenes, quia videbatur ei abſonum ut mulier peccatrix, quam ſupponebat fuiſſe publicum proſtibulum, evaſiſſet hoſpita Chriſti dilecta. Si autem aliquis arbitratur ipſam fuiſſe quæ unxit unguento Domini

mini pedes apud Lucam & Joannem, *vult probare Mariam quæ unxit Dominum in cœna Bethaniæ non ipſam eſſe mulierem peccatricem;* dicat nobis ſi Maria ipſa erat, quæ apud Lucam fuiſſe ſcribitur in civitate peccatrix; quæ diſcens, quia recubuit in Domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus plorans, lacrymis lavabat pedes ejus. Nec enim credibile eſt, ut Maria quam diligebat Jeſus, ſoror Marthæ, quæ meliorem elegerat partem, peccatrix in civitate fuiſſe dicatur. Et putas quia mulier quæ ſecundùm Matthæum & Marcum effudit ſuper caput Jeſu pretioſum unguentum, eventu non ſcribitur fuiſſe peccatrix? Quæ autem ſecundùm Lucam peccatrix refertur, non fuit auſa ad caput Chriſti venire, ſed lacrymis pedes ejus lavit, quaſi vix etiam ipſis pedibus ejus digna, præ triſtitia pœnitentiam in ſalute ſtabilem operante. Et quæ ſecundùm Lucam eſt, plorat, & multùm lacrymatur pedes Jeſu lacrymis lavet; quæ autem ſecundùm Joannem eſt Maria, neque peccatrix, neque lacrymans introducitur.

Tum hiſce ratiociniis, tum auctoritate ſua Origenes adduxit plurimos ex ſanctis Patribus, ut plures pro una Magdalenas agnoſcerent. Tanta fuit ejus auctoritas, & in interpretanda ſacra ſcriptura ſic palmam præripuiſſe cæteris interpretibus cenſebatur, ut palma ſecunda eſſet eorum, qui ejus adhærerent interpretationibus. Ratiociniis Origenis aliqui addunt mulierem peccatricem dimiſſam eſſe à Domino; & idcircò diverſam à Maria Magdalena, quæ illum ſecuta eſt; peccatrici enim inquiunt, dixit: Vade in pace; *Magdalena verò ſequebatur Jeſum per caſtella & vicos. Cauſa hujus diſcriminis non ipſa eſt perſonæ diverſitas, ſed unius & ejuſdem perſonæ conditio, quæ non eadem fuit ante & poſt remiſſa ei peccata. Lucas enim loquitur primùm de Magdalena quæ priſtinos mores aut nondum, aut modò depoſuerat; cùm eam peccatricem appellat. Ergo non mirum eſt ſi eam repræſentat nondum admiſſam in familiare Domini conſortium. Falſum autem eſt illud præjudicium, quod Maria eo ſenſu dicta ſit peccatrix quia eſſet proſtibulum. Eſto peccatrix alio ſenſu fuerit; Jeſus autem amicus fuit peccatorum, nempe eorum, qui peccata commiſſa flebant, non ampliùs committenda.*

Quod autem dicunt ablegatam à Domino mulierem peccatricem, cùm ei dixit: vade in pace, *ut neceſſariò diſtinguenda ſit à quacumque muliere quæ ſecuta ſit Dominum, non intelligunt ſenſum horum verborum:* vade in pace. *his enim ſolùm Dominus certiorem faciebat hanc mulierem remiſſa ei eſse peccata ſua, quaſi dixiſset, pone metum; & ſis felix; ſed neutiquam verba illa indicant Jeſum ablegaſse à ſe hanc mulierem, ne rediret, & ſequeretur eum. Nec mulierem peccatricem diverſam à Magdalena fuiſse, inde probari poteſt, quòd non dicatur dæmoniaca, qualis fuit Magdalena. Etenim etiamſi ſeptem dæmonia non intelligi poſsent multiplicia vitia, ut obſervatum eſt, potuit fieri, ut eo ipſo momento, quo peccatrici ſua remiſsa ſunt peccata, pariter & dæmoniis liberata ſit. Eſto tunc non agitaretur ab ullo dæmone, cùm ablueret Domini pedes: numquid interdùm remittebatur dæmonum ira; quæ aliis temporibus recrudeſcebat, & pro lunæ ætate intendebatur, vel minuebatur? Cùm autem remiſsa ſunt mulieri peccata, tunc plenè ſubducta fuit poteſtati dæmonum, quibus eam ſubdiderant priſtina peccata. Quanquam ergo cætera argumenta quibus pugnavimus, vim invictam non haberent, quoniam rationibus adverſariorum non ea vis ineſt, ut nos abducant à noſtra opinione; ſaltem illa veriſimilior ſtatuenda eſt; quæ ortum habeat ab ipſis Apoſtolis: prævaluerat enim in Eccleſia ante tempora Origenis.*

PARA-

PARALIPOMENA, SIVE PRÆTERMISSA.

Clariùs exponuntur quædam loca Evangeliorum, quæ abundantiori luce indigebant.

PAGINA 10. *columna* 1. *linea* 33. *poſt* immoremur, *adde*: quòd nemo in eam partem accipiat, quaſi ut omninò falſa reſpuamus, quæ nunc piè in Eccleſia creduntur de ſancto Joachim & de ſancta Anna. Id unum ſignificatum voluimus, rem illam diligentiùs enucleare non eſſe de inſtituto noſtro; de qua nec convenit inter antiquos & noviſſimos ſcriptores, ut iterum innuo infrà, *pag.* 26. *col.* 2.

Pag. 11. 2. *col. lin.* 37. *poſt.* relinquitur, *adde*: ut notat Elias Levita, qui in ſuo Thiſbi, ad hanc vocem ישו ſic loquitur de J. C. D. N. *Quia Judæi non credunt quòd ipſe ſit ſervator ille*, nempe Meſſias, *idcircò nolunt ipſum vocare* ישוע; *ſed tollunt* Ain *litteram, & pronuntiant* ישו Jeſchu. *Et etiam dicendum quòd vox* Ain *difficilis ſit prolatu gentibus, ob id non proferunt in lingua ſua* ישושע Jeſcheus, *ſed* ישו Jeſchu, *aut* ישוש Jeſus; quemadmodum ſcribit R. Aben Ezra, *neminem nuquam benè proferre* Heth *&* Ain *litteras, qui prolationem earum non didicerit in pueritia.*

Pag. 12. 1. *col. lin.* 24. *poſt.* cognovit, *adde*: quid autem ſignificet verbum illud notum ex eo: *Adam cognovit uxorem ſuam.*

Pag. 20. 1. *col. lin.* 40. *poſt* ſaluti, *adde*: in Exodo, cap. 7. ℣. 1. ſic loquitur Deus ad Moyſem: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis; & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* quod *Prophetæ* munus ipſe Deus ſic priùs explicuerat cap. 4. ℣. 16. loquens Moyſi de Aarone fratre ſuo: *Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.*

Pag. 24. 1. *col. lin.* 5. *poſt.* Evangeliſtam, *adde*: Harduinus, S. J. ſcriptor celebris, conjicit Rahab illam, de qua fit ſermo in iſta Genealogia, nempe cui nupſit Salmon, non eſſe meretricem illam, ſive cauponariam urbis Jericho. Hoc & ſuſpicati erant ante eum nonnulli clari interpretes: attamen veriſimilius eſt non aliam indicari ab Evangeliſta, quàm quæ eo nomine nota eſſet & inclaruiſſet, ſicut Thamar & Uriæ uxor: quas tres mulieres aliqua vitæ ſimilitudo videtur conjungere. Hac autem facta hypotheſi, quòd Rahab Salmonis alia ſit à cauponaria urbis Jericho, Harduinus ſcitè & nullo negotio generationes inter Naaſſon & ortum Davidis digerit, ut circa eas nulla difficultas ſuperſit.

Verùm, ut jam innuit, etiamſi conſtaret Booz, ut vult Joſephus, in uxorem duxiſſe Ruth tempore Heli, non magis neceſſe eſſet cogitare Booz genitum a Salmone, quam Oziam a Joram; de quo dicit Matthæus: *Joram autem genuit Oziam*, prætermiſſis tribus generationibus. Certum enim eſt nepotes pro filiis haberi in ſacro codice. Id moris fuiſſe adſtruit Kimchius in ſuis commentariis in lib. 1. Paralip. cap. 3. *Vocat verò* Sallumum (quem Jehoiachinem, filium Jehoiakimi, nepotem Joſiæ eſſe dicit) *filium Joſiæ*, quia nepos ejus fuit: *nepotes enim pro filiis habentur, quemadmodum pluribus in locis obſervabis.* Et paulò pòſt idem Kimchius ad illud quod dicitur: *Et filiò Pedaiæ, Zerubabel & Semi*, addit ille Rabbinus: *Qui igitur in Haggæo, Zacharia, atque Eſræ Zerubabel, filius Salathielis vocatur? eò quòd nepos ejus fuit; Pedaias enim filius Sealtielis, Zerubabel verò filius Pedaiæ fuit. Nondumve obſervaſti in locis quamplurimis nepotes filiis acceſeri?* Hæc Kimchius ex interpretatione Beckii, qui primus paraphraſim Chaldaicam in libros Paralipomenorum edidit, & notis eruditis illuſtravit.

Pag. 25. 1. *col. lin.* 5. *poſt* ejus pro eo, *adde*: ſimiliter lib. 2. Paralip. cap. 36. ℣. 8. *reliqua autem verborum* Joakim ..... *regnavit autem Joackin filius ejus pro eo.*

Ibid. lin. 26. *poſt* antiquam eſſe, *adde*, nam videtur ſive Matthæus, ſive quem exſcripſit primum Genealogiæ ſcriptorem, potuiſſe aliter ſcribere: etenim cùm in cæteris generationibus idem homo bis nominetur, primùm ut *filius*, deinde ut *pater*, verbi gratia, *David genuit Salomonem, Salomon genuit Roboam*, forſan primitùs ſcriptum, *Joſias autem genuit Jechoniam, Jechonias genuit Jechoniam & fratres ejus*: prætermitti autem potuit, *Jechonias genuit Jechoniam*, quia videbatur inanis repetitio.

Pag. 31. 2. *col. lin.* 13. *ante finem*, *poſt* parentes recenſuit, *adde*: ex illis autem quos Matthæus & Lucas recenſent, forſan fuere binomines: etenim pleriſque Hebræis bina nomina fuere, ut obſervat Kimchius, quem Beckius allegat in notis ſuis in paraphraſim Chaldaicam Paralipomenorum.

Ibid. lin. ult. poſt ab incertis, *adde*: viſum eſt hìc attexere locum ex Rabbi Joſephi Hiſpani commentariis in Chronica, quem exſcripſit autor diſquiſitionis criticæ de variis Bibliorum editionibus. Nominatus Rabbinus quærens cur tantum diſcriminis appareat inter librum Chronicorum & libros Moyſis, Joſuæ, Samuelis, & Regum quoad Genealogias, hunc nodum explicatu difficilem ſolvit his verbis: *Videtur Eſdras ita inveniſſe deſcriptas haſce familias compendiariò, eaſque deſcripſiſſe eodem modo quo illas invenerat.* Deinde animadverſa ingenti cùm nominum, tum rerum diſcre-

Google

crepantia, ſubjungit : *Neque iſtud mirum videri debet, quia temporis multi ſucceſſu nomina & res mutantur. Eſdras autem ſcripſit familias iſta eo modo quo eas reperit in variis libellis, paululum hic & paululum illic atque compendiario. Ideò familia, quam recenſes per ſaltum, in pleriſque locis & ſine ordine deſcribitur.* Denique exiſtimat ille Rabbinus, Judæos Genealogiæ ſuæ oblitos fuiſſe, ac Eſdram ſcripſiſſe quæ illa ſibi potuerunt occurrere : *etſi illud abſque ordine fuerit, & interdùm bis ſcriptum.* Hactenùs auctor diſquiſitionis criticæ. Hiſce autem tum Genealogia Chriſti illuſtrari poteſt, tum & confutari poſſent Judæi, ſi vellent arguere falſi Matthæum & Lucam.

Pag. 34. 2. col. lin. 35. poſt accenderetur, *adde :* Druſius, ut probet congreſſum, ſive coitum non licitum fuiſſe ſponſo, niſi poſt benedictionem cùm ſponſa ſua jam introducta eſſet in thalamum, adducit hunc locum ex autore libri *Muſer*, cap. 6. *Non licet rem habere cum deſponſata ſua, niſi priùs introduxerit eam in thalamum per benedictionem, prout eſt traditum in tractatu de ſponſa, ubi inter alia : ſponſa ſine benedictione vetita eſt marito, perinde ut immunda ex profluvio menſium, quæ non lota fuerit : nam immunda talis niſi lota fuerit, vetita eſt marito ſuo. Sic ſponſa abſque benedictione prohibita eſt viro ſuo.*

Pag. 35. 1. col. lin. 27. poſt 1. Corint. cap. 11. ℣. 18. *adde :* B. Chryſoſtomus, cujus ſententia eſt, Mariam deſponſatam quidem, ſed non fuiſſe nuptam, non interpretatur de deductione in domum mariti, ſed de maritali congreſſu ; quia, inquit, jam erat Joſephus cum Maria, ſicut generi Loth apud ſocerum dicuntur habitaſſe eum ſponſis ſuis, nondum ſibi lege conjugii copulatis. Hæc Chryſoſtomus : Judæi verò, ut vidimus, diſſentiunt. Nec generi Loth habitabant in ædibus ejus, quas ut alloqueretur, dicitur egreſſus ad eos, Geneſ. cap. 19. ℣. 14. Rebecca quidem deducta eſt ad Iſaac ante nuptiarum ſolemnia ; quia non potuerat Iſaac in Meſopotamiam proficiſci.

Pag. 42. 1. col. lin. 11. poſt cap. 13. ℣. 17. *adde :* Græci interpretes Joſue, cap. 8. ℣. 9. verbum ילן *pernoctavit*, interpretantur ηὐλίσθη.

Lin. 15. poſt ferarum aliarum, *adde :* etenim illud φυλάσσοντες φυλακὰς, intelligi debet ut in Ezechiele, cap. 40. ℣. 46. & cap. 44. ℣. 15. & in 2. Paralip. cap. 7. ℣. 16. & Num. cap. 3. ℣. 7. eo ſenſu quod alii aliis per vices ſuccederent, quemadmodum ſacerdotes in Templo.

Pag. 43. 2. col. in fin. poſt utilitatis, *adde : quamquam non ſit de inſtituto noſtro reddere rationem omnium rituum veteris legis ; quorum mentio fit ab Evangeliſtis non dedita opera, ſed caſu ; dicam cur octavo die pueri circumciderentur*, utens verbis elegantibus Cunæi, lib. 3. cap. 5. de repub. Hebr. *Cunctæ animantes cùm recens natæ ſunt ; quia brevem lucis uſuram habuere, & incertum adhuc eſt an vita illis vitalis ſit, ante octavum diem vix in cenſu animantium æſtimantur : adhuc nondum ſpurcities defluxit, quæ ex utero illis, atque ex partu credita eſt adhæreſcere. Ea cauſa eſt cur ex hoc genere mactari victimas ſibi vetuerit Deus, cui ingratum eſt quidquid ſemiperfectum, aut impurum eſt. Extat edictum in Levitici capite vigeſimo & ſecundo, Bos, ovis, & capra, cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ : die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino. Igitur, quoniam, etiam circumciſio velut quoddam ſolemne ſacrum fuit, per quod puerorum ſurgentem ſpem conſervabant numini, planè oportuit hic eamdem opportuni temporis legem eſſe.* Ne quis hæc acutè magis quàm verè dicta cogitet, audiamus, quod dicit Ariſtoteles, lib. 7. cap. 12. hiſtoriæ animalium. Loquitur de pueris : *plurimi ante ſeptimum diem intereunt. Unde fit ut nomina ſeptimo die imponantur, tanquam ſaluti jam pueri magis credamus.*

Pag. 48. 1. col. lin. 1. poſt minima es ? *adde ;* quaſi dixerit : Tu ne Bethlehem Ephrata parva ſis in millibus Judæ, imo verò ex te egredietur &c.

Ibid. 2. col. lin. 45. poſt ſine muneribus, *adde :* Thucidides, lib. 2. apertè diſtinguit inter φόρον *vectigal*, & δῶρα *munera*. Herodotus liquidò ſcribit, lib. 3. cap. 97. Arabes præter tributum regi ſuo dona detuliſſe. Ita Magi, quos ex Arabia veniſſe veriſimile eſt, Jeſum pro Rege agnoſcebant. Obſervare eſt illam diſtinctionem vectigalium & donorum : *ſed & Philiſtæi Joſaphat munera deferebant, & vectigal argenti.*

Pag. 51. col. 2. lin. 42. dele ſive cauſam, ſive occaſionem : *& ſcribe*, cauſam videlicet, ut aiunt, occaſionalem.

Pag. 54. 2. col. lin. 47. poſt exprobrata ſit, *adde :* in chronologico apparatu hujus infanticidii veritatem confirmamus. Attamen hìc iterum dicam, non mirum eſſe ſi tam atrox facinus prætermiſſum ſit à Joſepho : etenim exſcribit Nicolaum Damaſcenum, qui laudes Herodis potiùs celebrandas ſuſceperat ; quàm veram vitæ hujus principis hiſtoriam : hoc eſt veram facinorum ejus bonorum & malorum narrationem. Genium Nicolai ſic deſcribit Grotius epiſtola ad Pereſkium ; *Venio ad ſcribentis genium. Pleraque ſcripſiſſe in gratiam potentum, quibus amicis utebatur, notat Joſephus : Quæ in illis culpari poterant involviſſe ſilentio, quæ aliquid laudis recipiebant ea liberaliſſime prædicaſſe & ultra hiſtoriæ morem.* Sic infanticidium prætermiſſum à Nicolao Joſephus potuit ignorare.

Pag. 69. lin. 5. poſt comparent, *adde :* de hoc convenit inter peritiores Judæos. Agnoſcunt antiquam ſapientiam excidiſſe animis, oblivione ſe-

pul-

Digitized by Google

pultam, & remanſiſſe tantùm legum, jurium rituum cognitionem. Cùm Rex Coſri poſtulat à Judæo cujus colloquium cum hoc rege collegit Rabbi Jehuda Levita; cùm inquam in quarta parte, num. 30. hujus colloquii poſtulat rex, *quomodo ergo perierant libri illi, qui ex profeſſo & per ſe de his ſcripti fuerunt, & remanſerunt illi qui ſunt per accidens? Reſpondet Judæus: quia illi libri noti fuerunt tantùm ſingularibus quibuſdam hominibus, quorum unus vocabatur videns, alius medicus, alius anatomicus &c. In deſtructione autem populi alicujus tolluntur è medio primò præſtantiores in illo, deinde illi qui ſunt ipſis inferiores. Hinc ſublatis ſingularibus, ſimul perit ſapientia illorum, nec quicquam relinquitur, niſi libri legum vel jurium & rituum vulgò neceſſariorum, qui plerumque noti ſunt majori parti populi, quos deſcribunt & in quibus frequenter ſtudent.*

Hæc animadvertere ingens operæ pretium eſt adverſus eos, qui ideò myſterium Trinitatis antiquitùs ignotum fuiſſe Judæis cenſent, quia non agnoſcitur à recentioribus. Non mirum ergo hæc quæ &c.

Pag. 73. 2. *col. lin.* 3. *poſt* in templo, *adde*: celebrabatur decima die menſis Tiſri, cujus in decima quinta die Feſtum erat Tabernaculorum magnum.

Pag. 80. *col.* 2. *lin.* 41. *dele* ſed non omninò ſumus: donec *ſcribe*: *& re ipſa ſumus; ſed licèt filii, non erimus hæredes regni cælorum, niſi …*

Pag. 85. *col.* 2. *lin.* 41. *poſt* quid ſit illi ſtatuendum, *adde*: Non prætermittenda erant quæ hic obſervat Hammondus, cujus paraphraſis & annotationes primùm ſcriptæ Anglicè, lingua Latina nuper donatæ ſunt à Joanne Clerico, & editæ, cùm hæc Paralipomena jam in manibus Typothetarum verſarentur. Cùm ergo mihi propoſitum ſit excerpere ex omnibus ſcriptis cujuſcumque generis ſint, ea quibus Evangelium illuſtrari poteſt, inſeram his paralipomenis quæ modò licuit legere in ſcriptore Anglo. Obſervat ille in libris Samuelis, cujus temporibus ſine dubio unus tantùm erat ſummus Pontifex, Achimelec interfecto, ſubſtitutum fuiſſe in maximo Pontificatu Abiatharem, lib. 1. cap. 22. ℣. 20. & tamen poſteà frequentem fieri mentionem Sadoc & Abiathar, ut 2. lib. cap. 15. ℣. 35. *Habet autem ſecum Sadoc & Abiathar ſacerdotes*, ubi Sadoc præponitur Abiathari, licèt hic ſummus eſſet Sacerdos; ut in eo loco Evangelii de quo agitur, Annas Caiphæ præponitur.

Pag. 86. *col.* 2. *lin.* 9. *poſt* animas purgare, *adde*: purgamus autem animas cùm ultrò damus pœnas præcedentium delictorum, neque enim ſufficit reſipiſcere & mentem mutare, ut Deus placetur: ſine ſanguine hoc eſt ſine aliquo ſpontaneo dolore peccatum non piatur.

Pag. 87. *col.* 1. *lin.* 15. *poſt* in vias planas, *adde*: Joſephus lib. 6. cap. 12. de bello Judaico, ſcribit *alta & depreſſa loca plana facta fuiſſe, ob adventum Romani exercitus & machinarum adverſus Jeroſolymam*. Eodem modo quo Strabo Geograph. lib. 5. dicit de iiſdem Romanis: *explanarunt vias per regionem, collibus dejectis ac completis vallibus*. Ibi ergo Iſaias, &c.

Pag. 93. *col.* 2. *lin.* 12. *poſt* purgentur, *adde*: τὸ δὲ ἄχυρον, quam vocem vulgatus reddit *paleas*: non eſt ariſtarum calamus qui non comburi ſolet, ſed gluma, involucra nempe granorum, & ſpicarum fragmenta. Ad hunc &c.

Pag. 127. *col. in fine*, *poſt* inveniant, *adde*: apud Heſychium *κεραία ἀρχὴ γράμματος initium litteræ*.

Pag. 132. *col.* 2. *lin.* 48. *poſt* ſe obligat, *adde*: Ea fuit opinio de juramentorum religione etiam apud Ethnicos, ut oſtendunt illa verba T. Quintii Cincinnati apud Livium, lib. 6. cap. 29. adversùs perfidos Gallos pugnaturi: *adeſte Dii teſtes fœderis, & expetite pœnas debitas ſimul vobis violatis, nobiſque per numen veſtrum deceptis*. Judæi autem &c.

Pag. 134. 1. *col. lin.* 22. *poſt* illi alteram, *adde*: eos contumeliis præbe, ut loquuntur Latini: ſic hæc Taciti Hiſt. lib. 3. cap. 31. *Circumſteterunt*, inquit *victores, & primò ingerebant probra, intentabant ictus; mox ut præberi ora contumeliis, & poſita omni ferocia, cuncta victi patiebantur, &c.*

Ibid. 2. *col. lin.* 18. *poſt* ſolveretur, *adde*: ut paraphraſtæ Chaldæi interpretantur legem Exodi, cap. 21. ℣. 24. *pretium oculi pro oculo*.

Pag. 140. 2. *col. lin.* 29. *poſt* adveniens *adde*. Sic Heſychius hanc vocem habet pro die adveniente. ἡ ἐπιοῦσα, ἡ ἡμέρα ἐρχομένη.

Pag. 141. 1. *col. lin.* 6. *poſt* orationis, *adde*: Nec omittendum quod per *panem quotidianum* intelligi poſſit largitio illa quæ fiebat pauperibus à viris piis per ſingulos dies, quam faciebat Tobias, cap. 1. ℣. 3. *Ita ut omnia quæ habere poterat quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere impertiret*, & ℣. 19. *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos, dividebatque unicuique prout poterat de facultatibus ſuis*. quaſi nos doceat Chriſtus à Deo quotidianum victum emendicare, ſive more mendicantium ſuppliciter petere.

Ibid. col. 2. *lin.* 39. *poſt* ſine cultu, *adde*: verbum ἀφανίζειν, quod redditur hìc *exterminare*, ſignificat, ut Joannes Clericus obſervat, efficere ut aliquid ſit ἀφανὲς, quod contrarium eſt, & τῷ φανῷ hoc eſt *ſplendido*, & τῷ φανερῷ. Inde Hammondus, quia ut ait Heſychius ἀφανίζειν idem ſit ac σκοτίζειν, ſic locum hunc interpretatus, ut illi hypocritæ operirent caput juxta morem lugentium, ſcilicet ut ne niaem lateret eos

jeju-

jejunio affligere animam ſuam. Sed verbum ἐϖαϊ̈ζειν etiam ſignificat *inducere pallorem*, quo ſenſu accipitur ab interprete vulgato.

Pag. 143. 1. *col. lin.* 21. *poſt* inquiunt, *adde*: quia ignorant divinam providentiam.

Pag. 157. *col.* 2. *lin.* 21. *poſt* divi Paulini, *adde*: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet, & tu amplas porticus & ingentia tectorum ſpatia metiris: hæreditatem expectans ſæculi, cohæres Chriſti eſſe non poteris.* Verba ſunt B. Hieronymi ad Heliodorum.

Pag. 183. 2. *col. lin.* 8. *poſt*, à ſtrangulatione, *adde*: Mortis ſunt genera 903. inquiunt Talmudiſtæ, ut me docet Henricus Otho in hiſtoria doctorum Miſnicorum. Placidiſſimum eſt illud הנשיקה *oſculi*, quo mortuus eſt Moſes: graviſſimum verò eſt אסכרא *Angina*, Græcè *συνάγχη*.

Pag. 187. *col.* 1. *lin.* 54. *poſt* populo, *adde*: certum eſt inter Hebræos fuiſſe qui magiſtrorum dictata exciperent in aurem ſuggeſta, eaque clara voce omnibus proponebant. Talis interpres dicebatur *Os*. & *Thargum*; quæ vox eſt chaldæa idem ſonans ac interpres. In *exceptis Gemara tract. Sanhedr.* cap. 1. §. 7. *Dixerunt Jehudæ, interpreti Reſch Laciſch, adſta illi in concione, adſtitit, ſe inclinavit juxta illum, at ille nihil dictavit.*

Ibid. col. 2. *lin.* 9. *poſt* aſſe, *adde*: *ἀσσαρίῳ*, vili nummo (*ἀσσάριον ὁ κοδράντης ἐστιν*. Heſychius.) *veneunt?*

Pag. 188. 1. *col. lin.* 17. *poſt* præfert, *adde*: *Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine & ſciſſis veſtibus, ubera quibus te nutrierat, mater oſtendat: licèt in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Hæc Heliodoro ſcribebat Hieronymus.

Pag. 196. *col.* 1. *lin.* 51. *poſt.* tardi, *adde*: vox illa *βιάζεσθαι* notat abreptionem alicujus rei, ab eo qui lege nullum jus in eam habet. Ita Hammondus putat eam eſſe Domini ſententiam ut dicat unumquemque, nempe viliſſimos etiam homines, meretrices, publicanos jam vim inferre regno cœlorum, ſive ſpoliare regno cœlorum doctores magiſtros.

Ibid. 2. *col. lin. antepenultima poſt* audiunt *adde*. His lucem afferet locus ille Ammiani, lib. 19. *Ac per dierum ſpatium ſeptem viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant, ſaltando & cantando triſtia quædam genera næniarum, regium juvenem lamentantes.*

Pag. 201. *col.* 2. *lin.* 7. *poſt* requirit, *adde*: Ibi autem uſus eſt Dominus locutione uſitata apud Judæos, ut colligimus ex illo effato quod legitur in *Pirke avoth.* cap. 2. *Qui recipit in ſe jugum legis, ab eo tollitur jugum regni, & jugum viæ terræ: quicumque autem abjicit à ſe jugum legis, ſuper eo decernitur ut ferat jugum regni & jugum viæ terræ.*

Pag. 211. *col.* 1. *lin. penultima*, *poſt* ſacrificiis, *adde*: ne quis hæc quæ diximus de baptiſmo proſelytorum habeat pro figmentis nuperrimis Rabbinorum; proferam hæc quæ reperi apud Hammondum. Hujus moris, inquit ille, proſelytorum baptizandorum, habemus eximium argumentum, apud Arrianum Stoicum Philoſophum, in Epicteto, lib. 2. cap. 9. ubi proſelytus Judæus vocatur ab eo *βεβαμμένος*, & qui non verè eorum religionem amplectitur, ſed tantùm λόγῳ & externa ſpecie, *παραβαπτιστής* id eſt *fruſtrà baptizatus*.

Pag. 214. *col.* 2. *lin.* 43. *poſt* neceſſitati, *adde*: domus Dei hìc ſumitur latiùs, dicit Hammundi interpres, non pro ſolo Tabernaculo, ſed & pro ædificio in quo degebat pontifex maximus in vicina Tabernaculi. Panes enim quos abſtulit David, non amplius erant in ſanctuario; *ſublati fuerant à facie Domini, ut ponerentur panes calidi.* 1. Reg. cap. 21. ℣. 6. Sed quare non dicit Chriſtus ſub Achimelec qui eo tempore fuit pontifex maximus? quia filius ejus Abiathar notior erat ex hiſtoria ſacra; qui & poſteà fuit pontifex maximus; qua ergo dignitate per anticipationem deſignatur.

Pag. 221. *col.* 1. *lin.* 16. *poſt* æger ille, *adde*: Tunc temporis nullum erat *νοσοκομεῖον*, *noſocomion*, quod hoſpitii genus à Fabiola primitùs inſtitutum fuiſſe ſcribit Hieronymus in hujus Epitaphio, *in quo* noſocomio, *ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus atque inedia miſerorum membra foveret .... quoties morbo regio & pædore confectos humeris ſuis ipſa portavit? quoties lavit purulentam vulnerum ſaniem, quam alius aſpicere non valebat? præbebat cibos propria manu, & ſpirans cadaver ſorbitiunculis irrigabat.*

Pag. 242. *col.* 1. *lin.* 43. *poſt* pro multis, *adde*: Senſus ergo verborum Domini eſt, his qui nova requirunt à me miracula, poſthabitis omnibus quæ hactenus viderunt, unicum ſupereſt ſignum, aut miraculum quo convincantur, nempe reſurrectio mea ex morte, poſtquam me cruci affixerint; qua ratione aſſeretur munus meum: & poſtquam abiero, tunc comperietur quòd Jonæ ſubmerſio ac miranda liberatio ex ventre ceti, fuerit mei typus, & quidem ſignificantiſſimus. Hæc Hammondus.

Pag. 253. *col.* 2. *lin.* 41. *poſt* in parabolis, *adde*: non alienum ab hoc loco quod dicit Maimonides in more Nevochim: *Scito clavem intelligentiæ & ſcientiæ veritatis omnium eorum quæ à prophetis dicta ſunt, eſſe intelligentiam ſenſus & verborum parabolarum. Noſti enim id quod dicit Deus apud Hoſeam*, cap. 12. ℣. 11. *Per manus*

Pro-

Prophetarum propono ſimilitudines ... Non ignoras inſuper quid Salomon dicat ab initio Proverbiorum ſuorum ad intelligendum parabolam & elocutionem verba ſapientum & ænigmata eorum? Sic legimus apud ſapientes noſtros in Medraſch. cui rei fuerunt ſimilia verba legis, antequam exſurrexiſſet Salomon? Puteo, cujus aquæ ſunt profundæ & frigidæ, ut homo nequeat de illis bibere. Quid fecit prudens & ingenioſus quipiam? Colligavit funem funi & filum filo, atque ita hauſit & bibit. Ita progreſſus eſt Salomon de parabola ad parabolam, & de verbo uno ad aliud, donec penetravit in ipſam legis foſſam, vel ciſternam.

Pag. 260. col. 2. lin. 15. poſt ὑπάρχοντα, *adde:* Heſychius vocem ὄν interpretatur ἐνύπαρχον ἢ δυνατόν, *quod quis habet, vel poteſt*. Epictetus jubet abſtinere à juramentis ἐκ τῶν ἐνόντων, *quantum in nobis eſt*. Tobias dicebat cap. 4. ℣. 7. ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σοῦ ποίει ἐλεημοσύνην *ex tua ſubſtantia fac eleemoſynam*; hoc eſt, da eleemoſynam ex eo quod habes. Ita Dominus dicit Phariſæis: date quidquid poſſideris, ſi malè partum eſt; ſive, ut loquitur Tertullianus &c.

Pag. 263. col. 2. lin. 17. poſt habet, *adde:* Doctorem dicunt ἀποστοματίζειν, inquit Suidas, cùm puerum aliquas res, quas audierit & didicerit ore, id eſt ſine ſcriptis & memoriter, dicere jubet. Inde factum ut in genere verbum illud ſumatur pro *ore elicere*, vel *prolicere ad dicendum*; quod ſequens &c.

Pag. 272. 1. col. lin. 41. poſt exornata, *adde:* Tertullianus, B. Chryſoſtomus & alii vetuſti ſcriptores videntur legiſſe hunc locum Evangelii, qualem eum habemus in vulgatis codicibus Græcis & Latinis. Tertullianus enim agens de virtute baptiſmi, lib. de baptiſmo, cap. 5. in hujus virtutis exemplum allegat piſcinam probaticam. *Angelum aquis intervenire, ſi novum videtur, exemplum futuri præcucurrit. Piſcinam Bethſaidam angelus interveniens commovebat: obſervabant qui valetudinem querebantur. Nam ſi quis prævenerat deſcendere illuc, queri poſt lavacrum deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis ſpiritualem medicinam canebat, ea forma qua ſemper carnalia in figura ſpiritualia antecedunt.* Mirum ergo eſt illam particulam de Angelo deſcendente in piſcinam abeſſe à codice regio, in quem vir doctiſſimus & humaniſſimus D. Joannes Boivin nuper incidit, neutiquam caſu. Cùm enim incredibili diligentia & mirâ ſagacitate verſet & excutiat in Bibliotheca Regia omnes manuſcriptos codices Græcos, qui curis ejus commiſſi ſunt, deprehendit latentem ſub recentiori ſcriptura opuſculorum S. Ephræm veterem ſcripturam Evangelii. Rem explicabo verbis ipſis viri doctiſſimi, & integrum exhibebo ſcriptum quod mihi perhumaniter communicavit, quo in ſcripto aliæ ſunt obſervationes quas lectorem juvabit perlegere.

De Codice Regio. 1905.

Solebant olim librarii, quibus deerant membranæ ad aliquid deſcribendum, antiqua exemplaria diſſuere, & ſcripturæ veteri ſuam ſuperillinere. Ejuſmodi libros non paucos in Bibliotheca Regia obſervare eſt, ac in iis volumen majoris moduli Græcum, cujus numerus eſt 1905.

Conſtat is Codex foliis membraneis novem & ducentis, quorum ſingulæ paginæ ſcripturam duplicem exhibent, alteram novam & lectu facilem, alteram vetuſtate decolorem, & proinde vix legibilem.

Recentiore atramento ſcripta ſunt opuſcula Sancti Ephræmi; vetere autem, nempe uncialibus literis & abſque accentibus (quæ eſt optima nota antiquitatis) maxima pars Novi Teſtamenti cum fragmentis aliquot Biblicis.

Itaque eas membranas avulſas eſſe apparet ab exemplari vetuſtiſſimo, quo continebantur quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, Epiſtolæ Pauli, Epiſtolæ ſeptem Canonicæ, Apocalypſis, Jobus, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, & Eccleſiaſticus.

Hæc verò fragmenta etſi ſunt lectu difficillima, quia recens ſcriptura veterem obruit & quaſi abſorbet, tamen ſi propiùs ſpectentur legi poſſunt. Sed foliorum ordo priùs reſtituendus eſt. Nam is qui Sancti Ephræmi ſermones in illis membranis exaravit, videtur operam dediſſe ne uſui deinde unquam forent venerandæ illæ codicis ſacri reliquiæ: adeo folia permiſcuit, invertit, & tranſpoſuit.

Quamobrem neceſſe eſt habere in promptu indicem capitum, ad foliorum tranſpoſitorum numeros accommodatum, cujus ope reperiantur fragmenta utriuſque Teſtamenti per totum volumen diſperſa.

Obſervandæ quoque in hujus Codicis marginibus variæ lectiones, & additamenta, quibus id quod uni Evangeliſtæ deeſt, ex alio ſuppletur.

Item notæ liturgicæ, per quas indicantur quotidianæ lectiones Evangelii & aliorum utriuſque Teſtamenti librorum.

Sunt autem & hæc ipſa literis quidem capitalibus ſcripta, ſed inclinatis & anguſtioris formæ, non quadratis ut in media pagina. Præterea in marginibus atramentum craſſius eſt. Denique in contextu orthographia ſatis accurata; in marginibus nulla. Quæ diſcrimina arguunt ſcripturam marginalem multo recentiorem eſſe quàm alteram.

In hujus Codicis lectionibus multa ſunt ſingularia. Notatu digniſſima eſt narratio de Piſcina probatica Joan. cap. 5. *Nam cùm in cæteris codicibus legatur,* ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν. Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κα-

τέβαινεν

* corrupte pro, ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος, &c.

[library stamp, illegible]

Te lere.

Digitized by Google

Digitized by Google

κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι. ἦν δέ τις ἐκεῖ ἄνθρωπος τριακονταοκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. *In hoc Codice ſtatim poſt*, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν. *legitur*, ΗΝ ΔΕ ΤΙΣ ΕΚΕΙ ΑΝΘΡΩΠΟΣ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΚΑΙ ΟΚΤΩ ΕΤΗ ΕΧΩΝ ΕΝ ΤΗ ΑΣΘΕΝΕΙΑ. *Illa autem verba*, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν, *& quæ ſequuntur de Angelo ſtatis temporibus deſcendente, ac de infirmis continuò poſt aquam turbatam immergi ſolitis, in margine ſcripta ſunt manu diverſa & recentiore. Joannes Jacobus Crammerus Tigurinus, juvenis apprimè doctus, qui Hebraicarum literarum Profeſſor à ſuis civibus non ita pridem delectus eſt, putabat ſcholium illud eſſe, quod è margine in mediam paginam irrepſiſſet; aiebatque ſe in ea ſemper opinione fuiſſe, etiam antequam hunc Codicem vidiſſet. Ita quoque in codice Bezæ ſcriptum eſſe accepi ex clariſſimo viro Richardo Simone.* Hæc D. Boivin.

Particulam illam Codicis Regii, quæ ſpectat narrationem de Piſcina probatica, curavimus cælandam à perito artifice, qui ſcripturam veterem ſic imitatus eſt, ut ipſum exemplar omninò expreſſerit.

Subjungemus aliquot variantes lectiones, ad Evangelium pertinentes, quas ex eodem manuſcr. Codice Regio excerptas nobis etiam communicavit D. Boivin, nec non alia quædam ab eo paſſim obſervata.

Matthæi cap. 8. verſ. 13. legitur in hoc Codice, ΚΑΙ ΥΠΟΣΤΡΕΨΑΣ Ο ΕΚΑΤΟΝΤΑΡΧΟΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΟΙΚΟΝ ΑΥΤΟΥ ΕΝ ΑΥΤΗ ΤΗ ΩΡΑ ΕΥΡΕΝ ΤΟΝ ΠΑΙΔΑ ΥΓΙΑΙΝΟΝΤΑ. *Quæ verba abſunt à libris editis: reperiuntur autem & in aliis quibuſdam codicibus manuſcriptis.*

Ibidem, verſu 28. legitur in hoc Codice, ΓΑΔΑΡΗΝΩΝ. *In libris editis, & in cæteris codicibus manuſcriptis legitur*, Γεργεσηνῶν.

Matthæi cap. xiv. ℣. 22. in libris editis legitur, καὶ εὐθέως ἠνάγκασεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, &c. *Ibidem autem in hoc Codice legitur*. ΚΑΙ ΗΝΑΓΚΑΣΕΝ ΤΟΥΣ ΜΑΘΗΤΑΣ ΕΜΒΗΝΑΙ. *At in margine ſcriptum eſt recentiori manu*, ΤΩ ΚΡΩ ΕΚΙΝΟ ΙΝΑΓΚΑΣΕΝ Ο ΙΣ ΤΟΥΣ ΜΑΘΗΤΑΣ ΑΥΤΟΥ ΕΜΒΙΝΕ ΗΣ ΤΩ ΠΛΟΙΟΝ Κ ΠΡΟΑΓΙΝ ΑΥΤΟΝ ΗΣ ΤΩ ΠΕΡΑΝ ΕΟΣ ΟΥ ΑΠΟΛΥΣΙ ΤΟΥΣ ΩΧΛΟΥΣ, *corrupte, pro* τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἠνάγκασεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν, ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους.

Matthæi cap. xxvi. ℣. 40. poſt hæc verba, οὕτως οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ, *additur recentiori manu in margine*. * ΩΦΘΙ ΔΕ ΑΥΤΩ ΑΓΕΛΟΣ ΟΥΡΑΝΟΥ ΕΝΙΣΧΥΟΝ ΑΥΤΟ Κ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΕΝ ΑΓΩΝΙΑ ΕΚΤΕΝΕΣΤΕΡΟ ΠΡΟΣΕΥΧΕΤΩ. ΕΓΕΝΕΤΩ ΔΕ Ο ΙΔΡΟΣ ΑΥΤΟΥ ... ΘΡΟΜΒΥ ΕΜΑΤΟΣ ΚΑΤΑΒΕΝΟΝΤΕΣ ΕΠΗ ΤΙΝ ΓΙΝ Κ ΑΝΑΣΤΑΣ ΑΠΟ Τ ΠΡΟΣΕΥΧΕΙΣΙ ΕΡΧΕΤΕ. *Ibidem. Indicatur locus unde ſumptum eſt hoc ſupplementum nempe* ΛΟΥΚΑ ΚΦ. ΣΠΓ. *Id eſt alio Lucæ cap. 283. ſeu, ut capita hodie numerantur, cap. xxii. verſibus 43. 44. 45.*

* corrupte pro, ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος, &c.

Ea ratione quæ apud unum Evangeliſtam deerant, nonnunquam ex alio ſuppleta fuerunt; quod notandum.

Sic Luc. cap. ix. ℣. 35. poſt, ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, *ſuppletur in margine*, ΕΝ Ω ΕΥΔΟΚΙΣΑ. *ex Matth. cap. xvii. ℣. 5.*

Ibidem. ℣. 57. In libris editis, ἐγένετο δὲ πορευομένων. *In hoc Cod. abeſt* ἐγένετο. *Legitur autem*, ΚΑΙ ΠΟΡΕΥΟΜΕΝΩΝ. *At in margine ſcriptum eſt recentiori manu*, ΕΓΕΝΕΤΩ ΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΥ ΤΟΥ ΙΥ.

Sic etiam Marci cap. iii. ℣. 12. poſt hæc verba, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσι, *legitur in hoc Cod. idque in ipſo contextu*, ΟΤΙ ΗΔΕΙΣΑΝ ΤΟΝ ΧΝ ΑΥΤΟΝ ΕΙΝΑΙ, *ut legitur apud Luc. cap. iv. ℣. 41.*

In Evang. Joannis deeſt huic Codici initium capitis octavi, ita ut ex ipſa lectione ſciri non poſſit an ibi extiterit hiſtoria mulieris adulteræ. Sed alia ratione arguitur eam abfuiſſe. Nam unum Codicis manuſcripti folium æquivalet lineis 55. editionis Regiæ Luparææ. At hoc loco deſunt in Cod. manuſcr. duo folia præciſa. Ergo quæ deſunt æquivalent lineis cx. editionis Regiæ. Sed ſi narratio de muliere adultera fuit in Cod. manuſcr. neceſſe eſt duobus foliis Cod. manuſcr. comprehenſus fuiſſe lineas 128. editionis Regiæ, quod dici non poteſt. Itaque deducendæ ſunt ex ea ſumma lineæ 18. quibus continetur hiſtoria mulieris adulteræ. Hactenus D. Boivin.

Judicium meum non interponam de auctoritate pervetuſti hujus codicis; quem cura viri docti erutum produximus. Codex ille ipſo Tertulliano dici poſſet vetuſtior; unde non mirum eſſet jam tempore Tertulliani irrepſiſſe in vulgatos codices dictam particulam, niſi quis dicat & tempore Tertulliani non admiſſum illum quartum verſum capitis quinti Joannis; quem verſum, ubi illa fit mentio angeli, notat & Hammondus non reperiri in codicibus manuſcriptis Bezæ. Dici, inquam, poſſet, mentionem ideo angeli fieri à Tertulliano ut ab aliis antiquis ſcriptoribus, non quia legerat, ſed quòd interpretaretur aquam piſcinæ non commotam niſi ab angelo interveniente. *Subitò enim videbatur aqua turbata, & à quo turbabatur, non videbatur. Credas hoc angelica virtute fieri ſolere.*

I er. Sic Auguſtinus loquitur ad hocce caput oannis; non aliam mentionem faciens ange-i de quo quæſtio eſt. Quod confirmaret interpretationem Tertulliani & aliorum appoſitam margini fuiſſe; deinde inductam in ipſum textum; ſed ut dixi, relinquo aliis hancce litem dijudicandam. Complures ſuſpicabuntur mutilatum fuiſſe hunc codicem negligentia, vel audacia ſcriptoris, cui hiſtoria Angeli videbatur dubia; & ideò dicent ipſum codicem neglectum, & in alios meliores uſus deſtinatum ab eo qui opuſcula Sancti Ephræm deſcribenda habebat. Quidquid ſit, codex ille monumentum eſt antiquiſſimum: forſan enim non alius eſt codex vetuſtior.

Pag. 287. col. 8. lin. 43. poſt adjicitur, *adde*: Nonnus hic ἰχθύας ὀπταλέας dixit, id eſt *piſces aſſos*; quo ſenſu vox ὀψάριον ſumi videtur apud eumdem Joannem, cap. 21. ℣. 9. 10. Itaque licet cogitare piſces illos aſſos fuiſſe. Certè quidem non credos ſecum detuliſſent in deſerta loca; ideò focum & lebetes fruſtrà hìc pictores exhibent, dum hanc hiſtoriam panum multiplicatorum cœlo vel penicillo repræſentant: &c. Sed hæc quid

Pag. 309. col. 1. lin. 9. poſt tetigerunt, *adde*: *Omne ſtratum in quo dormierit*, qui patitur fluxum ſeminis, *immundum erit, & ubicumque ſederit*. Levitic. capit. 15. ℣. 4. &c.

Ibid. col. 1. lin. 51. poſt Dominus, *adde*: B. Hieronymus hortans virginem ne deſereret matrem quam cauſabatur non benè eſſe moratam; hæc in memoriam ejus revocabat: *Primùm quidem, etiamſi talis eſt ut cauſaris, majus habebis præmium, ſi talem non deſeras. Illa te diu portavit in utero, diu aluit, & difficiliores infantiæ mores blanda pietate ſuſtinuit: lavit pannorum ſordes, & immundo ſæpe fœdata eſt ſtercore: aſſedit ægrotanti.*

Pag. 325. col. 1. lin. 12. poſt vivæ, *adde*: hoc eſt: veluti fons vivus erunt, ex cujus κοιλίας, *cavitate, ventre*, abundantes aquæ ſcaturiunt. Unuſquiſque fidelis implebitur Spiritu Sancto, ſicut ſcaturigo aquis plena eſt; ita ut cor eorum ſemper erumpat in pias actiones.

Pag. 330. col. 2. lin. 49. poſt lux mundi, *adde*: Is ſum quem initio, vel jam tum me eſſe dixi. Proferuntur exempla gujus ſignificationis ex optimis ſcriptoribus Græcis & antiquis Onomaſticis.

Pag. 336. col. 1. lin. ultima poſt notiorem *adde*: Saliva quidem erat ordinatium pro ægris oculis uſitatum apud Judæos remedium; ſed ut Jeſus oſtenderet Judæis ſe planè alia vi & facultate ſanare quàm vulgo fieret, immiſcuit ſalivæ pulverem terræ, quo magis oculi læduntur. Judæi verò, ut Maimonides docet de ſabbato, cap. 21. non putabant licitum oculos ſaliva illinere in die ſabbati; unde obſervat Evangeliſta, diem quo viſum cæco Jeſus reſtituit, fuiſſe ſabbatum, & ideò Phariſæos Jeſum criminatos, quaſi non cuſtodiret ſabbatum.

Pag. 348. col. 1. lin. 46. poſt excuſare ſe, *adde*: ἀπὸ μιᾶς reſpondet Syriacæ voci מחדא nam מן eſt *ab*: ἀπὸ Græcorum, & חדא adjectivum fœmininum idem ſignificat ac μία, *una*. Dubium non eſt, inquit Hammondus, quin hoc Syriacum vocabulum vertere voluerit Lucas. Jam autem מחדא ſignificat *ſtatim*, adeoque ἐξ αὐτῆς, *ipſa horæ*, quæ locutio phraſi Lucæ prorſus ſimilis eſt.

Pag. 359. col. 1. lin. 39. poſt domo, *adde*: Locum hunc valdè illuſtrare poſſunt hæc quæ dicebat Dominus apud Iſaiam, cap. 22. ℣. 20. qui rejecto Sobna templi præpoſito ſubſtitututus erat Eliacim: *Et erit in die illa: vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo conſortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus: & erit quaſi pater habitantibus Jeruſalem & domui Juda. Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Hiſce ſignificatur poteſtas regendæ domus regiæ, excipiendi & admittendi in eam quos liberet, & quos videretur excludendi. Chriſtus non dicit, &c.

Pag. 371. col. 2. lin. 24. poſt impoſſibile vobis, *adde*: *Verè illud etiam juxta literam impleri poteſt*, ait Hieronymus in vita Hilarionis, *ſi tamen quis habuerit Apoſtolorum fidem, & talem qualem illis habendam Dominus imperavit. Quid enim intereſt utrùm mons deſcendat in mare, an immenſi undarum montes repentè obriguerint?* Cùm Epidauritani viderent *frementes fluctus & undarum moles & montes gurgitum littoribus inferri, verentes quod jam eveniſſe cernebant, ne oppidum funditus ſubverteretur, ingreſſi ſunt* ad Hilarionem; *& quaſi ad prælium proficiſcentes, poſuerunt eum in littore. Qui cùm tria crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſque contrà tenderet, incredibile dictu eſt, in quantam altitudinem intumeſcens mare ante eum ſteterit: ac diu fremens, & quaſi ad obicem indignans, paulatim in ſemetipſum relapſum eſt.* Hæc non aliena ſunt ab hoc loco. 27. * 20. &c.

Pag. 380. col. 1. lin. 39. poſt in domo judicii *adde*. *Hunc conſtituerunt*, dicit quiſpiam Judæus in lib. Coſri, part. 3. n. 19. majores, *& ordinarunt nobis ut privatus oret preces totius Eccleſiæ, & ut oratio ejus fiat in Eccleſia, in qua ſi fieri poſſit, non pauciores ſint congregati, quàm decem, ut quod in quibuſdam deficit ſeu per errorem, ſeu per prævaricationem, per alios compenſetur & perficiatur: atque ſic à cunctis ſimul precatione perfecta, & cum intentione pura facta benedictio maneat ſuper omnes, & ad ſinguli pars ejus perveniat. Nam res divina eſt inſta-*

ſtu

Digitized by Google

pluviæ, quæ totam aliquam terram irrigat, quando illa ea eſt digna. Et quamvis fieri poſſit ut quidam in ea ſingulares illa non ſint digni, illi tamen ea fruuntur propter majorem partem. Similiter ſcribit Maimonides in tractatu de prece, cap. 8. *Oratio Eccleſiæ ſemper exauditur: & licèt inter eos ſint quidam peccatores, Deus tamen non aſpernatur orationem illorum. Idcirco debet ſe homo conjungere cum Eccleſia.*

Ibid. col. 2. lin. 52. *poſt* quod dicas, *adde:* eum invitum & tunica comprehenſum in vincula trahens pene ſuffocabat. Latini id vocant *obtorto collo trahere.*

Pag. 390. *col.* 2. *lin.* 26. *poſt* conditæ ſunt, *adde:* plerique Codices non habent κτίσεως, *creaturæ*; quæ vox addita videtur ut melius intelligeretur ἀπ' ἀρχῆς.

Pag. 391. *col.* 1. *lin.* 43. *poſt* amovet, *adde:* præclarum eſt Solonis dictum apud Plutarchum: *Oportet legem ſcribi ſecundùm id quod obtineri poteſt, ſi quis velit paucos utiliter, non multos inutiliter punire.*

Pag. 392. *col.* 2. *lin.* 31. *poſt* Hieronymus, *adde:* qui Ioviniano objicienti illud Geneſeos: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram,* aptè reſpondet: *neceſſe fuit priùs plantare ſylvam & creſcere, ut eſſet quod poſteà poſſet excidi: ſimulque conſideranda vis verbi, replete terram. nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum.*

Pag. 419. *col.* 1. *lin.* 10. *poſt* ſive veram nardum, *adde:* Plinius, lib. 13. cap. 1. numerat novem herbarum ſpecies, quæ nardum Indicam imitantur; quod dat *materiam adulterandi,* inquit ille: qui & lib. 12. cap. 12. de nardo vera loquens dixerat: *Adulteratur & pſeudonardo herba, quæ ubique naſcitur craſſiore atque latiore folio.* Facilè igitur in tanta fraudis copia uſus loquendi obtinuerit, ut πιστικὴ νάρδος diceretur, quæ ſincera eſſet, & nullo fuco vitiata.

Pag. 441. *col.* 1. *lin.* 13. *poſt* uſus fuit, *adde:* Ut Ionathan paraphraſtes notat ad caput 12. ℣. 3. Exodi. Cùm autem &c.

Pag. 443. *col.* 1. *lin.* 6. *poſt* ad geſtandum onera, *adde:* Rabbi Salomon hocce vaticinium Zachariæ non de alio quàm de Meſſia interpretandum eſſe contendit. *Locus iſte non poteſt exponi de ullo alio,* inquit ille, *quàm de Meſſia, quia de eo dicitur: Et dominabitur à mari ad mare. neque ullum reperimus Templi ſecundi tempore, qui, ut ille, in juſtitia regnaverit.* Attamen Grotius in notis ſuis ad hunc Zachariæ locum, vult prophetam primo & maximè obvio ſenſu intueri Zorobabelem. Sed is neque re neque nomine, Rex unquam fuit. Solùm enim Zorobabel Iudæis illis præfuit, qui è Babylone facti erant reduces, id eſt, hominum quatuor, vel quinque myriadibus, idque in paucos annos. Deinde, ſi maximè concederemus, pro Rege habitum Zorobabelem, de illo tamen propheta dicere non poterat, ipſum venturum. Conſtat enim ex hiſtoria, Zorobabelem, cùm hæc ſcriberet Propheta, jam tum veniſſe Hieruſalem. Nec eſt, quod Grotius excipiat, futurum tempus hìc poni pro præterito: id enim dicit gratis. Etenim cùm hunc de quo verba facit, Regem Sioni, id eſt, in ejus bonum & commodum Propheta venturum dicat id optimè in Chriſtum quadrat, qui non ſibi ſed nobis venit. Huc accedit, quod Rex idem *juſtus* dicatur. Chriſtum autem non modò juſtum perfectè, ſed & noſtram juſtitiam ſcriptura tradit. At de Zorobabelis juſtitia ſcriptura nihil quidquam refert memorabile. Eodem facit quod נושע *Salvator* dicitur, eo attributo, quod tam Chriſto proprium eſt, ut inde nomen habuerit. Et licèt forma hujus vocis ſit paſſiva, & regulariter *ſervatum* denotet activa tamen ejus eſt ſignificatio; juxta quam in Græca verſione redditur σώζων. Denique Rex ille dicitur *pauper* ſive *humilis*: quantò id potiori jure de Chriſto dicetur, quàm de Zorobabele, qui primò Cyri, dein Darii opibus ſubnixus, templum Hieroſolymitanum exſtruxit magnis ſumptibus. Certè Chriſtus tam fuit pauper, ut neque locum habuerit, ubi reclinaret caput. Hiſce argumentis vaticinium Zachariæ vindicat Ieſu Chriſto D. N. Gaſpar Sagittarius.

Pag. 445. *col.* 1. *lin.* 33. *poſt* circumdabunt te, *adde: inimici tui vallo.* Titus, ut citiùs Ieroſolymam poſſet fame expugnare, aditus omnes clauſerat, occupans omnia opportuna loca munitionibus; quæ cùm à Iudæis dejectæ fuiſſent, vallo eam cinxit, ut videre eſt apud Ioſephum. Quapropter nemo potuit urbe obſeſſa exire: ideò comederunt cingula, calceos, coriumque quo clypei obtecti erant, ac denique fœnum, ſtercus, lutum, imo & carnem humanam. Quare addit Evangeliſta, *& circumdabunt te: & coangustabunt te, &c.*

Pag. 452. *col.* 1. *lin.* 38. *poſt* portendit, *adde:* Tertul. urget Judæos, lib. adverſus illos, cap. 7. hocce argumento quòd juxta antiqua vaticinia, clarificatus ſit Ieſus, & agnitus ab omnibus Gentilibus. Romani *de legionum ſuarum præſidiis imperium ſuum muniunt, nec trans iſtas Gentes porrigere vires regni ſui poſſunt? Chriſti autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur.* & cap. 12. *Aſpice univerſas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum Chriſtum ejus: & ſi audes, nega prophetatum. Statim tibi promiſſio patris occurrit in Pſalmis, dicens: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:* Hæc, inquit Tertullianus, intelligi non poſſunt de Davide *qui intra unicam Judæam regnavit, ſed de Chriſto qui totum jam orbem Evangelii ſui fide cepit.* Dum hanc futuram

ſuam gloriam prænuntiat Dominus, ſimul denuntiat mortem &c.

Pag. 453. *col.* 1. *lin.* 1. *poſt* dæmones, *adde:* ibi κρίσις idem ſonat ac *damnatio.*

Pag. 464. *col.* 1. *lin.* 30. *poſt* licere, *adde:* Huicce quæſtioni quæ inter Judæos agitabatur, locum dediſſe videtur Græca illa verſio ℣. 17. cap. 23. Deuteronomii οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ; hæc verba Græca ſic Latine reddita ſunt in antiqua verſione, *ne ſit quæ vectigal ſolvat inter filias Iſraelis, aut exoletus qui tributum pendat inter filios Iſrael.* Vulgatus interpres hunc locum exprimit juxta vim fontis Hebræi: *non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael.* meliùs tamen dixiſſet: *nec puer meritorius de filiis Iſrael.* Senſus apertus eſt, nec alius quàm quem Græci ſecuti ſunt; nam, ut Nobilius oſtendit ex S. Auguſtino, Hieronymo & Theodoreto, voce τελεσφόρος & τελισκόμενος ſignificatur mulier mancipata turpibus & impuris myſteriis; ſicut & puer meri totius, qui ſacris initiaretur, nempe turpibus. Græci ergo interpretes ea uſi ſunt voce, quæ uſurpabatur à Græcis. Attamen cùm Tertullianus in libro de pudicitia, cap. 9. videatur ex hoc loco referre *non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael*, licet conjicere ex Tertulliano, ita aliquibus Judæis dictam vocem ſic intellectam, ut τελεσφόροι eſſent οἱ φόρον τελοῦντες, *vectigal pendentes*; quod arripiens Judas Gaulanites & alii, recuſabant pendere vectigalia Romanis, & locum dedere huic quæſtioni quam Phariſæi proponebant Chriſto, ut quidquid reſponderet, vel in Cæſaris, vel in complurium Judæorum odium incurreret.

Pag. 477. *col.* 1. *lin.* 47. *poſt* ſanctum fiat, *adde:* Etenim dicit Dominus Exod. cap. 29. ℣. 37. *Quidquid tetigerit illud altare, ſanctum eſto.* Sic fons Latinè reddi poteſt. Diximus, &c.

Pag. 480. *col.* 2. *lin.* 12. *poſt* relinquit, *adde: Certe Chriſtus pro animi voluntate omnia in acceptum refert. nemo Apoſtolis pauperior fuit: & nemo tantùm pro Domino dereliquit*, ait B. Hieronymus ad Exuperantium ſcribens. Hæc verò *&c.*

Pag. 494. *col.* 1. *lin.* 16. *poſt* regnaturus ſum *adde:* ibi ὥρα redditur ab interpretibus, *aſtas*, cenſerem potiùs vertendum, *tempus meſſis.* Loquebatur Dominus eo tempore, quo poſt aliquot die falx erat mittenda in meſſem, nempe hordeaceam, quæ antequam fieret, ficus arbores producebant folia ſua. Ut vidimus, jam in his arboribus folia nata erant; ut à re ipſa quæ oculis ſubjecta erat, ſermonem acciperet. ὥρα in ſcriptura quandoque ſumitur pro tempore meſſis, ut dixi: exemplum videre eſt in Proverbiis, cap. 26. ℣. 1. Ideò autem ſæpiùs ea vox ſignificat æſtatem, quia hoc tempore fit major meſſis; nempe triticea, ſed hordeum metebatur ſtatim poſt Paſcha; quæ meſſi, dum loquebatur Dominus, proxima erat.

Pag. 494. *col.* 2. *lin.* 6. *poſt* dies eſſet, *adde:* Dominus ut ad vigilantiam excitaret ſuos diſcipulos; ſignificat Deum noluiſſe nec per angelos, neque etiam per Filium ſuum feciſſe notam illam diem terribilem.

Pag. 510. *col.* 1. *lin.* 9. *poſt* expeditior eſſet, *adde:* Evangeliſta nullo modo indicat cœnam iſtam fuiſſe paſchalem; quod non prætermiſiſſet, ſi tanti fuiſſet ut plerique ſentiunt, Chriſtianos omnes ſcire Jeſum in iſta cœna agnum Paſchalem comediſſe. Similiter Paulus ſatagit tantùm ſignificare quòd Euchariſtia ſit à Domino inſtituta, μετὰ τὸ δειπνῆσαι. *poſtquam cœnavit.* 1. Cor. cap. 11.

Ibid. col. 2. *lin.* 35. *poſt* vidiſtis, *adde:* Ergo ut utar verbis B. Hieronymi ad Celantiam: *auferantur peccandi fœda ſolatia. Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus, & ad conſolationem noſtram, aliena ſæpè numerantes vitia, deeſſe nobis dicimus, quos debeamus ſequi. Ad illius exemplum mittimur, quem omnes fatemur imitandum*, Chriſtum nempe qui exemplum eſt. *Amen &c.*

Pag. 531. *col.* 2. *lin.* 47. *poſt* ſpoliatus regno, *adde:* Dictis adjungam quod modò legi in annotationibus Hammondi. Paracleti erat proprium munus, quatenus ea vox ſignificat *patronum*, five *advocatum*, convincere κατήγορον *accuſatorem*, ſeu, ut loquitur Paulus, Tit. 1. cap. 1. ℣. 9. ἐλέγχειν ἀντιλέγοντας *defendere cauſam in obloquentes.* ad eos, vel alios etiam convincendos juſtam cauſam ab iis oppugnari. Ita quæ hìc dicuntur, omninò debent intelligi, ex more agendi cauſas, qui inter Judæos obtinebat. Jam autem inter illos tria erant cauſarum, ſeu litium genera. Primò *publica judicia*, περὶ ἁμαρτίας לחטא, *de peccato, criminibus:* quæ judicia ſita erant in condemnatione & punitione eorum qui in Deum peccaverant, putà falſorum prophetarum. Secundò defenſio juris adverſus oppreſſionem, vel invaſionem, vel falſum teſtimonium, atque hæc vocatur לצדקה *de juſtitia*, vel *æquitate*, περὶ δικαιοσύνης. Tertiò lis intenta ei, qui deliquiſſet in proximum, ut de furto &c. in qua urgebatur lex Talionis, qua reus id pati debebat, quod alteri fecerat; quæ vocatur למשפט, περὶ κρίσεως, *de judicio.* In tribus hiſce capitibus Spiritus Sanctus futurus erat Chriſti patronus, adverſus malos, qui eum repudiarunt, & in crucem ſuſtulerunt. Oſtendit enim 1. non fuiſſe Pſeudoprophetam, nec in Deum peccaſſe, cujus gloriam aſſerunt. 2. iniqua morte affectum fuiſſe, cujus vita fuiſſet inculpata. 3. Satanam auctorem mortis Chriſti pœnam Talionis jure ſubiiſſe, qui ipſe ſuo regno ſpoliatus eſſet, qui voluiſſet impedire quominus Chriſtus regnum ſuum ſtatueret.

Ibid. col. 2. *lin* 54. *poſt* in omnem veritatem,

Digitized by Google

rem, *adde* τὸ εἰς νῖκος τῷ ἐν δόξῃ. Articulus τὸ admonet id intelligendum de veritate de qua agebatur. Revera &c.

Pag. 540. *col.* 1. *poſt hæc verba in fine columnæ* peccatis, *adde*: quapropter ſudor Chriſti non tantùm ſimilis fuit grumis ſanguinis, ſine ſanguini craſſo & concreto, ſed teipſa ſanguineus. Talem ſudorem agnovit Ariſtoteles, lib. 3. Hiſt. Animalium, cap. 19. *Humeſcente valdè ſanguine*, inquit ille, ægrotant homines. *Tenuis enim redditur & ſeroſus, ita ut jam aliqui ſudaverint ſudorem ſanguineum.* ὥστε ἤδη τινὲς αἱματώδη ἱδρῶτα. Et lib. 3. de partibus Animalium, cap. 5. *Iam accidit aliquibus, ut ſudarint ſanguineum excrementum propter cachexiam, corpore perfluente & raro reddito, ſanguineque humeſcente ob inconcoctionem, cùm calor paucus venarum coquere illum non valuerit.*

Pag. 557. *col.* 1. *lin.* 8. *poſt* poſſent, *adde*: *Iudicia verò civilia agitantur de die & de nocte terminantur*, inquit Maimonides in tractatu Sanedrin. cap. 11. *Capitalia autem de die agitantur, & etiam die terminantur*. Verùm ne quis objiciat; quomodo ergo noctu ſtiterunt Jeſum judicandum coram Anna & Caipha; protinus adjungam quod idem Maimonides dicit in eodem tractatu, cap. 12. loqueos de judicibus & de judicio in quo res difficilis agitaretur; *inter ſe de cauſa conferunt tota nocte illa, poſtridie matutino Synedrium adeunt*. Quod tunc Judæi fecerunt.

Pag. 558. *col.* 2. *lin.* 11. *poſt* Zenodoro, *adde*: ex hoc autem mortis genere Judam dictum eſſe *Iſcariotem* veriſimilius eſt, quàm ab aliquo hujuſce nominis vico: quaſi virum de vico *Carioth*; neque enim ullus locus hocce nomine appellatur in ſacro codice. Ab Evangeliſtis autem Judas ille per anticipationem appellatus eſt *Iſcarioter*, quaſi dixiſſent *virum ſtrangulatum*, qui ultrò declinaverit ad ſui ſtrangulationem: eſt enim *ſecar* Syris *ſtrangulare*.

Pag. 562. *col.* 1. *lin.* 4. *poſt* alienigenam, *adde*: Plenum erat prætorium militibus Romanis, qui cùm Ethnici eſſent, eo erant in ſtatu, in quo qui ſunt, ex Maimonidis ſententia, cenſentur perpetuo ſanguinis profluvio laborare; quorum attactu contrahebatur immundities; ut præcipitur in Levitico, cap. 15. Paſcha autem non poterat comedi niſi ab iis qui mundi eſſent. Ergo &c.

Pag. 596. *col.* 2. *lin.* 43. *poſt* militum Romanorum *adde*, ut ſequentia teſtimonia probant Vulcatius Gallicanus in Ovidio: *præter laridum ac bucellatum atque acetum, militem in expeditione quidquam portare prohibuit*. Spartianus in Peſcennio: *juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos*. Quin duces ipſi, ut ſe gratioſiores militibus ſuis commilitones exhiberent, ſpreto ſæpiuſculè vino, eodem aceti potu utebantur. Plutarchus de Catone Cenſorino: *Aquam in exercitu bibebat, præterquàm ſi acri ſiti, & vehementi calore æſtuans acetum poſceret*. Non mirum ergo ſi in monte Calvariæ acetum repertum ſit, quippe potus militum qui cruces ſervaturi erant etiam per multas dies, ne quis cruciatos deponeret antequam id liceret per Pilatum.

Pag. 601. *col.* 2. *lin.* 29. *poſt* aliter diſpoſitis, *adde*, Ex hoc loco deducit B. Hieronymus Evangeliſtam prætuliſſe codicem Hebræum Græcæ verſioni, ſic ille, lib. 3. commentariorum in Zachariam ad hunc locum ד & ר hoc eſt *d* & *r ſimiles ſunt: & parvo tantùm apice diſtinguuntur. Ex quo evenit, ut idem verbum diverſe legentes, aliter atque aliter transferant. Si enim legatur* דקרו *ἐξεκέντησαν, id eſt* compunxerunt, *ſive* confixerunt, *accipitur. Sin autem contrario ordine, literis commutatis* רקדו *ὠρχήσαντο, id eſt* ſaltaverunt, *intelligitur: & ob ſimilitudinem literarum error eſt natus. Ioannes autem Evangeliſta, qui de pectore Domini hauſit ſapientiam, Hebræus ex Hebræis, quem Salvator amabat plurimùm, non magnoperè curavit quid Græcæ literæ continerent, ſed verbum interpretatus è verbo eſt, ut in Hebræo legerat: & tempore Dominicæ Paſſionis dixit eſſe completum. Quod ſi quis non recipit, det teſtimonium, de quo Sanctarum Scripturarum loco Ioannes iſta protulerit; & cùm non repererit, cogetur ingratus ſuſcipere veritatem.*

Pag. 604. *col.* 1. *lin.* 14. *poſt* in diſſertatione vidimus, *adde*: Pilatus non Verri ſimilis; cui inter alia objicitur à Cicerone quòd *ſecuri percuſſorum corpora feris objeciſſet, aut pretio vendidiſſet ſepeliendi poteſtatem*.

Pag. 629. *col.* 1. *lin.* 10. *poſt* cognoſcere, *adde*: Ibi annotat Hammondus per adventum Domini poſſe intelligi diem illum vindictæ, in quo expugnatis Hieroſolymis, Judæi pœnas criminum dederunt Deo; & exciſi ſunt. Joannes ſuperſtes fuit huic excidio, & ideò huic Domini adventui, quapropter eo tempore quo ſcribebat ille Evangeliſta, manifeſto eventu comprobata fuerat Jeſu Chriſti prædictio: ſic tota eccleſia teſtis adſtipulata eſt Joanni.

Elenchus Scriptorum in Evangelium.

Operibus attexunt ſuis plerique nomina eorum quorum auctoritate nituntur, & quos ſæpiùs allegant. Ego verò cùm nullum ferè ſit ſcripti genus ex quo lucem non accerſam Evangelio; vix inire poſſem numerum auctorum quorum opera uſus ſum. Guill. Croveus Anglus anno 1672. edidit Elenchum ſcriptorum in ſacram Scripturam, in quo exhibentur gens, patria, profeſſio, religio, librorum tituli, volumina, editiones variæ. Inde profero eos qui in Evangelium ſcripſere, ſed hunc Elenchum multùm decurtans; paucæ enim paginæ vacuæ mihi reſtabant. Præterquamquòd adnumeranda erant alia ſcripta quæ poſt annum 1672. edita ſunt, aut edita antè, non erant Croveo cognita. Scriptores autem illos quos præſens Elenchus continet; nec vidi, nec legi omnes; plurimi enim in manus meas non venerunt, alioſque faſtidio, alios tædio prætermiſi; quos ſi diligentiùs evolvas & excutias, oro te, Lector, ut mihi communicatum velis quod ex his excerpſeris, quo intellexeris poſſe locupletari Commentarium meum.

Abrah. Scultetus. Calvin. Exercitat. 4°.
Adam. Contzen S. I. in 4. Evan. fol. 2. vol.
Adrian. Crommius S. I. Concord. Evang.
Ægid. Hunnius, Luth. Com. in Matth. & Joan. 8°.
Alanus Copus, Anglus Hiſt. Evang. Syntaxis 4°.
Albertus Novocamp. Scopus Biblicus utr. Teſt.
Alcuinus ſive Albinus in Ioan. Com. 8°.
Alexãder Aleſius, Scotus, Luth. in Joan. Com. 8°.
Alex. de Hales, Poſtila ſuper totam Bib.
Alex. Mosus, Gallus in quædam loca Evang.
Alex. Pelegrinus S. I. paradoxa in Matth. fol.
Aloyſius Novarinus, in 4. Ev. fol. 3. vol.
Alphonſus de Avendano, in Matt. fol. 2. tom.
Aph. Salmeron S. I. in N. T. Com. fol.
Alph. Toſtatus, Dr. Salamant. Com. in Matth.
Alulphus, ſive Alalphus, Benedict. in N. T. 4°.
S. Ambroſ. in Luc. Com.
Ammonius Alexand. Harm. quatuor Evang.
Andreas Fricius Polonus, Calv. in Cap. vii. Joan.
Andreas Oſiander, Luth. Harm. Gr. L. cum annot.
And. Scottus S. J. Adagia. Gr. Lat. 4°. Ant. 1629.
And. Seelmaterus, Calv. Symph. nova Ev.
Andr. Willetus, Hexapla in cap. xvii. Joan.
Angelus Buonriccius in Matth. & in Joan. Exp.
Angelus Caninius in N. T. ex variis ling.
Angel. Maria, Proverbia V. & N. T. explicata 8°.
Angel. del Paz. in Marcum & Luc. fol. 2. vol.
S. Anſel. in varia loca Enar. & in Mat. Com.
Antonius Bruchius, Monoteſſaron. Evang.
Anton. Bynæus de Nativ. & Paſſ. J. C. Com.
Anton. de Ghiſlandis de Iaveno, Reſolut. dubiæ.
Anton. Marinarius, Carmel. utr. T. Concord. 8°.
Anton. Perez, Fides authentica quat. Ev. 4°.
Aretius Bened. in Marc. Luc. & Joan.
Arnobius Annotatiunc. in aliquot loca. Ev.
Arthurus Pitſeus, Anglus in Ev. & Act. 4°.
S. Athanaſius. Synopſis utr. T.
Auguſt. Marloratus, Calv. in N. T. Expoſ. fol.
S. Auguſtin. varii tractatus in Ev.
Balduinus Walæus, Calv. in Ev. Com. Gr. Lat. 4°.
Balthaſar Corderius S. J. edidit catenas Græc. Pat. in Evang.
Balthaſar Mentzerus, Luth. Medit. in Joan. 4°.
Baptiſta de la Nuza, Tract. Ev. in 8°. 2. vol.
Barthol. Radmannus, Luth. vita J. C. ex 4. Ev.
Baſilius Zanchius, Bergomas in utr. T. Notat.
Beda Ven. in utr. T. lect. in N. T. Com.
Benedict. Aretius, Calv. in N. T. Com. fol. 2. vol.
Benedict. Arias in 4. Ev. elucid. 4°.
Bened. Mandina, in 4. Ev. Com. fol.
Bened. Pererius S. I. in Ioan. cap. ix. & 5. ſeq.
Benjamin Beauport, Harm. 4. Ev.
Bernardus Copius, Calv. Harm. 4. Ev. 8°.
S. Bonavent. in Matth. Luc. & Ioan.
Bonav. Cornel. Bertram. in varios utr. T. lib.
Calliſtus Placentinus, in Ev. enarrat. in 4°.
Camillus Pulſictus, Conſon. V. cum N. T. 4°.
Carolus Hureus breves notæ. Rothom. 1695.
Carolus Molinæus Ev. unio cum annot. 4°.
Car. Stengelius, Bened. Paſſio Chr. ex 4. Ev. 4°.
Caſſiodorus Reinius, Luth. in part. Matth. & Joan. annot.
Catena Gr. Patrum in Luc. & Joan.
Chriſtianus Druthmarus in Matth. Exp. 8°.
Chriſtian. Grammaticus in Matth. & Luc. Com.
Chriſtophorus Althoferus, Luth. Harm. Ev.
Chriſtoph. Crineſius, N. T. analyſis.
Chriſtoph. Hegendorffius, Luth. in Paſſ. Chr.
Chriſtoph. Obenheim, Calv. locor. N. T. pugnant. Exp. 8°.
Chriſt. Pelargus, Luth. in Matth. Luc. & Joan. 4°.
Chriſt. Pezelius Calv. in 3. pr. cap. Joan.
Chriſt. Sanctotiſius Aug. in 7. pr. Matth. Exp. fol.
Chriſt. Varſevicius de dictis & factis Ieſu.
Claud. Guilliandus in Mat. & in Ioan. Enar.
Claud. Villagudus in Ioan. Enat. Paraph.
Cœlius ſecundus Curio in princ. Evan. Joan.
Conradus Pellicanus, Zuing. in Evan.
Conr. Scomerus, Luth. in Evan. Concord. Decad.
Conr. Winppina à fagis, in init. Ev. Joan.
Cornel. à lapide S. I. in quat. Evan.
Cornel. Ianſen. Gandav. in Concord.
Cornel. Ianſen. Ypreſ. Tetrateuchus.
Cunmannus Flinsbachius, Luth. in Geneal. Chr.
S. Cyril. Alex. in Marc. Com. in Joan. Exp.
Cyrus Theod. Prodromus in quat. Evan.

Dan.

Digitized by Google

Dan. Atcularius, Luth. in Ioan. Com.
Dan. Brenius in utr. T. annot. breves fol.
Dan. Heinſius in N. T. Exercit. 4°. & fol.
Dan. Tuſſanus in N. T. 4°. 2. vol.
David Chytræua, Luth. in Matth. & Ioan.
Deſider. Eraſm. in N. T. Paraph. & annot.
Didacus de Baeza S. I. in Ev. Hiſt. Com. Moral.
Didac. de Caſtillo in cap. vi. Ioan. 4°.
Didac. Stella, S. I. in Luc. Com.
Didac. de Villalns Concor. Evan.
Dion. Carthuſianus, in quat. Ev.
Eduardus Leigh. in N. T. annot.
Eduard. Leus, annot. in N. T.
Eilhardus Lubinus, Luth. in Ev. Monateſſ.
Emanuel Sa S. I. in quatuor Ev. Scholia.
Eraſ. Sarcerius, Luth. in 4. Ev. Scholia.
Eraſ. Schmidius Ev. verſio Lat. N. T. cum Com.
Euthymius Zigabenus Gr. in quat. Ev.
Fabricius Paulutius in N. T. annot. fol.
Fauſtus Socinus in Matth. cap. 5. 6. 7. & 1. Joan.
Ferdinand. Ioan. S. I. de Geneal. Chr.
Franc. Gomarus, Calv. in Mat. Luc. Ioan. Expl.
Franc. Gutierez S. I. in Mat. 10. pr. cap.
Franc. Haræus catena in quat. Ev. 8°.
Franc. Junius in Mat. & Marc. Exp.
Franc. Lambert. Luth. in Marc. & Luc. 8°.
Fran. Lucas, in quat. Ev. fol. 3. vol.
Franc. Pavonus S. I. in quat. Ev. com. fol.
Franc. Ribera S. I. in Ioan. Com. 4°. Lug. 1623.
Franc. Tirelmanus, Capuc. in Mat. & Ioan. eluc.
Franc. Tolerus S. I. in Luc. & Ioan.
Frideric. Balduinus, Luth. Poſtilla Ev.
Yrider. Spanhemius, dub. Ev. 4°.
Gabriel Flamma, Notæ in utr. Teſt.
Gaſpar Cruciger, Luth. in Ioan.
Gaſpar Megander, Calv. in 4. Ev. annot.
Gaſp. à Melo in Mat. fol. in Luc. fol.
Gaſp. Sagittarius de Paſſion. Com.
Georg. Æmylius in cap. 2. Luc. in cap. 3. Ioan.
Georg. Blandrata Socin. in cap. 1. Ioan.
Georg. Caliſtus, Luth. in Ev. Concor. 4°.
Georg. Enjedinus Socinianus in quædam loca.
Georg. Hucheſonus, in Ioan.
Georg. Mylius, Luth. in Ioan.
Geor. Oenopola, Luth. Harm. Ev. fol.
Georg. Petterus in Marc. Exp. fol.
Georg. Witth, Luth. vita Chriſti ex 4. Ev.
Gerardus Lorichius, Gloſſem. in N. T.
Gerard. Mercator, Luth. Harm. Ev. 4°. 2. vol.
Gotwaldus Meſchinus, Tab. nova Harm. Ev.
S. Greg. Magn. in Ev. Hom.
Greg. Nyſſ. in Mat. cap. 5.
Greg. Bapt. in cap. 13. Ioan.
Guido de Perpiniano Concord. Evang. fol.
Guil. Patiſ. in Matth.
Guil. Perkinſius Harm. V. & N. T. & in Mat.
Guil. Zepperus, Calv. in Ioan. Anal. cum Schol.
Guitierez de Trejo in 4. Ev. Com.
Henric. Bullinger. in 4. Ev. Com.
Henr. Hammondus Ang. fol. Amſtel. 1699.
Henr. Steph. in N. T. Annot.
Hermannus Bonnus Luth. in Mat.
S. Hieronym. in Mat. & in Mar.
Hier. Bapt. de la Nuza, Tract. Ev.
Hier. Guadalupenſis in 6. pr. cap. Luc.
Hier. de Guevara S. I. in Mat.
Hier. Natalis S. I. in 4. Ev. Annot. & Medit.
D. Hilarion, Bened. in 4. Ev. animadver.
S. Hilarius in Matth.
Hugo Card. in utr. Teſtam. Com.
Hugo Grotius in 4. Ev. annot. fol.
Hugo de S. Victor in quat. Ev.
Huldericus Zuinglius in 4. Ev. Exp.
Jacobus de Auzoles, in quat. Ev.
Iac. Bonfrerius in 4. Ev.
Jac. Capellus in N. T. obſerv. in 4°. Amſt. 1657.
Jac. Faber Stapulenſis in 4. Ev.
Jac. Gordonius S. I. in utr. T. fol. 3. vol.
Jac. Ianſonius in 1. & 2. Luc. & in Ioan.
Jac. à Logenhagen, in Luc. 8°. Antuerp. 1577.
Jac. Revius annot. N. T.
Jac. Tirinus S. I. in utr. T. Com. fol. 3. vol.
Idacius Expl. varior. loc. Joannis.
Joach. Camerarius, Luth. in N. T. not.
Joan. Agricola, in Luc. annot. 8°.
Joan. Aleſius, in Ev. Harm. 8°.
Joan. Ant. Delphinus, in Ioan. Com. 8°.
Joan. Arborcus D. Sorb. in 4. Ev. fol.
Joan. Avenarius, Luth. Vita I. C. ex 4. Ev. 12°.
Joan. Benne. Orat. Presby. Manuale.
Joan. Bened. D. Th. Par. in 4. Ev. fol.
Joan. Boiſius, Anglus, in 4. Ev. 12°.
Joan. Boudinus, de vita I. C. Com. 8°.
Joan. Brentius, Luth. in Luc. Marc. Ioan.
Joan. Bugenghagius Luth. in Mat. & Ioan.
Joan. Buiſonius, ſive Rubus, Harm. Ev.
Joan. Calv. ex tribus Ev. Har. & in Ioan. Com.
Joan. Camero Calv. in N. T. loca prælect.
S. Joan. Chryſ. in 4. Ev.
Joan. Cluverius, Harm. in Ev.
Ioan. Coccejus, Calv. in cap. 1. Ioan. 4°.
Joan. Crellius, Socin. in Mat. Cracov. 1636.
Joan. Croius Calv. in N. T. obſerv.
Joan. Cueller. S. I. in cap. pr. Ioan.
Joan. Ferus, in Mat. & Ioan. & in hiſt. de muliere peccatrice.
Joan. de la Fuente, Franciſc. in Marc. fol.
Joan. Gagneius, Th. Par. in Ev. Schol. 8°.
Joan. Gerardus, Luth. Harm. Ev.
Jan. Gerſon, Concordia Evang.
Joan. Henr. Urſinus, Luth. Parallela Ev. 4°.
Joan. de la Haye S. I. Quadriga Evang.
Joan. Heſſelius, in Mat. 8°.
Joan. Hoffmeiſterus, in Mar. Luc. & Ioan. 12. pr.
Ioan. Huldericus Herlinus, Calv. in utr. T.
Joan. Iac. Grynæus, Calv. in Mat. & Ioan.
Joan. Lightfootius Harm. 4. Ev. & Horæ Heb.
Joan. Ludov. Volzogenius, Socin. in Ev.

Joan. Mailroſius in utr. T. fol. Col. 1540.
Joan. Major D. Par. in quat. Ev. fol.
Joan. Maldonat S. I. in 4. Ev.
Joan. Mar. Verratus, Carm. in Evang. Harm.
Joan. Mariana S.J. Schol. in utr. T.
Joan. Mattheſius, Luth. vita I. C. ex 4. Ev.
Joan. Oecolampadius, Calv. in Mat. & in Ioan.
Joan. Piſcator, Calv. in N. T.
Joan. Pricæus, in Luc. & in Ioan.
Jan. Roberti S. I. Quadrag. Evan. fol.
Joan. Ruthenus Epiſt. & Evang. Dom.
Joan. Suarez. Auguſt. in Matt. in Marc. in Luc.
Joan. de Sylveira, Carm. in Ev. Com.
Joan. Wigandus in Ioan. Expl.
Joan. Winckelmannus, Luth. in Mat. 8°. in Luc. 8°.
Jonas Schilcthingius, Socin. in Ioan.
Joſeph. Speranſa in utr. T.
Iſid. Ciarius, Bened. in N. T. Schol. 8°.
Lælius Biſciola S. J. in Mat. & Marc.
Lambertus Danæus, Calv. in Mat. & Marc.
Laur. Valla, in N. T. annot. 8°.
Lucas Backmeiſterus, hiſt. Paſſ. à 4. Ev. deſcrip.
Luc. Loſſius, Luth. in 4. Ev.
Luc. Oſiander in utr. T. ann. fol. 3. vol.
Ludolphus Carth. Vita I. C. ex 4. Ev. fol.
Ludovicus Capellus, Annot. in Ev.
Ludovicus de Dieu in 4. Ev. Animadv. 4°.
Mart. Bucerus, Calv. in 4. Ev. fol.
Mart. Chemnitius, Luth. Harm. Ev. fol. & in 4°.
Mart. Luth. in Mat. 6. pr. & in Ioan. 18.
Mart. Piſtor in Mat. Pariſ 1551.
Mart. Troſtius N. T. Syr. cum Var. Lect.
Mart. à Caſtro in 4. Ev. 7°. ann. 1593.
Mat. Georg. Sigelius, Luth. Vita J. C. ex 3. pr. E.
Mat. Sylvagius, Ord. Min. in Ioan. 1. cap. 8°.
Matthias Bredenbachius in Mat.
Mat. Flaccus, Gloſſa Compend. in N. T.
Michael de Palatio in Ioan. Ev. 4°.
Nicetas in Ev. Catena.
Nicol. Arnoldus, Conciliatio locor. utr. T.
Nicol. Gorannus, Dom. in N. T.
Nicol. Hemingius, Luth. Com. in Ioan. fol.
Nicol. Herbone, Monas Ev. & Enar. in Mat.
Nicol. Nancelius in N. T. 8°.
Nicol. Oranus. Franc. in Mat. Luc. Ioan.
Nicol. Sanderus in Ioan. 8°.
Nicol. Selneccerus, Luth. Harm. Ev.
Nicol. Zegerus, Schol. in N. T.
Nortonus Knatchbull. in N. T. animad. 8°.
Origenes in Mat. & in Ioan. in Luc. Hom.
Oſar Waldus Myconius, Calv. in Marc. Exp.
Otho Brunfelſius, Calv. in 4. Ev.

Paſchaſius Rathbertus, Com. in Matth.
Paul. Crellius, Luth in Ev. Monoteſſ.
P. de Palatio, in Mar. Enar. fol.
P. Tarnoc. Luth. in Ioan. 4°.
Petr. Bulliondus, expoſ. & not. in Ev.
Petr. Izuſquius, ſeries Ev. Chriſti.
Petr. Kirſtenius, notæ in Mat. & vita 4. Ev.
Petr. Lombardus in Concor. Ev.
Philip. Melancton. in Mat. & Ioan. Annotat.
Rabanus Maurus in Mat.
Regnerus Prædinius, Cal. locor. diff. Ev. Enar.
Reinhardus Lutz, Calv. Harm. Vitæ I. C.
Robert. Golettus, Tetramonon in Ev. 8°.
Rob. Roſlngus, in Ioan. Com. 8°.
Rob. Steph. Com. in 3. pr. Ev. cum Har. 4. Ev.
Rodolph. Qualterus, Calv. in N. T. Hom.
Rupertus Luth. Cat. aurea in 4. Ev. in 4°. 6. T.
Rupertus Abbas in Ev.
Salomon Glaſſius, Luth. Exegeſ. Ev. textuum.
Sanctes, vel Xanctes Pagn. Dom. in 6. Ioan.
Sebaſt. Barradius S. I. in Harm. Ev. fol. 2. vol.
Sebaſt. Munſt. in Mat.
Sebaſt. Steitrus, Luth. de Geneal. I. C.
Seraphinus Capponus, Dom. in Mat. & in Ioan.
Severinus Lubomlius. Dom. Monoteſſ. Ev. fol.
Simon de Caſia, Geſta Salv. ex 4. Ev. fol.
Simon Epiſcopius, Not. breves in Mat.
Simon Portius in 1. cap. Ioan.
Smaragdus in Ev. Epiſt. totius anni.
Staniſl. in Mat. Marc. & Luc. notæ.
Steph. Szegedinus, Analyſ. in N. T.
Tatianus Alexandrinus, Harm. Ev.
Theobaldus Meuſchius, Cal. in Ev. Harm. in 4°.
Theodorus Ant. Peltanus S. I. in Marc. in Luc.
Theod. Beza Calv. in N. T. annot.
Theophilus Antioch. in Ev. Com.
Theophilact. in 4. Ev. fol.
S. Tho. Aquinas. in Mat. & Ioan. & Caten. in 4. Evang.
Tho. Beauxamis. D. Th. Par. in Harm. Ev.
Tho. CartWigthus, Harm. Ev. 4°.
Tho. Fulletus in 4. Mat. ✠. 11. pr. Com. 8°.
Tho. Stapletonus, in 4. Ev. Antidota.
Tho. de Vio, Cajet. Card. in Ev. fol.
Titus Boſtrenſis in Mat. & Luc.
Victor Antiochenus Par. in Marc. & Luc.
Victorinus Strigelius, Calv. in N. T.
Vincent. Regius, S. I. Conc. Ev.
Vitalis Zuccolus, in Marc. Hom. in Luc. Com.
Vitus Theodorus, Luth. in N. T.
Wolfangus Muſculus, Calv. in Mat. in Ioan.
Xiſtus Betuleius Symphon. N. T. fol.
Zachar. Græc. Monoteſſ. Ev.
Zachar. Urſinus, Calv. in cap. 1. Ioan.

INDEX PRIMUS
LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Vita D. N. J. C. ab ortu ſuo ad baptiſmum ſuum.

CAPUT i. Proœmium Evangelii, 1.
Cap. ii. Gabriel apparet Zachariæ. Conceptio Joannis, 4.
Cap. iii. Gabriel miſſus ad Mariam, 9.
Cap. iv. Maria ad Eliſabeth feſtinat, 14.
Cap. v. Nativitas Joannis, 17.
Cap. vi. Genealogia Chriſti ſecundùm Matthæum, 21.
Cap. vii. Genealogia Chriſti ſecundùm Lucam, 27.
Cap. viii. Joſeph accipit Mariam, 32.
Cap. ix. Chriſtus naſcitur, 39.
Cap. x. Paſtores ad præſepe Chriſti, qui circumciditur, 41.
Cap. xi. Magi Jeroſolyman veniunt. Jeſum adorant, 44.
Cap. xii. Purificatio Mariæ. Jeſus ſiſtitur in Templo, 49.
Cap. xiii. Fuga in Ægyptum. Infanticidium, 53.
Cap. xiv. Reditus ab Ægypto: incolatus Nazareth, 55.
Cap. xv. Jeſus inventus in Templo inter doctores, 57.

LIBER SECUNDUS.

Vita D. N. J. C. à præconio Joannis ad primum Paſcha poſt ejus baptiſmum.

DISSERTATIO.

De ſignificatione vocis λόγος quam Joannes exordiens Evangelium ſuum uſurpat, & quæ ab interprete Latino redditur Verbum.

§. I. VOCE illa *Verbum* Joannes uti non potuit niſi in ſignificatione uſitata. *Verbum Dei ὁ λόγος*, antiquis ſcriptoribus eſt æterna ſapientia Dei: pag. 60.
§. II. Primi Eccleſiæ ſcriptores ſapientiam Dei: appellavere λόγον ejus, qui λόγος *Verbum*, Patriarchis antiquis apparuerit & verſatus ſit cum illis, 62.
§. III. Conſtat multis & liquidis teſtimoniis Philonis, veteres Judæos eandem notionem habuiſſe τοῦ λόγου θεοῦ, *Verbi divini*, quæ notatur in ſcriptis Chriſtianorum, 63.
§. IV. Paraphraſes Chaldaicæ eadem dicunt de *Verbo Dei* quæ leguntur apud Philonem, 65.
§. V. Falsò præconceptum eſt, ignotam prorſus fuiſſe vetuſtis Hebræis Dei Trinitatem, 67.
§. VI. Dei notioni non adverſatur, eum qui unus ſit in eſſentia, trinum eſſe in perſonis, 69.
§. VII. Hæreſes adversùs quas Joannes ſcripſit, oſtendunt ab eo vocem λόγος, uſurpatam in ſenſu quem adſtruimus. 70.
§. VIII. Tot tantiſque auctoritatibus reſiſtere non poſſunt Sociniani. Fruſtrà & impiè dicunt, Joannis primordium aut Evangelio ejus aſſutum, aut obſcuro ſermone compoſitum, 71.
Cap. i. Verbum Dei æternum, 73.
Cap. ii. Joannes in deſerto prædicans, 84.
Cap. iii. Joannes baptizans in Jordane, 88.
Cap. iv. Joannis teſtimonium de Chriſto, 91.
Cap. v. Jeſus baptizatur. Spiritus in eum deſcendit. 94.
Cap. vi. Jejunium xl. dierum, & tentatio in deſerto, 97.
Cap. vii. Legatio Judæorum ad Joannem. 100.
Cap. viii. Jeſus agnus qui tollit peccata mundi, 103.
Cap. ix. Joanne tradito Jeſus in Galilæam ſecedit, 105.
Cap. x. Nuptiæ in Gana Galilææ, 108.
Cap. xi. Jeſus habitat Capharnaum. 110.
Cap. xii. Petrus, Andreas, Jacobus & Joannes relinquunt retia. 115.
Cap. xiii. Jeſus docet in ſynagogis, ſanat ægros, 116.
Cap. xiv. Electio diſcipulorum in Apoſtolos, 119.
Cap. xv. Sermo in monte. Beatitudines, 121.
Cap. xvi. Apoſtoli ſal & lux mundi, 125.

Cap.

Cap. xvii. Lex Evangelii ſanctior, 129.
Cap. xviii. Inanis gloria ſugienda, 137.
Cap. xix. Continuatio ſermonis in monte, 143.
Cap. xx. Leproſus ſanatus. 149.
Cap. xxi. Puer Centurionis ſanatus, 151.
Cap. xxii. Socrus Simonis ſanata. 154.
Cap. xxiii. Jeſus peragrat Galilæam pauper, 155.
Cap. xxiv. Tempeſtas ſedata. 158.
Cap. xxv. Legio dæmonum in porcos, 160.
Cap. xxvi. Paralyticus per tegulas demiſſus, 165.
Cap. xxvii. Matthæi vocatio, 168.
Cap. xxviii. Hæmorroiſſa. Filia Jairi reſuſcitata, 172.
Cap. xxix. Duo cæci. Dæmoniacus, 178.
Cap. xxx. Jeſus mittit Apoſtolos prædicare, 179.
Cap. xxxi. Deſignatio ſeptuaginta duorum diſcipulorum, 188.
Cap. xxxii. Vidua Naim, 190.
Cap. xxxiii. Joannis ex vinculis ſuis legatio, 192.
Cap. xxxiv. Joannes à Chriſto laudatus, 194.
Cap. xxxv. Væ Corozain, væ Bethſaidæ, miracula diſcipulorum, 197.
Cap. xxxvi. Mulier peccatrix, 201.

LIBER TERTIUS.

Vita D. N. J. C. à Paſchate poſt baptiſmum ejus primo ad ſecundum Paſcha.

CAPUT i. Templo ejecti vendentes, 207.
Cap. ii. Colloquium cum Nicodemo, 209.
Cap. iii. Spicæ confricatæ in ſabbato, 213.
Cap. iv. Manus arida, 215.
Cap. v. Magdalena Jeſum ſequens, 217.
Cap. vi. Parabola viri Samaritani, 219.
Cap. vii. Maria & Martha, 221.
Cap. viii. De Deo orando, 222.
Cap. ix. Poſtremum Joannis teſtimonium de Chriſto, 224.
Cap. x. Colloquium cum Samaritana, 227.
Cap. xi. Samaritani credunt, 230.
Cap. xii. Filius Reguli in Cana, 232.
Cap. xiii. Phariſæi & Herodiani adverſus Jeſum, 233.
Cap. xiv. Jeſu turba obruti deliquium, 235.
Cap. xv. Signum Jonæ. Regina Auſtri, 240.
Cap. xvi. Qui Chriſti fratres & mater, 243.
Cap. xvii. Parabola ſeminis, 244.
Cap. xviii. Zizania. Semen ultrò germinans. Sinapis. Frumentum. Theſaurus abſconditus. Pretioſa margarita. Sagena, 250.
Cap. xix. Jeſus ſpretus in Nazareth, 255.
Cap. xx. Phariſæorum mores, 259.
Cap. xxi. Inanis metus craſtini, 263.
Cap. xxii. Semper vigilandum, 267.
Cap. xxiii. Languidus probaticæ piſcinæ, 270.
Cap. xxiv. Deus operans in ſabbato, 273.
Cap. xxv. Judæi prorſus increduli, 275.
Cap. xxvi. Joannes præcurſor occiſus, 278.
Cap. xxvii. Quinque panes, 283.
Cap. xxviii. Dominus ſuper aquas ambulans, 289.
Cap. xxix. Chriſtus panis vitæ, 292.
Cap. xxx. Caro Chriſti cibus. Murmur Capharnaitarum, 294

LIBER QUARTUS.

Vita D. N. J. C. à Paſchate poſt baptiſmum ſecundo, ad ejus Paſſionem.

CAPUT i. Galilæi occiſi. Mulier inclinata, 300.
Cap. ii. Pauci ſervantur. Arcta via, 304.
Cap. iii. Illotæ manus. Vanæ traditiones, 305.
Cap. iv. Chananea. Surdus & mutus, 311.
Cap. v. Septem panes, 314.
Cap. vi. Signum de cœlo. Cæcus Bethſaidæ, 316.
Cap. vii. Sermo in Scenopegia, 319.
Cap. viii. Chriſtus aqua vitæ, 325.
Cap. ix. Mulier adultera. Chriſtus lux. Judæi ex diabolo. Chriſtus Dei filius, 326.
Cap. x. Cæcus natus, 334.
Cap. xi. Jeſus paſtor bonus, 338.
Cap. xii. Sermo in Encæniis, 341.
Cap. xiii. Hieruſalem occidens prophetas, 344.
Cap. xiv. Hydropicus. Cœna magna. 346.
Cap. xv. Ovis recuperata. Drachma reperta. Filius prodigus, 349.
Cap. xvi. Filii ſæculi prudentiores. Dives epulo. Lazarus pauper, 352.
Cap. xvii. Confeſſio Petri & primatus ejus, 337.
Cap. xviii. Chriſtum oportebat pati. Crux ferenda, 359.

Cap.

Cap. xix. Transfiguratio, 363.
Cap. xx. Lunaticus. Vis fidei, 367.
Cap. xxi. Chriſtus ſolvit tributum, 371.
Cap. xxii. Contentio de primatu. Adverſus ſcandala, 374.
Cap. xxiii. Correptio fraterna. Servus in conſervos crudelis, 378.
Cap. xxiv. Jeſus repulſus à Samaritanis, 381.
Cap. xxv. Decem leproſi. Dies Domini incertus, 382.
Cap. xxvi. Vidua & Judex. Phariſæus & Publicanus, 386.
Cap. xxvii. Matrimonii vinculū perpetuum, 389.
Cap. xxviii. Pueri ad Jeſum. Periculoſæ opes, 393.
Cap. xxix. Operarii vineæ, 398.
Cap. xxx. Paſſio prædicta. Filiorum Zebedæi ambitio, 400.
Cap. xxxi. Cæcus propè Hierico, 404.
Cap. xxxii. Zachæus, 405.
Cap. xxxiii. Parabola decem minarum, 406.
Cap. xxxiv. Cæci poſt Hierico. 408.
Cap. xxxv. Mors Lazari, 409.
Cap. xxxvi. Reſurrectio Lazari, 413.
Cap. xxxvii. Maria ungit Jeſum. Murmur Judæ, 417.

LIBER QUINTUS.

Vita D. N. J. C. à die quo ovans Hieroſolymam ingreſſus eſt, ad Aſcenſionem in cælum. Paſſio & reſurrectio ejus.

DISSERTATIO.

De ritibus qui eo tempore quo paſſus eſt Dominus, ſervabantur à Judæis in Paſchate faciendo.

§. I. Vetus Paſcha Judæorum typus fuit & vaticinium omnium circumſtantiarum mortis Chriſti, 421.
§. II. Qua occaſione ſacrificium Paſchatis inſtitutum eſt; & ex quo animantium genere, 423.
§. III. De tempore quo victima Paſchatis immolanda, quo menſe, qua die, qua hora, 424.
§. IV. De loco ubi Paſcha erat immolandum. Id fieri non licebat niſi Hieroſolymis in templo, 426.
§. V. Paſcha non poterat mactari ſine ſacerdotum miniſterio, & niſi adeſſet præſens univerſa Judæorum multitudo. 428.
§. VI. De loco & tempore quo agnus Paſchalis comedebatur; de aſſationis ejus & comeſtionis ritibus, 430.
§. VII. Per dies ſolemnes Paſchatis non niſi pane azymo utebantur Judæi; qui dies idcò azymi dicebantur; quot eſſent, & quando inciperent, & quæ in illis opera prohibita. 431.
§. VIII. Decima ſexta menſis Niſan offerebatur manipulus novæ frugis: inde numerabantur quinquaginta dies, quorum ultimus feſtum Pentecoſtes erat, 433.
§. IX. Supradictæ leges Paſchatis ſervabantur, cùm viveret Chriſtus, ut non potuerit Paſcha facere, niſi cum Judæis, & eodem tempore & loco, 434.
§. X. Immolatio Paſchatis eo anno quo J. C. D. N. paſſus eſt, contigit fieri ipſa hora, qua in cruce moriebatur, 435.
§. XI. Chriſtus reſurrexit die qua manipulus novæ frugis offerebatur. Spiritus ſanctus in diſcipulos deſcendit die feſto Pentecoſtes Judæorum, 436.
Cap. i. Rami palmarum, Fletus ſuper Jeruſalem, 439.
Cap. ii. Ficus maledicta. Ejecti templo vendentes, 446.
Cap. iii. Gentiles Jeſum videre cupiunt, 450.
Cap. iv. Baptiſmus Joannis de cælo. Filius reſipiſcens, 454.
Cap. v. Agricolæ homicidæ, 457.
Cap. vi. Parabola nuptiarum, 460.
Cap. vii. Quæ Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo, 462.
Cap. viii. Quæſtio Sadducæorum circa reſurrectionem, 465.
Cap. ix. Magnum mandatum legis, 468.
Cap. x. Chriſtus quomodo filius David, 470.
Cap. xi. Vitia Phariſæorum, 471.
Cap. xii. Duo minuta viduæ, 479.
Cap. xiii. Everſio templi & urbis prædicta, 480.
Cap. xiv. Signa everſionis Hieruſalem, & adventus Domini. 486.
Cap. xv. Decem virgines. Talenta. Judicium, 495.
Cap. xvi. Pactio Judæ, 499.
Cap. xvii. Cœna in prima die Azymorum, 502.
Cap. xviii. Jeſus abluit pedes Apoſtolorum, 508.
Cap. xix. Indicatur Judas proditor, 510.
Cap. xx. Euchariſtia, 514.
Cap. xxi. Contentio Apoſtolorum: eorum ſcandalum, 517.

Cap.

Cap. xxii. Sermo I. poſt Cœnam. 521.
Cap. xxiii. Sermo II. poſt Cœnam, 526.
Cap. xxiv. Sermo III. poſt Cœnam, 529.
Cap. xxv. Oratio Chriſti poſt Cœnam, 533.
Cap. xxvi. Agonia Chriſti in horto, 537.
Cap. xxvii. Iudæ proditio auris abſciſſa, 541.
Cap. xxviii. Ieſus ante Annam & Caipham, 545.
Cap. xxix. Petrus Chriſtum negat, 551.
Cap. xxx. Iudicium Ieſu in templo. Iudæ mors, 556.
Cap. xxxi. Ieſus ante Pilatum & Herodem, 559.
Cap. xxxii. Barabbas dimiſſus, 565.
Cap. xxxiii. Ieſu flagellatio & condemnatio, 569.

DISSERTATIO DE CRUCE.

§. I. CRux lignum erat in quo tandiu pendebant, qui huic affigebantur, donec miserè interirent, 573.
§. II. Cruces fuere forma diverſæ; ſed magis uſitatæ ſunt, quæ erant ex duobus lignis, uno erecto, & altero tranſverſo, 574.
§. III. Cruces ipſæ excelſæ erant, aut in locis conſpicuis erigebantur, 577.
§. IV. Clavis ſæpiùs figebantur cruciarii, 577.
§. V. Quæritur an in cruce ſuppedaneum fuerit, in quo cruciariorum pedes requieſcerent, 578.
§. VI. Cruci deſtinati priùs flagellis cædebantur; interdum columnæ alligabantur, 579.
§. VII. Cruciarii portabant crucem ſuam ad locum ſupplicii. Deducebantur cum vexatione, & ſtimulis etiam acti. Nudi crucifigebantur, 580.
§. VIII. Cruciarii miſerè interibant in cruce fame, ſiti, languore. cuſtodia apponebatur ne deponerentur cruce, 581.
§. IX. Supplicium crucis infame: ſervi, ſicarii & latrones in crucem agebantur; etiam ſeditioſi ſine dilatione. 582.
§. X. Crucis ſupplicium quale exigebant Romani, Iudæis inuſitatum erat; cadavera autem reorum ſuſpenderunt quandoque è ligno, ſed non ultra ſolis occaſum, 584.
Cap. xxxiv. Bajulatio crucis. crucifixio. 586.
Cap. xxxv. Tenebræ. Chriſtus in cruce, 592.
Cap. xxxvi. Prodigia poſt Chriſti mortem, 598.
Cap. xxxvii. Sepultura. ſepulcri cuſtodes. 601.
Cap. xxxviii. Reſurrectio. 609.
Cap. xxxix. Petrus & Ioannes ad monumentum. 606.
Cap. xl. Chriſtus apparet Magdalenæ. 612.
Cap. xli. Mulieribus apparet. cuſtodes corrupti, 614.
Cap. xlii. Apparitio in Emmaus, 617.
Cap. xliii. Fores clauſæ. Thomas incredulus, 621.
Cap. xliv. Apparitio ad mare, 625.
Cap. xlv. Apparitio in Galilæa, 629.
Cap. xlvi. 633.

APPENDIX

Ad commentarium in Harmoniam Evangelicam.

DISSERTATIO

de unica Magdalena.

Mulier peccatrix, Maria Magdalena, è qua ſeptem demonia ejecta, Maria ſoror Marthæ & Lazari, una & eadem eſt mulier.

§. I. LIcet cuique de iſta quæſtione ſentire, quæ probaverit magis eſſe ſacro codici conſentanea, 636.
§. II. Mulier in civitate peccatrix non fuit proſtibulum. Verùs ejus caracter ante & poſt converſionem ejus. 639.
§. III. Maria Magdalena, è qua ſeptem dæmonia ejecta ſunt, non diverſa eſt à muliere peccatrice, 642.
§. IV. Mariæ ſoror Marthæ ipſa eſt Magdalene ſimul & peccatrix, quæ unxerat Dominum ante Lazari reſurrectionem, 644.
§. V. Non duæ ſunt & diverſæ Magdalenæ, ſed unica ipſa ſoror Lazari & Marthæ, 646.
§. VI. unicam eſſe Magdalenam communis erat opinio Eccleſiæ tempore Origenis; quæ opinio ideò cenſeri poteſt eis antiquitus tradita, 650.
Paralipomena, ſive prætermiſſa loca, 652.

IN-

INDEX SECUNDUS
CAPITUM ET VERSUUM
cujuſque Evangeliſtæ.

Quibus Libris Capitibuſve & verſibus hujuſce Harmoniæ occurrant cujuſque Evangeliſtæ Capita & Verſus.

CUm verſum ſcindimus, ut pars in uno, aut pars in altero Harmoniæ capite quærenda ſit, diſtinctionis cauſa brevem lineolam appoſuimus numero verſus, quæ lineola poſt-fixa principium verſus, præfixa finem indicat. Sic hoc ſigno 5—principium verſus quinti adeſſe, & finem deeſſe ſignificamus: hoc altero ſigno—5 finem eſſe verſus quinti, cujus principium alio loco poſitum ſit. Linea longior oſtendit verſus quos jungit, ſimul hos & intermedios reperiri in Harmoniæ loco cui reſpondent. Quot verſus habeat unumquodque caput præmonemus.

Matthæus.	Harmonia.		
Cap. 1. habet verſ. 25.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——17.	I.	vi.	1.
18——25.	I.	viii.	1.
Cap. 2. habet verſ. 23.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	I.	xi.	1.
13—	I.	xii.	1.
—13——18.	I.	xiii.	1.
19——23.	I.	xiv.	2.
Cap. 3. habet verſ. 17.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——4.	II.	ii.	4.
5——10.	II.	iii.	1.
11. & 12.	II.	iv.	3.
13——17.	II.	v.	1.
Cap. 4. habet verſ. 25.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——11.	II.	vii.	2.
12.	II.	ix.	1.
13——17.	II.	xi.	1.
18.	II.	xii.	1.
19. & 20.	II.	xii.	13.
21—	II.	xii.	2.
—21. & 22.	II.	xii.	15&16
23——25.	II.	xiii.	11.
Cap. 5. habet verſ. 48.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——	II.	xiv.	1.
2——12.	II.	xv.	2.
13——26.	II.	xvi.	1.
27——48.	II.	xvii.	1.
Cap. 6. habet verſ. 34.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——34.	II.	xviii.	1.
Cap. 7. habet verſ. 29.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——29.	II.	xix.	1.
Cap. 8. habet verſ. 34.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——4.	II.	xx.	1.
5——13.	II.	xxi.	1.
14——17.	II.	xxii.	2.
18——22.	II.	xxiii.	8.
23——27.	II.	xxiv.	1.
28——34.	II.	xxv.	1.
Cap. 9. habet verſ. 38.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——8.	II.	xxvi.	1.
9——17.	II.	xxvii.	2.
18——26.	II.	xxviii.	1.
27——38.	II.	xxix.	1.
Cap. 10. habet verſ. 42.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——42.	II.	xxx.	1.
Cap. 11. habet verſ. 30.	Liber	Caput	verſus
℣. 1	II.	xxx.	48.
2——6.	II.	xxxiii.	2.
7——19.	II.	xxxiv.	1.
20——24.	II.	xxxv.	1.
25——27.	II.	xxxv.	12.
28——30.	II.	xxxv.	17.
Cap. 12. habet verſ. 50.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——8.	III.	iii.	1.
9——13.	III.	iv.	1.
14——21.	III.	xiii.	1.
22——37.	III.	xiv.	3.
38——45.	III.	xv.	1.
46——50.	III.	xvi.	1.
Cap. 13. habet verſ. 58.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——23.	III.	xvii.	1.
24——52.	III.	xviii.	1.
53——58.	III.	xix.	1.
Cap. 14. habet verſ. 36.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	III.	xxvi.	1.
13——21.	III.	xxvii.	1.
22——36.	III.	xxviii.	2.
Cap. 15. habet verſ. 39.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——20.	IV.	iii.	1.
21——31.	IV.	iv.	1.
32——39.	IV.	v.	1.

Mat-

Matthæus.	Harmonia.		
Cap. 16. habet verſ. 28.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	VI.	vi.	1.
13——20.	IV.	xvii.	1.
21——28.	IV.	xviii.	1.
Cap. 17. habet verſ. 26.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——13.	IV.	xix.	1.
14——20.	IV.	xx.	2.
21——26.	IV.	xxi.	2.
Cap. 18. habet verſ. 35.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——9.	IV.	xxii.	6.
10——35.	IV.	xxiii.	1.
Cap. 19. habet verſ. 30.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	IV.	xxvii.	1.
13——30.	IV.	xxviii.	1.
Cap. 20. habet verſ. 34.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——16.	IV.	xxix.	1.
17——28.	IV.	xxx.	1.
25——34.	IV.	xxxiv.	1.
Cap. 21. habet verſ. 46.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——11.	V.	i.	1.
12——17.	V.	ii.	6.
18. & 19.	V.	ii.	1.
20——22.	V.	ii.	16.
23——32.	V.	iv.	1.
33——46.	V.	v.	1.
Cap. 22. habet verſ. 46.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——14.	V.	vi.	1.
15——22.	V.	vii.	1.
23——33.	V.	viii.	1.
34——40.	V.	ix.	1.
41——46.	V.	x.	1.
Cap. 23. habet verſ. 39.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——39.	V.	xi.	1.
Cap. 24. habet verſ. 51.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——8.	V.	xiii.	1.
9——14.	V.	xiii.	24.
15——51.	V.	xiv.	1.
Cap. 25. habet verſ. 46.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——46.	V.	xv.	1.
Cap. 26. habet verſ. 75.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——5.	V.	xvi.	2.
6——13.	IV.	xxxvii.	1.
14——16.	V.	xvi.	9.
17——20.	V.	xvii.	1.
21——25.	V.	xix.	5.
26——30.	V.	xx.	1.
31——35.	V.	xxi.	15.
36——46.	V.	xxvi.	3.
47——56.	V.	xxvii.	1.
57——68.	V.	xxviii.	4.
69——75.	V.	xxix.	1.
Cap. 27. habet verſ. 66.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——10.	V.	xxx.	1.
11——14.	V.	xxxi.	9.
15——26.	V.	xxxii.	5.
27——30.	V.	xxxiii.	2.
31——34.	V.	xxxiv.	2.
35. & 36.	V.	xxxiv.	22.
37.	V.	xxxiv.	18.

Matthæus.	Harmonia.		
38.	V.	xxxiv.	14.
39——50.	V.	xxxv.	1.
51——56.	V.	xxxvi.	1.
57——66.	V.	xxxvii.	1.
Cap. 28. habet verſ. 20.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——7.	V.	xxxviii.	1.
8.	V.	xxxix.	1.
9——15.	V.	xli.	1.
16——20.	V.	xlv.	1.
Cap. 1. habet verſ. 45.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——	II.	ii.	3.
2. & 3.	II.	ii.	6.
4.	II.	ii.	4.
5.	II.	iii.	1.
6——	II.	ii.	10.
——6.	II.	iv.	2.
7. & 8.	II.	iv.	3.
9——11.	II.	v.	1.
12. & 13.	II.	vii.	2.3.17.
14——	II.	ix.	1.
——14. & 15.	II.	xi.	6.
16.	II.	xii.	1.
17. & 18.	II.	xii.	13.
19.	II.	xii.	2.
20.	II.	xii.	15.
21——28.	II.	xiii.	1.
29——34.	II.	xxii.	1.
35——39.	II.	xxiii.	1.
40——45.	II.	xix.	1.
Cap. 2. habet verſ. 28.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	II.	xxvi.	3.
13——22.	II.	xxvii.	1.
23——28.	III.	iii.	1.
Cap. 3. habet verſ. 35.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——5.	III.	iv.	1.
6——12.	III.	xiii.	1.
13——19.	II.	xiv.	1.
20——30.	III.	xiv.	1.
31——35.	III.	xvi.	1.
Cap. 4. habet verſ. 40.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——25.	III.	xvii.	1.
26——34.	III.	xviii.	8.
35——40.	II.	xxiv.	1.
Cap. 5. habet verſ. 43.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——20.	II.	xxv.	1.
21——	II.	xxvi.	2.
——21——43.	II.	xxviii.	1.
Cap. 6. habet verſ. 56.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——6.	III.	xix.	1.
7——13.	II.	xxx.	1.
14——29.	III.	xxvi.	1.
30——44.	III.	xxvii.	2.
45——56.	III.	xxviii.	2.
Cap. 7. habet verſ. 37.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——6——	IV.	iii.	3.
——6——9.	IV.	iii.	12.
10——13.	IV.	iii.	8.
14——23.	IV.	iii.	17.
24——37.	IV.	iv.	1.

Marcus	Harmonia.		
Cap. 8. habet verſ. 39.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——10.	IV.	v.	1.
11——26.	IV.	vi.	1.
27——30.	IV.	xvii.	1.
31——39.	IV.	xviii.	1.
Cap. 9. habet verſ. 49.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	IV.	xix.	1.
13——28.	IV.	xx.	2.
29——31.	IV.	xxi.	1.
32——49.	IV.	xxii.	1.
Cap. 10. habet verſ. 52.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	IV.	xxvii.	1.
13——31.	IV.	xxviii.	1.
32——45.	IV.	xxx.	1.
46—	IV.	xxxii.	1.
—46——52.	IV.	xxxiv.	1.
Cap. 11. habet verſ. 33.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——11.	V.	i.	1.
12——26.	V.	ii.	1.
27——33.	V.	iv.	1.
Cap. 12. habet verſ. 44.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——12.	V.	v.	1.
13——17.	V.	vii.	2.
18——27.	V.	viii.	1.
28——34.	V.	ix.	2.
35——37.	V.	x.	3.
38——40.	V.	xi.	2.
41——44.	V.	xii.	1.
Cap. 13. habet verſ. 37.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——9.	V.	xiii.	1.
10.	V.	xiii.	33.
11——3.	V.	xiii.	19.
14——37.	V.	xiv.	1.
Cap. 14. habet verſ. 72.	Liber	Caput	verſus
℣. 1 & 2.	V.	xvi.	1.
3——9.	IV.	xxxvii.	1.
10. & 11.	V.	xvi.	9.
12——17.	V.	xvii.	2.
18——21.	V.	xix.	5.
22——26.	V.	xx.	1.
27——31.	V.	xxi.	15.
32——42.	V.	xxvi	3.
43——52.	V.	xxvii.	1.
53——65.	V.	xxviii.	4.
66——72.	V.	xxix.	1.
Cap. 15. habet verſ. 47.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—	V.	xxx.	1.
—1——5.	V.	xxxi.	1.
6——15.	V.	xxxii.	5.
℣. 16.——19.	V.	xxxiii.	2.
20——23.	V.	xxxiv.	2.
24	V.	xxxiv.	22.
25	V.	xxxiv.	14.
26.	V.	xxxiv.	17.
27. & 28.	V.	xxxiv.	14.
29——37.	V.	xxxv.	1.
38——41.	V.	xxxvi.	1.
42——47.	V.	xxxvii.	1.
Cap. 16. habet verſ. 20.	Liber	Caput	verſus

Marcus.	Harmonia.		
℣. 1——7.	V.	xxxviii.	1.
8.	V.	xxxix.	1.
9.	V.	xl.	1.
10. & 11.	V.	xli.	8.
12. & 13.	V.	xlii.	1.
14.	V.	xliii.	1.
15——18.	V.	xlv.	8.
19. & 20.	V.	xlvi.	1.

Lucas.	Harmonia.		
Cap. 1. habet verſ. 80.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——4.	I.	i.	1.
5——25.	I.	ii.	1.
26——38.	I.	iii.	1.
39——56.	I.	iv.	1.
57——80.	I.	v.	1.
Cap. 2. habet verſ. 52.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——7.	I.	ix.	1.
8——21.	I.	x.	1.
22——39.	I.	xii.	1.
40——52.	I.	xv.	1.
Cap. 3. habet verſ. 38.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——6.	II.	ii.	1.
7——14.	II.	iii.	1.
15——20.	II.	iv.	1.
21——23—	II.	v.	1.
—23——38.	I	vii.	1.
Cap. 4. habet verſ. 44.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——4.	II.	vi.	1.
5——8.	II.	vi.	12.
9——12.	II.	vi.	7.
13.	II.	vi.	16.
14—	II.	ix.	1.
—14. & 15.	II.	xi.	8.
16——40.	III.	xix.	2.
31——37.	II.	xiii.	1.
38——41.	II.	xxii.	1.
42——44.	II.	xxiii.	1.
Cap. 5. habet verſ. 39.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——10.	II.	xii.	3.
11.	II.	xii.	16.
12——16.	II.	xx.	2.
17——26.	II.	xxvi	4.
27——39.	II.	xxvii.	1.
Cap. 6. habet verſ. 49.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——5.	III.	iii.	1.
6——11.	III.	iv.	1.
12——19.	II.	xiv.	1.
20——26.	II.	xv.	1.
27. & 28.	II.	xvii.	19.
29——31.	II.	xvii.	13.
32——36.	II.	xvii.	22.
37——49.	II.	xix.	1.
Cap. 7. habet verſ. 50.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——10.	II.	xxi.	1.
11——17.	II.	xxxii.	1.
18——23.	II.	xxxiii.	1.
24——35.	II.	xxxiv.	1.
36——50.	II.	xxxvi.	1.
Cap. 8. habet verſ. 56.	Liber	Caput	verſ

Lucas.

Digitized by Google

Lucas.	Harmonia.		
℣. 1—3.	III.	v.	1.
4—18.	III.	xvii.	1.
19—21.	II.	xvi.	1.
22—25.	II.	xxxiv.	1.
26—39.	II.	xxv.	1.
40.	II.	xxvi	2.
41—51—	II.	xxviii.	2.
—51.	II.	xxviii.	24.
52. & 53.	II.	xxviii.	22.
54—56.	II.	xxviii.	25.
Cap. 9. *habet verſ.* 62.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—5.	II.	xxx.	1.
6.	II.	xxx.	49.
7—9.	III.	xxvi.	1.
10—17.	III.	xxvii.	2.
18—21.	IV.	xvii.	2.
22—27.	IV.	xviii.	1.
28—36.	IV.	xix.	1.
37—44—	IV.	xx.	1.
—44. & 45.	IV.	xxi.	2.
46—50.	IV.	xxii.	1.
51—56.	IV.	xxiv.	1.
57—62.	II.	xxiii.	9.
Cap. 10. *habet verſ.* 42.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—12.	II.	xxxi.	1.
13—23.	II.	xxxi.	2.
25—37.	III.	vi.	1.
38—42.	III.	vii.	1.
Cap. 11. *habet verſ.* 54.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—13.	III.	viii.	1.
℣. 14—23.	III.	xiv.	3.
24—28.	III.	xv.	8.
29. & 30.	III.	xv.	2.
31.	III.	xv.	7.
32	III.	xv.	6.
33—54.	III.	xx.	1.
Cap. 12. *habet verſ.* 59.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—31.	III.	xxi.	1.
32—59.	III.	xxiii.	1.
Cap. 13. *habet verſ.* 35.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—17.	IV.	i.	1.
18—21.	III.	xviii.	12.
22—30.	IV.	ii.	1.
31—35.	IV.	xiii.	1.
Cap. 14. *habet verſ.* 35.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—35.	IV.	xiv.	1.
Cap. 15. *habet verſ.* 32.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—32.	IV.	xv.	1.
Cap. 16. *habet verſ.* 31.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—31.	IV.	xvi.	1.
Cap. 17. *habet verſ.* 37.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—37.	IV.	xxv.	1.
Cap. 18. *habet verſ.* 43.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—14.	IV.	xxvi.	1.
15—30.	IV.	xxviii.	1.
31—34.	IV.	xxx.	2.
35—43.	IV.	xxxi.	1.
Cap. 19. *habet verſ.* 48.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—10.	IV.	xxxii.	2.

Lucas.	Harmonia.		
11—28.	IV.	xxxiii.	1.
29—44.	V.	i.	1.
45—48.	V.	ii.	6.
Cap. 20. *habet verſ.* 47.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—8.	V.	iv.	1.
9—19.	V.	v.	1.
20—26.	V.	vii.	2.
27—40.	V.	viii.	1.
41—44.	V.	x.	3.
45—47.	V.	xi.	1.
Cap. 21. *habet verſ.* 38.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—4.	V.	xii.	1.
5—19.	V.	xiii.	2.
20—36.	V.	xiv.	1.
37. & 38.	V.	xi.	6.
Cap. 22. *habet verſ.* 71.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—6.	V.	xvi.	1.
℣. 7—18.	V.	xvii.	1.
19. & 20.	V.	xx.	1.
21—23.	V.	xix.	6.
24—38.	V.	xxi.	1.
39—46.	V.	xxvi.	2.
47—53.	V.	xxvii.	1.
54. & 55.	V.	xxviii.	4.
56—62.	V.	xxix.	3.
63—65.	V.	xxviii.	32.
66—71.	V.	xxx.	1.
Cap. 23. *habet verſ.* 56.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—12.	V.	xxxi.	1.
13—25.	V.	xxxii.	1.
26—34.	V.	xxxiv.	4.
35—37.	V.	xxxv.	4.
38.	V.	xxxiv.	17.
39—45—	V.	xxxv.	11.
46.	V.	xxxv.	28.
—45.	V.	xxxvi.	1.
47—49.	V.	xxxvi.	4.
50—56.	V.	xxxvii.	2.
Cap. 24. *habet verſ.* 53.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—8.	V.	xxxviii.	1.
9—12.	V.	xxxix.	1.
13—35.	V.	xlii.	1.
36—43.	V.	xliii.	1.
44—50.	V.	xlv.	15.
—50—53.	V.	xlvi.	3.
Joannes.	Harmonia.		
Cap. 1. *habet verſ.* 51.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—18.	II.	i.	1.
19—28.	II.	vii.	1.
29—42.	II.	viii.	1.
43—51.	II.	ix.	2.
Cap. 2. *habet verſ.* 25.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—11.	II.	x.	1.
12.	II.	xi.	1.
13—25.	III.	i.	1.
Cap. 3. *habet verſ.* 36.	Liber	Caput	verſus
℣. 1—21.	III.	ii.	1.
22—36.	III.	ix.	1.

Joannes.	Harmonia.		
Cap. 4. habet verſ. 54.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——26.	III.	x.	1.
27——42.	III.	xi.	1.
43——54.	III.	xii.	1.
Cap. 5. habet verſ. 47.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——16.	III.	xxiii.	1.
17——29.	III.	xxiv.	1.
30——47.	III.	xxv.	1.
Cap. 6. habet verſ. 72.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——14.	III.	xxvii.	4.
15——21.	III.	xxviii.	1.
22——40.	III.	xxix.	1.
41——59.	III.	xxx.	1.
60——72.	III.	xxxi.	1.
Cap. 7. habet verſ. 53.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——36.	IV.	vii.	1.
37——53.	IV.	viii.	1.
Cap. 8. habet verſ. 59.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——59.	IV.	ix.	1.
Cap. 9. habet verſ. 41.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——41.	IV.	x.	1.
Cap. 10. habet verſ. 42.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——21.	IV.	xi.	1.
22——42.	IV.	xii.	1.
Cap. 11. habet verſ. 56.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——31.	IV.	xxxv.	1.
32——56.	IV.	xxxvi.	1.
Cap. 12. habet verſ. 50.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——11.	IV.	xxxvii.	1.
12——19.	V.	i.	1.
20——50.	V.	iii.	1.
Cap. 13. habet verſ. 38.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——17.	V.	xviii.	1.

Joannes.	Harmonia.		
18——32.	V.	xix.	1.
33——38.	V.	xxi.	8.
Cap. 14. habet verſ. 31.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——31.	V.	xxii.	1.
Cap. 15. habet verſ. 27.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——27.	V.	xxiii.	1.
Cap. 16. habet verſ. 33.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——33.	V.	xxiv.	1.
Cap. 17. habet verſ. 26.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——26.	V.	xxv.	1.
Cap. 18. habet verſ. 40.	Liber	Caput	verſus
℣. 1. & 2.	V.	xxvi.	1.
3——11.	V.	xxvii.	1.
12——24.	V.	xxviii.	1.
25——27.	V.	xxix.	1.
28——38.	V.	xxxi.	2.
39. & 40.	V.	xxxii.	5.
Cap. 19. habet verſ. 42.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——16—	V.	xxxiii.	1.
—16——24.	V.	xxxiv.	1.
25——30.	V.	xxxv.	16.
31——37.	V.	xxxvi.	10.
38——42.	V.	xxxvii.	1.
Cap. 20. habet verſ. 31.	Liber	Caput	verſus
℣. 1.	V.	xxxviii.	1.
2——10.	V.	xxxix.	5.
11——17.	V.	lx.	2.
18.	V.	xli.	8.
19——31.	V.	xliii.	2.
Cap. 25. habet verſ. 21.	Liber	Caput	verſus
℣. 1——24.	V.	xliv.	1.
25.	V.	xlv.	13.

INDEX TERTIUS
EVANGELIORUM PER ANNUM,
juxta Miſſale Romanum.

Indicatur caput Harmoniæ in quo reperitur Evangelium cujuſque diei; ſimul & caput Evangeliſtæ unde ſumptum, & quo verſu illud incipit & deſinit. Prima & poſtrema verba Evangelii apponuntur.

DOMINICA I. ADVENTUS.

LIB. V. *Cap.* 14. ℣. 19. Erunt ſigna in ſole——verba autem mea non tranſibunt. *Luc. cap.* 21. ℣. 25-33.

DOM. II. ADVENTUS.

Lib. II. cap. 33. ℣. 2. Cùm audiſſet Joannes in vinculis——qui præparabit viam tuam ante te. *Mat. cap.* 11. ℣. 2-10.

DOM. III. ADVENTUS.

Lib. II. cap. 7. ℣. 1. Miſerunt Judæi ab Hieroſolymis——ubi erat Joannes baptizans. *Joan. cap.* 1. ℣. 19-28.

FERIA IV. QUAT. TEMP.

Lib. I. cap. 3. ℣. 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ——ſecundùm verbum tuum. *Luc. cap.* 1. ℣. 26-38.

FERIA VI. QUAT. TEMP.

Lib. I. cap. 4. ℣. 1. Exurgens Maria——exultavit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo. *Luc. cap.* 1. ℣. 39-47.

SABBATO. *Idem quod Dominica ſequenti.*

DOM. IV. ADVENTUS.

Lib. II. cap. 11. ℣. 1. Anno quinto-decimo imperii Tiberii——videbit omnis caro ſalutare Dei, *Luc. cap.* 3. ℣. 1-6.

VIGIL. NATIVIT. DOM.

Lib. I. cap. 8. ℣. 1. Cùm eſſet deſponſata——ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Matth. cap.* 1. ℣. 18-21.

MISSA I. NATIVIT. DOM.

Lib. I. cap. 9. ℣. 1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto——pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc. cap.* 2. ℣. 1-14.

MISSA II. NATIVIT. DOM.

Lib. I. cap. 10. ℣. 15. Paſtores loquebantur ad invicem——ſicut dictum eſt ad illos. *Luc. cap.* 11. ℣. 15-20.

MISSA III. NATIVIT. DOM.

Lib. II. cap. 1. ℣. 1. In principio erat Verbum——plenum gratiæ & veritatis. *Joan. cap.* 1. ℣. 1-14.

FESTUM S. STEPHANI.

Lib. V. cap. 11. ℣. 36. Ecce ego mitto ad vos——Benedictus qui venit in nomine Domini. *Matth. cap.* 23. ℣. 34-39.

FESTUM S. JOAN. EVANG.

Lib. V. cap. 44. ℣. 19. Sequere me——quia verum eſt teſtimonium ejus. *Joan. cap.* 21. ℣. 19-24.

FESTUM SS. INNOCENT.

Lib. I. cap. 13. ℣. 1. Angelus Domini apparuit——& noluit conſolari quia non ſunt. *Matth. cap.* 2. ℣. 13-18.

FESTUM S. THOMÆ MART.

Lib. IV. cap. 11. ℣. 11. Ego ſum Paſtor bonus——fiet unum ovile, & unus Paſtor. *Joan. cap.* 10. ℣. 11-16.

DOM. INFRA OCTAVAM.

Lib. I. cap. 12. ℣. 33. Erant Joſeph & Maria mater Jeſu mirantes——& gratia Dei erat in illo. *Luc. cap.* 2. ℣. 33-40.

DE OCTAVA.

Evangelium ſicut in Miſſa 2. Nativitatis.

CIRCUMCISIO.

Lib. I. cap. 10. ℣. 21. Poſtquam conſummati ſunt——priuſquam in utero conciperetur. *Luc. cap.* 2. ℣. 21.

VIGILIA EPIPHANIÆ.

Lib. I. cap. 14. ℣. 1. Defuncto Herode, ecce Angelus——quoniam Nazaræus vocabitur. *Matth. cap.* 2. ℣. 19-23.

EPIPHANIA.

Lib. I. cap. 11. ℣. 2. Cùm natus eſſet Jeſus——per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. *Matth. cap.* 2. ℣. 1-12.

DOM. INFRA OCTAV. EPIPH.

Lib. I. cap. 15. ℣. 3. Cùm factus eſſet Jeſus annorum duodecim——apud Deum & homines. *Luc. cap.* 2. ℣. 42-52.

OCTAVA EPIPHANIÆ.

Lib. II. cap. 8. ℣. 1. Vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe——quia hic eſt Filius Dei. *Joan. cap.* 1. ℣. 29-34.

DOM. II. POST EPIPH.

Lib. II. cap. 10. ℣. 1. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ——& crediderunt in eum Diſcipuli ejus. *Joan. cap.* 2. ℣. 1-11.

DOMINICA III.

Lib. II. cap. 20. ℣. 1. Cùm deſcendiſſet Jeſus de monte——& ſanatus eſt puer in illa hora. *Matth. cap.* 8. ℣. 1-13.

DOMINICA IV.

Lib. II. cap. 24. ℣. 1. Aſcendente Jeſu in naviculam——quia venti & mare obediunt ei. *Matth. cap.* 8. ℣. 23-27.

DOMINICA V.

Lib. III. cap. 18. ℣. 1. Simile factum eſt regnum

Digitized by Google

regnum cœlorum homini qui ſeminavit——horreum meum. *Matth. cap.* 13. ℣. 24-30.

DOMINICA VI.

Lib. III. cap. 18. ℣. 13. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis——abſcondita à conſtitutione mundi. *Matth. cap.* 13. ℣. 31-35.

DOM. SEPTUAGESIMÆ.

Lib. IV. cap. 29. ℣. 1. Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias——pauci verò electi. *Matth. cap.* 20. ℣. 1-16.

DOM. SEXAGESIMÆ.

Lib. III. cap. 17. ℣. 1. Cùm turba plurima convenirent——& fructum afferunt in patientia. *Luc. cap.* 8. ℣. 4-15.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Lib. IV. cap. 30. ℣. 2. Aſſumpſit Jeſus duodecim——ut vidit, dedit laudem Deo. *Luc. cap.* 18. ℣. 31-50.43.

DIES CINERUM.

Lib. II. cap. 18. ℣. 16. Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes——ibi eſt & cor tuum. *Matth. cap.* 6. ℣. 16-21.

FERIA 5. *Lib. II. cap.* 30. ℣. 1. Cùm introiſſet Jeſus Capharnaum——& ſanatus eſt puer in illa hora. *Matth. cap.* 8. ℣. 5-13.

FERIA 6. *Lib. II. cap.* 17. ℣. 18. Audiſtis quia dictum eſt antiquis——qui videt in abſcondito reddet tibi. *Matth.* 5. ℣. 43. *ad cap.* 6. ℣. 6.

SABBATUM. *Lib. III. cap.* 28. ℣. 6. Cùm ſerò eſſet factum——& quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant. *Marc. cap.* 6. ℣. 47-56.

DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

Lib. II. cap. 6. ℣. 1. Ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur——& miniſtrabant ei. *Matth. cap.* 4. ℣. 1-11.

FERIA 2. *Lib. V. cap.* 15. ℣. 31. Cùm venerit Filius hominis——juſti autem in vitam æternam. *Matth. cap.* 25. ℣. 31-45.

FERIA 3. *Lib. V. cap.* 1. ℣. 32. Cùm intraſſet Jeſus Hieroſolymam——in Bethaniam ibique manſit. *Matth. cap.* 21. ℣. 10-17.

FERIA 4. QUAT. TEMP.

Lib. III. cap. 15. ℣. 1. Magiſter, volumus à te ſignum videre——frater, & ſoror, & mater eſt. *Matth. cap.* 12. ℣. 38-50.

FERIA 5. *Lib. IV. cap.* 4. ℣. 1. Egreſſus Jeſus ſeceſſit in partes Tyri——& ſanata eſt filia ejus, ex illa hora. *Matth. cap.* 15. ℣. 21-28.

FERIA 6. *Lib. III. cap.* 23. ℣. 1. Erat dies feſtus Judæorum——quia Jeſus eſſet qui fecit eum ſanum. *Joan. cap.* 5. ℣. 1-15.

SABBATUM. *Idem quod Dominica ſequenti.*

DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

Lib. IV. cap. 19. ℣. 1. Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem——à mortuis reſurgat. *Matt. cap.* 17. ℣. 1-9.

FERIA 2. *Lib. IV. cap.* 9. ℣. 21. Ego vado, & quæretis me——quæ placita ſunt ei, facio ſemper. *Joan. cap.* 8. ℣. 21-29.

FERIA 3. *Lib. V. cap.* 11. ℣. 1. Super cathedram Moyſi——& qui ſe humiliaverit, exaltabitur. *Matth. cap.* 23. ℣. 1-12.

FERIA 4. *Lib. IV. cap.* 30. ℣. 1. Aſcendens Jeſus Hieroſolymam——dare animam ſuam redemptionem pro multis. *Matth. cap.* 20. ℣. 17-28.

FERIA 5. *Lib. IV. cap.* 16. ℣. 19. Homo quidam erat dives——neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. *Luc. cap.* 16. ℣. 19-31.

FERIA 6. *Lib. V. cap.* 5. ℣. 2. Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam——Prophetam eum habebant. *Matt. cap.* 21. ℣. 33-46.

SABBATUM. *Lib. IV. cap.* 15. ℣. 11. Homo quidam habuit duos filios——perierat & inventus eſt. *Luc. cap.* 15. ℣. 11-32.

DOM. III. QUADRAGESIMÆ.

Lib. III. cap. 14. ℣. 5. Erat Jeſus ejiciens dæmonium——& cuſtodiunt illud. *Luc. cap.* 11. ℣. 14-26.

FERIA 2. *Lib. III. cap.* 19. ℣. 14. Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem——tranſiens per medium illorum ibat. *Luc. cap.* 4. ℣. 23-30.

FERIA 3. *Lib. IV. cap.* 23. ℣. 15. Si peccaverit in te frater tuus——ſed uſque ſeptuagies ſepties. *Matt. cap.* 18. ℣. 15-22.

FERIA 4. *Lib. IV. cap.* 6. ℣. 1. Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur——non coinquinat hominem. *Matt. cap.* 15. ℣. 1-20.

FERIA 5. *Lib. II. cap.* 22. ℣. 1. Surgens Jeſus de ſynagoga introivit in domum Simonis——in ſynagogis Galilææ. *Luc. cap.* 4. ℣. 38-44.

FERIA 6. *Lib. III. cap.* 10. ℣. 5. Venit Jeſus in civitatem Samariæ——quia hic eſt verè Salvator mundi. *Joan. cap.* 4. ℣. 5-42.

SABBATUM. *Lib. IV. cap.* 9. ℣. 1. Perrexit Jeſus in montem Oliveti——vade & jam ampliùs noli peccare. *Joan. cap.* 8. ℣. 1-11.

DOM. IV. QUADRAGESIMÆ.

Lib. III. cap. 27. ℣. 4. Abiit Jeſus trans mare Galilææ——fugit iterùm in montem ipſe ſolus. *Joan. cap.* 6. ℣. 1-15.

FERIA 2. *Lib. III. cap.* 1. ℣. 1. Prope erat Paſcha Judæorum——ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. *Joan. cap.* 2. ℣. 13-25.

FERIA 3. *Lib. IV. cap.* 7. ℣. 14. Jam die feſto mediante——de turba autem multi crediderunt in eum. *Joan. cap.* 7. ℣. 14-31.

FERIA 4. *Lib. IV. cap.* 10. ℣. 1. Præteriens Jeſus vidit hominem cæcum——& procidens adoravit eum. *Luc. cap.* 9. ℣. 1-38.

FERIA 5. *Lib. II. cap.* 32. ℣. 1. Ibat Jeſus in civitatem quæ vocatur Naim——quia Deus viſitavit plebem ſuam. *Luc. cap.* 7. ℣. 11-16.

FERIA 6. *Lib. IV. cap.* 35. ℣. 1. Erat quidam languens Lazarus——crediderunt in eum. *Joan. cap.* 11. ℣. 1-45.

SABBATUM. *Lib. IV. cap.* 9. ℣. 12. Ego ſum lux mundi——quia necdum venerat hora ejus. *Luc. cap.* 8. ℣. 12-20.

Digitized by Google

DOMINICA PASSIONIS.

Lib. IV. cap. 9. ℣. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato——& exivit de Templo: *Joan. cap.* 8. ℣. 46-59.

FERIA 2. *Lib. IV. cap.* 7. ℣. 32. Miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros——credentes in eum. *Joan. cap.* 7. ℣. 32-39.

FERIA 3. *Lib. IV. cap.* 7. ℣. 1. Ambulabat Jeſus in Galilæam——propter metum Judæorum. *Joan. cap.* 7. ℣. 1-13.

FERIA 4. *Lib. IV. cap.* 12. ℣. 1. Facta ſunt Encænia Hieroſolymis——quia Pater in me eſt & ego in Patre. *Joan. cap.* 10. ℣. 22-38.

FERIA 5. *Lib. II. cap.* 31. ℣. 1. Rogabat Jeſum quidam Phariſæus——fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. *Luc. cap.* 7. ℣. 36-50.

FERIA 6. *Lib. IV. cap.* 36. ℣. 47. Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium——diſcipulis ſuis. *Joan. cap.* 11. ℣. 47-54.

SABBATUM. *Lib. IV. cap.* 37. ℣. 19. Cogitaverunt Principes Sacerdotum——& abiit, & abſcondit ſe ab eis. *Joan. cap.* 12. ℣. 10-36.

DOMINICA PALMARUM.

Lib. V. cap. 1. ℣. 1. Cùm appropinquaſſet Jeſus Hieroſolymis——qui venit in nomine Domini. *Matt. cap.* 21. ℣. 1-9.

PASSIO.

Lib. V. cap. 16. ℣. 3. Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet——ſedentes contra ſepulchrum. *Matth. cap.* 26. & 27.

FERIA 2. *Lib. IV. cap.* 37. ℣. 1. Ante ſex dies Paſchæ——ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit à mortuis. *Joan. cap.* 12. ℣. 1-9.

FERIA 3. PASSIO.

Lib. V. cap. 56. ℣. 1. Erat Paſcha & Azyma poſt biduum, & quærebant——ad oſtium monumenti. *Marc. cap.* 14. & 15.

FERIA 4. PASSIO.

Lib. V. cap. 16. ℣. 1. Appropinquabat dies feſtus Azymorum——quiſquam poſitus fuerat. *Luc. cap.* 22. & 23. ℣. 1-53.

FERIA 5. *Lib. V. cap.* 18. ℣. 1. Ante diem feſtum Paſchæ——ut quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis. *Joan. cap.* 13. ℣. 1-15.

FERIA 6. PASSIO.

Lib. V. cap. 26. ℣. 1. Egreſſus eſt Jeſus cum Diſcipulis ſuis trans torrentem——poſuerunt Jeſum. *Joan. cap.* 18. & 19.

SABBATUM SANCTUM.

Lib. V. cap. 38. ℣. 1. Veſpere autem Sabbati——ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. *Matth. cap.* 28. ℣. 1-7.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Lib. V. cap. 38. ℣. 1. Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome——ſicut dixit vobis. *Marc. cap.* 16. ℣. 1-7.

FERIA 2. *Lib. V. cap.* 42. ℣. 1. Duo ex Diſcipulis Jeſu ibant——in fractione panis. *Luc. cap.* 24. ℣. 13-35.

FERIA 3. *Lib. V. cap.* 43. ℣. 2. Stetit Jeſus in medio Diſcipulorum ſuorum——in omnes gentes. *Luc. cap.* 24. ℣. 36-47.

FERIA 4. *Lib. V. cap.* 44. ℣. 1. Manifeſtavit ſe iterùm Jeſus——cùm reſurrexiſſet à mortuis. *Joan. cap.* 21. ℣. 1-14.

FERIA 5. *Lib. V. cap.* 40. ℣. 2. Maria ſtabat ad monumentum foris plorans——& hæc dixit mihi. *Joan. cap.* 20. ℣. 11-18.

FERIA 6. *Lib. V. cap.* 45. ℣. 1. Undecim Diſcipuli abierunt in Galilæam——ad conſummationem ſæculi. *Matth. cap.* 28. ℣. 16-20.

SABBATUM. *Lib. V. cap.* 38. ℣. 1. Una Sabbati Maria Magdalene venit manè——à mortuis reſurgere. *Joan. cap.* 20. ℣. 1-9.

DOMINICA IN ALBIS.

Lib. V. cap. 43. ℣. 2. Cùm eſſet ſero die illa, una Sabbatorum——in nomine ejus. *Joan. cap.* 20. ℣. 19-31.

DOM. II. POST PASCHA.

Lib. IV. cap. 11. ℣. 11. Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat——& unus Paſtor. *Joan. cap.* 10. ℣. 11-16.

DOMINICA III.

Lib. V. cap. 24. ℣. 16. Modicum, & jam non videbitis me——& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Joan. cap.* 16. ℣. 16-22.

DOMINICA IV.

Lib. V. cap. 24. ℣. 5. Vado ad eum qui miſit me——quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Joan. cap.* 16. ℣. 5-14.

DOMINICA V.

Lib. V. cap. 24. ℣. 23. Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis——quia à Deo exiſti. *Joan. cap.* 16. ℣. 23-30.

FERIA 2. & 3. ROGAT.

Lib. III. cap. 8. ℣. 5. Quis veſtrùm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte——petentibus ſe. *Luc. cap.* 11. ℣. 5-13.

VIGILIA ASCENS.

Lib. V. cap. 25. ℣. 1. Sublevatis Jeſus oculis in cœlum——& ego ad te venio. *Joan. cap.* 17. ℣. 1-11.

ASCENSIO.

Lib. V. cap. 43. ℣. 1. Recumbentibus undecim Diſcipulis——confirmante ſequentibus ſignis. *Marc. cap.* 16. ℣. 14-20.

DOM. INFRA OCTAV.

Lib. V. cap. 23. ℣. 26. Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam à Patre——quia ego dixi vobis. *Joan. cap.* 15. ℣. 26. *cap.* 16. ℣. 4.

VIGILIA PENT.

Lib. V. cap. 22. ℣. 15. Si diligitis me, mandata mea ſervate——& manifeſtabo ei meipſum. *Joan. cap.* 14. ℣. 15-21.

PENTECOSTE.

Lib. V. cap. 22. ℣. 23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit——ſic facio. *Joan. cap.* 14. ℣. 23-31.

FERIA 2. *Lib. III. cap.* 11. ℣. 16. Dixit

Jeſus

Jeſus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum—— quia in Deo ſunt facta. *Joan. cap.* 3. ℣. 16-21.

FERIA 3. *Lib. IV. cap.* 11. ℣. 1. Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per oſtium—— & abundantiùs habeant. *Joan. cap.* 10. ℣. 1-10.

FERIA 4. QUAT. TEMP.

Lib. III. cap. 30. ℣. 54. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit, traxerit eum ——mundi vita. *Joan. cap.* 6. ℣. 44-52.

FERIA 5. *Lib. II. cap.* 30. ℣. 1. Convocatis Jeſus duodecim Apoſtolis——& curantes ubique. *Luc. cap.* 9. ℣. 1-6.

FERIA 6. *Lib. II. cap.* 26. ℣. 4. Factum eſt in una dierum, & Jeſus ſedebat docens—— mirabilia hodie. *Luc. cap.* 5. ℣. 17-26.

SABBATUM. *Lib. II. cap.* 22. ℣. 1. Surgens Jeſus de ſynagoga introivit in domum Simonis——ſynagogis Galilææ. *Luc. cap.* 4. ℣. 38-44.

DOMINICA TRINITATIS.

Lib. V. cap. 45. ℣. 5. Data eſt mihi omnis poteſtas——uſque ad conſummationem ſæculi. *Matth. cap.* 28. ℣. 18-20.

DOM. I. POST PENT.

Lib. II. cap. 17. ℣. 27. Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt——fratris tui. *Luc. cap.* 6. ℣. 36-42.

FEST. CORP. CHRISTI.

Lib. III. cap. 30. ℣. 56. Caro mea verè eſt cibus——vivet in æternum. *Joa. cap.* 6. ℣. 56-59.

DOM. INFRA OCTAVAM.

Lib. IV. cap. 14. ℣. 16. Homo quidam fecit cœnam magnam——guſtabit cœnam meam. *Luc. cap.* 14. ℣. 16-24.

OCTAVA. *Ut in die feſto*.

DOMINICA III.

Lib. IV. cap. 15. ℣. 1. Erant appropinquantes ad Jeſum Publicani——pœnitentiam agente. *Luc. cap.* 15. ℣. 1-10.

DOMINICA IV.

Lib. II. cap. 12. ℣. 3. Cùm turbæ irruerent in Jeſum——relictis omnibus ſecuti ſunt eum. *Luc. cap.* 5. ℣. 1-11.

DOMINICA V.

Lib. II. cap. 16. ℣. 20. Amen dico vobis: Niſi abundaverit juſtitia veſtra——offeres munus tuum. *Matth. cap.* 5. ℣. 20-24.

DOMINICA VI.

Lib. IV. cap. 5. ℣. 1. Cum turba multa eſſet cum Jeſu——quaſi quatuor millia: & dimiſit eos. *Marc. cap.* 8. ℣. 1-9.

DOMINICA VII.

Lib. II. cap. 19. ℣. 8. Attendite à falſis Prophetis——ipſe intrabit in regnum cœlorum. *Matth. cap.* 7. ℣. 15-21.

DOMINICA VIII.

Lib. V. cap. 16. ℣. 1. Homo quidam erat dives, qui habebat villicum——in æterna tabernacula. *Luc. cap.* 16. ℣. 1-9.

DOMINICA IX.

Lib. V. cap. 1. ℣. 28. Cùm appropinquaret Jeſus Jeruſalem——& erat docens quotidie in Templo. *Luc. cap.* 19. ℣. 41-47.

DOMINICA X.

Lib. IV. cap. 26. ℣. 9. Dixit Jeſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant——& qui ſe humiliat exaltabitur. *Luc. cap.* 18. ℣. 9-14.

DOMINICA XI.

Lib. IV. cap. 4. ℣. 14. Exiens Jeſus de finibus Tyri——ſurdos fecit audire, & mutos loqui. *Marc. cap.* 7. ℣. 31-37.

DOMINICA XII.

Lib. II. cap. 35. ℣. 15. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis——Vade, & tu fac ſimiliter. *Luc. cap.* 10. ℣. 23-27.

DOMINICA XIII.

Lib. IV. cap. 25. ℣. 11. Dum iret Jeſus in Jeruſalem——quia fides tua te ſalvum fecit. *Luc. cap.* 17. ℣. 11-19.

DOMINICA XIV.

Lib. II. cap. 18. ℣. 24. Nemo poteſt duobus dominis ſervire——& hæc omnia adjicientur vobis. *Matth. cap.* 6. ℣. 24-33.

DOMINICA XV.

Lib. II. cap. 32. ℣. 1. Ibat Jeſus in civitatem Naim——quia viſitavit Deus plebem ſuam. *Luc. cap.* 7. ℣. 11-16.

DOMINICA XVI.

Lib. IV. cap. 14. ℣. 1. Cùm intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis——humiliat exaltabitur. *Luc. cap.* 14. ℣. 1-11.

DOMINICA XVII.

Lib. V. cap. 9. ℣. 1. Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi——ex illa die eum ampliùs interrogare. *Matth. cap.* 22. ℣. 35-45.

FERIA 4. QUAT. TEMP.

Lib. IV. cap. 20. ℣. 5. Reſpondens unus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum—— & jejunio. *Marc. cap.* 9. ℣. 16-28.

FERIA 6. *Lib. II. cap.* 36. ℣. 1. Rogabat Jeſum quidam Phariſæus——fides tua te ſalvam fecit: Vade in pace. *Luc. cap.* 7. ℣. 36-50.

SABBATUM. *Lib. IV. cap.* 1. ℣. 6. Dicebat Jeſus turbis ſimilitudinem hanc——quæ glorioſè fiebant ab eo. *Luc. cap.* 13. ℣. 6-17.

DOMINICA XVIII.

Lib. II. cap. 26. ℣. 1. Aſcendens Jeſus in naviculâm tranſfretavit——talem hominibus. *Matth. cap.* 9. ℣. 1-8.

DOMINICA XIX.

Lib. V. cap. 6. ℣. 2. Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi——pauci verò electi. *Matth. cap.* 22. ℣. 1-14.

DOMINICA XX.

Lib. III. cap. 12. ℣. 46. Erat quidam regulus——& credidit ipſe, & domus ejus tota. *Joan. cap.* 4. ℣. 46-53.

DOMINICA XXI.

Lib. IV. cap. 23. ℣. 23. Simile eſt re-

gnum cœlorum homini regi——de cordibus veſtris. *Matth.* cap. 18. ℣. 23-35.

DOMINICA XXII.

Lib. V. cap. 7. ℣. 1. Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt——& quæ ſunt Dei Deo. *Mat. cap.* 22. ℣. 15-21.

DOMINICA XXIII.

Lib. II. cap. 28. ℣. 1. Loquente Jeſu ad turbas,ecce Princeps unus acceſſit——in univerſam terram illam. *Matth. cap.* 9. ℣. 18-26.

DOMINICA XXIV.

Lib. V. cap. 14. ℣. 2. Cùm videritis abominationem deſolationis——non præteribunt. *Matt. cap.* 24. ℣. 14-35.

PROPRIUM SANCTORUM.

NOVEMB. 29.

VIGILIA S. ANDREÆ.

Lib. II. cap. 8. ℣. 35. Stabat Joannes——ſupra Filium hominis. *Joan. cap.* 1. ℣. 35-51.

30. FESTUM S. ANDREÆ.

Lib. II. cap. 12. ℣. 1. Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ——& patre ſecuti ſunt eum. *Matth. cap.* 4. ℣. 18-23.

DECEMB. 8. CONCEP. B. M. V.

Lib. I. cap. 6. ℣. 1. Liber generationis Jeſu Chriſti filii David——qui vocatur Chriſtus. *Matth. cap.* 1. ℣. 1-16.

21. FESTUM S. THOMÆ.

Lib. V. cap. 43. ℣. 14. Thomas unus ex duodecim——Beati qui non viderunt & crediderunt. *Joan. cap.* 20. ℣. 24-29.

JANUAR. 18. CATHED. S. PETR.

Lib. IV. cap. 27. ℣. 1. Venit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi——erit ſolutum & in cœlis. *Matth. cap.* 16. ℣. 13-19.

25. CONVERSIO S. PAULI.

Lib. IV. cap. 28. ℣. 30. Ecce nos reliquimus omnia——& vitam æternam poſſidebit. *Matth. cap.* 19. ℣. 27-29.

FEBRUARII 2. PURIFIC. B. M. V.

Lib. I. cap. 32. ℣. 1. Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ——& gloriam plebis tuæ Iſrael. *Luc. cap.* 2. ℣. 22-32.

24. FESTUM S. MATTHIÆ.

Lib. II. cap. 35. ℣. 12. Reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi, Pater——& onus meum leve. *Matth. cap.* 11. ℣. 25-30.

MARTII 19. FESTUM S. JOSEPH.

Lib. I. cap. 8. ℣. 1. Cùm eſſet deſponſata——ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Matth. cap.* 1. ℣. 18-21.

25. ANNUNT. B. M. V.

Lib. I. cap. 3. ℣. 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo——ſecundum verbum tuum. *Luc. cap.* 1. ℣. 26-38.

APRILIS 25. FESTUM S. MARCI.

Lib. II. cap. 31. ℣. 1. Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos——regnum Dei. *Luc. cap.* 10. ℣. 1-9.

MAII 1. FESTUM SS. PHIL. & JAC.

Lib. V. cap. 22. ℣. 1. Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum——hoc faciam. *Joan. cap.* 14. ℣. 1-13.

3. INVENTIO S. CRUCIS.

Lib. III. cap. 2. ℣. 1. Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine——vitam æternam. *Joan. cap.* 3. ℣. 1-15.

4. FESTUM S. MONICÆ.

Lib. II. cap. 32. ℣. 1. Ibat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim——plebem ſuam. *Luc. cap.* 7. ℣. 11-16.

6. FESTUM S. JOAN. ANTE PORT. LAT.

Lib. IV. cap. 30. ℣. 10-20. Acceſſit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi——à Patre meo. *Matth. cap.* 20. ℣. 20-23.

8. APPARITIO S. MICHAELIS.

Lib. IV. cap. 22. ℣. 6. Acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum——vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt. *Marc. cap.* 18. ℣. 1-10.

JUNII 11. FESTUM S. BARNABÆ.

Lib. II. cap. 30. ℣. 21. Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum——hic ſalvus erit. *Matth. cap.* 10. ℣. 16-22.

23. VIG. NAT. S. JOAN. BAPT.

Lib. I. cap. 2. ℣. 1. Fuit in diebus Herodis regis Judææ——parare Domino plebem perfectam. *Luc. cap.* 1. ℣. 5-17.

24. NATIVIT. S. JOAN. BAPT.

Lib. I. cap. 5. ℣. 1. Elizabeth impletum eſt tempus pariendi——& fecit redemptionem plebis ſuæ. *Luc. cap.* 1. ℣. 57-68.

29. SS. PETRI & PAULI.

Lib. IV. cap. 17. ℣. 1. Venit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi——erit ſolutum & in cœlis. *Matth. cap.* 16. ℣. 13-19.

30. COMMEMORAT. S. PAULI.

Lib. II. cap. 30. ℣. 21. Ecce ego mitto vos ſicut oves——hic ſalvus erit. *Matth. cap.* 10. ℣. 16-22.

JULII 2. VISIT. B. M. V.

Lib. I. cap. 4. ℣. 1. Exurgens Maria abiit in montana——in Deo ſalutari meo. *Luc. cap.* 1. ℣. 39-47.

22. FESTUM S. MARIÆ MAGD.

Lib. II. cap. 36. ℣. 1. Rogabat Jeſum quidam Phariſæus ut manducaret——vade in pace. *Luc. cap.* 7. ℣. 36-50.

25. FESTUM S. JACOBI.

Lib. IV. cap. 30. ℣. 10-20. Acceſſit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi——à Patre meo. *Matth. cap.* ℣. 20-23.

AUGUSTI 5. B. M. AD NIVES.

Ut in Præſentatione 21. *Novemb.*

6. TRANSFIG. DOMINI NOSTRI.

Lib. IV. cap. 19. ℣. 1. Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum——à mortuis reſurgat. *Matth. cap.* 17. ℣. 1-9.

10. FESTUM S. LAURENTII.

Lib. V. cap. 3. ℣. 14. Amen, amen dico vo-

vobis: niſi granum frumenti——qui eſt in cælis. *Joan. cap.* 12. ℣. 24-26.

15. ASSUMPT. B. M. VIRG.

Lib. III. cap. 7. ℣. 1. Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, & mulier——quæ non auferetur ab eo. *Luc. cap.* 10. ℣. 38-42.

24. FESTUM S. BARTHOLOMÆI.

Lib. II. cap. 14. ℣. 1. Exiit Jeſus in montem orare, & erat——& ſanabat omnes. *Luc. cap.* 6. ℣. 12-19.

25. FESTUM S. LUDOVICI.

Lib. IV. cap. 33. ℣. 2. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam——auferetur ab eo. *Luc. cap.* 19. ℣. 12-26.

29. DECOLLAT. S. JOAN. BAPT.

Lib. III. cap. 26. ℣. 8. Miſit Herodes, ac tenuit Joannem——& poſuerunt illud in monumento. *Marc. cap.* 6. ℣. 17-29.

SEPTEMB. 8. NATIVIT. B. MARIÆ.

Lib. I. cap. 6. ℣. 1. Liber generationis Jeſu Chriſti filii David——qui vocatur Chriſtus. *Matth. cap.* 1. ℣. 1-16.

14. EXALTATIO S. CRUCIS.

Lib. V. cap. 3. ℣. 31. Nunc judicium eſt mundi——credite in lucem, ut filii lucis ſitis. *Joan. cap.* 12. ℣. 31-36.

20. VIG. S. MATTHÆI.

Lib. II. cap. 27. ℣. 2. Vidit Jeſus publicanum——ad pœnitentiam. *Luc. cap.* 5. ℣. 27-32.

21. FESTUM S. MATTHÆI.

Lib. II. cap. 27. ℣. 2. Vidit Jeſus hominem ſedentem in telonio——ſed peccatores. *Mat. cap.* 9. ℣. 9-13.

29. DEDICAT. S. MICHAELIS.

Lib. IV. cap. 22. ℣. 6. Acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, dicentes:——qui in cœlis eſt. *Matth. cap.* 18. ℣. 1-10.

OCTOB. 4. FESTUM S. FRANC.

Lib. II. cap. 35. ℣. 12. Reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi, Pater——& onus meum leve. *Matth. cap.* 11. ℣. 22-30.

9. FESTUM S. DIONYSII.

Lib. III. cap. 21. ℣. 1. Attendite à fermento Phariſæorum——Confitebitur illum coram Angelis Dei. *Luc. cap.* 12. ℣. 1-8.

18. FESTUM S. LUCÆ.

Lib. II. cap. 31. ℣. 1. Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos——regnum Dei. *Luc. cap.* 10. ℣. 1-9.

28. FEST. SS. SIM. & JUDÆ.

Lib. V. cap. 23. ℣. 17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem——quia odio habuerunt me gratis. *Joan. cap.* 15. ℣. 17-25.

31. VIG. OMNIUM SANCTORUM.

Lib. II. cap. 14. ℣. 10. Deſcendens Jeſus de monte ſtetit in loco campeſtri——multa eſt in cœlo. *Luc. cap.* 6. ℣. 17-23.

NOVEMB. 1. FESTUM OMNIUM SS.

Lib. II. cap. 14. ℣. 1. Videns Jeſus turbas, aſcendit in montem——merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Matth. cap.* 5. ℣. 1-12.

2. COMMEM. FIDEL. DEFUNCT.

Lib. III. cap. 24. ℣. 25. Amen amen dico vobis, quia venit hora——in reſurrectionem judicii. *Joan. cap.* 5. ℣. 28-29.

11. FESTUM S. MARTINI.

Lib. III. cap. 20. ℣. 5. Nemo lucernam accendit——& ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. *Luc. cap.* 11. ℣. 33-36.

17. FEST. S. GREG. THAUMATURG.

Lib. V. cap. 2. ℣. 18. Habete fidem Dei——& eveniet vobis. *Marc. cap.* 11. ℣. 22-24.

21. PRÆSENT. B. MARIÆ. VIRG.

Lib. III. cap. 14. ℣. 12. Loquente Jeſu ad turbas——& cuſtodiunt illud. *Luc. cap.* 11. ℣. 27-28.

COMMUNE SANCTORUM.

VIGIL. APOST.

Lib. V. cap. 23. ℣. 12. Hoc eſt præceptum meum——in nomine meo det vobis. *Joan. cap.* 15. ℣. 12-16.

COMMUN. UNIUS MART. PONTIF.

Lib. IV. cap. 14. ℣. 26. Si quis venit ad me——non poteſt meus eſſe Diſcipulus. *Luc. cap.* 14. ℣. 26-33.

ALIUD EVANGEL.

Lib. IV. cap. 18. ℣. 5. Si quis vult venire poſt me——reddet unicuique ſecundùm opera ejus. *Matth. cap.* 16. ℣. 24-27.

MARTYRIS NON PONTIF.

Lib. II. cap. 30. ℣. 39. Nolite arbitrari——non perdet mercedem ſuam. *Matth. cap.* 10. ℣. 34 42.

ALIUD EVANGEL. *Lib. II. cap.* 30. ℣. 31. Nihil opertum quod non reveletur——coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *Matth. cap.* 10. ℣. 26-33.

ALIUD EVANG. *Lib. V. cap.* 3. ℣. 24. Amen dico vobis: Niſi granum——Pater meus, qui eſt in cœlis. *Joan. cap.* 12. ℣. 24-26.

MARTYRIS TEMP. PASCH.

Lib. V. cap. 23. ℣. 1. Ego ſum vitis vera; & Pater meus agricola eſt——& fiet vobis. *Joan. cap.* 15. ℣. 1-7.

MARTYRUM TEMP. PASCH.

Lib. V. cap. 23. ℣. 5. Ego ſum vitis, vos palmites——& gaudium veſtrum impleatur. *Joan. cap.* 15. ℣. 5-11.

ALIUD EVANGEL. *Lib. V. cap.* 24. ℣. 20. Amen amen dico vobis, quia plorabitis——nemo tollet à vobis. *Joan. cap.* 16. ℣. 20-22.

MARTYRUM PER ANNUM.

Lib. V. cap. 13. ℣. 12. Cùm audieritis prælia & ſeditiones——poſſidebitis animas veſtras. *Luc. cap.* 21. ℣. 9-19.

ALIUD EVANG. *Lib. II. cap.* 14. ℣. 30. Pe-

ſcendens Jeſus de monte——merces veſtra multa eſt in cœlo. *Luc. cap. 6. ℣. 17-23.*

Aliud Evangel. *Lib. V. cap. 13. ℣. 6.* Sedente Jeſu ſuper montem Oliveti——hic ſalvus erit. *Matth. cap. 24. ℣. 3-13.*

Aliud Evang. *Lib. II. cap. 14. ℣. 1.* Videns Jeſus turbas, aſcendit in montem——merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Matth. cap. 6. ℣. 1-12.*

Aliud Evangel. *Lib. III. cap. 20. ℣. 47.* Væ vobis——requiretur ab hac generatione. *Luc. cap. 11. ℣. 47-51.*

Aliud Evangel. *Lib. II. cap. 35. ℣. 7.* Qui vos audit, me audit——nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *Luc. cap. 10. ℣. 16-20.*

Aliud Evang. *Lib. III. cap. 21. ℣. 1.* Attendite à fermento Phariſæorum——coram Angelis Dei. *Luc. cap. 12. ℣. 1-8.*

Confess. Pontificum.

Lib. V. cap. 15. ℣. 14. Homo peregrè proficiſcens——intra in gaudium Domini tui. *Matt. cap. 25. ℣. 14-21.*

Aliud Evang. *Lib. V. cap. 14. ℣. 41.* Vigilate, quia neſcitis qua hora——ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. *Matth. cap. 24. ℣. 42 47.*

Aliud Evang. *Lib. III. cap. 20. ℣. 1.* Nemo accendit lucernam——lucerna fulgoris illuminabit te. *Luc. cap. 11. ℣. 33-36.*

Aliud Evang. *Lib. V. cap. 14. ℣. 32.* Videte, vigilate, & orate——omnibus dico, Videte, vigilate. *Marc. cap. 13. ℣. 33-37.*

Doctorum.

Lib. II. cap. 16. ℣. 1. Vos eſtis ſal terræ——hic magnus vocabitur in regnum cœlorum. *Matth. cap. 5. ℣. 13-19.*

Confess. non Pont.

Lib. III. cap. 22. ℣. 35. Sint lumbi veſtri præcincti——filius hominis veniet. *Luc. cap. 12. ℣. 35-40.*

Aliud Evang. *Lib. III. cap. 22. ℣. 1.* Nolite timere puſillus grex——ibi & cor veſtrum erit. *Luc. cap. 12. ℣. 32-34.*

Aliud Evang. *Lib. IV. cap. 33. ℣. 2.* Homo quidam nobilis abiit——& quod habet auferetur ab eo. *Luc. cap. 19. ℣. 12-26.*

Abbatum.

Lib. IV. cap. 28. ℣. 39. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te——vitam æternam poſſidebit. *Matth. cap. 19. ℣. 27-29.*

Virginum.

Lib. V. cap. 15. ℣. 1. Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus——quia neſcitis diem, neque horam. *Mat. cap. 25. ℣. 1-13.*

Non Virginum.

Lib. III. cap. 18. ℣. 29. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito——& vetera. *Matth. cap. 13. ℣. 44-52.*

Dedicatio Ecclesiæ.

Lib. IV. cap. 32. ℣. 2. Ingreſſus Jeſus perambulabat Jericho——& ſalvum facere quod perierat. *Luc. cap. 19. ℣. 1-10.*

IN MISSIS VOTIVIS.

De Sancta Trinitate.

Ut in Dominica infra Octavam Aſcenſionis.

De Spiritu Sancto.

Ut in Dominica Pentecoſtes.

De S. Eucharist.

Ut in Feſto Corporis Chriſti.

De sancta Cruce.

Lib. IV. cap. 30. ℣. 2. Aſſumpſit Jeſus duodecim diſcipulos ſecretò——& tertia die reſurget. *Matth. cap. 20. ℣. 17-19.*

De Passione.

Lib. V. cap. 35. ℣. 23. Sciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt——teſtimonium ejus. *Joan. cap. 19. ℣. 28-35.*

In Missis de S. Maria, ab Adventu usque ad Nat. Dom.

Ut in feſto Annuntiationis 25. Mart.

A Nativit. Dom. ad Purif.

Ut in Miſſ. 2. Nativit.

A Purif. ad Pascha.

Ut in Præſentat. 21. Novemb.

A Pasch. ad Pentecost.

Lib. V. cap. 35. ℣. 16. Stabant juxta crucem Jeſu mater ejus——accepit eam Diſcipulus in ſua. *Joan. cap. 19. ℣. 25-27.*

A Pentecoste ad Adventum.

Ut in Præſent. 21. Novemb.

De Angelis.

Lib. II. cap. 9. ℣. 6-47. Vidit Jeſus Nathanael——deſcendentes ſupra filium hominis. *Joan. cap. 1. ℣. 47-51.*

SS. Petri & Pauli.

Ut in Communi Abbatum.

In Missis pro Defunctis.

Lib. III. cap. 30. ℣. 51. Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi——in noviſſimo die. *Joan. cap. 6. ℣. 51-55.*

In die Obitus.

Lib. IV. cap. 35. ℣. 21. Dixit Martha ad Jeſum: Domine——qui in hunc mundum veniſti. *Joan. cap. 11. ℣. 24-27.*

In Anniversario.

Lib. III. cap. 29. ℣. 37. Omne quod dat mihi Pater——& ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. *Joan. cap. 6. ℣. 37-40.*

Pro Infirmis.

Ut in feria quinta poſt Cineres.

Pro Peregrinantibus.

Lib. II. cap. 30. ℣. 11. Euntes prædicate, dicentes——excutite pulverem de pedibus veſtris. *Matth. cap. 10. ℣. 7-14.*

Pro Sponso & Sponsa.

Lib. IV. cap. 27. ℣. 3. Si licet homini dimittere uxorem ſuam——homo non ſeparet. *Matth. cap. 19. ℣. 3-6.*

Pro

Digitized by Google

PRO TOLLENDO SCHISMATE.

Lib. V. cap. 26. ℣. 1. Sublevatis Jeſum oculis in cœlum——ut ſint conſummati in unum. *Joan. cap.* 17. ℣. 11-23.

PRO QUACUMQUE NECESSITATE.

Lib. V. cap. 11. ℣. 18. Habete fidem Dei: Amen dico vobis——dimittet vobis peccata veſtra. *Marc. cap.* 11. ℣. 22-26.

PRO REMISSIONE PECCATOR.

Lib. III. cap. 8. ℣. 8. Petite, & dabitur vobis: quærite——dabit ſpiritum bonum petentibus ſe, *Luc. cap.* 11. ℣. 9-13.

CONTRA PAGANOS.

Ut in rogationibus.

TEMPORE BELLI.

Lib. V. cap. 13. ℣. 8. Dic nobis quando hæc erunt——hæc autem omnia, initia ſunt dolorum. *Matth. cap.* 24. ℣. 3-8.

PRO PACE.

Ut in Dominica in Albis.

TEMP. PESTIS, vel MORTALIT.

Ut Feria 5. *poſt Dominicam* 3. *Quadrageſimæ.*

INDEX QUARTUS
RERUM ET VERBORUM.

Littera a. *primam columnam deſignat:* b. *ſecundam.*

A

AARONIS filios in 24. familias diviſerat David, 5. b.
Abba, vox Syriaca, 540. a.
Abel juſtus, 260. 473.
Ablutio totius corporis ante quodlibet opus bonum, 89. a. 95. a.
Abnegatio ſui, 360.
Abnegare ſeipſum quid ſit, 362. a.
Abominatio deſolationis, 486. quidnam ſit, 499. b.
Abraham diem Chriſti vidit & gaviſus eſt, 328. Abraham pater multarum gentium, 333. a. Abrahæ filios ſe Judæi gloriantur, 88. & 327. Abrahæ filii quinam? 90. a. Abrahæ filii opera Abrahæ faciunt, 327. Abrahæ filios de lapidibus ſuſcitare Deus poteſt, 88. Abrahæ filius etiam peccator qui reſipiſcit, 405. Abrahæ ſinus, 353. Abrahæ verba ad epulonem, *ibid.* Abrahæ filia, 301.
Abſconditum ſcietur, 247. 263.
Abyſſus quid ſit, 162. b.
Accumbere cum Abraham, quid, 153. b.
Accumbebant menſæ Judæi ſtrati in lectulis, 202. a.
Accuſatus Chriſtus tacet, 547. 560. 562.
Acetum ſitienti Chriſto porrectum, 593. 594.
Acetum in monte Calvariæ unde? 595. a.
Aceti potus non inſolitus, *ibid.*
Adjuratur Chriſtus, 547.
Admonitus Joſeph in ſomnis, 53. 55.
Adoleſcens amictus ſyndone, 543.
Adoratio Magorum, 44.
Adoratores in Spiritu & veritate, 227.
Adoratur Chriſtus à diſcipulis, 629. 634.
Adventus Chriſti ab initio mundi celebratus, 19. b. A prophetis omnibus prædictus, 278. a. ideo à Judæis creditus, *ibid.* b. Adventus judicii, 496. Adventus ultimus Chriſti, 488. Adventus Chriſti ut fulgur, 383. 488. Adventus Chriſti ſigna, 488.
Adverſario conſentiendum, 126.
Adverſariorum Chriſti in Evangelii miniſtros odium, 281.
Adultera mulier, 326.
Ædes Hieroſolymitanorum omnibus patebant in feſto Paſchatis, 428. 505. a. Ædium forma, 553.
Ædificans ſuper petram & ſuper arenam, 145.
Ægri oleo uncti, 182.
in Ægyptum fuga, 53. reditus ex Ægypto, 55.
Ænnon ubi Joannes baptizabat, 224.
Ætas requiſita ut quis lege teneretur, 58. a. ætas ad omnia obeunda, 96. a.
Ager figuli, 556.
De agro non revertendum. 483. 487.
Agnus Dei, 103.
Agnus Paſchalis Chriſti typus, 422. abſque macula eſſe debuit, *ibid.* Qua die eligendus, 441. a. Hunc in ultima Cœna Chriſtus non comedit, 435. 506. b.
Agni Petro commendati, 626.
Agonia Chriſti, 358.
Alabaſtrum unguenti, 417.
Alapa, 546.
Alba veſtis, 561.
Aloes duplex genus, 604. a.

Alogi

Digitized by Google

Alogi hæretici, 72.
Altilia occiſa, 460.
Altum hominibus abominatio ante Deum, 353.
Ambulare ponitur pro vivere, 309. a.
Ambulat Jeſus ſuper mare, 289. ambulat Petrus ſuper mare, *ibid.* ambulandum dum lux eſt, 458.
Amicus poſtulans tres panes. *Parab.* 222.
Amici faciendi de mammona, 353. Amici Chriſti quinam, 526. Amici, non ſervi Apoſtoli, *ibid.* Amici & ſervi diſcrimen, *ibid.* Amici facti Herodes & Pilatus, 561.
Amor Chriſti erga nos prævius, 528. a. Amor non ſolis verbis exhibendus, 135. b. Amor Dei magnum & primum mandatum, 219. 468. Amor proximi ſecundum mandatum, *ibid.* *V. Dilectio.* Amor parentum & filiorum quis eſſe debeat, 188. a. quo Amore amari velit Chriſtus, 182.
Andreas diſcipulus Joannis Baptiſtæ, 103. Primus Apoſtolorum adit Chriſtum, *ibid.* Uno die cum eo commoratur, *ibid.* Ad illum adducit Petrum, *ibid.* de navi vocatur, 114. in Apoſtolum eligitur, 119. Jeſum pro Gentilibus eum videre cupientibus alloquitur, 450. Jeſum de tempore everſionis Templi interrogat, 481.
Angariare, 130.
Angelorum Dominus Chriſtus, 42. b.
Angelus apparetet Zachariæ, 4. ideo turbatur & quare, 6. b. apparet Mariæ, 9. Joſeph ter, 32. 53. & 55. paſtoribus, 41. Chriſto confortans eum, 538. cuſtodibus ſepulchri, 607. mulieribus ad ſepulchrum, *ibid.* aquam piſcinæ turbat, 270. angeli miniſtrant Chriſto, 98. meſſores erunt in die judicii, 258. ſeparaturi malos de medio juſtorum, 252. cuſtodes, 378. mittendi cum tuba ad congregandos electos, 488.
Angelorum nomina indicant miniſteria eorum, 8. a.
Angelorum, aut Dei viſio mortis proximæ ſignum, 6. b. 8. b.
Anguſta porta, 304.
Anima immortalis, 181. anima perdenda, 382. 450. pro anima nulla eſt commutatio, 360. animarum tranſmigratio à Judæis credita, 280. b. 336. a.
Anima pro vita 56. a. anima hominis imago Dei Deo reddenda, 464. b.
Anna prophetiſſa, 49.
Annas ſocer Caiphæ, 545.
Annus duplex, civilis & Eccleſiaſticus, 425. utriuſque initium, *ibid.* annus Jubilæi, 258. a. annus Domini acceptus, 255. anni conſolationis, 51. a.
Annuntiatio & conceptio Joannis Baptiſtæ, 4. Annuntiatio & incarnatio Chriſti, 9.
Apertura vulnerum in carne Chriſti poſt reſurrectionem, 625. a.
Apex aut iota legis, 125.
Apoſtoli electi, ſeu vocati à Chriſto, 119. cur duodecim, 120. b. & 183. a. nominis interpretatio, 120. b. eorum miſſio prima & poteſtas, 179. monita ad eos, 180. miſſio ad oves Iſrael tantùm, *ibid.* modica fides. 259. 317. firma fides, 297. fidem ſibi augeri petunt, 383. contentio de primatu, 374. 517. poteſtas ligandi & ſolvendi, 357. & 378. orbem judicaturi, 395. & 517. ſcandalum paſſuri, 518. dormiunt in horto, 538. fugiunt, 543. eorum incredulitas & duritia cordis, 614. & 618. fides eorum de reſurrectione Chriſti confirmatur, 620. a. miſſio eorum ſecunda poſt reſurrectionem, 622. ſunt ſemper in Templo, 634. ubique prædicant cum ſignis, *ibid.* *Cætera vide in propriis locis.*
Apparitiones Chriſti poſt reſurrectionem, 1. Mariæ Magdalenæ hortulani ſpecie, 612. 2. mulieribus, 614. 3. Petro, 618. 4. euntibus in Emmaus, *ibid.* 5. undecim in Hieruſalem, 621. 6. iiſdem cum Thoma, 622. 7. ad mare Tiberiadis, 625. 8. in Galilæa pluſquàm quingentis fratribus, 629. 9. Jacobo, *ibid.* 10. in Hieruſalem ante aſcenſionem, *ibid.*
Aqua vinum facta, 108. aqua viva, 227. aqua à Chriſto data fons ſaliens in vitam æternam, *ibid.* aquæ calix in nomine Chriſti datus, 182. 375. aqua & ſanguis de latere Chriſti, 599. unde fluxerint, 601. b.
Aquilæ ubi corpus, 384. 488.
Ad aratrum manum mittens, 156.
Arbor bona & mala, 144. arbor ex fructu, 145. arbor non faciens fructum bonum exciditur, 88. & 145. arbores per fidem transferendæ, 383.
Archelaus, 55.
Archiſynagogus quis eſſet, 883. b. 875. b.
Architriclinus quis, 110. a.
Arcta via, 304.
Areſcent homines præ timore, 488.
Arefacta ficus, 446.
Argentei triginta, 500. valor eorum, 502. b. à Juda in templum projecti, 556.
Arida manus ſabbato curata, 215.
Aridam & mare circumeuntes Phariſæi ut proſelytum faciant, 472.
Aromata in ſepulturam Chriſti, 602.
Arundo ventis agitata, 194. arundo in manu Chriſti, 569. arundinem quaſſatam non confringit Chriſtus, 234.
Aſcenſio Chriſti, 638.
Aſina & pullus, 439.
Aſſumptionis Chriſti dies, 381.
Aſſumptus unus, & unus relictus, 384. 489.
Avaritia omnis cavenda, 264.
Audire verbum Dei & cuſtodire, 241. qui vos audit, me audit, 198. audiendus Chriſtus, 363.
Ave Rabbi, 541. ave rex Judæorum, 569.

Aures

Aures beatæ quæ audiunt, 246. in aurem loqui, 181. 263.
Auricula abſciſſa & reſtituta, 542.
Aurum & argentum non poſſidendum, 180. aurum Chriſto offerunt Magi, 41. in auro Templi jurare, 472.
Auxilii divini exemplum, 289.
Azymorum dies, 431. quot eſſent; quando inciperent, 432.

B

BALAAM propheria de Chriſto venturo, 46. a.
Non baptizabat Chriſtus ſed diſcipuli ejus, 226. baptizandæ omnes Gentes, 629. baptizans baptizato dignior, 89. a. & 95. a. baptizatur Chriſtus in Jordane, 94. cur baptizari voluerit Chriſtus, 95. a. à baptizandis quædam requiſita, 631. a. baptizabantur proſelyti, 89. a. 631. a. baptizari in nomine alicujus quid ſit, 631 a.
Baptiſmus Joannis in aqua, 91. & 630. baptiſmus Chriſti in Spiritu ſancto & igne, 91. baptiſmo Chriſti baptizari, 401. baptiſmi neceſſitas, 210. b. baptiſmi vota, 631. b. baptiſmus Joannis unde erat? 455. baptiſmus ante quodlibet opus pium, 89. a. & 95. a. baptiſmus ante prandium, 261. a. baptiſmata calicum, &c. 305.
Barabbas latro & homicida, 565. præ Chriſto dimittendus petitur, 566. Chriſto pereunte dimittitur, *ibid.*
Bartholomæus apoſtolus, 119. 180.
Bartimæus cæcus, 408.
Beatitudinea octo ex Matthæo, 121. beatitudines quatuor ex Luca, quibus quatuor væ opponuntur, 122.
Beatitudo noſtra in poſſeſſione Dei, 123. a.
Beatitudinis acquirendæ modus, *ibid.*
Beati quinam verè ſunt, 125. b. beati qui audiunt & cuſtodiunt Verbum Dei, 241. beati qui Chriſtum viderunt, 198. beati qui non viderunt & crediderunt, 623. beati ſervi vigilantes, 267. beati qui ſciunt & faciunt, 508. beatus qui non fuerit ſcandalizatus in Chriſto, 192. beatus venter qui portavit Chriſtum, 241. beatus ſervus fidelis, 267. beatus cui non retribuitur niſi in cælis, 346. beatus qui manducabit panem in regno Dei, *ibid.*
Beatæ ſteriles, 686.
Beelzebub dæmoniorum princeps, 236.
Bella, terræ motus, fames &c. 482.
Benedicere cibis ſolebant Judæi, 515. a. & 621. a. benedictionis hujus formula, *ibid.*
Benedicendum maledicentibus, 130.
Benedictio Simeonis, 49. ſacerdotalis non fuit, 51. b. benedictionis ritus, 634. a.
Benedicit Jeſus parvulis, 393. panibus, 285. apoſtolis, 633.
Benedictus qui venit in nomine Domini, 440.
Benefaciendum iis à quibus nihil ſperatur, 130.
cum Beſtiis Chriſtus in deſerto, 97.
Bethania (græcè Bethabara) ubi erat Joannes baptizans, 101. Bethania prope Hieruſalem, 413.
Bethlehem civitas David ubi Chriſtus natus, 39.
Beth-phage, 439.
Væ Bethſaidæ, 197.
Bibere calicem, & baptiſmo baptizari quid? 402. b.
Blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, 137. 264.
Blaſphemiæ in Chriſtum è cruce pendentem, 592.
Blaſphemus lapidandus, 342. b.
Boanerges, id eſt filii tonitrui, Jacobus & Joannes, 119. nominis hujus origo & ſignificatio, 121. a.
Boni à malis facilè opprimendi, 589. b. bonorum operum neglectorum ratio reddenda, 499. b. bonorum relictio ingreſſus ſtadii, 398. a.
Bonus ſolus Deus, 393.
Breviati dies propter electos, 487.

C

CÆCI à Chriſto curati, duo in Capharnaum, 178. unus qui dæmoniacus & mutus, 236. alius in Bethſaida, 379. cæcus natus, 334. cæcus cùm appropinquaret Jerico, 404. duo cùm inde egrederetur, quorum uni nomen Bartimæus, 408. multi coram legatis Joannis, 192. cæci, muti, claudi, ſecus mare Galilææ, 312. alii in Templo poſt ſecundam vendentium ejectionem, 447.
Cæci Phariſæi, 307. 472.
Cæcus cæcum ducens, 143. 307.
Cæci & duces cæcorum, 307.
Cæcitas cordis contriſtans Chriſtum, 216.
Cælum clauſum Eliæ tempore, 256.
Cælum apertum in baptiſmo Chriſti, 91. in cælum nemo aſcendit niſi Filius hominis, 209. cælum & terra tranſibunt, 489. cæli faciem Phariſæi dijudicant; 268. è cælo eſſe quid, 456. a. *V. Regnum Dei*,
Cæſari quæ ſunt Cæſaris reddenda, 463.
Cainan an ex Luca filius Arphaxad, 29. b.
Caiphæ propheria de Chriſto, 413. 545. Caiphæ examen & judicium, 547.
Calceamenta apoſtolis vetita, 180. & ſeptuaginta diſcipulis, 189. calcei Hebræorum, 92. b.
Calicem Chriſti bibere, 401.
Calix pro ſorte ponitur, 539. b.
Calvariæ locus, 586. unde ſic dictus, 588. a.
Camelum per foramen acus tranſire, 394. camelus quid, 397. a.
Canibus ſanctum non dandum, 144. canibus panis filiorum non mittendus, 311.
Canticum Mariæ, 14. Zachariæ, 18. Simeonis, 49.

Caper

Caper emiſſarius Chriſti, typus, 531. a.
Capharnaum incolit Chriſtus, 110. a. ideo dicta civitas Chriſti, 111. a. & 165. nominis origo, 111. a. ejuſdem interpretatio, *ibid.* b. in Capharnaum exprobatio, 197.
Capillum album, aut nigrum facere non poſſumus, 129. capilli omnes numerati, 182. 164.
Caput Joannis pretium ſaltatricis, 279. caput unguentis ſæpè Judæi perfundebant, 419. a. per caput non jurandum, 129.
Caro Chriſti danda pro mundi vita, 295. caro Chriſti manducanda & verè cibus, *ibid.* caro non prodeſt quidquam, 297.
Catelli edunt de micis, 311.
Cathedra Moyſi, 471. cathedræ id eſt menſæ vendentium columbas everſæ, 446. 206.
Catholica fides veritatem tenet inter contrarias & oppoſitas hæreſes, 344. a.
Cauſa Chriſti impoſita cruci, 587.
Cauſæ majores ad ſynedrium referebantur, 345. a.
Cenſus, an liceat dare Cæſari, 462.
Centuplum accipiendum, 345.
Centurionis ſervus & fides, 151. centurio glorificans Deum in morte Chriſti, 598.
Cerinthi hæreſis, 71.
Chananæa, 311.
Chaos magnum, 353.
Charitas refrigeſcet, 483. charitas chriſtiana, 134. a. de charitate conſilium, 90. b. *V. dilectio.*
Chlamys coccinea, 569.
Chriſtianorum plerique ſolo titulo cogniti, 136. a. chriſtianorum calix, pati & non frui, 403. a. chriſtianorum conditio qualis? 530. a.
Chriſtus, ſanctus appellandus, 12. b. poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum, 49. proficiebat ſapientia & gratia, 57. verè homo Deus, 100. b. & 341. a. docet ut poteſtatem habens, 146. pro peccatoribus venit non pro juſtis, 169. filius David, 178. a. attulit gladium non pacem, 182. mitis & humilis corde, 198. non venit ut judicet ſed ut ſalvet, 209. non contendit nec clamat, 234. faber & fabri filius, 255. rex conſtituendus fugit, 288. miſſus tantùm ad oves Iſrael, 311. venit ut qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant, 335. ſicut gallina congregans pullos, 344. 473. venturus in majeſtate, 361. 634. b. venit ſalvare quod perierat, 378. 405. habetur pro Joanne Baptiſta, pro Elia, aut pro Jeremia, 357. à Petro Deus agnoſcitur, *ibid.* Redemptio eſt pro multis, 401. venit miniſtrare, non miniſtrari, *ibid.* à ſe ipſo non loquitur, 451. eſt lapis angularis, 458. Eccleſiæ ſponſus, 461. a. filius & dominus David, 470. per illum tantùm itur ad Deum, 521. ad Chriſtum nemo niſi per Chriſtum, 523. a. dilectus à Patre ante mundi conſtitutionem, 534. vera carne indutus, 539. b. accuſatus tacet, 547. 560. & 561. in hoc natus ut teſtimonium perhibeat veritatis, 560. factus hoſtia pro peccato, 596. b. illum oportuit pati, 618. manducat poſt reſurrectionem, 618. 622. 626. Chriſtus finis legis, 620. a. ei data omnis poteſtas, 629. cum apoſtolis ſemper ſe manſurum affirmat, *ibid.* patitur cordis deliquium, 236. & 238. a.
Chriſtus per calumniam dictus dæmonum per dæmones expulſor, 178. & 236. vorax & potator vini, 195. publicanorum & peccatorum amicus, *ibid.* ſabbati violator, ſeductor, 319. & 603. dæmonium habens, 236 320. 328. & 339. Samaritanus, 328. peccator, 334. & 335. inſanus, 339. blaſphemiæ reus Deum ſe faciens, 166. ſe filium Dei faciens, 547. 556. 569. ſe Chriſtum regem dicens, 560. templum deſtruere volens, 547. malefactor, 559. doctrina commovens populum, 561. ſubvertens gentem Iudæorum, 560. prohibens tributa dari Cæſari, *ibid.* *De cæteris conſule primum indicem, in quo vita J. C. D. N. deſcripta habetur.*
Cibus Chriſti voluntas Dei, 321. cibis benedicere ſolebant Iudæi, 515. a. & 621. a. cibis non egebat Chriſtus poſt reſurrectionem, 623. a.
Cilicio in luctu veſtiebantur Iudæi, 87. a. in cilicio & cinere pœnitentiam agere, 197.
Circumciſio Chriſti, 41. circumciſus Chriſtus, 43. b. circumciſio ad octavum diem differebatur ex lege, 18. a. cur circumciſionis locus, *ibid.* circumciſionis miniſter, *ibid.* in circumciſione nomen imponebatur, *ibid.*
Civitas ſupra montem poſita, 125. civitas ſancta Jeruſalem, 97. 598.
Clamor crucifige, 566. 569. 570.
Clavis doctoratus inſigne, 263. a.
Claves & primatus Petri, 357.
Clavium traditio ſignum poteſtatis, 359. a.
Clavis ſcientiæ, 260.
Claudi in templo ſanati, 447.
Clementia paſtoribus neceſſaria, 124. a.
Cleophas unus ex diſcipulis euntibus in Emmaus, 618.
Clerici ditiores ſæcularibus, 184. b.
Coccineus color ſymbolum peccati, 570. b.
Cœna magna *Parab.* 346. cœna in Bethania, 413. cœna natalis Herodis, 279. cœna Paſchalis, 503. in ea Chriſtum agnum legalem non comedit, 435. 606. b.
Cœnaculum grande ſtatum, 503.
Cogitationes novit Chriſtus, 166. 215.
Cogitatio mortis utilis, 266. b.
Cognati etiam fratres dicti, 243. a. non cognovit Joſeph Mariam, 32.
Coinquinat hominem non quod intrat in os ejus, 306.

Cola-

Colaphis cæditur Chriſtus, 548.
non Colligens cum Chriſto, 237.
Colloquium Chriſti cum Nathanaele, 106. cum Nicodemo, 209. cum Samaritana, 227. cum Martha ante ſuſcitatum Lazarum, 410. cum Maria Magdalene in prima apparitione, 612. cum euntibus in Emmaus in quarta, 618.
Columbæ ſpecie Spiritus ſanctus, 94. cur ſub tali ſpecie apparuerit, 95. b. columbarum ſimplicitas, 182. quid ſit hæc ſimplicitas, 185 b.
Columbæ ſymbolum integritatis, ſive vitæ inculpatæ, 185. b. 186. a.
Communibus manibus manducare, 305.
Commune, id eſt prophanum, 208. a.
Communicare, ſeu commune facere, id eſt reddere prophanum, *ibid.*
Complacet ſibi Pater in Filio, 94. 364.
Computans ſumptus, 347.
Conceptio Joannis Baptiſtæ, 4.
Concilio reum eſſe, 126. concilium primum adverſus Jeſum, 413. concilium ſecundum, 556.
non Concupiſcendum, 189.
non Condemnandum, 143.
Confeſſio peccatorum in baptiſmo Joannis, 88. confeſſio oralis uſitata apud Judæos, 89. a. confeſſio Petri: Tu es Chriſtus, 357. confeſſio dæmonum, 154. 234. confeſſio malorum operum initium bonorum, 351. b. confeſſio trina Petri negationi trinæ redditur, 628. a.
Confitentes confitebitur Chriſtus, 182. 264.
Confuſus de Chriſto confundendus, 360.
Congregati duo, vel tres in nomine Chriſti, 378.
Congregabunt angeli electos, 488.
Congregabuntur omnes Gentes, 496.
Connubia: leges Judæor. circa connubia, 32. b. connubia propter filios, 467. a.
Conſenſus duorum quid poſſit, 378.
Conſentiendum adverſario, 126.
Conſilium Dei ſpreverunt Phariſæi, 195.
Conſolatio Iſrael ſpes Chriſti venturi, 51. a.
à Conſtitutione mundi, 496.
Conſummatio ſæculi, 481. 629.
Contentio apoſtolorum de primatu, 374. & 517.
Contra Deum qui non cum Deo, 237. qui non contra nos pro nobis eſt, 375.
Convivia, apud Matthæum, 169. apud Simonem Phariſæum, 201. apud Simonem Leproſum in Bethania, 413. cœnæ magnæ *Parab.* 341. nuptiarum filii Regis, *Parab.* 460. natalis Herodis, 279.
Convivia pauperibus retribuere non valentibus, paranda, 341.
Cor alicuoi eſſe quid ſignificet? 142. a. 268. b. cor incraſſatum & induratum, 246. cordis incraſſationis cauſæ, 248. b. ex cordis abundantia os loquitur, 145. 148. a. 237. de corde mala omnia exeunt, 307. beati mundo corde, 122. ex toto corde diligere Deum, 219. 468. 469. in corde mœchari, 129. corda patrum in filios convertere quid? 7. b.
Coram Deo juſtum eſſe quid? 5. b.
Corban, 306.
Cornu ſalutis, 18. 19. a.
Corona ſpinea, 559.
Væ Corozain, 197.
Corpus abluendum ante quodlibet opus pium, 89. a. 95. a.
Corpus poſt mortem ligarum inſtitis, 415. b.
Corpus Chriſti verè & realiter in Euchariſtia, 515. a.
ubi Corpus ibi aquilæ, 384. 488.
Correptio Petri, 360. correptio fraterna, 370. & 382.
Corvos paſcit Deus, 264.
Crapula & ebrietas cavendæ, 489.
Craſtinus dies ſollicitus ſibi ipſi, 138.
Creatura non dignus Dei finis, 70.
Credens in Chriſtum non perit, 209. habet vitam æternam, *ibid.* 224. 373. & 392. non credens moritur in peccato, 387. credere non poſſunt qui gloriam ab invicem accipiunt, 276. credenti omnia poſſibilia, 369. credo, Domine, adjuva incredulitatem meam, *ibid.* qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, 629. non credens condemnabitur, *ibid.* credentes quænam ſigna ſequentur, *ibid.* credentium cor unum, 320. a.
Creſcebat Chriſtus & quomodò, 57. a. 59. b.
Criminationi locus non dandus, 124. b.
Crines lacerare lugentibus mos, 204. a.
Crux ferenda, 182. 347. & 360. crux in omnibus naturæ & artis operibus expreſſa, 575. cruciariorum ſepulchrum apud Romanos, 581. & 604. a. ſupplicium ignominioſiſſimum, 568. Judæis etiam maledictum, *ibid.* Judæi cruce non ſuſpendebant reos vivos, ſed cadavera eorum ad ſolis occaſum, 584. quinam hoc ſupplicio affecti, 573. & 583. crucis ſupplicium à Conſtantino prohibitum, 585. cruci addicti crucem ipſi bajulabant, 562. a. & 580. crucis bajulatio, 586. crucifixio, 586. crucifixio Romanorum ſupplicium non uſitatum apud Judæos, 562. b. hanc præcedebat flagellatio, 570. a. & 579. crucifigebantur nudi, 581.
Crurifragium, 581.
Culicem excolare, 472. 477. b.
Curæ hujus vitæ cavendæ, 138. 264. 489.
Cura pecuniam creſcentem ſequitur, 266. a.
Curſus Petri & Joannis ad monumentum, 169.
Cuſtodia, cruci appoſita, 582. 572. b.
Cuſtodes ſepulchri territi ab Angelo, 607. pecunia corrupti à ſacerdotibus, 614.
Cyminum decimare, 473.

Dæ-

D

DÆMONES confitentur Chriſtum, 154. & 234. dæmones ad vim ſuam res naturales adjungere ſolent, 370. b. dæmones ejecti per filios Judæorum, 237. 238. b. & 239. a. dæmonum ejiciendorum poteſtas apoſtolis data, 179. & ſeptuaginta diſcipulis, 198. *V. Diabolus & Satanas.* Dæmonia ſubjiciuntur diſcipulis in nomine Chriſti, 198.

Dæmoniaci curati. unus in Capharnaum, 116. multi alii in Galilæa, 117. duo feri à quibus legio dæmonum in porcos ejecta, 160. mutus primus, 178. mutus ſecundus qui & cœcus, 236. mutus tertius qui & lunaticus, 368. cur hic ab apoſtolis non curatus, 370. Magdalene de qua ſeptem dæmonia exierant, 217. aliæ mulieres ſequentes Chriſtum, *ibid.* filia Chananææ, 312. alii coram legatis Joannis, 192.

Dalmanutha, 315.

Dandum omni petenti, 130. dandum ut detur nobis, 143. dandum gratis quod gratis acceptum, 180. dandum pauperibus, 130. 260. 267. *Vide Elemoſina.* dandum mutuum volenti mutuari, 130. dandum mutuum nihil inde ſperando, *ibid.*

Dabitur omni petenti, 144. dabitur habenti & abundabit, 245. 247. 406. 496.

Dati Chriſto non pereunt, 554.

Datum quibuſdam noſſe myſteria, non omnibus, 245.

Debita niſi dimittentibus non dimittenda, 141. a. 223. a. 579.

Debitores duo fœneratori, *Parab.* 201. hujus Parabolæ finis, 203. b.

Decimare mentam & anetum, 260. 473.

Decollatio Joannis, 279.

Decurionis & ſenatoris differentia, 603. a.

Dentem pro dente, 129.

Deſcenſus Chriſti ad inferos, 596. a.

Deſolatio Hieruſalem, 486.

Deſponſationum leges, ſeu conſuetudines, 32. b.

Deus unus eſt, 468. ita dilexit mundum ut Filium dederit, 209. in Spiritu & veritate adorandus, 227. ſolus timendus, 264. ex toto corde diligendus, 219. & 468. ſolus requies, 351. b. ſolus bonus, 393. non tentandus, 67. non mortuorum, ſed vivorum, 466. bonorum eſt remunerator, 467. b.

Deo ſoli ſerviendum, 97. Deo & mammonæ ſervire impoſſibile, 138. & 353. Deum nemo vidit unquam, 73. qui ex Deo eſt, verba Dei audit, 328. Deum cognoſcere vita æterna, 533. Dei nomen ſine laudibus efferri Judæis inſolitum, 19. a. ſine Deo Deus cognoſci non poteſt, 200. b. Dei exiſtentia miraculis comprobata, 617. a. 632. b.

quid dextera faciat, neſciat ſiniſtra, 137.

à Dextris Dei Chriſtus, 634. à Dextris ſtatuet oves Chriſtus, 495.

Diabolus ter Chriſtum tentat, 97. nominis hujus ſignificatio, 98. b. ejus poteſtas ante Chriſtum, *ibid.* huic non omnia nota ſunt, 99. a. homicida à principio, 327. in veritate non ſtetit, *ibid.* mendax & pater mendacii, *ibid.* ei & angelis ejus ignis paratus, 497. Judæi ex patre diabolo, 327. unus ex apoſtolis diabolus, 297. diaboli in domeſticos Dei nulla poteſtas, 141. a. *Vide Satanas.*

Didrachma ſoluta, 372. qui fuerit valor illorum, *ibid.* 372. b.

Dierum apud Judæos initium & finis, 425. dies Chriſti ſicut fulgur, 383. & 488. repentina ut in diebus Noe & Loth, 383. & 489. ſuperveniet in omnes tanquam laqueus, 489. dies ultionis, 487. breviati propter electos, 487. dies & hora ſoli Deo nota, 489. dies azymorum, 431. quot eſſent, 432. & 504. a. prima dies Azymorum, 503. a. ſufficit diei malitia ſua, 138.

Dii Gentilium falſi, 199. b.

Diligere. Dilectio. Multùm diligenti multa remittuntur, 201. minùs diligit cui minùs dimittitur, *ib.* qui diligit, mandata ſervat, 522. Deum in ſe manentem habet, *ib.* diligens Chriſtum diligitur à Patre, *ib.* diligit Chriſtus ſicut à Patre diligitur, 526. prior ipſe dilexit nos, 528. a. ita Deus dilexit mundum, ut filium dederit, 209. Pater diligit filium quia ponit animam, 338. Petrus diligens Chriſtum plus quàm alii apoſtoli, 626. diligenti tantùm amicos merces nulla, 130. dilectio peccatricis erga Chriſtum, 201. 642. Chriſti erga Martham, Mariam, & Lazarum, 409. dilectio Dei & proximi, 219. 468. dilectio inimicorum, 130. Chriſtianorum eſt propria, 135. b. dilectio mutua, 518. 526. per eam cognoſcuntur Chriſti diſcipuli, 518. in dilectione perſeverandum, 526. quænam maxima dilectio, *ib.* dilectio qua Pater diligit Filium in Sanctis eſt, 534. dilectio operibus probatur, 524. *Plura de dilectione Vide cap.* 22. & 23. *lib.* 5.

Diluvio adventus Chriſti comparatus, 383. & 489.

Dimittendum ut dimittatur nobis, 137. 143. & 447. dimittendum & pallium appetenti tunicam, 130. dimittens rex debitum, 378. dimittendum proximo ſepties & ſeptuagies ſepties, 378. & 389. dimittendum de corde. 378. non dimittenda uxor, 129. 389. & ſeq.

Dimiſſio unius vincti in Paſchate, 565

Diſciplinæ eccleſiaſticæ rigor, 380. b.

Diſcipulus quem diligebat Jeſus, 511. 593. 610. & 626. non diſcipulus ſuper magiſtrum, 143. & 183. diſcipuli primùm à Chriſto vocati, 103. & 105. electi ex iis duodecim & apoſtoli nominati, 119. cur non jejunent ſicut diſcipuli Joannis & Pharisæorum, 170. ſeptuaginta duo electi à Chriſto, miſſi & admo-

moniti, 188. dæmonia illis ſubjecta, 198. multi abeunt retrò, 297. Chriſto crucifixo ſpem amittunt, 618.
Diſcipuli Joannis miſſi ad Chriſtum, 192.
Diſcipuli Legiſperitorum, Phariſæorum & Joannis quomodo cogniti, 520. a. diſcipuli Chriſti dilectione mutua cogniti, *ibid.* *Vide Apoſtoli*.
Diſpenſator fidelis & infidelis, 267.
Diſpergit qui cum Chriſto non colligit, 237.
Diſperſio Gentium quid ſit, 323. b.
Diſſenſio inter Judæos de Chriſto, 324.
Dives horrea deſtruens. *Parab.* 264. dives epulo, 353. dives difficilè ſalvandus, 294. væ divitibus, 122. divitum felicitas, 125. b. divitibus pudor Chriſtus pauper, 137. b. divites nec in ſepulchro ſunt ſine divitiis, 604. b. divitiæ fallaces, 254. b. divitiarum fallacia ſuffocat verbum, 246.
Divinitas Chriſti probatur, 100. b. 168. a. 343. a. & 617. b.
de Divortio variæ apud Judæos ſententiæ 390. a.
Docti à Deo ad Chriſtum veniunt, 394.
Doctores Judæorum Rabbini dicti, 127. b.
Doctrina Chriſti nova dicta, 117. doctrina mea non eſt mea, 320. doctrina ſancta non quibuſvis proponenda, 147. a. de doctrina cognoſcet utrùm ex Deo ſit qui voluerit voluntatem Dei facere, 320. doctrina Phariſæorum cavenda, 317.
Dominus & filius David Chriſtus, 470.
Dominis duobus non ſerviendum, 138. 353.
Non qui dicit, Domine, 145.
Domine aperi nobis, 495.
Domus Dei facta domus negotiationis, 206. facta ſpelunca latronum, 446.
Domus ſcopis mundata, 241.
Domeſtici hominis inimici ejus, 182.
Dona Spiritus ſancti varia, 624. a. his ſic utendum ut augeantur, 407. b.
Donec quid ſignificet, 38. b.
Dormiens Chriſtus in navi, 198.
Dormite jam & requieſcite, 538. probatur, 249. a. ſine operibus non prodeſt,
Drachma reperta, 349.
Duces cæci Phariſæi, 472.
Duodenarii numeri apoſtolorum myſtica ſignificatio, 120. b. 183. a.
Duorum conſenſus quid poſſit, 378. duo, vel tres congregati in nomine Chriſti, 387. duo in carne una, 389. 391. a.
Duritia cordis apoſtolorum, 614. 618. ad duritiam cordis uxor permiſſa dimitti, 389.

E

EBRIETAS & crapula cavendæ, 498.
Ecce agnus Dei, 103. quo ſenſu Jeſus agnus Dei, 104. a.
Ecce hìc, ecce illic, 383. 487.
Ecce homo, 569.
Eccleſia nunquam ſine malis, 439. b. eccleſia ſponſa Chriſti, 461. a. eccleſiæ Romanæ perennitas, 359. a. & 628. b. ad hanc omnes convenire neceſſe eſt, 359. a. eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor, 380. b.
Edictum Cæſaris de orbe deſcribendo, 39.
Effigie alia Chriſtus diſcipulis apparuit, 617. quo ſenſu hoc intelligendum, 619. a.
Ejectio prima vendentium, 205. ejectio ſecunda, 446.
Electi pauci, 399. Chriſto à Patre dati, 534. Chriſto noti, 510. non eligentes ſed electi de mundo ut fructum afferant, 526. citò à Deo vindicandi, 386. propter eos breviati dies, 487. ſi fieri poteſt, ſeducendi, *ibid.* à quatuor ventis congregandi, 304. 488. unum cum Chriſto in Deo, 534.
Electio duodecim apoſtolorum, 119. electio & miſſio ſeptuaginta duorum diſcipulorum, 189.
Elegit nos Chriſtus, non nos illum, 526.
Eleemoſyna facienda, 130. 260. & 267. quomodo facienda, 137. eleemoſynæ vis, 260.
Eli, Eli Lamma ſabacthani, 595.
Elias & Moyſes viſi in majeſtate, 363. de Elia venturo, 365.
Elizabeth mater Joannis Baptiſtæ, 4. 17. nominis interpretatio, 20. a.
Emmanuel, 32.
Emmaus, 617.
Encænia, 341.
Ephrem civitas juxta deſertum, 414.
Epiphania, 44.
Epulo & Lazarus, 353.
Erubeſcens erubeſcendus, 360.
Eſca Joannis Baptiſtæ, 84. eſcas habens det non habenti, 88.
Eſt, eſt. Non, non, 129.
Eſurientes diſcipuli, 213. eſurientes & ſitientes juſtitiam, 121.
Evangelium regni à Chriſto prædicatum, 111. evangelium in toto orbe prædicandum, 483. evangelium apoſtolis prædicari præceptum, 180. & 629. evangelia falſa hæreticorum, 2. a. evangelico negotio omnia poſtponenda, 157. b.
Euchariſtia Hieroſolymis inſtituenda, 505. b. & 514. b. ejus inſtitutio, 514. huic non interfuit Judas, 513. b. mortis Chriſti commemoratio eſt, 516. a. ſacrificium omni ſacrificio perfectius eſt, 510. a. ad hanc lotione pedum præparati apoſtoli, 509. b. & 510. b. realis præſentia Chriſti in illa, 515. a. & 516. b. hanc figurabant ritus omnes veteris legis, 515. b.
Eunuchi diverſi, 390.
Euthychetis confutatio, 81. b.
Exaltandus per crucem Chriſtus, 209.
Exaltans ſe humiliandus, 387. & 472.
Excæcatio Judæorum, 246. & 451.
Exceſſus Chriſti, 363.
Excolare culicem, 472. quid ſit, 477. b.

Excom-

Excommunicationis apud Indæos plures gradus, 124. b. & 531. a.
Exemplum nobis à Chriſto datum, 508.
Exiſtentia Dei miraculis comprobata, 617. a. & 632. b.
Exprobratio in civitates impœnitentes, 197.
Expuunt in faciem Ieſu, 547.
Exterminare faciem, quid? 654. b.

F

FABER & fabri filius Chriſtus, 255.
Faciem exterminantes Phariſæi, 137. in faciem ſuam procidit Ieſus, 538.
Faciendum alteri quod ſibi, 130. & 144.
Factores verbi, non auditores juſtificabuntur, 145.
Falſa hæreticorum evangelia, 2. b.
Fatigatur Chriſtus ex itinere, 227.
Fatue qui dixerit fratri, 126.
qui Fecerit & docuerit magnus &c. 125.
Fel vino mixtum Chriſto porrectum, 587.
Fæminarum pudor ſterilitas, 8. b.
Fermentum. Parab. 251. fermentum Phariſæorum, Sadducæorum, Herodis, 317. fermentum Phariſæorum hypocriſis, 263. fermento ædes expurgandæ tempore paſchatis, 432. & 505. b.
Feſtuca in oculo fratris, 143.
Ficus ſuccidi juſſa, 301. ficus maledicta, 446. ſimilitudo à ficu, 488.
Fides opus Dei, 292. modica apoſtolorum, 159. & 317. firma eorumdem, 297. ferentium paralyticum, 165. hemorroiſſæ, 173. duorum cæcorum, 178. cæci cùm appropinquaret Dominus Iericho, 404. alterius cùm inde egrederetur, 408. centurionis quam miratur & laudat Chriſtus, 152. peccatricis, 201. modica Petri, 289. firma ejuſdem, 297. & 357. non deficiet, 518. magna Chananææ, 312. latronis è cruce pendentis, 593. omnia poteſt, 369. petita cum lacrimis à patre lunatici, 369. petita ab apoſtolis, 383. in periculis probatur, 249. a. ſine operibus non prodeſt, 510. b. comparatur grano ſinapis, 370. & 383. arbores & montes transfert, 370. 383. & 447. vix invenietur in terra. 386.
Fides catholica veritatem tenet inter Arianam & Sabellianam Hæreſes, 144. a. fides in Chriſtum miſerum relictum rara, 595. b. fides noſtra non ſubtilibus ratiociniis innititur, 616. b. fidei neceſſitas, 632. a.
Fidelis & infidelis diſpenſator, 267. 496. fidelis & iniquus in minimo, 353. fideles in exordio eccleſiæ miraculis alendi, 623. a.
Fiducia in perſecutionibus, 530.
Figuli ager, 556.
Filius hominis. Vide Chriſtus.
Filii una cum Patre natura, 532. a. filius manet in domo in æternum, non ſervus, 327. filius meus dilectus, 94. & 364. filii alii natura, alii lege, 127. b. filio omnia tradita à Patre, 198. & 224. filium nemo novit niſi Pater, 189. filius & Dominus David, 470. filius prodigus. Parab. 350. filius viduæ Naim, 190. filius reguli ſanatus, 232.
Filia Chananææ ſanata, 312. filia Jairi ſuſcitata. 175.
Filii Judæorum ejicientes dæmonia, 237. filii duo reſipiſcens & inobediens. Parab. 455. filii ſponſi quando jejunaturi, 170. filii ejiciendi, extranei ſalvandi, 152. filii priùs ſaturandi, 311. filii ſæculi prudentiores filiis lucis, 353. filii propter ſucceſſionem, 467. a.
Fimbria veſtimenta ornabant pii Iſraelitæ, 176. a. quid ſit, ibid. fimbrias magnificabant ſcribæ, 472. quid ſit magnificare illas, 475. fimbria veſtimenti Chriſti ſanat, 173. 290.
in Finem perſeverandum, 181. 483.
Flagella ſupplicium ſervorum non liberorum, 579.
Flagellis Chriſtus cæſus eſt, 580.
Flagellandus columnæ interdum alligabatur, ibid.
Flagellatio &c. 569. flagellatio Judæis etiam uſitata, 567. a. flagellatio crucifixionem præcedebat, 579. flagellandi apoſtoli, 181. 475.
Flendum cum flentibus, 414. a.
Fletus & ſtridor dentium, 252. 461. 490. & 496.
Fletus Chriſti ſuper Hieruſalem, 441.
Flevit Petrus amarè, 555.
nolite Flere ſuper me, 586.
Fortis armatus, 237.
in Fractione panis Chriſtus cognitus, 618.
Fratres Chriſti quinam, 243. fratres Chriſti non credebant in eum, 319. fratri remittendum de corde, 379. fratrum ſeptem uxor, 465.
Fremit, turbatur, flet Chriſtus, 413.
Fructus digni pœnitentiæ, 88.
ex Fructu arbor cognoſcitur, 144. & 237.
Frumenti granum moritur ut fructificet, 450.
Fuga in Ægyptum, 53. fuga ad montes, 486. fuga hieme, vel ſabbato, 487. fugæ apoſtolorum prædictio, 530. fuga eorumdem, 543.
Fugiebat Chriſtus infenſos ſibi principes, 106. b.
Fugienda perſecutio, 181.
Fulguri ſimilis adventus Chriſti, 383. & 488.
in Furorem verſus Chriſtus dicitur, 236. cur? non Furor ſed deliquium erat, 238. a.

G

GABBATHA quid? 572. a.
Gabrielis nomen quid ſignificet, 8. a.
Gabriel Angelus miſſus ad Zachariam, 4. miſſus ad Mariam, 9. ideo turbatur Zacharias, & quare, 6. b.
in Galilæam abit Joſeph cum Jeſu & Maria Archelai metu, 55. ſecedit Chriſtus è Judæa in Galilæam, 105. Galilæa à Chriſto illuminata, 110. à Galilæa propheta non ſurgit, 324. Galilæa Gentium, 110. Galilæus Chriſtus, 561. Galilæos ſacrificantes Pilatus

Digitized by Google

tus occidit, 300. quinam illi fuerint? 301. a. Judas Galilæus, ſeu Gaulanita, *ibid.* b. Galilæi Judæis ſuſpecti, 555. a. Galilæorum dialectus aliæ & durior, *ibid.*
Galli cantu Petrus admonitus, 552. Galli Hieroſolymis non alendi, 555. 2.
Gallinæ comparatio cum Chriſto, 344. & 473.
Gaudendum tempore perſecutionis, 122. gaudendum de nomine in cœlis ſcripto; 198.
Gaudium de ove recuperata, 349. & 378. gaudium de peccatore pœnitente, 349. gaudium æternum poſt triſtitiam juſtorum, 530.
in Gazophylacio docet Chriſtus, 326. in gazophylacium munera mittuntur, 479. gazophylacium qua parte templi ſitum, 480.
Gehenna locus damnatorum, 126. & 192. gehenna ignis, 128. b. *V. Ignis.* gehennæ filius, 472. gehennæ judicium, 473.
Genealogia Chriſti ex Matthæo, 21. ex Luca, 27. unde à Matthæo exſcripta, 22. a. cur in tres teſſeradecadas diſtributa, 25. b. genealogiæ cujuslibet qua cura ſervata apud Judæos, 22. 2. cur Joſeph & non Mariæ genealogia ſit deſcripta, 25. b. in genealogia Chriſti Gentiles & meretrices computatæ, 23. a. b.
Generatio mala ſignum quærit, 240. & 316.
Genezareth deſcriptio, 111. a. Genezareth ſtagnum, mare Galilææ, mare Tiberiadis idem lacus, 113. 114. 283.
Genimina viperarum, 88.
Gentes vocandæ, 152. 304. 346. 461.
gens in gentem, 481. gentes ante acceptam gratiam canes dictæ, 313. b. gentium diſperſio quid ſit, 323. b. gentium principes dominantur earum, 401. & 510. gentibus præponendi Judæi in Evangelii prædicatione, 183. b.
Gentes de victu ſollicitæ, 138. & 284. gentiles volunt Jeſum videre, 450. gentiles à Judæis habiti immundi, 171. a. & 561. b. à gentilibus tangi ſe non ſinebant Phariſæi, 203. a.
Geraſeni Chriſtum rejiciunt, 162.
Gethſemani villa ubi hortus, 537. nominis hujus origo, 539.
Gladius animam Mariæ pertranſiturus, 49. gladium attulit Chriſtus, non pacem, 182. gladio percutiens gladio peribit, 542. gladii duo, 519.
Gloriam mundi diabolus Chriſto promittit, 88. gloriam ab invicem accipientes credere non poſſunt, 276. gloriam propriam quærit qui à ſe loquitur, 320. gloria in altiſſimis Deo, 41. in gloriam ſuam intravit Chriſtus per afflictiones, 618.
Golgothæ locus, id eſt, Calvariæ, 587. quid ſignificet nomen illud, 588. a.
Granum frumenti, 450.
Gratiæ & veritatis plenus Chriſtus, 73. gratia plena Maria, 9. gratia pro gratia, 73. gratia & veritas per Jeſum Chriſtum, *ibid.* gratia & ſapientia proficit Chriſtus, 57. gratiæ verba de ore Chriſti, 255.
Gratias agit Chriſtus multiplicaturus quinque panes, 285. & ſeptem panes, 315. & Lazarum ſuſcitaturus, 413. & panem & vinum conſecraturus, 514.
Gratias agebant Judæi ante comeſtionem, 316. a. gratias agit unus tantùm è decem leproſis, 383.
Gratis acceptum gratis dandum, 180.
Graviora legis relinquentes Phariſæi, 473.
Grex puſillus, 267.

H

HABENTI dabitur, 245. 247. 406. & 496.
Hæreticorum evangelia, 2. a.
Hæreſes apud Judæos quando exortæ, 89. b.
Hebdomada integra pro ſabbato ſumitur, 388. a.
Hebræorum modus ſalutandi, 11. a.
Hemorrhoiſſa, 173.
Hæres vineæ occiſus. *Parab.* 458.
Herodes magnus turbatus de nato rege Judæorum, 44. Magos allocutus & ab eis illuſus, *ibid.* occidit infantes, 53.
Herodes & Pharao puericidæ, 54. 2.
Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, 84. Herodiadem uxorem ducit, 279. hinc à Joanne Baptiſta corripitur, 92. & 279. quem ideo mittit in carcerem, *ibid.* cum metuebat ſciens juſtum & ſanctum, 279. caput ejus Herodiadi dari jubet, 279. ejus opinio de Chriſto, 278. vult Chriſtum occidere, 2. 344. vulpes à Chriſto dictus, *ibid.* Chriſtum interrogat, ſpernit &c. 561. Pilato reconciliatur, *ibid.* ab ejus fermento cavendum, 317.
Herodianorum & Phariſæorum conſilium adverſus Jeſum, 233. quinam fuerint Herodiani, 464. b. cur cum Phariſæis Jeſum adierint? *ibid.*
Herodias, 279.
Hœdi peccatorum figura, 499. a. hœdi à ſiniſtris ſtatuendi, 496.
Homo homini proximus, 469. a.
Homo lagenam aquæ bajulans, 502.
Honor labiorum, 306.
Honor parentum, 306. in quo conſiſtit, 309. a. peſſima doctrina Phariſæorum circa hunc honorem, 309. b.
Hora & poteſtas tenebrarum, 543.
Hortus, 537.
Hortulani ſpecie Chriſtus, 612.
Hoſanna filio David, 440. hoſanna vox in feſto Taberneculorum uſurpata, 449. b.
Humilis corde Chriſtus, 198. humilis exaltandus, 387. & 472. humilitatis commendatio, 374. & 517. humilis conditio Chriſti ſcandalum Judæis, 258. b. & 295. a.
Hydriæ ſex, 108. earum capacitas, forma, & uſus, 109. b.
Hydropicus ſabbato curatus, 346.

Hymnus poſt cœnam, 514. quis eſſet, 517. b.

Hypocriſis vitanda, 137. hypocriſis Phariſæorum fermentum, 263. væ hypocritis, 472. pars mali ſervi cum hypocritis, 490.

I

Jacob. ex filiis ejus ortæ duodecim tribus, 23. a.

Jacobus Zebedæi major dictus, de navi vocatus, 144. in apoſtolum electus, 119. Boanerges dictus, *ibid.* nominis origo & ſignificatio, 121. a. aſſumptus à Chriſto ſuſcitatione filiæ Jairi, 175. in transfiguratione, 363. in horto, 537. zelo incenſus contra Samaritanos, 381. Jeſum de tempore everſionis templi interrogat, 481. ejus & Joannis ambitioſa petitio, 401.

Jacobus Alphæi minor & frater Domini dictus, 119. 256.

Jairus, 172.

Jechoniæ duo, 24. b.

Jejunium Chriſti, 97.

de Jejunio diſceptatio, 179. quomodo jejunandum, 137. jejuni ſynagogas Judæi frequentabant die ſabbati, 155. a. & 214. a. jejunii vis & orationis, 370. jejunans bis in ſabbato Phariſæus, 387.

Jejunabant bis in hebdomade religioſiores Judæi, 388. a.

Jeroſolyma omnis turbata nato Chriſto, 44.

Jeruſalem civitas ſancta, 598. occidens prophetas, 344. & 473. Chriſtus in ea occidendus, 344. evertenda, *ibid.* evertendæ ſigna, 481. 491. obſeſſa & everſa, 486. everſæ futura conditio, 346. b. Jeroſolymis galli non alendi, 555. a. Jeruſalem promulgationis evangelii initium, 633. a.

Jeſus, nomen Chriſti, nuntiatum ab angelo, 9. & 32. nominis hujus ſignificatio, 11. b. a Joſeph impoſitum, 32. vis nominis hujus, *ibid.* huic ceſſere olim dæmones, 376. b. *V. Chriſtus.* Jeſus propheta à Nazareth, 441. Jeſus Nazarenus rex Judæorum, 587.

Ignis inextinguibilis, 375. & 370. igni inextinguibili palea comburenda, 92. igne & ſale ſaliendi damnati, 376. ignis æternus diabolo paratus, 497. ignis à Chriſto miſſus in terram, 268.

Illuceſcere ſabbatum quid ſit, 605. b.

Illuſio ſputa &c. 547.

Impiorum pœnæ æternæ 377. b. implere omnem juſtitiam, 95. a.

Implere menſuram patrum, 473.

Impoſitio manuum deſignatio actionis, 179. a.

Impoſſibile nihil apud Deum, 394.

Imprecatio Judæorum ab eis nunquam auferenda, 568. b.

Improbos faciliùs quàm probos imitamur, 477. a.

Inanis metus craſtini, 264.

Incarceratio Joannis prima à principibus Synedrii, 105. 192. a. & 367. b. ſecunda ab Herode, 92. & 279.

Incarnatio, 9.

Incorporei ſpiritus exiſtunt, 164. a.

Incredulitas Nazarenorum, 256. Judæorum, 276. impedit ejectionem dæmonis, 370. & ne virtutes multas Chriſtus faceret in Nazareth, 256. incredulitas apoſtolorum fidem reſurrectionis confirmat, 620. a.

Infanticidium, 53. a. Joſepho cur prætermiſſum, 653. b. Infanticidii modus, & Herodis crudelitas, 54. b.

Inferni locus ante revelationem ignotus, 356. a.

ad Inferos Chriſtus verè deſcendit, 596. a.

ſuper Ingratos benignus Deus, 131.

Inimici diligendi, 130. inimicos Judæi odio crudeli proſequebantur, 135. inimicorum dilectio chriſtianorum propria, 135. b. inimici hominis domeſtici ejus, 182.

Iniquitate & hypocriſi pleni Phariſæi, 473.

Initium anni, menſium, dierum apud Judæos, 425.

Initium bonorum operum confeſſio malorum, 151. b.

Initia à Chriſtianis non quæruntur, ſed finis, 486. a.

Inſtitæ, quibus ligabantur mortui, 145.

Inſtrumenta ſupplicii ante ſolis occaſum terræ mandari ſolita, 604. a.

Interpretatio nominum Joannis, Zachariæ, & Elizabeth, 20. a.

Intrare in tentationem, 538.

Introire alios non ſinunt Phariſæi, nec ipſi intrant, 472.

Inventio Jeſu in templo, 57.

Invidia Judæorum traditus Chriſtus, 565.

Joannes Baptiſta naſciturus annuntiatur, 4. Spiritu ſancto replendus ex utero. *Ib.* ex ſterili concipitur, *ib.* in utero exultat, 14. an tunc ratione uſus ſit, 15. a. naſcitur, & circumciditur, 17. à quo nomen acceperit? 18. b. nominis ſignificatio, *ib.* & 20. a. manet in deſertis uſque ad diem oſtenſionis, 18. prædicat baptiſmum pœnitentiæ, 84. ejus veſtitus, eſca, concurſus, baptiſmus, 84. & 88. monita ad Phariſæos, ad turbas, ad Publicanos, ad milites, 88. teſtimonium ejus de ſe ipſo, 100. teſtimonia quatuor de Chriſto, *Vide Teſtimonium*. Elias erat ſpiritu, non corpore, 101. b. in carcerem mittitur primò à proceribus Synedrii, 105. Herodem corripit, 92. & 279. ab eo mittitur in carcerem, *ibid.* ab eo decollatus propter ſaltatricem, 279. erat lucerna ardens & lucens, 275. legat ad Chriſtum, 192. à Chriſto laudatus, 294. nec manducans, nec bibens, 195. Elias dictus, 365. ſignum fecit nullum, 341. ei crediderunt Publicani & meretrices, 455.

Joannes Apoſtolus de navi vocatus, 144. in

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolum electus, 119. Boanerges dictus, *ibid.* nominis origo & ſignificatio, 121. b. à Chriſto aſſumptus in ſuſcitatione filiæ Jairi, 175. in transfiguratione, 363. in horto, 537. zelo incenſus contra Samaritanos, 381. ejus & Jacobi ambitioſa petitio, 401. Jeſum de tempore everſionis templi interrogat, 481. diſcipulus quem diligebat Jeſus, 511. 593. 610. & 626. recumbit in ſinu Jeſu, 511. ſtat juxta crucem, 593. Mariæ in filium & Maria ei in Matrem datur, 593. præcurrit citiùs Petro ad monumentum, 610. Solus cognoſcit Chriſtum in littore poſt reſurrectionem, 626. dicitur de eo quòd non moritur, *ibid.* ſcripſit Evangelium, *ibid.* qua occaſione ſcripſerit, 70.
Joanna uxor procuratoris Herodis, 217. cum aliis piis mulieribus nuntiat diſcipulis Chriſtum reſurrexiſſe, 620.
Jonæ ſignum, 240. & 316.
Joſeph ſponſus Mariæ faber, 255. vir juſtus vult uxorem occultè dimittere, 32. ab Angelo admonetur Jeſum ex ea naſciturum, *ib.* it Bethlehem cum Maria propter edictum Cæſaris, 39. imponit nomen Jeſu, 32. monitu Angeli ducit Chriſtum in Ægyptum, 53. reducit 55. habitat in Nazareth, *ibid.* ſolitus quot annis ire Jeruſalem in Paſchate, 57. redit de Jeruſalem ſine Jeſu, *ibid.* invenit eum in templo, *ibid.* Chriſtus illi ſubditur, *ibid.*
Joſeph frater Jacobi minoris & Judæ Apoſtolorum, 256.
Joſeph ab Arimathæa nobilis decurio, 601. diſcipulus Chriſti occultus, 602. Corpus Chriſti audacter petit à Pilato, *ibid.* ponit illud in monumento ſuo novo, *ibid.*
Ira primus ad homicidium gradus, 128. a. ira ventura, 89. b.
Iſaac Chriſti figura, 588. b.
Iſraelitæ populus Dei, 19. a. Chriſtianorum typus, *ibid.*
Iter ſabbati, 214. a. 635. a.
Judæi ſe filios Abrahæ gloriantur, 88. & 327. increduli, 276. etiam ſub alieno principatu ſuis utentes legibus, 85. a. in prædicatione Evangelii gentibus præponendi, 183. b. murmurant in Chriſtum quia ſe cibum dixerat, 294. Chriſtum ad necem quærunt, 319. ex patre diabolo, 327. blaſphemi & lapidantes, 328. excæcati & indurati, 246. captivi ducendi in omnes gentes, 487. Chriſtum capturi cadunt in terram, 541. Judæorum in cibis diſcernendis anxietas, 190. b. Meſſiam terrenis regibus ſimilem expectabant, 385. b. Judæorum in Samaritanos odium, 228. b. Judæorum reverentia in templo, 449. a.
Judas Jacobi, qui & Thaddæus, 119. 180. & 256. cur Thaddæus dictus, 121. b. cur in codicibus Græcis Λεββαῖος, 183. a.
Judas Iſcariotes electus in Apoſtolum, 119. 180. quare dictus Iſcariotes, 183. b. 661. b. dictus à Chriſto diabolus, 297. murmur ejus de unguento effuſo, 437. cum aliis Apoſtolis vivere permiſſus, 419. b. introivit in eum Satanas, 500. & 512. ejus pactum cum ſacerdotibus, 510. proditionis prædictio, 511. ejus notatio & egreſſus, 512. Euchariſtiæ inſtitutioni non adfuit, 513. b. acceſſus & oſculum, 541. pœnitentia, reſtitutio, & mors, 556. de genere mortis ejus variæ opiniones, 558. a. Judæ quæſtus turpis à ſacerdotibus ipſis agnitus, 558. b.
Judas Galilæus, ſeu Gaulanita, 301. b.
Judex & vidua, 386.
non Judicandum, 143.
Judicaturi orbem, 395.
Judicio reus quis? 126.
Judicium ultimum, 488. 496.
Judicium, miſericordia & fides, 473.
Jugum Chriſti ſuave, 198.
non Jurandum, 129. falſa opinio Judæorum circa Juramenta, 122. b. 133. a.
Juramentum per Corban, ſive donum, 472. prava doctrina Phariſæorum circa illud juramentum, 477. b. juramentum actus religionis, 133. a. juramenti religio apud Judæos, 282. b. & apud Ethnicos, 654. b.
Juſti tradendi, flagellandi, occidendi, 482. gaviſuri & levantes capita inſtante judicio, 488. fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum, 251.
Quo ſenſu Chriſtus juſtus dictus ſit à Pilato, 567. b. & 568. a.
Juſtificant Deum Publicani, 195.
Juſtificata ſapientia à filiis ſuis, *ibid.*
In juſtificationibus Domini incedere, 5. b.
Juſtitiam omnem quid, 95. a. juſtitiam eſurire, 121. propter juſtitiam qui patiuntur beati, 122. juſtitia non facienda coram hominibus, 137. juſtitia ſumitur pro miſericordia & eleemoſyna, 135. a. b. juſtitia noſtra pluſquàm ſcribarum & Phariſæorum abundet, 125.
Juſti Zacharias & Eliſabeth coram Deo, 4.
Juſtos non venit vocare Chriſtus, 169.

L

LABIIS Deum honorare, 306.
Laborantes reficiendi à Chriſto, 198.
Lacerare veſtimenta ſummo Pontifici, quando licitum? 550. b.
Lacrimatur Jeſus, 413.
Lampades decem virginum, 495. harum lampadum forma, 497.
Languidi à Chriſto curati, 117.
Languidus 38. annorum, 270.
Lapis angularis ab ædificantibus reprobatus, 458. de lapidibus ſuſcitare poteſt Deus filios Abrahæ, 88. lapis corpori Lazari ſuperimpoſitus, 413. lapis revolutus à monumento, 607. lapidatur Chriſtus à Judæis, 328.

lapides clamabunt, 441. lapidum templi ingens magnitudo, 483. a. lapis ſuper lapidem, 481.
Lapſus Sanctorum aliquando utilis, 555. b.
Laqueo ſe ſuſpendit Judas, 556. tanquam laqueus dies Domini, 489.
Latrones crucifixi cum Chriſto, 587. unus orat, alter blaſphemat, 593.
Latro in templo Dei quis, 449. a.
Lateris Chriſti transfixio, 599. quas lateris partes attigerit lancea, 601. b.
Laudatur Joannes à Chriſto, 194.
Laudem perfecit Deus ex ore infantium, 447.
Lazarus amicus Chriſti mortuus, 409. ſuſcitatus, 413. unus ex diſcumbentibus apud Simonem leproſum, 412. ad mortem appetitus à ſacerdotibus, 418.
Lazarus & Epulo, 353.
Legatio Joannis ad Chriſtum, 192.
Legio Demonum in porcos, 160.
Legiſperitis væ, 260.
Leproſus ſanatus, 149. leproſi ſub Eliſæo, 256. leproſi decem, 383. leproſi ab aliis ſegregandi, 150. a. & 385. a. lepræ judicium ſacerdotibus delegatum, 150. b.
Levi Alphæi, qui & Matthæus Apoſtolus, 169.
Lex Dei quo ſenſu dicatur juſtificatio, 5. b. legis novæ & veteris differentia, 122. a. lex utraque in monte promulgata, 150. a. lex à Chriſto adimplenda, 125. lex nova veteris complementum, 126. b. lex omnis in amando Deo & proximo, 468. lex vetus tota Chriſtum ſpectabat, 620. a. lex & prophetæ uſque ad Joannem, 195. & 353. lex à nemine Judæorum, id eſt à paucis obſervata, 320. lege civili quæ permittuntur non omnia bona ſunt, 391. a. legis Doctor tentans Chriſtum, 219.
Legis-periti. *V. Phariſæi & Scribæ.*
Libellus repudii, 389. 391. b. libellus repudii etiam ad ſponſam dimittendam neceſſarius, 35. a.
Libri Judæorum non compacti. forma eorum, 257. a. b.
Liber is tantùm quem filius liberaverit, 327.
Ligandi & ſolvendi poteſtas, 357. & 378.
Lilia quomodo creſcunt, 138. & 264.
Linire oculos ſabbato vetitum putabant Phariſæi, 336. b.
Linteamina ſeorſim poſita, probatio fuere reſurrectionis Chriſti, 611. b.
Linum fumigans non extinguit Chriſtus, 234.
Locuſtæ eſca Joannis Baptiſtæ, 84.
Locuſtis veſci mos apud orientales, 87. b.
Λόγος τοῦ Θεοῦ quid ſignificet, 60. *& ſeq.*
Loquela Petrus manifeſtatus, 532.
Lorica Judæorum tecta coronabantur, 99. b.
dici Loth adventus Chriſti comparatus, 383.
Lotio manuum nullius mali admiſſi ſignum, 562. b. lotio pedum Apoſtolorum, 508. hac lotione ad Euchariſtiæ inſtitutionem Apoſtolos præparabat, 509. b. lotio pedum ſacerdorum ante rem ſacram, ibid. & 510. b.
Lucerna ardens & lucens, 275. lucerna corporis oculus ſimplex, 138. & 259. lucerna ſuper candelabrum, 125. 247. & 259. lucerna fulgoris, 260. lucernæ ardentes in manibus, 267.
Lucrum totius mundi quid prodeſt, 160.
Lugentes beati, 121.
Lugere & jejunare, 170.
Lugentes in pulvere jacebant, 199. a. lacerabant etiam crines, 204. a.
Lumen ad revelationem gentium Chriſtus, 49.
Luna ſplendorem ſuum non dabit, 488.
Lunatici à Chriſto curati, 117.
Lunaticus & mutus, 369. quare ab Apoſtolis non curatus, 378.
Lupum venientem videt mercenarius & fugit, 339. lupi in veſtimentis ovium, 144.
Lux mundi Chriſtus, 326. illuminans omnem hominem, 73. lux mundi Apoſtoli, 125. lux noſtra luceat coram hominibus, *ibid.* lucem odit qui malè agit, 209. lucis filii minùs prudentes quàm filii ſæculi, 353. dum lucem habemus, ambulandum, 451. lux orta ſedentibus in regione umbræ mortis, 110.

M

MAGORUM adoratio, 44. qui fuerint, 45. a. quot fuerint, *ibid.* b. unde venerint, *ibid.* quando venerint, 46. a.
Magiſtrum ſuper terram non eſſe vocandum, 472. magiſter unus eſt Chriſtus, *ibid.* magiſtri Judæorum Rabbini dicti, 127. b.
Magnus in regno cœlorum quis, 325. major quis, 374. 517. major omnium miniſter, 374. 472. 517.
Mala omnia de corde exeunt, 307.
Malè habentes curati, 154. 290.
à Malo liberari, 137.
Malum minus præ majore eligendum, 132. a.
Malo non reſiſtendum, 130. quo ſenſu, 134. a.
Malos malè perdet, 458.
Mammonæ & Deo ſervire non poſſumus, 138. & 353. de mammona amici faciendi, 355.
Mandatum Dei propter humanam traditionem irritum, 306. mandata ſervanda, 393. mandata ſolvere & facere, 125. mandatum magnum, & primum amor Dei, 219. & 468. ſecundum amor proximi, *ibid.* mandatum novum diligendi invicem, 518. mandatum Dei vita æterna, 451.
Manducans cum peccatoribus, 169. quid manducemus non anxiè quærendum, 138. & 264. manducare non lotis manibus, 305. manducanda caro Chriſti, 295. manducanda quæ apponuntur, 189. manducat Chriſtus poſt reſurrectionem, 618. 622. 626.
Manet Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum, 94. & 103. manet apud fideles, 522. manet in Chriſto qui manducat carnem Chriſti, & Chriſtus in

Digitized by Google

in illo, 295. manet ira Dei ſuper incredulos, 209. manens in ſermone Chriſti verè diſcipulus, 327. manendum in eadem domo, vel civitate, 180. & 189. manendum in Chriſto ſicut palmes in vite, 526. manendum in dilectione Chriſti, ibid.
Manipulus novæ frugis, 433.
Manſio patris & filii apud juſtos, 522.
Manſiones multæ in cœlo, 521.
Manſuetudo Chriſti, 234. manſuetus rex Chriſtus, 439. de manſuetudine monita, 126.
Manus arida ſabbato curata, 215. manus ſcandalizans abſcindenda, 129. & 375. manus illotæ, 305. manum mittens ad aratrum & reſpiciens retro. 156. manuum impoſitio Chriſti ſuper ægros, 154. 256. 301. & 317. & ſuper infantes, 392. manuum impoſitio fidelium ſuper ægros, 629.
Mare Galilææ, mare Tiberiadis, & ſtagnum Geneſareth idem lacus, 113. 114. & 283. mari Chriſtus imperat, 159. ſuper mare Chriſtus & Petrus ambulant, 289.
Margarita pretioſa Parab. 252. margaritæ non mittendæ ante porcos, 144.
Maria virgo unde nomen habeat, 11. a. à Gabriele ſalutatur & turbatur, 9. Chriſtum concipit, ibid. antè concepit quàm deduceretur in domum ſponſi, 10. a. & 35. a. viſitat Eliſabeth, 14. cantico ſuo magnificat Deum, ibid. poſt tres menſes revertitur, ibid. verè eſt Θεοτόκος, mater Dei, 15. b. aſcendit Bethleem ubi parit Chriſtum, 39. audita de eo conſervat, 41. legi purificationis non ſubdita, 50. a. purificat ſe, & defert filium in templum, 49. miratur dicta de filio à Simeone, ibid. mos ejus & Joſeph eundi Jeruſalem in Paſchate, 57. unde redeunt ſine Jeſu, ibid. quæſitum ipſum & inventum in templo reducunt, ibid. eis Chriſtus ſubditur, ibid. it cum Chriſto ad nuptias in Cana 108. proponit ei vinum deeſſe, ibid. monet miniſtros ut faciant quæ Chriſtus dixerit, ibid. ſtat foris quærens filium, 241. ſtat juxta crucem, 593. Joanni in matrem & Joannes ei in filium datur, ibid.
Maria Magdalene ſoror Lazari, & peccatrix; an ſint una & eadem mulier. V. diſſert. 636. Maria Magdalene ſequitur Chriſtum, 27. ab ea ſeptem dæmonia ejecta, ibid. nominis ejus interpretatio, 202. b. 218. b. & 643. ſtat juxta crucem, 593. ſedet contra ſepulchrum, 603. venit ad monumentum, 606. videt lapidem ſublatum, 607. currit ad Petrum & Joannem, 610. ſtat ad monumentum plorans, 612. videt duos angelos in albis, ibid. ſublatum Dominum conqueritur, ibid. Jeſum ipſum hortulani ſpecie videt & alloquitur, ibid. ab ea tangi ſe Chriſtus non patitur, & quare, 613. b. nuntiat viſionem diſcipulis qui non credunt, 614. Vide Maria ſoror Lazari & Peccatrix.
Maria ſoror Lazari ſtat ad pedes Chriſti, 221. optimam partem elegit, ibid. cadit ad pedes Chriſti deflens mortem Lazari, 413. Vide Maria Magdalene & Peccatrix.
Maria Cleophæ eadem quæ Jacobi & Joſeph, & ſoror matris Jeſu, 593. 598. & 603. una de piis mulieribus quæ ſequebantur Chriſtum, 217. ſtat juxta crucem, 593. ſedet contra ſepulchrum, 603. parat aromata, ibid. Vide Mulieres.
Martha excipit Chriſtum, 221. ſollicita & turbata erga plurima, ibid. mittit nuntium ad Chriſtum de Lazaro infirmo, 409. cum ea colloquitur Chriſtus, 410. miniſtrat in cœna apud Simonem leproſum, 417.
Mater & fratres Chriſti quinam, 243.
Matrimonii vinculum, 389.
Matthæus Publicanus 169. vocatus à Chriſto, ibid. magno convivio excipit Chriſtum, ibid. in Apoſtolum electus, 119.
Maxilla percutienti præbenda, 130. quo ſenſu hoc intelligendum, 134. a. 549. b.
Medicus ægris neceſſarius, non iis qui ſani ſunt, 169.
Menſes Judæorum, 425. menſis decimus tertius, quandoque additus, ibid.
Menſura bona conferta, 143. pars menſuræ reddetur, ibid. & 247. menſuram patrum implent mali filii, 473. ex tota mente diligere Deum, 219. 468.
Mentham decimare, 473.
Merces calicis aquæ, 182. & 375. merces multa perſecutionem patienti propter Chriſtum, 122. merces nulla amicos tantùm diligenti, 130. mercedem ſuam in hac vita recipiunt hypocritæ, 137. mercede ſua dignus operarius, 180. 189.
Meretrix de filiis Iſrael nulla, 202. a. & 639. meretrices Phariſæis præponendæ, 455.
Meſſias filius David, 178. a. Meſſiam terrenis regibus ſimilem expectabant Judæi, 385. b. hunc Dei filium credidere, 550. a.
Meſſis multa, operarii pauci, 178. & 188. in meſſe Dei rarus operator, 179. b. uſque ad meſſis tempora, zizania tritico permixta, 250. meſſis conſummatio ſæculi, 251.
Meſſores angeli, ibid.
Micas de menſa catelli comedunt, 311.
Milites à Joanne Baptiſta moniti, 88. milites Dei quales, 162. a. milites Romani Chriſtum apprehendunt, 545. a. à militibus quatuor Chriſtus crucifixus, 591. b.
Minæ decem, Parab. 406. hujus parabolæ ſcopus, 407. b.
Miniſter omnium qui primus, 374. 401. 517.
Miniſtri miſſi ad capiendum Chriſtum, 320. docentem mirantur & redeunt, 324.
Miniſter Chriſti ipſum ſequatur, 450.
Mi-

Digitized by Google

Miniſtrare venit Chriſtus, non miniſtrari, 401.

Minimus in regno cœlorum, 125.

Miracula Chriſti malè à Phariſæis accepta, 236. miracula Chriſtus ſæpiùs victus precibus patravis, 109. a. miraculum duplex in Lazaro ſuſcitato, 416. a. miracula naturæ legibus tribuit Spinoſa, 616. a. miracula non ſemper neceſſaria, 632. a. initio Eccleſiæ naſcentis frequentiora, *ibid.* miracula facta in nomine Chriſti, *ib.* b. miraculorum veritas, *ibid.*

Miratur Chriſtus fidem Centurionis, 152. & incredulitatem Nazarenorum, 256.

Miratur Pilatus ſilentium Jeſu, 561.

Miſericordes beati, 122. miſericordia & non ſacrificium, 169. & 213. miſericordia in proximum, 219. miſericordia, judicium & fides graviora legis, 473. miſericordia motus Chriſtus ſuper leproſum, 149. & ſuper turbas jacentes ſine paſtore, 178. 283. & ſuper viduam Naim, 190. & ſuper turbam quam quinque panibus pavit, 283. & ſuper aliam triduo eum ſuſtinentem, 315. & ſuper duos cæcos poſt Hierico, 408. miſericordia dignus quis, 388. b.

Miſſio duodecim Apoſtolorum cum poteſtate, 179. eorumdem ad oves ſolas Iſrael, 179. 311. ovium inter lupos, *ibid.* ſeptuaginta duorum diſcipulorum, 188. Chriſti ad Evangelizandum pauperibus, 255. miniſtrorum ad capiendum Chriſtum, 320. rogandus Dominus ut mittat operarios in meſſem, 188.

Mites beati, 121.

Mitis & humilis corde Chriſtus, 198.

Modeſtia Petri, 627. b.

Mœror & triſtitia Chriſti, 537.

Mola aſinaria, 375.

Molentes duæ in mola, 384. 489.

Mollibus veſtiti, 194.

Monita Chriſti ad Apoſtolos, 180. ejuſdem ad 72. diſcipulos, 188. Joannis ad Phariſæos, turbas, &c. 88.

Montes per fidem transferendi, 370. *Vide Fides.* montes cadite ſuper nos, 586. ſermo in monte, 121.

Monumenta aperta in morte Chriſti, 598. monumenta Judæorum extra urbes, 191. a. monumentorum in hortis ſitus, 609. b. de monumentis exeuntes dæmoniaci, 160.

Mors non timenda, 181. & 264. mortis Chriſti trina prædictio. *Vide prædictio.* mortis cogitatio utilis, 266. b. mors apud Deum ſomnus eſt, 411. b.

Mortui à Chriſto ſuſcitati, filia Jairi, 175. filius viduæ Naim, 191. Lazarus, 413.

Mortui à mortuis ſepeliendi, 156. mortui vocem Chriſti audituri, 273. Deus, mortuorum non eſt Deus, 466. mortuorum reſurrectio & apparitio, in reſurrectione Chriſti, 598. mortuus eſt Chriſtus quando voluit, 597. b.

Moſaica lex facta Chriſtiana, 83. a.

Moyſes & Elias viſi in majeſtate, 363. Moyſi non credit qui Jeſu non credit, 276. de Jeſu ſcripſit, 278. a.

Mulier exclamans: beatus venter, &c. 241. mulier adultera, 326. mulier inclinata, 301. mulier in partu triſtis, poſt partum gaudet, 530. mulieres curatæ à ſpiritibus malignis, 217. ſequentes Chriſtum & miniſtrantes ei, *ibid.* 599. adſtant cruci à longe, 598. parant aromata, 603. eunt ad monumentum, 606. non inveniunt corpus, 607. Chriſtum ſurrexiſſe accipiunt, *ibid.* nuntiant diſcipulis non credentibus, 610. occurrit eis Chriſtus, 614. mulieres plangentes ſuper Chriſtum, 586.

Multi curati, 192. multi vocati, pauci electi, 399.

Multùm quærendum ab eo cui multùm datum, 268.

Mundandum priùs quod intus eſt, 473.

Mundum lucrari quid prodeſt? 360. væ mundo à ſcandalis, 345. mundus cur Chriſtum oderit, 319. mundus Chriſti & fidelium hoſtis, 526.

Mundi princeps diabolus, 522.

Mundo corde beati, 122.

Munerum Magorum myſtica ſignificatio, 48. b. munus ad altare non offerendum, niſi reconciliato fratre, 126. munus quod præcepit Moyſes, 149.

Murmur Phariſæorum de Jeſu manducante cum peccatoribus, 169. murmur Judæorum de pane cœleſti, 294. murmur operariorum adverſus patremfamilias, 398. murmur diſcipulorum de unguento effuſo, 417.

Mutuari volentem ne averſemur, 130.

Muti tres dæmoniaci: primus mutus tantùm, 178. ſecundus mutus & cæcus, 236. tertius mutus & lunaticus, 368. mutus & ſurdus, Ephpheta, 312. muti cæci &c. à Chriſto curati, 192. 312.

Mutuum dandum nihil inde ſperando, 130.

Myrrhatum vinum quale, 589. b. cur Chriſto porrectum, 590. a.

Myſteria noſſe quibuſdam datum, non omnibus, 245. myſteria ſapientibus abſcondita, 198.

N

NAAMAN Syrus, 256.

Naim civitas Galilææ, 190.

Nardus piſtica, quid, 419. a. 659. a.

Nathanael verè Iſraelita, 106. ejus cum Chriſto colloquium, *ibid.* videt illum poſt reſurrectionem, 625.

Nativitas Joannis-Baptiſtæ, 17.

Nativitas Chriſti, 39.

Naturæ divinæ unitas in multis perſonis, 76. a.

Navicula ex qua ſedata tempeſtas, Eccleſiæ figura, 160. b.

Nazareth civitas Galilææ, 9. in ea Chriſtus nutritus, 255. in ea prædicat ex libro Iſaiæ, *ibid.* hinc admiratio & ſcandalum de eo, *ib.* ducitur à Nazarenis ad præcipitium, 256.

paucas

paucas ibi virtutes facit propter eorum incredulitatem, *ibid.*

Neceſſitas baptiſmi, 210. b.

Negans negandus, 182. & 264. Chriſtus prædicitur negandus à ſuis diſcipulis, 518. negatio triplex, 546. & 551. negationi trinæ trina redditur Petri confeſſio, 628. a.

Neglectorum bonorum operum ratio reddenda, 499. b. negligentes regnum cœlorum excludendi, 196. a.

Nemo ad Deum niſi per Chriſtum, 521.

Nepotes in ſacra ſcript. pro filiis habentur, 652. b.

Nequam oculus, 138.

Nequitia Phariſæorum cognita, 259.

Neſcio vos, 304. 495.

Neſtorii & aliorum hæret. confutatio, 81. a.

Nicodemus ex Phariſæis, princeps Judæorum, 209. nocte colloquitur cum Chriſto, *ibid.* ejus de Chriſto ad Phariſæos conſilium, 324. obſequium in eo ſepeliendo, 602.

Nicolaitarum hæreſis, 71.

Ninivitæ Judæos in judicio condemnaturi, 240. Ninivitarum pœnitentia, *ibid.*

Noctis tempus in quatuor vigilias diſtributum, 42. a. 269. a.

Nomine Chriſti ejiciens Dæmonia non ſequens eum, 375. in nomine tuo prophetavimus, &c. 145.

Non non: eſt eſt, 129.

Noti Chriſti à longè in morte ipſius, 598.

Noviſſimus omnium qui primus, 374. noviſſimi primi, 304. 395. in noviſſimo loco recumbendum, 346.

Numiſma cenſus, 462. quid ſit, 464. a.

Nuptiæ in Cana, 108. ad eas vocatus Chriſtus, tertia convivii die advenit, *ibid.* b. nuptiæ filii regis, *Parab.* 460. nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum, 659. a. nuptiale convivium diebus ſeptem agebatur, 108. b.

O

OBLATIO manipuli, 433.

Obſeſſio & everſio Jeruſalem, 486.

Occultum ſcietur, 247. 263.

Oculus ſcandalizans eruendus, 129. & 375. oculus ſimplex lucerna corporis, 138. 259. oculus ſimplex quid, 142. a. oculi diſcipulorum aperti in fractione panis, 618.

Odium & perſecutio juſtorum, 482. odio habendi propinqui, 182. 347. odio habenda anima, 182. 450. odit mundus Chriſtum, 526. 534.

Offerre munus ad altare, 126.

Oleum & vinum à Samaritano infuſum, 219. oleum à fatuis virginibus non ſumptum, 495. oleo ægri ab Apoſtolis uncti, 182.

Oliveti mons, 439. 440. 481. 634.

Omnes malè habentes, 154.

Onus Chriſti leve, 198. onera Phariſæorum importabilia, 260.

Opus Dei fides, 292. opera non verba, 145. ſecundùm opera reddetur, 361. opera majora facturi quàm Chriſtus, quinam, 521. opera Chriſti ejuſdem ſcum patre communionem demonſtrant, 523. b.

Operarius mercede ſua dignus, 180. & 189. operarii vineæ *Parab.* 398.

Oportebat Chriſtum creſcere, Joannem minui, 224. oportuit pati Chriſtum, 383. & 618.

Oratio Dominica, 137. & 222. Evangelii breviarium eſt, 140. oratio Phariſæi & Publicani, 387. oratio ad munia obeunda cum jejunio neceſſaria, 99. a. orationis fidei & jejunii vis, 379. orationes Judæorum ſingulis diebus, 139. a. quomodo orandum, 137. 447. in orando perſeverandum, 386. orandum ſemper & vigilandum, 489. orandum ne ſubintret tentatio, 538. orandum pro perſequentibus & calumniantibus nos, 130.

Oratio Chriſti ſemper exaudita, 413. cùm in ipſum deſcendit Spiritus ſanctus, 94. oratio ejus per totam noctem ante electionem Apoſtolorum, 119. in deſerto poſt famoſam leproſi curationem, 149. iterum in deſerto poſt multos in Capharnaum curatos, 155. cùm orare diſcipulos docuit, 222. poſt miraculum quinque panum cùm rex conſtituendus fugit, 288. poſt cæcum in Bethſaida curatum, 317. cùm transfiguratus eſt, 365. poſt cœnam pro fide Petri, 518. pro ſua glorificatione, 533. pro Apoſtolis, non pro mundo, 534. pro electis omnibus, *ibid.* in horto ut tranſeat calix, 537. in cruce pro crucifigentibus, 587. & commendans ſpiritum patri, 594. *Vide Petere.*

Orbe pacato naſcitur Chriſtus, 40. a.

Originale peccatum ab antiquis ſemper creditum, 210. b. originale peccatum an Judæi crediderint, 136. a.

Os ex abundantia cordis, 145. 148. a. 237.

Oſculum, 541.

Oſtium ovium Chriſtus, 338. oſtio clauſo orandum, 137. oſtio clauſo fruſtrà pulſabitur, 304.

Otioſum verbum, 238.

Ovis recuperata, *Parab.* 349. 378. oves jacentes ſine paſtore, 178. 383. oves miſſæ inter lupos, 181. pro ovibus ſpontè moritur Chriſtus, 338. oves Chriſti non pereunt, 341. oves Petro commendatæ, 626. oves Chriſti quomodo paſcendæ, 628. a. oves à dextris, 496. ovile unum, & unus paſtor, 338.

P

PACATO orbe Chriſtus naſcitur, 40. a.

Pacifici beati, 122.

Pactum Judæ, 500.

Palea comburenda, 92. 554. b.

Pallium dimittendum auferenti tunicam, 137.

Panis Dei vitæ, vivus & verus Chriſtus, 292. & 264. panis iſte caro Chriſti eſt, *ibid.* panis filiorum non mittendus canibus, 311.

non in ſolo pane vivit homo, 97. panem petenti non dat pater lapidem, 144. & 223. panes propoſitionis à Davide ſumpti, 213. panes tres commodati, *Parab.* 222. quinque panes, 285. ſeptem panes, 315. panis quotidianus, 654. b. panem manducans in regno Dei beatus, 346.

Pannus rudis veſtimento veteri non aſſuendus, 170.

Parabolæ duorum debitorum, 201. hujus Parab. finis; 203. b. Samaritani, 219. trium panum commodatorum, 222. ſeminantis, 244. ejus expoſitio, 246. zizaniorum, 250. ejus expoſitio, 251. ſeminis ultrò germinantis, 250. ſinapis, *ibid.* fermenti, 251. theſauri abſconditi, 252. pretioſæ margaritæ, *ibid.* ſagenæ miſſæ in mare, *ibid.* divitis horrea deſtruentis, 264. fici ſuccidi juſſæ, 301. cœnæ magnæ, 341. computantis ſumptus, 342. regis commiſſuri bellum, *ibid.* ovis recuperatæ, 349. & 378. drachmæ repertæ, 349. filii prodigi, *ibid.* villici diffamati, 352. epulonis & Lazari, (quæ forſitan hiſtoria eſt,) 353. regis debitum dimittentis, 378. judicis & viduæ, 386. Phariſæi & Publicani, 387. operariorum vineæ, 398. decem minarum, 406. ejus ſcopus, 407. b. duorum filiorum reſipiſcentis & inobedientis, 455. vineam locantis quæ detorquetur ad Judæos, 457. nuptiarum filii regis, 460. decem virginum, 495. talentorum, 496. ideò parabolæ ut videntes non videant, 245. ſine parabolis non loquebatur eis, 252.

Paracleti varia munera, 650. b. *Vide Spiritus ſanctus.*

Paradiſus quid ſit, 595. b.

Paralytici à Chriſto curati, 117. paralyticus qui à quatuor portabatur, 165. ex ejus curatione probatur divinitas Chriſti, 168. a. paralyticus ſervus centurionis, 151.

Parati ſimus oportet, 267. 489.

Paraſceve Paſchæ, 570.

Parentes Chriſto non præferendi, 156. 182. parentes debito honore ſpoliantes Phariſæi, 306. parentum & filiorum in ſe invicem odia, 181. 268. 482.

Parvuli non ſcandalizandi, 375. non contemnendi, 368. Chriſto oblati, 392. eis revelata myſteria, 198. ipſorum eſt regnum cœlorum, 392. parvuli efficiamur oportet, 375. ſuſcipit Chriſtum qui parvulum, 374.

Paſcha primum, 205. ſecundum, 300. tertium, 499. Paſchalis ſacrificii dignitas, 421. typus fuit mortis Chriſti, 422. 437. ejus inſtitutio, 422. ab immundis non immolandum, 416. b. & 429. immolationis tempus, 425. immolationis locus in Templo, 426. immolationis modus & miniſtri, 428. manducationis ritus, 430. Paſcha plenilunii tempore celebrandum, 506. a. ad Paſchale feſtum omnes Jeroſolymam aſcendere tenebantur, 206. b. 426. Paſchalis cœna, 503. in ea Chriſtus legalem agnum non comedit, 435. 506. b.

Paſcit Deus volatilia, 138. 264.

Paſſeres curat Deus, 264.

Paſſio Chriſti, 537. & ſeq.

Paſtor & fur, 338. paſtor bonus & mercenarius, *ibid.* paſtor bonus Chriſtus, *ibid.* unum ovile & unus paſtor, *ibid.*

Paſtores moniti de Chriſto nato, 41. timent timore magno, *ibid.* eunt Bethleem & glorificant Deum, *ibid.*

Pater cœleſtis omnia tradidit filio, 198. 224. 508. dabit ſpiritum bonum petentibus ſe, 223. patrem nemo novit niſi filius, 198. nemo ad Chriſtum niſi tractus à patre, 294. nemo ad patrem niſi per Chriſtum, 521. pater & filius unum ſunt, 341. patrem vocandum neminem ſuper terram, 472. patris nomine cur oraturi utimur, 140. a.

Paterfamilias vigilans, 489. patrem ſepelire diſcipulus non ſinitur, 156.

Pauci viam ad vitam inveniunt, 144. pauci electi, 399.

Pauperes ſpiritu beati, 121. pauperes evangelizantur, 192. pauperes vocandi ad convivia, 346. pauperibus gloria Chriſtus, 157. b. paupertas Apoſtolis indita, 180.

Pax Chriſto nato ab angelis nuntiata, 41. danda in ingreſſu domus, 181. 189. non allata à Chriſto, ſed gladius & ignis, 182. 268. à Chriſto Apoſtolis relicta, 522. iiſdem ab eodem poſt reſurrectionem, 622.

Peccans frater corripiendus, 378. 382.

Peccatores diligentes ſe diligunt, 130. peccator vocatus Chriſtus, 134. 135. cum peccatoribus manducans, 169. pro peccatoribus venit, *ib.* gaudium de peccatore pœnitente, 349. peccatoribus nulla excuſatio, 527. peccatores & peccatrices qui dicerentur, 202. a. 641.

Peccata paſtorum graviora, 126. a. peccatum in Spiritum Sanctum irremiſſibile, 237. 264. peccatum originale credidit antiquitas orthodoxa, 210. b. an illud & Judæi crediderint, 336. a. peccatum ſervum, veritas liberum facit, 327. peccatorum confeſſio in baptiſmo Joannis, 84. peccatorum remittendorum poteſtas, 622. hanc eſſe in Eccleſia probatur, 624. a. extra Eccleſiam nulla, *ibid.* b.

Peccatrix ungens Chriſtum, 201. à Chriſto prælata Phariſæo, *ibid.* non fuit proſtibulum, 202. a. 639. cur ab Evangeliſta non nominata, 640.

Pecuniam creſcentem cura ſequitur, 266. a. pecunia corrupti ſepulchri cuſtodes, 614.

Pellibus hircorum pro doliis olim utebantur, 172. a.

Percutienti præbenda maxilla, 130.

Perdenda anima, 182. malos malè perdet, 458.

Pe-

Peregrinatio Chriſti in cœlum à Socino ficta, 211. b.
Peregrinorum hoſpitum pedes lavandi, 640.
Perfecti ut pater cœleſtis, 131.
Perfectionis acquirendæ conſilium, 394.
in Periculis probatur fides, 249. a. pericula quandoque declinanda, 321. a.
Perſecutionis juſtorum prædictio, 181. 482. 529.
Perſecutio fugienda, 181. perſecutio non timenda, 124. b. perſecutionem pati propter juſtitiam, 122. perſecutores credunt obſequium præſtare ſe Deo, 529. pro perſequentibus orandum, 130.
Perſeverandum in oratione, 396. in perſeverantia ſalus, 181. 483.
Perſonam non reſpiciens Chriſtus, 462. perſonarum in unitate naturæ divinæ pluralitas, 76. a.
Pes ſcandalizans, 375. pedes Jeſu uncti, 201. 417.
Pentecoſtes, 433.
Petenti dandum, 130. petendum, quærendum, pulſandum, 144. petenti panem non dat pater lapidem, ibid. & 223. petentibus dat Deus ſpiritum bonum, 223. fit quidquid petitur in nomine Chriſti, 522.
Petrus à fratre Andrea ad Jeſum adductus, 103. ei nomen impoſitum Cephas, id eſt Petrus, ibid. & 119. nominis hujus ſignificatio, 105. b. 121. a. bis mittit retia ad vocem Chriſti, 114. 626. à Chriſto vocatus, 114. in apoſtolum electus, 119. cur apoſtolorum primus, 183. a. aſſumptus in ſuſcitatione filiæ Jairi, 175. in transfiguratione, 363. in horto, 537. ambulabat ſuper mare, 289. ob modicam fidem reprehenditur, ibid. præclara ejus confeſſio & fidei firmitas, 297. 357. primatus & claves, 357. à patiendo avertit Chriſtum, 360. hinc correptus & Satanas dictus, ibid.
Piſcem capit unde ſolvit didrachma, 372. Jeſum de tempore everſionis templi interrogat, 481. ejus præſumptio, 518. negationis prædictio, ibid. Chriſtum à longè ſequitur, 545. ſtat cum miniſtris ad ignem, 546. 551. ter negat Chriſtum, ib. reſpiciente Chriſto reſipiſcit & flet, 553. currit cum Joanne ad monumentum, 610. natando venit ad Chriſtum, 626. ter rogatus an Chriſtum amet, ib. ejus martyrium à Chriſto prædictum, ibid.
Petri fides omnino non periit, 520. a. inanis defenſio negationis ejus, 554. b. Petri & Joannis varii mores, 627. a. Petrus Romæ paſſus eſt, 628. a. Petri ſocrus ſanata, 154.
Petræ ſciſſæ in morte Chriſti, 598.
Pharao & Herodes puericidæ, 54. a.
Phariſæus & Publicanus, *Parab.* 386. Phariſæi unde dicti, 89. b. eorum ſtricta legis obſervatio, ibid. progenies viperarum, 88. 238. 471. Joannem & Chriſtum rejiciunt, 195. ſimiles pueris clamantibus, &c. ibid. ſignum quærunt, 236. 240. eorum traditio de lotionibus variis, 305. irritum faciunt mandatum Dei, 396. parentes debito honore ſpoliant, ibid. cæci & duces cæcorum, 307. tempora illis ignota, 316. fermentum eorum doctrina & hypocriſis, 263. 317. rei quia non cæci, 335. foris mundi, intus immundi, 260. dicunt & non faciunt, 471. hypocritæ decimans mentham, &c. 260. 473. excolant culicem, &c. 473. diligunt primas cathedras & ſalutationes in foro, 260. 472. comedunt domos viduarum, 472. proſelytos filios gehennæ faciunt, ibid. circa jusjurandum errant, ibid. ſimiles monumentis quæ non apparent, 260. ſimiles ſepulchris dealbatis, 473. ædificant ſepulchra prophetarum, 260. 471. ſanguis juſtus ab eis exquirendus, ibid. non intrant & alios intrare prohibent, 260. 472. eorum conſilium adversùs Jeſum, 413. *Vide Conſilium*, indignantur de miraculis Chriſti, 178. 236. 447. Chriſtum interrogant in qua poteſtate, 454. & an cenſus dandus Cæſari, 462. interrogari ipſi de baptiſmo Joannis, 455. & de Chriſto cujus filius? 470. Publicanis & meretricibus pejores, 455. Chriſtum apprehendere tentant, ibid. imponunt onera importabilia quæ digito non movent, 260. 471. in ſtolis ambulant, 472. dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias, 472. amant primos recubitus in cœnis & ſynagogis, ib. volunt vocari Rabbi, ib. paciſcuntur cum Juda, 500. Chriſtum apprehendunt, illudunt, &c. *Vide Paſſio.* de cuſtodia ſepulchri Pilatum adeunt, 603. Jeſum mortuum ſeductorem appellant, ibid. ſepulchrum cuſtodibus muniunt, ibid. Phariſæi à Gentilibus tangi ſe non ſinebant. 203. a. 641.
Philippus apoſtolus à Chriſto vocatus, 105. ad Chriſtum adducit Nathanaelem, ibid. in apoſtolum electus, 119. interrogatus à Chriſto: unde ememus panes? 284. rogatus à Gentilibus Jeſum videre volentibus, 450. rogat Chriſtum ut oſtendat patrem, 521.
Philippus Herodis magni filius, frater Antipæ, tetrarcha Iturææ & Thraconitidis, 84.
Philippus alius, frater item Antipæ, cujus uxorem Herodiadem duxit Antipas, 279.
Phylacteria quomodo dilatarent Phariſæi, 474. a. phylacteriorum genus duplex, ibid. eorum forma, ibid. b.
Pictum ſculptumque quomodo lege vetitum, 464. b.
Vera pietas in quo poſita, 128. a.
Pilatus Judææ præſes, 84. Galilæos ſacrificantes occidit, 300. interrogat Chriſtum, 660. tacentem miratur, 561. ad Herodem mittit, ibid. dimittere vult, 565. 570. flagellat, Judæis oſtendit, innocentem iterùm pronunciat, 569. clamantes Judæis & ...

& Cæſarem metuit, 570. lavat manus, & Jeſum condemnat, 566.
Pinnaculum templi, 97.
Piſcatio prima miraculoſa, 114. fuit futurorum credentium typus, 116. a. piſcatio ſecunda, 616. capturæ hominum per apoſtolos præſagium, 627. a. b. ejuſdem alia figura, *ibid.* b.
Piſcina probatica, 270. 656. b. 657. unde ſic dicta, 271. b.
Piſcis ore habens ſtaterem quo ſoluta didrachma, 372. piſcis & mel in quinta apparitione, 622. piſcis prunis ſuperpoſitus in ſeptima, 626.
Piſtica nardus, 419. a. 659. a.
Plangent omnes Tribus terræ, 488.
Plantatio à Patre non plantata eradicabitur, 307.
Plenus Jeſus gratiæ & veritatis, 73. plenus ſapientia, 57. plenus Spiritu ſancto 97. plena gratia Maria, 9.
Plenitudo in Chriſto de qua Sancti omnes accipiunt, 73.
Pluit Deus ſuper juſtos & injuſtos, 130.
Pluralitas perſonarum in Deo uno, 76. a.
Pœnitentia prædicata à Joanne, 84. à Chriſto, 111. ab apoſtolis, 182. in cilicio & cinere, 197. Ninivitarum, 240. filii reſipiſcentis, 455. unius peccatoris quantum lætificet cœlum, 349. pœnitentiam qui non egerit, peribit, 300. 301. pœnitentiæ fructus dignos facere, 88. illam in nomine Chriſti prædicari oportuit, 630. falſa Judæ proditoris, 556.
Pœnæ impiorum æternæ, 377. b.
Pondus diei & æſtum portare, 398.
Pontifices, *Vide Sacerdotes*. pontifici ſcindere veſtimenta quando licitum, 550. a.
Populus qui ambulabat in tenebris, &c. 110. populus Chriſti à peccatis per Chriſtum ſervandus, 32. 36. b. populus Chriſtum prophetam confitetur, 441.
Porci ſubmerſi, 160.
Porta perditionis lata, 144. porta ſalutis anguſta, *ibid.* 304. portæ inferi, 359. a.
Poſſibilia omnia Deo, 395.
Poſſidere paratum regnum, 496.
Poſtponenda omnia Evangelico negotio, 157. b.
Potens in opere & ſermone Chriſtus, 618.
Poteſtas vitæ & judicii Chriſto data, 275. ligandi & ſolvendi, 357. 378. calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, 168. remittendi peccata, 622. hanc eſſe in Eccleſia probatur, 624. a. extra Eccleſiam nulla, *ibid.* b. in qua poteſtate, 454. poteſtas omnis deſuper data, 570. poteſtas mortis Judæis omnino non adempta, 562. a. poteſtatem datutum ſe Chriſto diabolus pollicetur, 98. in poteſtate ſermo Chriſti, 116. 146. poteſtas tenebrarum, 543.
Potio prima Chriſti, vinum felle mixtum; 587. potio ſecunda ſitienti, acetum, 594.
Præceſſor ſicut miniſtrator, 517.
Præcipitare Chriſtum volunt Nazareni, 256.
Præcincti lumbi, quid, 268. b.
Prædictio perſecutionis juſtorum, 181. 482. 529. mortis & reſurrectionis Chriſti prima, 359. ſecunda, 373. tertia, 400. everſionis Jeruſalem prima, 344. ſecunda, 441. tertia, 481. everſionis templi, 481. proditionis Judæ, 511. fugæ apoſtolorum, 530. negationis Petri, 518. martyrii Petri, 626. prædictio futurorum divinitatis documentum, 525. b. 531. a.
Prægnantibus væ, 487.
Prælia & ſeditiones, 481.
Præſentatio Chriſti in templo, *Vide Purificatio.*
in Præſepio Chriſtus natus, 39.
ad Præſides ducendi apoſtoli, 581.
Prætereuntes blaſphemantes, 592.
Prandium apud Phariſæum, 260. prandium ad littus, 626.
Preces publicæ, 139.
Preſſura magna, 487.
Pretium ſanguinis, 556.
Primatus & claves Petri, 357.
Primogenitus ſanctus Domino vocabitur, 49.
Primus omnium ſervus, 401. primi noviſſimi, 295. 399.
Princeps mundi diabolus, 522. foras à Chriſto ejectus, 451. principes cur non confitentur Chriſtum, *ibid.*
Probatica piſcina, 656. a.
Prodigia in morte Chriſti, 598.
Prodigus filius, 349.
Proficiebat Jeſus ſapientia, 57.
Progenies viperarum, 88. 237.
Promiſſum patris, 630.
Promptus ſpiritus, caro infirma, 538.
Pronuntiatio Galilæorum durior, 555. a.
Propheta ſine honore in patria, 265. 451. prophetarum dignitas unde petenda, 196. a. prophetam recipere, 182. à prophetis falſis cavendum, 143. prophetæ occiſi à Judæis, 250. 473. propheta extra Jeruſalem non perit, 344.
Prophetia Iſaiæ de induratione cordis, 246. 451. prophetia Balaam de Chriſto venturo, 46. a. prophetia Caiphæ, 413. 545. prophetiza Chriſte, &c. 548.
Proſapia cujuſque quàm diligenter ſervata apud Judæos, 22. a.
in Proſelyto admittendo ritus Judæorum, 89. a.
Proximus diligendus, 219. 468. proximus quis, *ibid.* homo homini proximus, 469. a.
Prudentes ut ſerpentes, 181. prudentiores filii hujus ſæculi filiis lucis, 353.
Pſeudo-Chriſti & pſeudo-prophetæ, 383. 385. b. 483. 489.

Publi-

Publicani à Joanne-Baptiſta moniti, 88. Judæis exoſi, 90. b. juſtificantes Deum præ Phariſæis, 195. Phariſæos præceſſuri 455. habiti ſicut Gentiles immundi, 171. a. credidere Joanni, 455. Publicani & Phariſæi parabola, 387.
Puer meus quem elegi, 234. pueris ſedentibus in foro Phariſæi ſimiles, 195. pueri Chriſto offerendi, 393. pueros Chriſtus amplectitur & benedicit, ibid.
Pullo inſidens Chriſtus, 440.
Pulſandum. *Vide Petendum.*
Pulvis excutiendus, 189. in pulvere & ſordibus jacebant lugentes, 199. a.
Purgatorium à Judæis creditum, 239. b. 595. b.
Purificatio, 49. lex de Purificatione, 50. b. huic non ſubdita erat Maria, 50. a.
Purpura, corona ſpinea, &c. 569.

Q

QUADRAGINTA diebus, &c. jejunavit Chriſtus, 97.
Quadragenarius numerus myſticus, 99. a.
Quadrantem noviſſimum reddere, 126.
Quæſtuaria ſanctitas, 476. a.
Quæſtus Judæi turpis à ſacerdotibus ipſis agnitus, 558. b.
Quærere primùm regnum Dei, 138. 265.
Quærendum & inveniemus, 144. 223. quæretur multum ab eo cui multum datum eſt, 268.
Quod facis fac citiùs, 512.
Quotidianus panis, 654. b.

R

RABBI cognomen doctorum apud Judæos, 105. a. 127. b. Rabbi ne vocentur ab hominibus, 472. Rabbinorum tituli, 277. a.
Raca, 126.
Rachel plorans filios, 53.
ad Radicem arborum poſita ſecuris, 88.
Rama quid, 54. b. vox in Rama, 53.
Rami palmarum, 440.
Rapina & iniquitas, 260. 473.
Ratio reddenda de verbo otioſo, 238.
Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia, 515. a. 516. b.
Recipit Chriſtum qui juſtum, 182.
Reconciliatio præcepta, 126.
Recumbendum in noviſſimo loco, 346.
Recumbere cum Abraham quid? 153. b.
Recubitus primos amant Phariſæi, 472.
Reddetur unicuique ſecundùm opera, 361.
Redemptio pro multis Chriſtus, 401.
Reditus ex Ægypto, 55.
Refrigeſcet charitas multorum, 483.
Reges tres à Matthæo prætermiſſi, 24. a.
Regina Auſtri, 241.
Regio umbræ mortis, 110.
Regnum Dei primùm quærendum, 138. 265. vim patitur, 195. 353. cum obſervatione non venit, 383. intra nos eſt, ibid. pauperum eſt, 121. perſecutionem patientium, 122. parvulorum, 393. paratum electis à conſtitutione mundi, 496. ab eo nemo pius excludendus, 91. b.
Regnum Chriſti viſuri quidam ante mortem, 361. non eſt de hoc mundo, 560. ubi ſit, 11. b.
Regnum diviſum deſolabitur, 236. regnum in regnum, 481.
in Regno Dei panem manducans, 346. ad prædicandum regnum Dei miſſi apoſtoli, 180.
Reguli filius ſanatus, 232.
Relinquentes omnia propter Chriſtum, 395.
Remiſſio peccatorum, 622. hanc eſſe in Eccleſia probatur, 624. a. extra Eccleſiam nulla, ibid. b.
Remiſſiùs Tyro, Sidoni, & Sodomis, 189. 197. 198.
Remittuntur multa multùm diligenti, 201. remittendum fratri de corde, 379.
Renaſcendum ex aqua & Spiritu ſancto, 209.
Renuntiandum omnibus, 347.
Reprehenſionis forma apud Judæos, 109. a.
Repudium illicitum, 389. an ob omnem cauſam, 390. a. b.
Repudii libellus ad ſponſam etiam dimittendam neceſſarius, 35. b.
Requies in uno Deo, 351. b. requiem animabus invenietis, 198.
Res ab Hebræis dicebantur *verba*, 19. a. 43. a.
non Reſiſtendum malo, 130.
Reſpiciens retrò ineptus regno Dei, 156.
Reſponſum acceperat Simeon à S. Spiritu, 49.
Reſpublica Judæorum Eccleſiæ typus, 120. b. 183. a.
Reſtitutio, pænitentia & mors Judæ, 556.
Reſurrectio Chriſti, 607. quàm benè teſtata, 615. b. religionis Chriſtianæ eſt fundamentum, 616. b. hanc probat aliorum mortuorum reſurrectio, 617. veritate ejus omnes errores confutantur, ibid. ſpem facit reſurrectionis, ibid. b. fidem ejus confirmat diſcipulorum incredulitas, 620. a.
Reſurrectio filiæ Jairi, 175. filii viduæ Naim, 190. Lazari, 413.
Reſurrectio bonorum in vitam, malorum in judicium, 273. in reſurrectione Sancti ſicut angeli, 465. reſurrectionem negabant Sadducæi, 465. reſurrectio probata à Chriſto, 466. 467. b. reſurrectio & apparitio multorum in reſurrectione Chriſti, 598.
Rete ruptum in prima piſcatione, 114. in ſecunda non ruptum, 626. cujus rei præſagium fuerit, 627. a. b.
Retributio ab hominibus cavenda, 346.
Reus judicio, 126. reus conſilio, ibid. reus gehennæ ignis, ibid. reus mortis habetur Chriſtus, 547.
ad Reges ducemini, 181. rex debitum dimittens, *Parab.* 378. rex iturus committere bel-

bellum. *Parab.* 347. rex conſtituendus Chriſtus fugit, 288. regem ſe coram Pilato Chriſtus profitetur, 560.

Ritus omnes veteris Teſlamenti Euchariſtiæ figuræ, 515. b.

à Romanis militibus apprehenſus Chriſtus, 542. a.

Romanæ Eccleſiæ perennitas, 359. a. 628. b.

Ruth Eccleſiæ figura, 23. b.

S

SABBATUM ſecundum - primum, 213. à ſacerdotibus in templo operantibus non violatum, *ibid.* nec per ovem, bovem & aſinum ex puteo extractum, 216. nec per bovem, aut aſinum qui ducuntur adaquatum, 301. nec per acceptam circumciſionem, 320. multo minùs per ægrorum curationem, *dictis locis*. propter hominem factum eſt, 213. ſabbatis licet benefacere, 216. ſabbato lectioni ſcripturarum vacabant Judæi, 117. a. ſabbato non curabatur qui ante, aut poſt curari poterat, 216. b. ſabbatum pro hebdomade, 388. a. à ſabbato ad ſabbatum deſerviebant ſacerdotes in templo, 5. b. ſabbatum illuceſcere quid. 605. b. iter ſabbati, 214. a. 635. a. ſabbati fuga, 487.

Sacculum portare prohibentur diſcipuli, 189. ſacculi qui non veteraſcunt, 267.

Sacerdos & Levita, 219. ſacerdotum Tribus in XXIV. familias diviſa, 5. b. ſacerdotes ab Herode congregari ſuper nativitate Chriſti, 44. miſſi ad Joannem, 100. conſilia ineunt ad occidendum Chriſtum, 413. 556. cogitant pariter de occidendo Lazaro, 414. paciſcuntur cum Juda, 500. & cum cuſtodibus ſepulchri, 614.

Sacerdos rebus ſacris peractis populo benedicebat, 8. b. ſacerdotum matrimonia, 13. a. ſacerdotem quem eſſe oporteat, 142. b. ſacerdotibus lepræ judicium delegatum, 150. b. ſacerdotes pedes lavabant antequam rem ſacram peragerent, 509. b. 510. b.

Sacrificia extra templum non immolanda, 427. ſacrificia unde inſtituta, 620. b. miſericordia & non ſacrificium, 169. 213.

Sadducæi unde dicti, 89. b. eorum doctrina, *ibid.* progenies viperarum, 88. quærunt ſignum de cælo, 316. fermentum eorum doctrina, 317. negant reſurrectionem, 465. Chriſtum conveniunt de uxore ſeptem fratrum, *ibid.* quinque libros Moyſis tantùm admittunt, 466. a.

Sæcularibus clerici ditiores, 184. b.

Sagena miſſa in mare, *Parab.* 252.

Sal terræ apoſtoli, 125. ſal inſulſum ad nihilum valet, *ibid.* 347. 376. ſal in nobis habeamus, 376. ſal ſymbolum ſapientiæ, 126. a. ſale omnes victimæ condiebantur, 376. 377. & ſale & igne ſaliendi damnati, *ibid.*

Saliva pro ægris oculis, uſitatum Judæis remedium, 658. a. ſinere ſabbato ſaliva oculos illicitum putabant, *ibid.*

Salome mater filiorum Zebedæi, 400.

Salomonis ſapientia, 141.

Salva nos, perimus, 158.

Salutatio angelica, 9. ſalutandi non tantùm fratres, 130. ſalutandus nemo per viam, 189. ſalutabant neminem Judæi euntes in ſynagogas, aut Paſchalem victimam empturi, 190. a. ſalutandi eorum modus, 11. a. ſalutatio & pax in ingreſſu domus, 180. ſalutare appellatus Chriſtus, 51. b

Salus in perſeverantia, 181. 483.

Samaritana, 227. Samaritani in Chriſtum credunt, 231. Chriſtum non recipiunt, 381. ab his aliquid emere Judæis illicitum, 228. b. odio habebant Judæos, à quibus & habebantur odio, *ibid.*

Samaritanus miſericors, *Parab.* 219. Samaritanus leproſus gratias agens, 383.

Sancti ſicut angeli poſt reſurrectionem, 465. ſanctitas quæſtuaria, 476. a. ſanctum non dandum canibus, 144. ſanctus ſanctior fiat, 498. b. Sanctorum lapſus aliquando utilis, 555. b.

Sandaliis calceati apoſtoli, 180.

in Sanguine prophetarum Judæi ſocii, 473. ſanguinis pretium, 556.

Sanguis Chriſti verè potus, 295. verè & realiter in Euchariſtia contentus, 516. b. ſanguis & aqua de latere Chriſti, 599. unde fluxerint, 601. b. ſanguineus ſudor, 538. hiſtoria ſanguinei ſudoris cur quibuſdam ſuſpecta, 540. a.

Sanguiniflua immunda, 176. a. ſanata, 174.

Sani non egent medico, 169.

Sapientia juſtificata à filiis ſuis, 195. ſapientia Dei omnia condita ſunt & gubernantur, 61. ſapientibus abſcondita myſteria, 198. ſapientia proficiebat Chriſtus, 57.

Satanas ſatanam non ejicit, 236. ejectus & rediens, 241. cadens de cœlo ſicut ſulgur, 598. mulierem contractam alligavit, 301. intrat in Judam, 500. & 512. cribrandos petit apoſtolos, 518. ſatanas Petrus à Chriſto vocatus, 360. *Vide Diabolus.*

Saturandi juſtitiam eſurientes, 121. ſaturandi priùs filii, 311. væ ſaturatis, 122.

Scabellum pedum Dei terra, 129.

Scalæ extra domos Judæorum apponi ſolitæ, 167. b. & 491. b.

Scandalizans oculus, &c. 129. & 375. ſcandalizati Nazareni, 255. non ſcandalizatus in Chriſto beatus, 192. væ per quem ſcandalum venit, 375. & 382. neceſſe eſt ut veniat, *ibid.* væ mundo à ſcandalis, 375. ſcandala ab angelis colligendas, 251. non ſcandalizandi parvuli, 375. ſcandalizabuntur multi, 483. ſcandalum Chriſto Petrus, 360. ſcandalum paſſuri apoſtoli, 518.

Scenopegia, dies feſtus Judæorum, 319. quare

re ſic dictus, 321. a. ad hunc aſcendit Chriſtus in occulto, 319. nec ideò mendacii redarguendus, 321. b. in hoc feſto hauriebatur aqua è fonte Siloe in altari libanda, 324. a.
Schlitingius hæreticus, 82. b.
Scientia ſalutis, 20. a.
Scindere veſtimenta Pontifici magno non ſemper vetitum, 550. b.
Scriba ad Chriſtum: ſequar te, 156. ſcriba doctus cui ſimilis, 252. Scribarum & Phariſæorum vitia, 472. *Vide Phariſæi.*
Scriptura in ſynagogis à ſtantibus legebatur, 257. a. & 473. a. à ſedentibus exponebatur, 473. a. ſcripturæ de Chriſto perhibent teſtimonium, 276. ſcripturas interpretatur Chriſtus, 618.
Sculptura cur legibus Moſaicis vetita, 464. b.
Seceſſus Chriſti è Judæa in Galilæam poſt traditum Joannem, 105. in montem ad orandum ante apoſtolorum electionem, 119. in deſertum poſt famoſam leproſi curationem, 149. iterum in deſertum poſt multos in Capharnaum curatos, 155. iterùm in Galilæam, cùm plures haberet diſcipulos quàm Joannes, 227. ad mare poſt curationem manus aridæ, 233. tertiò in deſertum poſt rumores in aula Herodis ſparſos, 283. iterùm in montem poſt miraculum quinque panum, 288. in partes Tyri & Sidonis ubi Chananæa, 311. tertiò in montem cùm transfiguratus eſt, 363.
Securis ad radicem arborum poſita, 88.
Sedet à dextris Dei Chriſtus, 634. ſedet ſuper aſinam Chriſtus, 440.
Semen ultrò germinans. *Parab.* 250.
Seminans, *Parab.* & ejus expoſitio, 244. *& ſeq.*
Senatoris & Decurionis differentia, 603. a.
Sententia à Prætore ſemel dicta non revocabatur, 591. b.
Separationis gladius à Chriſto allatus, 182. 268.
Sepeliendi modus orientalium, 604. b.
Septem panes, 315.
Septem fratrum uxor, 465.
Septem diebus peragebantur nuptiarum ſolemnia, 108. b.
Septies & ſeptuagies ſepties dimitendum, 378. 383.
Septuaginta duo diſcipuli, 188. numeri hujus ratio, 189. a.
Sepultura Chriſti, 602. ſepulturæ cura apud Judæos, 604. a.
Sepulchrum cuſtodibus munitum, 603. ſepulchra Judæorum extra urbes, 191. a. ſepulchra calce dealbabant, 478. a.
Sequi oportet Chriſtum, 182. volens illum ſequi non ſinitur, 156. ſecuti Chriſtum orbem judicaturi, 395.
Sermo in monte, 121. *& ſeq.* ſermonis hujus argumentum, 122. b. ſermo de cibo cœleſti, 292. *& ſeq.* ſermo in Encæniis, 341. ſermonis poſt cœnam prima pars, 521. ſecunda pars, 526. tertia pars, 529.
Serpens æneus typus Chriſti è cruce pendentis, 212.
Servire Deo & mammonæ impoſſibile, 138. 353. non ſerviendum duobus dominis, *ibid.*
Servus peccati qui facit peccatum, 327. non manet in domo in æternum, *ibid.* neſcit quid faciat dominus, 526. non ſuper dominum, 508. 526. vigilans & fidelis, 489. prudens & diſpenſator, 267. malus & ebrioſus, 489. ſciens voluntatem domini & non faciens, 267. inutilis & piger, 406. 496. fidelis in modico, 406.
Servi inutiles ſumus, 383. ſervus Centurionis, 151.
Sichem à Judæis dicta Sichar, 228. a.
Siclus, valor ejus, 372. b. 502. b.
Sindon lintea eſſe debebat, 604. b.
Sindone an corpus Chriſti fuerit involutum in ſepulchro, *ibid.*
Signum de cœlo bis quæſitum à Phariſæis, 240. 316. ſignum Jonæ, *ibid.* ſigna temporum Phariſæis ignota, 316. ſigna cladis Jeruſalem, 481. 486. 491. ſigna in ſole, &c. 488. ſigna multa fecit Jeſus non ſcripta, 623. ſigna credentes ſecutura, 629.
Siloe fons ex quo aqua hauriebatur in Scenopegia, 324. a. ad hunc miſſus eſt cæcus natus, 334.
Simeon juſtus & plenus Spiritu ſancto, 49. accipit Chriſtum in ulnas, *ibid.* ejus canticum, benedictio, prophetia, *ibid.* ejus benedictio non fuit ſacerdotalis, 51. b.
Simon Petrus à Chriſto nominatus, 103. 119.
Simon Chananæus apoſtolus, 119. 256. cur hic Zelotes dictus, 183.
Simon Phariſæus, 201.
Simon Leproſus, 413.
Simon Cyrenæus qui tulit crucem Jeſu, 586. cur in hoc onus arreptus, 589. a.
Simplices eſſe ſicut columbæ, quid ſit, 184. 185. b.
Sinapi, *Parab.* 250. fides ſicut granum ſinapis, 370. 383.
Sitientes juſtitiam beati, 121. ſitiens veniat ad Chriſtum, 324. ſitiens Chriſtus in cruce, 594.
Socii in ſanguine prophetarum, 473.
Socinianorum de Verbo Dei hæreſis, 61. eorum ſubterfugium, 72. ineptè exponunt Evangelii Joannis principium, 76. b. *& ſeq.* confutatio hujus expoſitionis, *ibid.* interpretatio horum verborum, *antequam Abraham fieret ego ſum*, 332. b. *& ſeq.* ineptè interpretantur confeſſionem Thomæ apoſtoli, 625. a. *paſſim confutantur.*
Socrus Petri ſanata, 154.
Sodomis remiſſius erit, 181. 189. 193.

Sol

Sol oritur ſuper bonos & malos, 130. ſol obſcuratus in morte Chriſti, 693. obſcurabitur in ultimo adventus ejus, 488.
Soleis depoſitis menſæ accumbebant Iudæi, 204. b. ſolearum forma, 93. a.
ve Soli, 183. a. 189. b.
Sollicitudo vana, 138. 264.
Solvere legem non venit Chriſtus, 125. ſolvendi & ligandi poteſtas, 357.
in Somnis apparitiones, 32. 44. 53. 55. in ſomnis reſponſum accipiunt magi, 44.
Sors ſuper veſtes Chriſti, 588.
Spargit qui cum Chriſto non colligit, 237.
Spei deliquium in diſcipulis poſt mortem Chriſti, 618.
Spelunca latronum, 446.
Spicarum confricatio in ſabbato, 213. ſpicas vellere die ſabbati illicitum, 214. b.
Spinoſa confutatur, 616. a.
Spiritus ſanctus increatus, 78. b. vera eſt perſona, 96. a. 532. a. à Patre diſtincta, & procedens 529. a. Mariam virginem fecundat, 9. 32. deſcendit in Jeſum baptizatum, 94. Chriſtum expellit in deſertum, 97. nondum datus quia Jeſus nondum glorificatus, 324. Spiritus veritatis, 522. 527. 529. loquitur in Sanctis, 181. 264. 482. primò promiſſus, 522. ſecundò promiſſus, 527. tertiò promiſſus, 529. arguet mundum de peccato, &c. 529. 650. b. docebit omnem veritatem, ib. non loquitur à ſe ipſo, ibid. apoſtolis inſufflando datus, 622. eo repletus Joannes Baptiſta ex utero, 4. repleta Elizabeth ad viſitationem Mariæ, 14. repletus Zacharias, 18. Spiritus ſancti varia dona, 624. a. Spiritus ubi vult ſpirat, 209. Spiritus vivificat, caro non prodeſt quidquam, 297.
Spiritus promptus, caro infirma, 538.
Spiritus immundi ejectio, 116. Spiritus immundus rediens, 241. Spirituum incorporeorum exiſtentia, 164. a.
Spongia aceto impleta, 591.
Sponſa ſine libello repudii non dimittenda, 35. b. in domum ſponſi quomodo deducenda, 497. a. ſponſis olim dati comites, 171. b. 497. a.
Sputa, illuſio, &c. 547. ſputa, ſignum contemptus, 550. b.
Stellæ cadent de cœlo, 488.
Stella à Magis viſa in oriente, 44. in via non niſi exeuntibus Hieroſolymis apparuit, 46. b. quando primùm viſa, 54. b.
Sterilis Elizabeth, 4.
Sterilitas pudor fœminarum, 8. b.
Stola prima, 350. in ſtolis ambulant, 472. in ſtolis ambulare quid, 474. a.
Stridor dentium, 252. 461. 490. 496.
Stulti & cæci Phariſæi, 472.
Subditus Chriſtus puer parentibus, 57.
Succeſſio propter mortem, 467. a.
Sudario mortuorum facies operta, 414. b. 605. a. 611. b.
Sudor Chriſti ſanguineus, 538. ſudorem ſanguineum agnovit Ariſtoteles, 661. a. hæc hiſtoria cur quibuſdam ſuſpecta, 540. a.
Sumptus computandi, 347.
Superbia ſola in rectè factis cavenda, 388. b.
Supplicia impiorum æterna, 377. b. ſupplicii cauſa titulo indicari ſolita, 591. a. ſupplicii inſtrumenta ante ſolis occaſum terræ mandari ſolita, 604. a.
Surdus & mutus, 312.
Suſanna ſequitur Chriſtum, 217.
Suſcipit Chriſtum qui parvulum, 374.
Suſpendit ſe laqueo Judas, 556.
Suſpicioni locus non dandus, 124. b.
Synagogæ quid, 113. b. in illis quinam docerent, ibid. ſynagogas Judæi jejuni frequentabant, 155. a. 214. a.
Synedrium magnum quibus conſtaret? 101. a. 456. a. 557. a. quæ ad illud cauſæ referrentur, 101. a. ad illud pertinebat de veris, aut falſis prophetis judicium, 456. a. 556. b.
Synedrii ſedes in templo, 228. a. 556. b. ſynedria minora, 186. a.
Syrophœniſſa, *Vide Chananæa.*

T

TABERNACULA æterna, 351. tabernaculorum feſtum, *Vide Scenopegia.*
in Tabulis publicis cujuſque deſcribebatur proſapia, 22. a. qua cura ſervatæ, *ibid.*
Talenta, *Parab.* 496.
Tallionis lex, 134. a.
Talmud Judæorum quando ſcriptum, 69.
Tangere Chriſtum quærunt infirmi, 119.
Tardi corde ad credendum, 618.
de Tecto non deſcendendum, 487.
Telonium quid, 170. a.
Tempeſtas ſedata, 158.
Templum corporis Chriſti ſolvendum, 206. templum Ieruſalem evertendum, 481. everſum, 483. b. Iudæorum reverentia in templo, 449. a. templum die ſabbati jejuni frequentabant, 214. a. extra templum ſacrificia offerre prohibitum, 427. templum domus orationis, 446. latro in templo Dei quis, 449. è templo ejecti vendentes, 205. 446. templum ſanctificat aurum, 472.
Tempora Phariſæis ignota, 116.
Tempus meum nondum advenit, 319. tempus viſitationis cognoſcendum, 441.
Tenebræ exteriores, 152. 461. 496. tenebrarum poteſtas, 543. tenebræ in morte Chriſti, 593. in tenebris & in umbra mortis ſedere, 20. b. in tenebris dictum, 181. 293.
Tentatur Chriſtus, 97. tentare Deum, quid, 100. a. ut non in tentationem intremus orandum, 538. ne nos inducas in tentationem, 137. in tentationis tempore recedentes, 246.

Tetra

Terra ſcabellum pedum Dei eſt, 129. terra mota in morte Chriſti, 598. motus illius ſignificatio, 569. b. terræ motus angelo deſcendente poſt reſurrectionem, 607. motus illius cauſa, 608. b. terra permanſione corporum in patibulo contaminata, 600. b. terræ motus per loca, 482.
Teſtamenti N. & V. conſonantia, 70.
Teſtes falſi adversùs Jeſum, 546.
Teſtimonium primum Joannis de Chriſto, 91. ſecundum 100. tertium 103. quartum, 224. teſtimonia de Chriſto perhibent, Pater Joannis, opera, 275. teſtimonium Chriſti de ſe ipſo, ibid. 326.
Theophilus, quis, 3. b.
Thaddæus, qui & Judas Jacobi Apoſtolus, 119. quare Thaddæus dictus, 121. b.
Theſaurizandum in cœlo, 138. 267. ubi theſaurus ibi cor, ibid. theſaurizans in terra cui ſimilis, 264. theſaurus bonus, vel malus, 145. 238. theſaurus abſconditus, Parab. 252.
Thomas apoſtolus, 119. 180. mori paratus; eamus & nos, 410. incredulus, 622. reſipiſcens, 623. ejus incredulitas quàm nobis profuerit, 624. b.
Thronus Dei cœlum, 129.
Thuris in potu proprietas, 590. b.
Tibiæ in luctu adhibitæ, 177. a.
quis Timendus, 218. 264.
Titulus crucis, 587.
Titus, qua arte Hieroſolymam fame expugnaverit, 659. b.
Tolerabilius terræ Sodomorum, 181.
Tormentorum locus nemini notus, 365. a.
Trabs in oculo proprio, 143.
Tradendi ante reges & præſides, 181. tradendi & occidendi juſti, 482.
Traditiones de lotionibus, 306. traditiones humanæ divinis contrariæ ibid. traditiones legis interpretamenta, 309. a.
Trahi oportet à patre, 294.
Transfiguratio, 363.
Tranſmigratio Babylonis, 21.
Tribulatio inaudita, 487.
Tribunal apud Judæos multiplex, 128.
Tributum quot annis Templo Judæi ſolvebant, 372. b. tributum Romanis perſolutum, 463. a. tributum in pecunia Romana exactum, 464. a. tributum ſolvit Chriſtus, primò 372. ſecundò, 463.
Triginta argentei pretium Chriſti, 560.
Trinitatis fides demonſtratur ex baptiſmi formula, 631. b. Trinitas etiam ante Chriſtum cognita, 13. a. 36. a. 67. 358. b. Trinitas apertè declarata 96. a. 524. a.
Triſtis abiit juvenis dives, 394.
Triſtitia juſtorum vertenda in gaudium, 530. triſtitia & mœror Chriſti, 537.
Triticum congregandum in horreum, 250.
Triumphalis ingreſſus Chriſti, 440.
Tu es qui venturus es, 192.
Tuba non canendum cùm datur eleemoſyna, 137.
Tunica Chriſti inconſutilis, 588. tunicam appetenti dimittendum & pallium, 130. tunicæ duæ non habendæ, 180. duas habens det non habenti, 88.
Turbatus Jeſus & fremens, 413. turbatur Herodes, 44.
Turris in Siloe, 300. turrim volens ædificare, 347.
Tyro & Sidoni remiſſiùs, 197.

V

VADE quid ſignificet, 153. b.
Væ divitibus ſaturatis, ridentibus, benedictis ab hominibus, 122. væ ſoli 183. a. 189. b. væ Corozain, Bethſaidæ, Capharnaum; 197. væ mundo à ſcandalis, 375. væ per quem ſcandalum venit, ibid. væ hypocritis, ducibus cæcis, &c. 472. Vide Phariſæi. væ prægnantibus & nutrientibus, 487. væ ei per quem filius hominis traditur, 511.
non Vagandum per civitates & domos, 180. 189.
Vana ſollicitudo, 138.
Vaſa omnia lavabant Judæi, 478. a.
Velatur Chriſtus, 548.
Velum Templi ſciſſum, 598. vela duo in Templo, 599. a.
Vellere ſpicas die ſabbati illicitum, 214. b.
Vendenda omnia, 267. 394. vendentes ejecti, 205. 456.
Ventilabrum in manu Chriſti, 92.
Ventus ceſſat Chriſto adveniente, 289. ventis imperat Chriſtus, 159.
de Verbo Dei Sociniani quid ſentiant, 61. verbum Dei ab æterno homines docuit, 62. verbum Dei eſt filius Dei, ibid. antiquis patriarchis apparuit, ibid. 333. a. verbum ab initio mundi cum hominibus conjunctum, 62. Philonis de Verbo Dei ſententia, 63. eadem eſt quæ Salomonis Prov. viii. 64. de verbo Dei quid dicant Paraph. Caldaicæ, 65. per verbum, ſeu Memra non debet lex Dei intelligi, 66. Socinianorum ſubterfugium, 72. Verbum Dei in Deo & Deus eſt, 73. per Verbum facta omnia, ibid. illuminat omnem hominem, ibid. Verbum caro factum eſt, ibid. Verbum Dei æternum, 74. a. Verbum perſona à Patre diſtincta, 76. a. non deſiit eſſe quod erat, 83. a. Verbum habitum à Judæis pro filio Dei, 523. b.
Verbum idem quòd res apud Hebræos, 19. a. 43. a. verbum otioſum, 238. ex verbis juſtificatio & condemnatio, ibid. verba non præcogitanda, 181. 264. 482. verba Chriſti, verba vitæ æternæ, 297. verba Chriſti adimplenda, 489.
Veritas liberos, peccatum ſervos facit, 327. veritas Chriſtus, 521.
Vermis non moriens, 375. 376.

Veſ-

Digitized by Google

Veſpere ſabbati quid, 608. a.
Veſte nuptiali non veſtitus, 461. veſte alba indutus Chriſtus, 561. veſtium Chriſti virtus, 176. veſtes ejus diviſæ, 588. veſtimenta ſcindere Pontifici ſummo non ſemper vetitum, 550. b. veſtitus Joannis-Baptiſtæ, 84.
Viam parare Domino, ibid. via lata à multis trita, 144. 147. b. via arcta à paucis inventa, 144. via, veritas & vita Chriſtus, 521. via ſalutis nemini patet niſi per Chriſtum, 523. a.
Victima ſale condiebatur, 376. 377.
Victus Joannis-Baptiſtæ, 84.
Videntes non vident, 246.
Vidua Naim, 190. fuit Eccleſiæ typus, 191. b. vidua Sareptæ, 256. vidua exorans judicem, Parab. 386. viduæ pauperis duo minuta, 479. viduarum domos comedentes Pharifæi, 472.
Vigilandum, 267. vigilandum ſimul & orandum, 489. 538. vigiliæ noctis quatuor, 42. a. 269. a.
Villicus diffamatus, 352.
Vincti dimiſſio in Paſchate, 565.
Vindicta electorum non tardabit, 386.
Vineæ operarii, 398. vineam locans, Parab. 457.
Vinum ex aqua, 108. vinum novum in utres novos, 170. vinum vetus bibens non ſtatim vult novum, ibid. vinum & oleum à Samaritano infuſum, 219. vinum myrrhatum & felle mixtum Chriſto porrectum, 587. vinum in ſudariis percolabant Judæi, 477. b.
Violenti rapiunt regnum cœlorum, 195.
Vipera innoxia à Pauli manu pendens, 632. a. viperarum genimina, 88.
Virgines confirmant fidem Chriſtianam, 392. b. virgines decem, Parab. 495. virginitatis commendatio, 390. & 392. a. virginitas paradiſum, nuptiæ terram replent, 659. a.
Virtus de Chriſto exiens, 119. 173. virtus Dei infinita. 467. a.
Viſcera miſericordiæ Dei, 20. b.
Viſitatio Mariæ, 14. viſitationis tempus cognoſcend..m, 441.
Vita in Chriſto, 73. vita Chriſtus, 521. vitæ panis Chriſtus, 294. 296. vita æterna cognoſcere Deum & Chriſtum, 533. datur à Chriſto ovibus ſuis, 341. ut eam habeamus credendum in Chriſtum, 294. ſervanda mandata, 393. diligendus Deus & proximus, 219. edenda caro Chriſti & bibendus ſanguis, 295. in vitam æternam ibunt juſti, 497.
Vitia Scribarum & Phariſæorum, 260. 471.
Vitis Chriſtus, pater agricola, nos palmites. 526.
de vitis genimine non biliturus Chriſtus, 514.
Vitulus ſaginatus, 350.
Ultimus Chriſti adventus, 438. ultimum judicium, 496.
Ultio prohibita, 544. b. ultionis dies, 487.
Ululatus multus, 53.
Unctio prima Chriſti à peccatrice, 201. ſecunda à Maria ſorore Lazari 417. unctio ægrorum per apoſtolos, 182.
Unguentis caput ſæpè perfundebant Judæi, 419. a.
Unitas in Trinitate demonſtratur, 631. b. unitas Dei, Trinitati non repugnat, 69. 76. a. 343. b.
Unus aſſumptus & alter relictus, 384. 489. unus magiſter, unus pater, 472. unum neceſſarium, 221. unum ſunt Pater & Filius, 341. unum ſunt electi in Deo, 534.
Vocatio Petri & Andreæ prima, 103. ſecunda in qua & vocati Jacobus & Joannes, 114. Philippi & Nathanaelis, 105. Matthæi, 169. duodecim apoſtolorum, 119. ad cœnam magnam, 341. ad nuptias, 460. peccatorum ad pœnitentiam, 169.
Vocati multi, 399. 461.
Volatilia paſcit Deus, 138. 264.
Volumina Judæorum non compacta, forma eorum, 257. a. b.
Voluntas tua fiat, 137. voluntati Dei nemo reſiſtit, 140. b. voluntas Dei ſine gratia in nobis fieri non poteſt, ibid.
Votum virginitatis an à Maria emiſſum, 12. a. vota baptiſmi, 631. b.
Vox de cœlo hic eſt filius, &c. 94. vox eadem de nube, 164. vox clamantis in deſerto, 84. vox de cœlo clarificans Chriſtum, 451.
Utres novi, 170.
Vulpes foveas habent, 156.
Uxor non dimittenda, 129. 153. 389. & ſeq. uxor ſeptem fratrum, 465.

Z

ZACHÆUS, 405. Judæis pudor, ibid. b. fidei Abrahæ imitator, 406. b.
Zacharias ſacerdos juſtus & ſenex, 4. angelus ei promittit filium, ibid. ideò turbatur, ibid. & quare, 6. b. non credit & ideò fit mutus, 4. nato filio nomen imponit, 17. os ejus aperitur, ibid. ejus prophetia, 18.
Zebedæus pater Jacobi & Joannis, 114. Zebedæi filiorum ambitioſa petitio, 400.
Zelus eorum reprehenſus, 381.
Zelotypiæ aquæ uxori adulteræ niſi inſonte viro non nocebant, 329. a.
Zizania ſuperſeminata, 250. hujus parabolæ expoſitio, 251.
Zona pellicea circa lumbos Joan. Bapt. 84.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. V. E. ROMA VITTORIO EMANUELE

xxiv. k. 9r.